

# FILIATIO SPIRITVALIS

## PER LITTERAS GRATIOSAS.

# FILIATIO SPIRITVALIS

## Hoc est

SACRVM, AC SPECIALE BENEFICIVM QVO DIVERSÆ CVIVSVIS STATVS PERSONÆ

Religionibus aggregantur

PER LITTERAS GRATIOSAS.

## TRACTATVS DOCTRINALIS

Adm. R. P. Io. Chrysostomi Philippini Veronensis Cler. Reg. Theatini, Sacræ Theologiæ Profess. nec non Sanctissimæ Inquisitionis Veronen. Consultoris.

AB IPSOMET AVTHORE HAC EDITIONE PLVRIMIS LOCIS ADAVCTVS.

*In quo per solidas variorum Authorum Doctrinas dilucidè exponitur, & enucleatè resoluitur, quidquid ad hanc materiam pertinet.*

QVÆ IN HOC LIBRO TRACTANTVR SEQVENS PAGINA INDICABIT.

Eum latino idiomate consignauit

MAVRVS ABBAS

Monasterij Montis Sancti Andex, Ordinis Sancti Benedicti.

VENETIIS, M DC LXXXVI.

Typis, & Sumptibus Antonij Tiuani.

*Superiorum Permissu, & Priuilegio.*

# CAPITA TOTIVS OPERIS.

1 QVid ſit Spiritualis Filiatio, quæ per Litteras Gratioſas conceditur?

2 Forma huiuſmodi Litterarum.

3 Antiquitas earundem.

4 A quonam concedantur GRATIOSÆ?

5 Quibus concedantur?

6 Quomodo concedantur?

7 Effectus, ac fructus earum exponuntur.

8 Exhibentur Indulgentiæ, quæ per illas participantur.

9 Qualiter deſinant Litteræ GRATIOSÆ.

Tractantur autem in hoc Opere Materiæ concernentes non ſolum *Regulares*, & eorum *Pralatos*, maximè circa Poteſtatem, tum ipſorum, tum etiam Sanctæ Eccleſiæ Prælatorum, quam habent in ſuos ſubditos, & *Regulares*: ſed etiam *Moniales*, ac ipſarum Superiorissas, in ſpecie de actu Profeſſionis earum, vt debito modo fiat: nec non, & puros *Saculares*.

Præcipuè de *Merito* de Congruo, & de Condigno. De *Participatione* Spirituali: diuiſa in Generalem, quæ fit à Sancta Eccleſia: & alias particulares. De Bulla *Pauli V.* & Decretis tum *Alexandri VII.* Felicis Record. tum Regnantis Pontificis *Innocentij XI.* Circa Indulgentias. De *Scapulari Immaculata Conceptionis*, vnà cum Breui *Clementis Papa X.* ac *Ritu* illud conferendi. De Voluntaria exſpoliatione propriarum ſatisfactionum, ab ineffabili Dei Munificentia mirabiliter, ac largè recompenſata: ac de pluribus alijs rebus, vt in ſubiecto Catalogo videre licet.

# CATALOGVS CAPITVM, AC DVBIORVM.

Quæ in hoc Opere resoluuntur.

*Numerus denotat paginam.*


CAPVT I.

Quid sit Filiatio Spiritualis per Litteras Gratiosas?

DVb.1. *An sit adoptiua?* 2
*Dub.2. An sit fraternitas spiritualis?* 4.
*Dub. 3. Cur vocetur Gratiosa.* 7.
*Dub. 4. An semper sit remuneratoria, ac in remunerationem concessa?* 13.
*Dub.5. An sit iusta, & secundùm æquitatem?* 17.
*Dub.6. An sit superflua, stante communione Sanctorum, atque Ecclesiæ?* 21.

CAPVT II.

De Forma Gratiosarum.

DVb.1. *Quales sint earum formulæ, & vtrùm vniformes?* 33.
*Dub.2. An limitari possint?* 34.
*Dub.3. Quando in sua perfectione constituta?* 34.
*Dub.4. An sine ipsis, per sola verba, aut sub alia forma, Filiatio spiritualis consistere queat?* 36.
*Dub. 5. An absque vlla sensibili communicari possit Filiatio Spiritualis?* 37.
*Dub.6. An formulæ* Gratiosarum, *absq; concedentis intentione, valorem aliquē habeant?* 46

CAPVT III.

De Antiquitate Gratiosarum.

DVb.1. *An deducantur ex veteri Testamento?* 49
*Dub.2. An trahāt originē ex Testamēto nouo?* 50
*Dub.3. An in vsu fuerint à principio cuius Religionis?* 55.

CAPVT IV.

A quonam concedantur Gratiosæ?

DVb.1. *An Prælati Regulares ex sua natura hanc habeant facultatem?* 57
*Dub.2. An id possint de Iure communi?* 72.
*Dub.3. An Prælati Regulares hanc facultatem habeant per Indultum Pontificium?* 73.
*Dub.4. An hæc potestas resideat penes Summum Pontificem?* 73
*Dub. 5. An Sacra Cardinalium Congregatio, supra Regulares constituta, tali potestate polleat?* 76.
*Dub.6. An eiusmodi potestatem habeant Legati, & Nuntij Apostolici?* 77.
*Dub.7. An hæc potestas competat Cardinalibus Sede vacante?* 78.
*Dub.8. Vtrùm facultas hæc sit penes Cardinalem Protectorem Ordinis?* 78.
*Dub.9. Num id possit Conseruator Regularis?* 82.
*Dub.10. An hæc potestas resideat penes Episcopum?* 83.
*Dub.11. An id possit Episcopus respectu Monialium sibi ipsi subiectarum?* 84.
*Dub.12. An hac potestate polleant Prælati Generales, ac Prouinciales?* 88.
*Dub.13. Vtrùm hæc potestas resideat penes Capitulum Generale, & Prouinciale?* 88.
*Dub.14. An hanc etiam potestatem habeat Præsidens Capituli generalis Patrum Theatinorum?* 89.
*Dub.15. Vtrùm hæc potestas sese extendat ad Vicarium Generalem, ac Prouincialem, vacante Sede Generali, ac Prouinciali?* 90.
*Dub.16. Num ista potestas competat etiam Patribus Consultoribus Theatinorum, vacante eorum Sede Generali?* 92.
*Dub.17. An hac potestate gaudeat P. Procurator Generalis Ordinis?* 94
*Dub.18. Vtrùm talis potestas inueniatur penes Superiores Religionis, quæ non profitetur Sacerdotium?* 94.
*Dub.19. An eiusmodi potestas competat Prælatis Regularibus localibus?* 100.
*Dub.20. Vtrùm talem facultatem habeant Prælati Regulares subalterni, ac inferiores, licèt ea ipsis suspendatur à Capitibus primis, ac Su-*

*ac Supremis Moderatoribus?* 102.

*Dub.21. Vtrùm hac etiam potestate gaudeat Abbatissa, seu Superiorissa Monialium?* 104.

*Dub.22. An id possint Prælati Regulares, casu, quo eorum Subditi ipsimet pro se ijs opus habeant?* 109.

*Dub.23. Vtrùm hoc facere possint Prælati absque consensu suorum Subditorum; & an isti ad hoc teneantur consentire?* 155.

*Dub.24. Vtrùm hanc potestatem exercere valeant Prælati Regulares, durante Anno Iubilæi?* 182.

*Dub.25. An hoc præstare possint Prælati Regulares per delegationem?* 186.

*Dub.26. An talis etiam potestas competere possit Scholis, & Confraternitatibus Sæcularibus, tam virorum, quàm mulierum?* 197.

*Dub.27. Vtrùm hæc facultas inueniatur apud R. R. D.D. Parochos, respectu Populi ipsis subditis?* 198.


## CAPVT V.

Quibus concedantur Litteræ Gratiosæ?


*DVb.1. An aliquis sibi ipsi eas possit conferre?* 199.

*Dub.2. an alijs existentibus in peccato mortali?* 199.

*Dub.3. An alijs Ordinibus Regularibus?* 200.


## CAPVT VI.

Quomodo conferantur Litteræ Gratiosæ?


*DVb.1. An facilis debeat esse concessio?* 202.

*Dub. 2. An conferantur alicui per solam electionem in Protectorem, & Conseruatorem.* 205.

*Dub.3. An per solam Electionem in Procuratorem, Aduocatum, ac Doctorem Monasterij?* 206.

*Dub.4. An per solam electionem in Notarium, & Sollicitatorem Monasterij?* 207.

*Dub.5. An per solam electionem in Medicum, ac Chirurgum Monasterij?* 207.

*Dub. 6. An conferantur alicui per hoc præcisè, quòd militet sub instituto illius Ordinis?* 208.

*Dub.7. An sæcularibus per hoc quòd habeant in Ordine Sanguine proximè iunctum?* 209.


## CAPVT VII.

Effectus ac Fructus Litterarum Gratiosarum.


*DVb.1. An participentur satisfactiones bonorum Operum Ordinis præteritorum; sitque proinde cuilibet Religioni suus particularis thesaurus spiritualis, qui constet ex satisfactionibus superabundantibus Religiosorum, dispensabilis per Litteras Gratiosas ab eorum Prælatis Generalibus & Prouincialibus?* 210.

*Dub.2. An communicentur merita bonorum Operum præteritorum Ordinis?* 219.

*Dub.3. An participentur bona opera Ordinis præsentia, & futura; & quo sensu hæc participatio intelligatur?* 223.

*Dub.4. Quales in specie, & quanti sint illi fructus, & effectus, tam satisfactionis, quàm impetrationis, qui per Litteras Spiritualis Filiationis participantur.* 227.

*Dub.5. An is, qui non est in Statu Gratiæ, de hisce fructibus participet?* 238.

*Dub.6. Vtrùm omnes æqualiter participent de fructibus bonorum operum Ordinis?* 239.

*Dub.7. An crescente participantium numero diminuatur in singulis fructus, qui participatur?* 241.

*Dub.8. An inter Religiosos, & eos, qui per Litteras Filiationis, ad consortium bonorum Operum Ordinis admissi sunt, mutua intercedat fructuum spiritualium communicatio?* 245.

*Dub.9. An reuera dici possit, admissos per Litteras Filiationis ad consortium bonorum operum Ordinis, participare in meritis totius illius Ordinis?* 246.

*Dub.10. An aliquid requiratur, ad consequendam Spiritualem Filiationem?* 248.

*Dub. 11. An aliquid requiratur, ad consequendum effectum ac fructum Litterarum Filiationis?* 248.


## CAPVT VIII.

*De Indulgentijs,*

Quæ per Litteras Filiationis conferuntur?


*DVb.1. Vtrùm Prælati Regulares communicent per suas Litteras, Indulgentias Ordinis, Iure proprio?* 251.

*Dub.2. An eas communicent per Indultum Pontificium?* 251.

*Dub.3. An limitatum sit Indultum Pontificium?* 253.

*Dub.4. Quænam sint Indulgentiæ Ordinis?* 254.

*Dub.5. An Regulares per viam communicationis Indulgentias lucrari possint?* 295.

*Dub.6. Quomodo Regulares consequantur Indulgentias per viam Communicationis?* 301.

*Dub.7. An omnes Indulgentiæ, tam perpetuæ, quam*

quàm temporales communicentur inter Religiosos? 306.
Dub.8. Quanam in specie sint illa Indulgentiæ, quas defacto consequi possunt Regulares per viam communicationis? 308.
Dub.9. Quanam Indulgentia per modum suffragij, à Regularibus obtineri possint pro fidelibus defunctis? 318.
Dub. 10. Quales Indulgentiæ conferantur per Litteras Gratiosas? 327.
Dub.11. An in specie nominari debeant Indulgentiæ, quæ per Litteras Gratiosas communicantur; an verò satis sit, vt exprimantur in genere? 329.
Dub.12. An per Litteras Gratiosas communicentur Indulgentiæ Stationum? 330.
Dub 13. Quales Indulgentiæ per Filiationem Spiritualem conferantur mense Ianuarij? 336.
Dub.14. Quales Mense Februarij? 336.
Dub.15. Quales Mense Martij? 336.
Dub.16. Quales Mense Aprilis? 337.
Dub.17. Quales Indulgentiæ Mense Maij? 337.
Dub.18. Quales Mense Iunij? 337.
Dub.19. Quales Mense Iulij? 338.
Dub.20. Quales Mense Augusti? 338.
Dub.21. Quanam Mense Septembris? 339.
Dub.22. Quales Mense Octobris? 340.
Dub.23. Quales Mense Nouembris? 340.
Dub.24. Quales Mense Decembris? 341.
Dub.25. Quales Indulgentiæ habeantur ab Aduentu vsque ad Quinquagesimam? 341.
Dub.26. Quales in Quadragesima? 342.
Dub.27. Quales Tempore Paschali? 344.
Dub.28. Quales Indulgentiæ reperiantur in Ecclesia Lateranensi S. Ioannis Romæ? 346.
Dub.29. Quanam Indulgentia acquiri valeant in Basilica S. Petri? 347.
Dub.30. Quales in Basilica S. Pauli? 347.
Dub.31. Quanam Indulgentiæ habeantur in Basilica S. Mariæ Maioris? 348.
Dub.32. Quales in Ecclesia S. Laurentij extra muros? 348.
Dub.33. Quales in Ecclesia SS. Fabiani, & Sebastiani? 348.
Dub.34. Quales in Ecclesia S. Crucis in Ierusalem? 348.
Dub.35. Quanam Indulgentia habeantur in Monte Sion? 350.
Dub.36. Quanam Indulgentiæ extent in Monte Caluariæ? 350.
Dub.37. Quanam in ipsa Ciuitate Ierusalem? 351.
Dub.38. Quanam in Valle Siloe? 351.
Dub.39. Quales ad Torrentem Cedron? 352.
Dub.40. Quales Indulgentiæ sint concessæ in Valle Iosaphat? 352.
Dub.41. Quanam in Monte Oliueti? 352.
Dub.42. Quanam extent in Bethania? 352.
Dub.43. Quales Indulgentiæ reperiantur apud S. Iacobum in Galitia? 353.

## CAPVT IX.

### Quomodo desinant Litteræ Gratiosæ Filiationis Spiritualis?

Dub. 1. An finiantur per mortem concedentis? 357.
Dub.2. Quid si concedens, ante mortem suam, iusserit, dari alicui tales Litteras; tradantur atem primùm post eius mortem? 357.
Dub.3. An expirante Officio Generalis vel alterius concedentis expirent pariter Litteræ Gratiosæ ab eo collatæ? 358.
Dub.4. An desinant per reuocationem? 360.
Dub.6. Vtrùm finiantur morte Concessionarij, ita vt eidem, post mortem, non prosint amplius? 361.
Dub.6. Vtrùm Conseruator Regularium, exacto Quinquennio, quo eius expirat Officium, desinat pariter gaudere fructu Filiationis Spiritualis? 365.
Dub.7. An effectus Spiritualis Filiationis expiret in Procuratore, Aduocato, & Doctore Monasterij, si eorum loco alius subrogetur? 366.
Dub.8. Vtrùm in Medico, & Chirurgo cesset Filiatio Spiritualis, quando eorum loco alij à Monasterio eliguntur? 366.
Dub.9. An desinat in Benefactore, vbi ipse talis esse desinit? 367.
Dub. 10. & vltimum. An desideranda, atque expetenda sit Gratiosa Participatio bonorum spiritualium Ordinum Religiosorum? 370.

Appro-

# Approbationes Impreſsionis primæ, Italico Idiomate Veronæ Anno 1677. editæ.

*PVS hoc, cui Titulus* ( FILIATIONE SPIRITVALE &c. ) *à P. D. Ioanne Chryſoſtomo Philippino Sacræ Theologiæ Profeſſore compoſitum, ex commiſſione Reuerendiſſimi P. D. Caroli Pignatelli, Noſtræ Congregationis Præpoſiti Generalis, accuratè perlegi, nihilque offendi bonis moribus, aut Sacræ Fidei diſſonum; Quin potius omnia conſona, cùm ex ipſius Fidei principijs nouum ſcribendi argumentum quòd nullus hucuſque (quem viderim) eſt ex profeſſo aſſecutus, ſolidis rationibus, cùm ex Sacra Doctrina, tùm ex præcipuorum Theologorum authoritate, Summorumque Pontificum Diplomatibus confirmatum deſumat. Quapropter dignum planè cenſeo, vt quam primum in lucem prodeat, non mediocrem Authori ſuo laudem, Fidelibuſque vtilitatem allaturum. Et ita ſentio.*

*Veronæ in ædibus Sanctæ Mariæ de Glarea Kalendis Maij. M. DC. LXXVI.*

D. Ioannes Comminus C. R.
Sac. Theol. Prof.

*Ibrum, qui inſcribitur:* LA FILIATIONE SPIRITVALE PER LETTERE GRATIOSE: *à P. D. Ioan. Chryſoſtomo Philippino Noſtræ Congregationis Theologo, communi vtilitati apprimè elaboratum, de mandato Reuerendiſs. P. D. Caroli Pignatelli Noſtri Præpoſiti Generalis, accuratè vidi, & perlegi; nihilque in eo ab Eccleſiæ Catholicæ, & Romanæ fidei, S. S. Patrum, & Doctorum, ſana Doctrina alienum contineri comperi; Quinimo, in illo Theſaurum hucuſque fere abſconditum, quo nedum Sacri diteſcant Theologi, ſed & rudiores, ſapientiæ diuitias, & bonorum ſpiritualium abundantes accumulent opes, adinueni; eruditè enim, accuratè, & ſumma diligentia, quæ in ſimili materia, dubia, & quæſtiones excogitari poſſunt, proponit, diſſerit, enodatque Auctor. Quapropter inter tàm præclaras lucubrationes, quæ quotidie circa Theologiam Moralem prodeunt, ſingularem ſibi vendicare locum, Opus hoc exiſtimo, digniſſimumque in lucem quod prodeat, lucem vt omnibus tribuat. Ita cenſeo, & ſubſcribo.*

D. Ioan. Bonifacius Bagatta
C. R. S. T. P.

## D. CAROLVS PIGNATELLVS,
## Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

*Oc Opus inſcriptum* LA FILIATIONE SPIRITVALE per Lettere nominate GRATIOSE *à P. D. Ioanne Chryſoſtomo Philippino Noſtræ Religionis Sacerdote Theologo compoſitum, & iuxta præfixam aſſertionem Patrum quibus id commiſimus approbatum; vt Typis mandetur, quo ad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcriptas, ſolito Noſtræ Religionis Sigillo firmauimus.*

*Romæ die 13. Iunij M. DC. LXXVI.*

D. Carolus Pignatellus Præpoſitus
Gener. Cleric. Regular.

LOCVS ✠ SIGILLI.

D. Dominicus Lomellinus C. R. Secr.

Ego

GO infrascriptus de mandato Reuerendiss. P. Fr. Petri Mariæ Amiani Inquisitoris Veronensis, Librum cui titulus, FILIATIONE SPIRITVALE, &c. Compositum ab Adm. R. P. D. Ioan: Chrysostomo Philippino C. R. Theatino pijssimo aque, ac eruditissimo Viro perlegi accuratè, nihilque omnino contra Fidem Orthodoxam, bonosque mores inueni, sed Sacræ Theologiæ, Sanctorumque Patrum menti consonas, nonnullas pias, ac deuotas Quæstiones ingeniosè, ac subtiliter excussas sum admiratus, à nemine hucusque ità dilucidè pertractatas; ideò Librum hunc non publica tantummodo luce, sed vniuersorum lectione dignissimum ingenuè fateor, & affirmo. Docti enim Lectores Auctoris laborem, acumen, ac doctrinam approbatione prosequentur. Vulgares, amorem erga proximum, pietatem, ac charitatem venerabuntur. Interim gratulor Tibi, Vir Ornatissime, iterum gratulor Patriæ: Tibi, quia monimentum ad æternitatem, & gloriam ære perennius erectum vides: Patriæ, quia Veronensium Scriptorum Albo tuum Nomen donasti.

Franciscus Montenarius C. R. Congr.
Som. Sac. Theol. Doct. & S. Off. Cons.

---

GO Subscriptus Ordinis Minimorum Sacræ Theologiæ Iurisque Pontificij Professor, iussu Reuerendissimi Patris Fr. Petri Mariæ Amiani Inquisitoris Veronensis, perlegi Librum inscriptum, LA FILIATIONE SPIRITVALE, &c. à Reu. Admod. P. D. Ioanne Chrysostomo Philippino C. R. Theatino Sacræ Theologiæ Professore, ac Sancti Officij Consultore, & Librorum Censore compositum, in quo nihil Orthodoxæ fidei, bonisque moribus dissonum aduerti: sed ferè omnia quæ ad Participationum Regularium materiam faciunt, Magistra manu congesta, eruditè discussa, solidaque maiorum Theologorum authoritate comprobata reperi, quæ Lectorem non solum erudire, verum etiam ad pietatem, & obseruantiam erga Sacrorum Ordinum Professores aditum patefaciunt. Quare Librum censeo dignissimum vt in lucem emittatur, manibusque omnium terendus, & inoffenso pede percurrendus. In quor. fid. &c.

Datum Veronæ apud Nostrum S. Francisci à Paula Conuentum Decimoquinto Kalendas Iunij M. DC. LXXVI.

Fr. Ignatius Azzolinus Minim. S. Off.
Consul. & Libror. Censor.

*Stantibus prædictis attestationibus.*

*Imprimatur*
Fr. Petrus Maria Amianus Inq. S. Off. Ver.

---

# Noi Riformatori dello Studio di Padoua.

AVENDO veduto per Fede del Padre Inquisitor di Verona nel Libro intitolato FILIATIONE SPIRITVALE, composto dal Padre Don Giouanni Grisostomo Filippini Chierico Regolare, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, è buoni costumi, concediamo licenza à Gio. Battista Merlo di poterlo Stampare, osseruando gl'Ordini &c.

Venetia li 4. Febraro 1676.

Aluise Mocenigo Riformator.
Siluestro Valier Cau. Proc. Rifor.

*Gio: Battista Nicolosi Sec.*

*Ad Sapientissimum Reu. Admod. Patrem D. D.*

# IO: CHRYSOSTOMVM PHILIPPINVM CLERICORVM REGVLARIVM THEATINORVM

Veronam Apud Sanctam Mariam de Glarea.

*EPISTOLA PRO CENSVRA.*

## REV. ADMODVM PATER.

*ATERE, Sapientissime Vir, vt mea vota litteris hisce, liberè tibi depromam. Perlegi tuum de FILIATIONE SPIRITVALI doctissimum Librum: quo Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ authoritatem, doctrinamque de Participatione à sæculo, in Agro litterario penè abscon̄ditam, selectioribus ex amœniori Moralis Theologiæ floribus ornatam ingenuè prodis; & quod maximè est faciendum, contra nephariorum deliria Hæreticorum, validissimo Catholicorum calamo, magistra manu, propugnas. Obstupui sanè legendo tam raras quæstiones, tamq; arduas, tanta claritate, ac breuitate laconica expositas. Opus est incredibili eruditione ingenuaque Doctorum allegatione refertum, ac summo ingenij labore perpolitum fateor. Quod mihi ex animo studiosè legenti, suo dignissimum Authore visum est. Quodque si in lucem edatur, ad maiorem Dei Gloriam, & omnium Regularium bonum, & maximè Prælatorum instructionem, Sæcularium deuotam vtilitatem, Patrum denique Theatinorum honorem, ac Veronensis Patriæ decorem, cessurum existimo. Qui tuis instituor scriptis, tuaque amicitia honoror, Ex corde votum expono meum subiecto disticho.*

Viue Philippine, hocque tuo Chrysostome libro,
Erudi cunctos, & mihi viue, Vale.

*Scripsi Veronæ apud Nostrum Sancti Francisci Paulani Asceterium Kalendis Martij, Anno quo Vera ChrIstI DoMInI gLOrIa Verona TheatInos Patres eXornat.*

Tuus in Domino Seruus
Fr. Ignatius Azzolinus Minimus.

MAXIMA animi mei exultatione legi doctissime mi Philppine (quondam in Theologica palaestra Patauij, mei auditor amantissimus) summas laudes, quibus viri praestantissimi celebrant, dum propralo approbant, Opus, cuius titulus, FILIATIONE SPIRITVALE, &c. & in tantorum virorum approbationibus mihimetipsi gratulor, quòd grandem illam existimationem efferunt, & ad lucem exponunt, quam semper in celebratissimis tui ingenij lucubrationibus sum demiratus, & suspexerunt quotquot illas prae oculis habuere. Huiusmodi sunt, mi Pater, cordis mei sensus, quos in tuae doctrinae plausum hic breui calamo placuit tantum innuere.

*Ioannes Morandus C. R. Theatinus S. T. P.*
*& Sacrae Inquisit. Mantuanae Consult.*

Appro-

# Approbationes huius ſecundæ Impreſsionis.

*ingulare hoc Opus, cui Titulus* Filiatio Spiritualis, &c. *à P. D. Ioanne Chryſoſtomo Filippini noſtri Ordinis Theologo, ſingulari Studio elaboratum, iuſſu Reuerendiſſimi P. D. Caietani Pagani Præpoſiti Generalis Sedulæ diſcuſſione peruolui; nihilque continet moribus, & Fidei Catholicæ diſſonum, nilque nuperrime Sancitis Romæ aduerſum, quinimo vberrimam doctrinarum ſegetem, accuratiſſimamque rationem expendendi totum Filiationis Spiritualis momentum ante hac à nullo Theologorum explorato, quo ſingularis labor ſingularem mereatur commendationem, atque Typo digniſſimum duco, & ſpero fore vtiliſſimum, ſimulque gratum Morali Theologiæ addictis, & omnibus oblectamento.*

*Monachij in Aedibus noſtris Sanctorum Adelaidis, & Caietani.*

*Die* 1. *Septembris* 1684.

D. Caietanus Felix Verani C. R.
Sac. Theol. Prof.

---

*ibrum hunc,* Filiatio Spiritualis, &c. *inſcriptum, à Patre Domino Ioanne Chryſoſtomo Filippini, Noſtri Ordinis Theologo elaboratum, de mandato Reuerendiſsimi P. D. Caietani Pagani Præpoſiti Generalis, examinaui; reperique bonis moribus, Fidei Catholicæ, ac Romanis nuper Decretis Conformem. Ad hæc, quum omni inſignis Operis conditione præſtet, eum perquam approbo, & vt in lucem prodeat, ſuadeo.*

*Monachij* 1. *Septembris* 1684.

D. Antonius Spinelli.
C. R. Theologus.

# D. CAIETANVS PAGANVS
## Præpositus Generalis Clericorum Regularium.

*Oc Opus inscriptum*, Filiatio Spiritualis, &c. *à R. P. D. Io: Chrysostomo Filippini compositum, & iuxta asser*ti*onem Patrum, quibus id commisimus approbatum, vt Typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu propria subscripsimus, & solito nostro Sigillo firmauimus.*

*Datum Mediolani 28. Nouembris 1684.*

D. Caietanus Paganus Præpositus
Gener. Cleric. Regular.

LOCVS ✠ SIGILLI.

D. Ioannes Baptista Pescara Secr. C. R.

---

Iliationem hanc Spiritualem *Concinnè elaboratam, eleganter excultam, omnibusque suis absolutam numeris, quam obstetricante præstantis ingenij acerrima vi Adm. R. P. D. Io: Chrysostomus Filippini Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum Doctor Theologus, publicæ iam pridem fuerat vtilitati enixus, & nuperrime vlteriori auxit doctrinarum accessione, iussu Reuerendissimi Patris Magistri Io: Thomæ Rouetta Inquisitoris Generalis Venetiarum, sedula discussione perpendi: cumque nihil se se mihi obuiam tulerit morum rectitudini dissonum, aut Pontificijs obluctans sanxionibus, quin imò locupletissimam deprehenderim Sanæ Doctrinæ Segetem, quæ inconcussis innixa rationibus plurimum suum commendant Authorem, ratus plurimum allaturam vtilitatis, dignam censeo iteratà editione.*

*Venetijs die 12. Ianuarij 1686.*

Fr. Anastasius Parenti Minimus Reuisor, &c.

---

*Imprimatur*

Fr. Ioannes Thomas Rouetta Inquisitor Generalis Venetiarum.

NOI

# NOI REFORMATORI
## Dello Studio di Padoua.

Auendo veduto per Fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato, FILIATIO SPIRITVALIS, Auctore Admodum Reu. Padre Ioanne Chrysostomo Filippini Clerico Regulari Theatino, non v'esser cosa alcuna contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo Licenza ad Antonio Tiuani di poterlo stampare, osseruando gl'ordini, &c.

Data li 13. Gennaro 1685.

Girolamo Basadonna Kau. Ref.

Girolamo Gradenigo Procurator Ref.

*Gio: Battista Nicolosi Secretario.*



# AVTHOR

## Ad Reuerendissimos, & Colendissimos Prælatos Regulares.

*Tul. 3. Offic. n.43.* CVm Romanæ eloquentiæ Principis Oraculo, *Naturam ducem sequi debeamus*, haud video, cuinam congruentiùs, has Gratiosarum lucubrationes offeram, quàm earundemmet Gratiosarum Communicationum Authoribus, quippe *Ad locum, vnde exeunt flumina reuertuntur*. *Eccl. 1.7.* Neque reciprocè à Reuerendissimis PP. VV. alio, præterquam benigno sinu, illæ excipi queunt; cùm & Mare, quod *Congregatio* quædam *aquarum* est, non nisi facilem, recurrentibus ad se fluminibus, aditum præbere valeat. Ipsi, qui tanta liberalitate petentibus impertiunt *Gratiosas*, mihi, quam demississimè efflagito, haud denegabunt gratiam; vt videlicet humanissimis suis visceribus istud humillimi affectus mei tributum, gratiosa benignitate complectantur: nè aliàs inauditum monstrum (pessumdata natura tum vniuersali, tum propria) exoriri cernatur, si Tractatus *Gratiosarum* suimet *Gratijs* oblatus, penes illas Gratiam non inuenerit.

*Prou 7.7.* Scio equidem, quòd *Saturatus calcat etiam fauum*; & non tantùm ea, quæ minora palato afferunt oblectamenta, fastidiat: scio Personas sapientissimas, scripta quantumuis bona, haud facile obtutu suo dignari; id tamen nequaquam à proposito me absterret, vtpote probè gnarum, neminem, quæ sua sunt abhorrere, etenim *de proprijs maximè curant homines*. *Arist. 1. Polit. c. 2. circa init. 4. Reg. 2. 12.* Zelosissimus vester spiritus (cùm reuera sit fidelis *Currus Israel, & Auriga eius*, tum quòd per vniuersas mundi plagas circumgestet Nomen super omne aliud adorabile, *cui omne genu flectitur*: *Philipp. 2. 9.* tum quòd ad omne bonum dirigat fragilem humanæ naturæ conditionem, omni alio creato miserabiliorem, *& ad omnem fortunæ contumeliam proiectam*) *Senec. Consol. ad Marc. c. 11.* iure meritò nuncupari potest *Elias*. *4. Reg. 2. 13.* Dignetur ergo reapse talem sese exhibere, & huic suo Tractatui, velut alteri *Elisæo*, *Ibid. 2. 12.* qui anhelanti voce ingeminat: *Pater mi! Pater mi! Currus Israel, & Auriga eius!* desideratissimum exambitæ Protectionis suæ *Pallium* elargiri; ita enim fiet, vt & ab ipso admirabiles, tum ad Supremi Benefactoris Gloriam, tum ad fidelium emolumentum, effectus expectari queant. Neque de infernalium spirituum timendum insidijs; hi enim sicut à Monumento defuncti *Elisæi* diffugiunt, *Martyr. Rom. 14. Iulij lit. B. S. Hieron. & aly ibidem.* ita audito nomine eiusdem hic rediuiui ociùs fugam capessent. Hisce obsequiosissimo affectu me profiteor

Reuerendissimarum PP. VV.

*Humillimum, & Addictiss. in Christo seruum*
D. Io. Chrysostomus Philippinus
C. R. Theatinus.

RE-

# RELIGIOSO, ac PIO LECTORI Author.

Esiderabatur (beneuole Lector) in Æconomia Litteraria, atq; Ecclesiastici, exactus quidam Tractatus, de Litteris, quas nuncupare solent *GRATIOSAS*, & à Prælatis Regularibus dispensantur, quibus mediantibus participes reddunt Amicos, ac Benefactores suos, bonorum spiritualium, suarum Religionum. Desiderabatur, inquam, perfectus quidam, atque completus earundem Commentarius, per quem materia hæc, à nemine hactenus ex professo tractata, è tenebris obscuritatis, in quibus hanc vsque in diem delituerat, beneficio sedulæ disquisitionis, in claram lucem produceretur: id attestante *Antonio Ruteo de Participationibus pag. 2. in principio.* Hisce verbis: *Hæc materia Participationum obscura, & à paucis explicata, pleniorem exigit tractationem*. Imò verò, non tantùm à paucis, sed nec ab vllo (quantum viderim) materia hæc ex integro, atque ex professo hucusque fuit pertractata: ex Authoribus enim, vnus vix paucis eam attigit lineis; alter, vno aut altero expediuit folio; hic vnico Dubio; ille simplici Capitulo contentus; quilibet breuiter. *Paulus ab Omnibus Sanctis*; Carmelita Discalceatus, in libro, quem inscripsit, *Clauis aurea Thesauri Partheno-Carmelitici*, plura cęteris resoluit dubia, quorum tamen aliqua ab alijs quoque pertractata fuere, pauloque fusiùs præ reliquis de hac agit materia. *Antonius Ruteus*, Ordinis Minimorum, libellum hac super re confecit, sed paucorum foliorum, meliori tamen præ cęteris industria, cui titulum præfixit: *De Participationibus*.

Desiderabatur itaque (benigne Lector) completus iste, omnibusque numeris, quantum hæc requirit materia, absolutus Tractatus; eum tibi ego primus offero; tuum erit, animo patienti, atque beneuolo, eundem perlustrare: quod si fortè, quæ in eo continentur, tuum adamussim non exæquauerint gustum, Priuilegium saltem Protographi, qui hanc materiam ex instituto plenè tractarit, mihi denegare non poteris. Miror, inter tot sapientissimos Regulares, qui varia opera, excellenti eruditione referta, typis euulgarunt, neminem reperiri; qui hac de re, ex integro, & ex professo scripsisset; cùm tamen id ipsis principaliter incumberet, tam ratione materiæ, quæ illorum propria est; quàm obiecti, siue rei, quæ itidem ipsos primariò concernit; ab eis tantopere commendatur; quotidie in discursum trahitur; meritò tanti fit; & pretiosi ad instar Thesauri charissimis tantùm dispensatur. Hunc proinde laborem, ad Diuini Nominis Gloriam, ego (Regularium licèt infimus) particulari industria, ac gustu aggressus

sum,

sum; eo tamen supersedissem profectò, si alius plenâ huius rei elucubratione me anteuertisset; eadem quippe mens, in libris edendis, mihi insidet, quem de se protestatus est Excellentissimus *Bartholomæus Cepolla* noster Veronensis, Classicus, ac primarius inter Doctores Vtriusque Iuris, qui in doctissimo suo Tractatu *De Seruitutibus pag. 1. in princip.* taliter de se scribit; *Semper mihi cura fuit aliquid scribere, & quod diu legendo consecutus sum, id auditoribus meis pro communi vtilitate litteris tradere, laborandum esse putaui. Nec vnquam libellum, de quo iam ab alio scriptum reperiatur, scribere volui, licèt nonnulli quibusdam additis, & detractis, id facere consueuerunt: sed ea tantùm de re pro fructu maiori, de qua nemo vnquam tractatum, aut libellum, quem sciuerim, scripserit.*

Ediderам iam Anno 1646. Veronæ, typis *Francisci Rossi*, libellum quemdam minusculum, sub velato aliquantulum meo nomine, scilicet *D. Philippi Boccadoro*, cui titulum præfixeram: *Filiatio Spiritualis Exposita: hoc est, Breuis declaratio illorum omnium; quæ participant Fideles vtriusque sexus, aggregati Religioni P.P. Clericorum Regularium Theatinorum, mediantibus Litteris Gratiosis, seu Spiritualis Filiationis, quæ ipsis conceduntur à Reuerendissimo P. Generale eiusdem Religionis.* Acceptus adeò fuit hic libellus, quantumuis exiguus, vt de mille exemplaribus, vnicum solum mihi ad manum sit, quem ex industria, vt conseruarem Originale, retinui. Porrò meliorem fortunam spero, atque auguror huic integro, completo, atque nouo (quantum sciam) Tractatui, quem iam exinde animo conceperam, vt eum omnibus Religionibus (quod in præsenti facio) offerrem.

Expono in eo, non tantùm omne id, quod de bonis spiritualibus sacrarum Religionum participant illi, qui per Litteras Gratiosas, ab ijs in Filios adoptati sunt: verùm resoluo insuper omnia dubia, quæ scaturire possunt tam ex forma, ac tenore dictarum Litterarum, quàm etiam ex Iure, ac potestate Prælatorum Regularium, quam habent, eas concedendi. Exhibeo præterea decisionem aliorum dubiorum, circa Indulgentias, quæ per præfatas Litteras, vel immediatè conceduntur, vel per viam communicationis participantur. Addidi denique, suo loco, summarium aliquod Indulgentiarum in specie, quas Religionibus Aggregati acquirunt: idque ad instantiam quorundam Prælatorum, quorum proinde desiderio, hoc labore, gratificari volui: necnon, vt Aggregatorum Religionibus (præsertim Theatinæ) vtilitati deseruirem.

Ceterum, cùm à Prælatis Regularibus per *Litteras Gratiosas* Religionibus promiscuè aggregentur, tam viri, quàm fœminæ: & tam istæ, quàm maior etiam pars virorum in Italia (quam Liber iste potissimùm peruagaturus est) Latinam linguam haud calleant, in qua ceteroquin Opus istud euulgassem; ideò, ductus consilio etiam Virorum Doctorum, atque Prudentum, Italico illud Idiomate edidi: euidenter ratiocinatus, taliter tam vsum illius, quàm vtilitatem, magis fore vniuersalem. Porrò patientiam tuam imploro, benigne Lector, quoad errores, qui typo irrepsere in hoc Opere, eos enim omnimodis cauere, res esset impossibilis; miraculoque rarior; cùm videantur esse peccatum Originale typi, & proprietas eiusdem quarto modo, atque adeò inseparabiles ab eo (omnimodè saltem) licèt sedula cura præcaueantur: Prodeunt characteres, præli tormentis acerbè pressi, vt veritatem palàm edicant: attamen nonnunquam obstinati eam fateri recusant falsitatesque proloquuntur, atque errores. Principaliorum tamen correctionem, in calce Libri reperies: minoribus, & qui sensum non variant, tu cum patientia correctionem adhibe: meos quoque, qui ex ignorantia irrepserunt, cum charitate sufferre digneris; promptum me, ad eos emendandum, exhibeo, tuoque purgato iudicio, per omnia, me subijcio: vti pariter vsquequaque legitimo etiam sensui Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, in cuius gremio me viuere, ac mori velle protestor. De infidelitate saltem, in citandis Authorum sententijs, à nemine argui potero; quotquot enim in hoc Opere adduco, omnes penè ex proprijs fontibus delibaui; reliquas adduco solùm, vt relatas ab alijs, quas tamen & ipsas, ex suis quoque fontibus excerpsi. Id euidenter tibi probabitur,

bimur, si in Authorum, quos citaui, libris, in easdem sententias incurreris, maximè si eiusdem fuerint, qua ego vsus sum, editionis: pro vlteriori fidelitatis argumento tibi esse poterit, quòd plerumque ipsamet verba Authorum, quos in testimonium tibi adduco, afferam; vt hac ratione propositioni conciliem splendorem, & robur argumentis. Si tamen fortassis nonnunquam verbum aliquod prætermisissem, aut variassem; id factum, quòd ad meum propositum necessarium non foret; nec variatio sensum alteraret, neque opponeretur menti Authoris, quem cito; vnde rationabiliter dici non poterit, attulisse me textum defectuosum, aut mutilatum, ad probandum meum intentum. Idipsum quippe fecere S. S. P. P. Sit pro exemplo *S. Augustinus serm. 44. de Sanctis: Audi Psalmistam aduersus malitiam increpantem, noli æmulari in malignantibus, quoniam tanquam fænum velociter arescent*. Prætermittit S. Pater illa verba: *Neque zelaueris facientes iniquitatem*, vtpote ad suum propositum non necessaria. Apud *Cornelium à Lapide*, reperiuntur absque numero: & apud plures alios, eiusmodi citationes non integræ, non tamen ideo vitiosæ, aut defectuosæ. Viue, diu felix; & aduerte, quòd formulæ Litterarum Gratiosarum, quas *Dub. 3. Cap. 1.* inserui, positæ non sint iuxta Ordinem antiquitatis, seu præcedentiæ Religionum, sed prout mihi ad manus venere.

**TRA-**



# TRADVCTOR LECTORI.

Mice Lector *Spiritualis Filiationis* Thesaurus, Italico primum Idiomate editus, Italiæ verè latitabat in agro, quem summa mei animi gratulatione, nouo, & peculiari documentorum lucro inuentum, præ gaudio, vt Inuentor ille Euangelicus abscondere nolui, ne pecuniam absconderem Domini mei; quin vt sciret quisquis vbique terrarum, & gentium, quæ sit spes vocationis eius (cum Apostolo loquar) & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis, ad commune omnium emolumentum, illum è patrio solo Latino calamo effodere studui. Doctrinarum ipsius nedum fulgens, sed & firma pretiositas, Prælatorum, & ad quos attinet Sapientum maturo iudicio, in Italia olim, hic denuo Monachij, atque Frysingæ quasi Lydio lapide comprobata, vt gratius omnium mentes ad sui amplexum, & admirationem alliceret iam iam publicam concinnabatur ad lucem. Nec deerat Monachij Typographus, qui in huius editione Thesauri, si non omnia sua, omnes saltem sumptus impenderet; cum (sic prouidente Deo) melioris sanè Prouidentiæ consilium animum subijt; insignis Sapientiæ Libro, non in vna vel insigni Vrbe, sed in insigniarum Vrbium Metropoli, & in Nationum Vniuersarum Emporio publicam lucem congruere, vt sic veluti ab eminenti specula lucis suæ radios vndequaque diffundat, & Cœlestium diuitiarum eius mira opulentia facillimè ob omnium oculos exponatur. Ne igitur incongruum cuiquam videri possit, amice Lector, in Germania reuisum, Monachij approbatum, In Italia, Venetijs edi, hoc sit tibi præmonitum, & Vale.

F I-

# FILIATIO SPIRITVALIS

## Facta per Litteras, quæ dici solent GRATIOSÆ.

## CAPVT PRIMVM.

### *Quid sit Filiatio Spiritualis, facta per Litteras GRATIOSAS.*

1 FILIATIO SPIRITVALIS, quam Deo auspice tractandam aggredior, est illa (prout benè aduertit *P. Bordonus resol. 84. n. 1.*) quæ contrahitur per administrationem Sacramentorum, Baptismi, Confirmationis, ac Pœnitentiæ, inter Ministrum, & illum, qui Sacramentum tale recipit, ac communiter Filius Spiritualis illius dicitur, à quo accipit: hæc enim cum nostra, quam hic expendere intendimus, solum nomen commune habet, significatione autem, omninò diuersa est, prout citatus Doctor innuit, Sequentibus verbis: *Non est hic sermo de Filiatione Spirituali contracta, ex Sacramentis Baptismi, & Confirmationis, seù etiam Pœnitentiæ, sed de quadam alia contracta per communicationem operum, à Prælatis Regularibus facta, Benefactoribus suorum Monasteriorum, quæ originem trahit ab Articulo nono: Communionem Sanctorum, iuxta illud Dauidis: particeps ego sum omnium timentium te. Superiores enim Regulares Benefactoribus, & alijs, concedentes litteras Filiationis, faciunt participes eosdem, bonorum operum, disciplinarum, & similium suffragiorum, quæ in Religione fiunt.* Ideo *Antonius Ruteus de participationibus,* vult, quòd Filiatio Spiritualis, de qua agimus, consistat propriè in ipsis Litteris participationis, seu communicationis, quas Superiores Regulares concedunt: vnde dicit *pag. 1. initio sui opusculi: Communicatio bonorum operum Religionum, seu participationes, de quibus hic est quæstio, sunt Litteræ patentes, quæ dantur à Prælatis Religionum, Amicis, & Benefactoribus, quibus declarantur, & fiunt participes omnium bonorum Spiritualium Religionis, ac si essent de corpore ipsius Religionis.* Et ab ista communicatione, bonorum spiritualium sacrorum Ordinum, facta à Superioribus eorundem, mediantibus illorum Litteris GRATIOSIS, prouenit ceu à fonte proprio, ratio Filiationis Spiritualis (quæ materia est præsentis Tractatus.) Ita, vt meritò istæ dicantur Litteræ Filiationis, sub quo proinde nomine sæpius communicantur, & inscribuntur. Ita inter alios, Generales Ordinis Carmelitani, nuncupare solent suas Litteras GRATIOSAS, Litteras Filiationis: prout etiam haud alio nomine vocatur is, ad quem hæ Litteræ diriguntur, quàm Filij, vt clarè constat ex

sequenti formula Litterarum Gratiosarum, quibus vti solent R.R. P.P. Cappuccini, transcripta fideliter, ex Originali illarum, videlicet: *Auctoritate concessa Officio nostro à SS. Domino Nostro Vrbano V. fel. mem. recipimus illum in Filium Spiritualem nostra Religionis, & facimus participem omnium Sacrificiorum, Diuinorum Officiorum, Orationum, Ieiuniorum, Vigiliarum, Abstinentiarum, Obedientiarum, Sanctarum mortificationum, Prædicationum, Disciplinarum, Peregrinationum, Pœnitentiarum, & omnium aliorum bonorum operum, quæ per gratiam Spiritus Sancti fiunt, à cunctis fratribus nostris, &c.* Quibus omnibus suppositis, nunc quæritur, quid propriè sit ista Filiatio Spiritualis? Itaque sit,

## DVBIVM PRIMVM.

### *An sit Adoptiua?*

2 QVæritur, an adoptiua sit; quia certum est, quòd non possit esse Filiatio naturalis Ordinis, qualis est illa ipsorum Religiosorum, qui sunt veri, legitimi, ac (vt ita dicam) naturales Filij suæ Religionis, ei propriè loquendo, incorporati; & spiritualiter nati; vnde ad dubium, Respondeo affirmatiuè, & dico, quòd communicatio ista bonorum spiritualium Ordinis, facta mediantibus Litteris Gratiosis, sit spiritualis quædam Adoptio, vi cuius (præter Filios naturales Religionis, qui sunt ipsi Religiosi) recipiuntur insuper alij exteri in Filios adoptiuos à Superioribus potestatem habenribus, ita, vt etiam illi participes sint omnium bonorum Religioni communium. Nam sicut de iure communi spectat ad Patres Generales, & Prouinciales, recipere ad Nouitiatum, ac incorporare Ordini, ita ad eosdem spectat de Iure communi, ac principaliter, per aliam mysticam incorporationem augere Ordinem, ac adunare illi externos, in Filios quasi adoptiuos.

3 Hi porrò sunt Fautores, & Benefactores Ordinis, qui à Superioribus Regularibus participes fiunt omnium bonorum Ordinis, vi prænominatæ mysticæ incorporationis, & adoptionis, mediantibus Litteris Gratiosis, quarum virtute fiunt de corpore Religionis, quasi Filij adoptiui, ad distinctionem verorum, & naturalium Filiorum, qui sunt ipsimet Religiosi, qui vt tales habent verum, & primum Ius ad bonum commune suæ Religionis, veluti propriæ Matris. Amici autem & Benefactores, in tantum Ius habent, in quantum per communicationem bonorum operum adoptantur in Filios, ac Ordini incorporantur; & hoc modo efficiuntur membra Ordinis, vt participent influxum, ac vitam totius corporis, quod tamen solùm per modum extensionis contingit, prout benè notat *Antonius Ruteus de particip. quæst. 4. sect. 1. n. 3. & sect. 2. num. 7.* ac breuiter innuit *Theoph. Raynaud. p. 1. c. 4. Scapularis Partheno-Carmelitici in fine.* Sequentibus verbis: *Littera, quibus hoc beneficium communicatur, à quibusdam dicuntur Littera Gratiosa, ab alijs verò Littera Filiationis: eò quòd Religio velut Mater externum aliquem in Filium adoptet.* De qua etiam adoptione agens *Paulus ab Omnibus Sanctis Carmelita in Claui Aurea Thesauri Partheno-Carmelitici p. 1. c. 3. sub n. 23. pag. mihi 25. ita scribit: Dicti Confratres ad Elianam, seu Carmelitanam Familiam pertinent, & sunt veluti membra eiusdem corporis mystici, si non natiua & congenita, certè per adoptionem, ac consertionem, vt satis constare videtur, ex ipso Confratrum nomine: licèt enim non sint Filij naturales, ac proprij, sunt tamen adoptiui, & Gratiosè acciti, ex quo per aggregationem legitimam sunt cooptati, & bonis eius spiritualibus participant.* Quod totum apparet etiam in Gratiosis dari solitis à P. Ministro Generali Ord. Minorum Conuentualium S. Francisci, vbi sic habetur: *Vos qui &c. eiusdem Religionis adoptantes in Filios, omnium spiritualium bonorum participes declaramus, consortes facimus, &c.*

Neque desunt ad roborandam superiùs datam responsionem plures similitudines, ac conformitates, quas habet adoptio hæc mystica cum legali, ac ciuili, prout similiter obseruat *prædictus Ruteus sect. 2. n. 8.* Quia videlicet antiquissima est ciuilis illa adoptio non solùm vsitata apud Romanos, & Græcos, sed etiam apud Iudæos: nam *Exodi c. 2.* 4

habe-

habetur, quod Moyses fuerit in Filium adoptatus à Pharaonis Filia: *Quem illa adoptauit in locum Filij n.* 10. & ita etiam nostra mystica adoptatio est valdè antiqua, quia practicata fuit ab initio omnium Religionum, & ab antiquo prout *Tamb. de Iure Abbat. tom.2. disp.9. q.4. n.4. Castro Palao par.4. tract.24. disp.vnica, punct. 6. n.8.* Imò antiquior omnibus Religionibus, inuenitur enim in sacra scriptura vsus eius, tam in veteri, quàm in nouo Testamento, prout infra *c.4.* videbitur.

5 Virtute ciuilis adoptionis, qui filius per naturam non est, in filium legis, seu ciuilem assumitur, *in lege Adoptio:* Similiter in nostra mystica adoptione, externus, & non Filius Religionis, ipsi, ceu adoptiuus adscribitur, & concorporatur. *Licet enim non sint Filij naturales, sunt tamen adoptiui, & Gratiosè acciti, ex quo per adiunctionem legitimam sunt cooptati, & bonis spiritualibus participant. Ita Paulus ab Omnibus SS. supra citatus.*

6 Antiquitus Prætor adoptabat Filios, prout *Gellius l.5.c.19.* refert: hìc à Generali, ac primario Moderatore totius Ordinis, tam ab antiquo, quàm de facto, fit idipsum; adscribit enim extraneos in filios, atq; in virtute mysticæ, & spiritualis adoptionis, & sibi eos vnit, & Religioni, dum eiusdem illos membra efficit: *Mos enim est (ait Castro Palao loc. c.) non solùm præsens, sed antiquus, vt Prælati cooptent aliquos in Filios Religionis, eosque, quasi illius membra constituant, sibique vniant, & omnium gratiarum, & bonorum operum; quæ in Religione præstantur, efficiant particepes.*

7 Ad ciuilem adoptionem non requiritur necessariò carentia filiorum, sed simul cum veris, & naturalibus filijs, externi possunt adoptari: similiter in Religionibus Sacris, præter filios naturales, qui sunt Religiosi, adiunguntur, & coniunguntur alij externi & adoptiui.

8 Adoptatur Filius, vt succedat ab intestato in bonis paternis adoptantis cum alijs legitimis, & naturalibus filijs. *Iustin. lib.1. instit. tit.11. de adopt. §. Sed hodie.* Insuper, *Ex intentione, & testamento* æqualiter participat cum filijs legitimis, ac naturalibus ex bonis paternis: similiter etiam per istam spiritualem adoptionem, particeps fit adoptatus bonorum spiritualium Matris Religionis simul cum reliquis veris, ac naturalibus eiusdem filijs, id est Religiosis, & per expressam intentionem, ac voluntatem Patris adoptantis, Prælati videlicet Regularis, communicat in bonis operibus, & illorum omnium efficitur particeps.

Denique sicut per ciuilem adoptionem, adoptatus fit vnus de adoptantis familia, ac bona huius transeunt in potestatem illius, & vice versa: sic spiritualiter adoptati à Prælatis regularibus, mediantibus gratiosis, fiunt quasi de familia, & corpore mystico religionis illius, ac communicant de bonis spiritualibus eiusdem, tali tamen forma, ac modo, vt, sicut vi adoptionis ipsi acquirunt ius ad bona spiritualia Religionis, similiter, & Religio fiat particeps bonorum operum adoptatorum, propter nouum vnionis vinculum, & filiationem mutuò acceptatam; vnde valdè bene dicit *Ruteus de Particip. qu. 6. sect. 4. num. 10. in principio:* quòd *Cùm quis recipitur ad participium bonorum operum Ordinis, ita participat in aliorum bonis operibus, vt alij etiam in ipsius; communicatio enim mutua est, nam vt inquit Adrianus, quod lib.8. art.3. qui incipit participare, incipit communicare.* Quod confirmat *Theoph. Raynaudus in suo Scapulari Partheno-Carmelitico p. 1. c. 4.* vbi discurrendo de adscriptis Ordini Carmelitano: *Hi (ait) quamuis non sint membra veluti substantialia Religionis Carmelitanæ, neque sint filij naturales, ac proprij eiusdem mysticæ Matris, sed tantùm adoptiui, & gratiosè acciti; tamen ex quo per adiunctionem legitimam sunt cooptati, habentur vt fratres Ordinis, & bonis eius participant, & vicissim Fratres, cùm Religiosi, tùm Ascititij participant meritis, & spiritualibus bonis eorum. Ita enim censendum est, fore mentem eorum. Et idoneum fundamentum id asserendi, petitur ex communione, quæ debet intercedere inter membra eiusdem Corporis Mystici; & disertè id tradidit præstans Theologus Leo à Sancto Ioanne in Fædere, c. 8. p. 67. & c. 11. p. 96.* Sed de ista mutua communicatione inter Religiosos, & adoptatos ad communicationem operum bonorum, in processu huius Tractatus proponetur dubium particulare. Concludimus interim vltimatè cum citato *Ruteo quæst.4. sect. 2. in fine;* quòd in ista nostra spirituali adoptione, gratia æque potens sit,

ac natura, immò superetur natura (aut magis propriè loquendo) lex ciuilis; quia per istam spiritualem adoptionem, tantò plus bonorum aquiritur, quàm in legali, quantum spiritualia præcellunt temporalia, ac quantum hæc præ illis minùs valent. *Liberè dicere possumus, gratiam in hac adoptione spirituali esse æquè potentem, imò, & superare naturam, seu legem ciuilem, cum tantum plus boni per adoptionem hanc spiritualem aquiratur, quàm per ciuilem, quantum spiritualia temporalibus præualent.* Ita *Ruteus*.

## DVBIVM SECVNDVM.

### *Vtrùm sit Fraternitas Spiritualis?*

10 RESpondeo affirmatiuè, nam ratio id euincit, & est hæc, quia per Litteras Gratiosas Amici, & Benefactores adoptantur in Filios; ergo à Religiosis recipiuntur in Confratres, prout infert etiam *Ruteus q.4. sect.2. n.7. in fine.* Sequentibus verbis: *Et hæc est ratio, cur Litteræ participationum, vocentur Litteræ Filiationis, eò quòd Religiosi in Fratres, & Religio in Filios, eos adoptent, & recipiant.* Inde est, quòd à Doctoribus indifferenter nominentur, modò Litteræ Filiationis, modò Fraternitatis: *Bordonus resol.* 84.*n.*1. & plures alij, vocant Litteras Filiationis. *Miranda in Manuali Prælat. t.*2. *q.*50.*art.*1. atque alij, nuncupant Litteras Confraternitatis.

11 Imò in ipsis Litteris communicationis subinde vocantur Filij, prout videre est apud P. P. Carmelitanos, & Capuccinos, in supradictis eorum Litteris: subinde appellantur nomine Fratrum, prout ex sequentibus videri potest, quos Typis edidit P. Generalis Congreg. Can. Regul. Lateranensium, in quibus sic habetur: *Tenore præsentium, te præfatum, in spiritualem nostrum Fratrem adscribimus, & admittimus &c.* Quali etiam nomine, Confratrum spiritualium, vocantur in Gratiosis Litteris adscripti à R. P. Ministro Generali totius Ordinis Seraphici S. Francisci Fratrum Minorum, vnde in illius formula inter alia sic habetur: *Tenore præsentium, virtuteque nostrorum Priuilegiorum, vos admittimus, & nominamus Confratres nostræ amplissimæ Religionis.*

Similiter etiam Confratrum nomine appellari solent à P. P. Ordinis Eremitici S. Augustini, prout ex sequentibus verbis, ex ipsorum gratiosis desumptis, potest colligi: *Eos qui de nostra Augustiniana Sodalitate benemeriti sunt, vel in eam ipsam sunt optimè animati, siue pia deuotione propensi, facere non possumus, quin iuxta nostram facultatem, pietate prosequamur: Eosdemque in optima erga nostram familiam voluntate, quantum maximè cum Domino possumus, confirmatos reddamus. Quare nos multiformis gratiæ Dei bonos dispensatores imitantes; harum serie, ac vi litterarum, & nostri officij auctoritate vos in Cõfratres, & Cõsortes, nostri Ordinis assumimus, & inter spiritualia nostræ Religionis Castra annumeramus &c.* 12

Se se opponit huic nostræ responsioni, modernus aliquis, singularis aliàs meus Amicus, in vtroque Iure multum excellens, qui requisitus de sua, circa hoc, opinione; an videlicet spiritualis Filiatio possit etiam dici Fraternitas? absolutè respondit, quod non, saltem propriè loquendo, quando inter dispares sermo est, hoc est, inter Sacerdotem, & sæcularem; quamuis inter pares, scilicet Sacerdotem, & Sacerdotem, aut sæcularem & sæcularem benè procedat, & dici possint Fratres spirituales eiusdem Ordinis, aut Religionis. Vnde ad nostrum propositum dubium respondet, & dicit: *Inter dispares Filiatio spiritualis, est tantùm impropriè Fraternitas; inter pares, sentio, quòd sint Fratres, & communicent in bonis spiritualibus, sicut Fratres carnales communicant in temporalibus.* Rationem addit: Quia (inquit) quando tractatur inter Sacerdotem & laicum, non habet locum Fraternitas, sed Paternitas, & hoc non est superbia, sed respectus debitus erga Dominum Deum, quem Sacerdos repræsentat, nota autem sunt argumenta talis repræsentationis; neque propter emolumentum spiritualis boni; nam Filius spiritualis, à Patre spirituali participat, non dat communicationem bonorum: sicut Dominus Deus communicat alijs, absque hoc, quòd ab eis vicissim aliquid accipiat: Vnde talis Pater nobilior est quàm legitimus & naturalis,

quia

quia ibi Filiº aquirit Patri, nō hic, vbi nec minimū intercedit proprij emolumēti.

13 Interesse, seu commodum potest esse spirituale, vel temporale, spirituale de bonis alterius, quando est Fraternitas, prout in Confraternitatibus est communicatio mutua Fratrum inter se; & hunc effectum faciunt Litteræ Gratiosę concessæ per modum Fraternitatis: illa verò, per modum Filiationis, non est talis, quia est Patris, dare Filijs, non è cōtra; & nolo hic, quòd concedens non participet de bonis spiritualibus illius, cui conceditur, nisi verba facerent effectum cōtrarium, sicut illa sunt Fratris. Quoad temporale commodum, ista Paternitas, & Filiatio, est spiritualis, volo dicere, abstracta ab omni corporalitate, hoc est, ab omni prætensione superioritatis, & ab omni obligatione terrena, & ab omni commodo mūdano, quia hic neq; etiam est cōmodum spirituale, vt ex dictis patet. Et sic Filiatio hæc, non est similis naturali, aut legali, quæ semper secum portat aliquod proprium interesse, quod quamuis licitum sit, nonnihil tamē sordidum censeri potest. Filiatio è contra spiritualis, est aliquod beneficium experiundorum effectuum Paternorum, qui sunt & affectus, & effectus quoad participationem bonorum illius, qui alium recipit pro filio. Inter mundanos aliquam similitudinem habet, cum illis, qui recipiuntur in filios animæ, cuius receptionis non est finis, alius, quàm receptum amare, bene ipsi facere, absque acquisitione cuiuscunq; alterius imaginabilis noui Iuris in ipsos: tali modo melius retunduntur hæreticorum, circa hoc, oblocutiones, & efficaciº defenditur hic actus Religiosus: quia quando ibi reperitur qualecūq; imaginabile interesse, nō est actº generosus, qualē ego requiro.

14 Quòd prętereа vocentur Fratres, id in signum fit, quòd non prętendatur supra ipsos aliqua maioritas, prout etiam ipsi Apostoli faciebant, qui illos ipsos, quos filios nominabant, etiam Fratres nominare soliti fuere: Filios quantum ad effectum, & communicationem bonorum spiritualium: Fratres, ad euertendam omnem suspicionem, quęsitæ alicuius maioritatis propter officiū sacerdotale, ministerium docendi, ac beneficium cōmunicādi propria bona spiritualia. Hāc opinionem æstimo quidem nouam, sed bene fundatam, absq; offendiculo scandali, sed magis ad ædificationem, ac maiorem hęreticorum confusionē, ego pro me sic sentio, vsque dum mihi demonstretur alia assertio, meliùs fundata, magis christiana, ac ædificatiua, hæresiq; efficacius resistens. Et scite vellem, vtrùm aliqua differentia sit inter hos duos terminos: Quòd videlicet recipiatur, quin vicissim retribuatur, & quod recipiatur, ac iterum retribuatur; certè cęci id videre debent. Iam, Aggregatio fieri potest secūdo modo, prout communiter fit in omnibus Cōfraternitatibus, generaliter, iuxta regulam æqualitatis, aut primo tantùm modo, secundùm Regulam Generalitatis. Hoc supposito, quia tali 15
modo, discursus conformis est rationi. Indubitatum est, quod aggregatus per modum Fraternitatis, taliter aggregatus censeri debeat per verbum Fraternitatis, aut Societatis, & per praxin continuatā, vt recipiens aliorū spiritualia bo[illegible], ipsis sua vicissim communicet. Aggregatio per nomen Filiationis Spiritualis, quæ nihil commune habet cum vlla alia Filiatione (excepta directiua spirituali) quæro ego, an faciat, quod aggregatus communicet sua bona opera cum Ordine aggregante, vel non? si non, ergo hic est aliqua differentia; si cōmunicat, tunc id fit, aut per nomē, aut per intentionē, aut per vsum; certè non per nomē, quia neque in Filiatione directa, Filius communicat aliquid suo Patri spirituali; neque etiam per intentionem, aut vsum id dici potest, cùm nullam videam rationem, id efficaciter probantem. Vnde & defectus rationis, & efficacia nominis, seu verbi, & ratio similitudinis, & actus perfectæ virtuti magis conformis (dando videlicet sine recipiendo) faciet, quod iuxta meam opinionem Aggregatus nihil vicissim retribuat; & ex consequenti, quòd Aggregatio per modū Filiationis, sit diuersissima ab aggregatione per modū Fraternitatis, nisi fiat abusus terminorū, quod solùm tali nomine vocētur, per modū humiliationis, non per causā participationis. Hucusq; prænominatus, verè Doctus, pius, & neque spirituali (quod nimium est) lucro addictus. Ad

cuius

cuius proinde obiecta in contrarium.

16 Respondeo falsum esse ipsius suppositum, reijcique à nobis ipsius distinctionem, cui ceu basi, ac fundamento ipsius contraria innititur opinio. Supponit is (vt apparet) quòd à Religionibus aliqui suscipiantur ad participationem bonorum operum Ordinis, *per modum Filiationis*, & alij *per modum Fraternitatis*, quæ ab ipso facta distinctio, & differentia, falsa est; nam omnes eodem modo vniuntur Ordinibus, sub iisdem formalitatibus, eadem intentione, imò cum iisdem Litteris Gratiosis non variantibus, quarum virtute Aggregatus (prout bene *Ruteus* supra) relatus ad Religionem (quæ instar Matris se habet) vocetur Filius adoptiuus ipsius: respectu postea Religiosorum eiusdem Ordinis, dicatur Frater. *Et hæc ipsa ratio est* (ait *Ruteus*) *cur eædem Litteræ nominentur, & Filiationis, & Fraternitatis sine differentia. Et hæc ratio inquam est* (ait) *cur Litteræ participationum vocentur Litteræ Filiationis, eò quòd Religiosi in Fratres, & Religio in Filios, eos adoptent, & recipiant*. Non autem prout citatus Doctor falsò supponit, quòd videlicet tunc dicatur Filiatio, quando aliquis solùm recipitur, illo nihil retribuente: & Fraternitas, quando mutuò, & recipitur, & retribuitur; nam hic recipere, & dare, seu retribuere, semper simul concurrunt, siue sumatur Aggregatio per modum Filiationis, siue per modum Fraternitatis; quia *qui incipit participare, incipit communicare*, ait *Adrianus supra dub. præced.* Quod assumptum hic tanquam certum supponitur, & infra c. 7. efficacibus rationibus probabitur; vbi discutietur ex instituto, an Aggregantes, participes fiant vicissim bonorum operum Aggregati, ac concludetur, quod sic.

17 Vnde ad id, quod citatus Author quærit, an sit differentia, inter hos duos terminos, *quòd videlicet recipiat aliquis, & non retribuat*; item, *quòd recipiat aliquis, & vicissim retribuat*. Respondeo omninò, quòd sic, & quòd vel maximè etiam ipsi cæci hoc videant; sed nego interim, quòd actus, quo Religiones aggregant sibi Filios adoptiuos, sit actus primi modi, qui ab ipso nominatur *Generosus*: quæ .n. implicantia, quod communicet spiritualiter Patri Filius spiritualis adoptiuus, cùm tamen hoc fiat temporaliter à Filio naturali, ciuili, & legali? Adducere autem Dominum Deum, repræsentatum per Paternitatem Aggregantis, qui dat, & communicat sua bona creaturis, cùm vicissim illi nihil communicetur, nullam contra nos vim habet, quia Deus, cùm infinitæ bonitatis sit, non est huius capax, nam solùm à creaturis potest recipere sacrificia, obsequia, adorationem, obedientiam &c. & hæc externè solùm. Nego etiam absolutè id, quod vlteriùs insinuat, nimirum istam Filiationem esse solum directiuam spiritualem, in qua Filius animæ non communicet aliquid Patri spirituali: sunt enim Filiationes inter se plurimùm differentes; nam esse filium animæ, & directionis, ac vt insurgat relatio inter Patrem spiritualem, ac filium directionis, sufficit præcisè velle esse filium spiritualem, & spiritualiter directum à Patre: sed ad esse filium Ordinis, & ad talem Filiationem, de qua agimus, non sufficit simpliciter velle esse filium, sed debet necessariò interuenire vera, & realis adoptio, vi cuius assumatur talis in Filium adoptiuum, prout bene insinuat *Theoph. Raynaudus in suo Scapul. p. 1. c. 3.* dum dicit: *Non enim ex eo quod quis extraneus velit alteri esse Filius, & eum colat, vt Patrem, exurgit illicò relatio Patris in Patrono, & relatio filij in cliente: sed tantùm si per adoptionem ritè interpositam, Patronus, clientem sibi asciscat in filium*. Nego denique, quòd per istam exclusionem omnis interesse, ac commodi etiam spiritualis, seu Generositatem (vt vocat) efficacius impugnetur hæreticus, & hæresis melius obtundatur; imò contrarium sustineo, & quasi euidenter demonstro. Quid hic oblatrat hæreticus? Prodeat nunc ex inferno, si potest *infelix VVicleffus*, qui iam ante ducentos annos, proterue contra communicationem bonorum operum, ac Sanctorum communionem, & in specie quidem contra Litteras Filiationis spiritualis Regularium, de quibus hic tractamus, insurrexit, negando talem communionem, reijciendo ipsam tanquam falsam, & Symoniacam;

fuit

fuit propterea condemnatus in Concilio Constantiensi, ac excommunicatus; postea etiam acerrimè, & ex professo exagitatus *à Thoma VValdensi tom. 3. de Sacramentalibus tit.* 10. Cùm ergo hanc communionem bonorum operum neget hæreticus; longiùs certè ab ipso recedit, ac fortius eum expugnat, qui magis defendit, & extendit reciprocam, ac mutuam communicationem spiritualem; per quod etiam magis stabilitur, & radicatur nonus Articulus Symboli de Sanctorum communione; sub quo, ceu species sub genere, continetur (ait *Rutcus de particip. qu.8. sect.1. n.3. in fine*) nostra Filiatio Spiritualis, id est, communicatio bonorum operum Ordinis: Do eius verba formalia, quæ ad nostrum propositum mirè quadrant: *Per Litteras Filiationum Sedis Apostolica potestas non euertitur, cum Thesaurum Indulgentiarum non attingant. Et si qua satisfactiones per eas communicentur, per præuentionem, & priusquam potestatem humanam egrediantur, alijs applicantur. Multò minus autem per id, Ecclesiæ doctrina destruitur, cùm è contra plurimum stabilitatur nonus Symboli Apostolici Articulus, Credo communionem Sanctorum, in quo communicatio bonorum operum Religionum, tanquam species in genere continetur, & conformiter ad sensum communem Ecclesiæ, in dicta communione Sanctorum explicatur.*

Concludatur itaque, quòd, qui assumitur ad participationem bonorum operum alicuius Religionis, dici debeat, & sit verè, Filius adoptiuus, quia Religio, vt Mater, consideratur: dici etiam debeat, & verè sit Frater Spiritualis, respectu Religiosorum illius Ordinis; quia illi ipsum respiciunt, & acceptant in talem, nimirùm Ordinis sui Fratrem; ex altera verò parte is recipiat, & tetribuar semper spiritualiter, tam sub formalitate Filij, quàm sub formalitate Fratris Spiritualis illius Ordinis, cùm verissimum sit; *qui incipit participare, incipit communicare*. Vnde *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui aurea part. 3. c. 5. n. 206. in fine pag. 295.* etiam dicit: *Incipientes participare, incipiunt etiam de suo alijs communicare.*

## DVBIVM TERTIVM.

### *Cur addatur Gratiosa?*

18 Litteræ Regularium, quibus alios reddunt participes bonorum suorum operum (quas *Chartusiani* Litteras participationis Ordinis appellant apud *Paulum ab Omnibus SS. cit. pa. 3. c. 4. n. 197. in princip. pag. 282. Paludanus in 4. dist. 45.* Litteras receptionis ab beneficia Ordinis: Alij, Litteras Aggregationis ad merita: Alij denique, Beneficium Ordinis) non solùm dicuntur (vt in præcedentibus visum est) Filiationis, & Fraternitatis Spiritualis, sed etiam appellari solent, *Litteræ Gratiosæ*, & sic etiam à Doctoribus appellari solent, in specie, *à Tamb. de Iure Abbat. tom. 2. quæst. 4. n. 4.* vbi dicit: *Concludendum, expediens esse, Abbates, & Prælatos Regulares, qui præ alijs, Christi, & Apostolorum, aliorumque Sanctorum imitatores esse debent, Litteras Gratiosas, elargiri debere, maximè domesticis, & Benefactoribus.* Nunc in hoc tertio dubio proponitur, cur hoc modo appellentur, seu quod idem est, cur Filiatio Spiritualis, de qua tractamus, vocetur etiam *Gratiosa?*

19 Respondeo ex duobus præcipuè capitibus, & motiuis. Primò, cùm non solùm sit spiritualis in se, sed etiam spirituale omne id, quod ab ipsa prouenit, & vi illius participatur, debet vtique concedi gratis, hoc est, per modum liberæ, ac spontaneæ donationis, prout etiam fieri solet; ergo meritò Litteræ participationis Regularium, dicuntur Litteræ Gratiosæ, & Filiatio Spiritualis meritò adiunctum habet Ly *Gratiosa*, quia videlicet *gratis* datur, ex consequenti non est Symoniaca, prout impiè euomuit *VVicleffus* apud *VValdensem*, ab ipso propterea doctissimè confutatus, & conuictus *Tit. 10. sup. cit.* Secundò, quia remuneratoria, qua scilicet, *Multi Regularium suos Benefactores remunerari solent, inquit Gobat de Indulg. p. 1. quæst. 30. n. 104.* & adeò remuneratoria, quòd etiam pro remuneratione, & gratitudine, in gratiarum actionem, à Prælatis Regularibus concedi soleat ipsorum Amicis, & Benefactoribus, intuitu benefi-

neficiorum, à talibus charitatiuè Ordini præstitorum, prout etiam aduertit, & confirmat *Ruteus de Partic. qu.8. sect. 2. n.9.* sic dicendo; *Sciendum est, Regulares, communicationem bonorum spiritualium illis concedere, qui actu varia beneficia, per eleemosinas, aut aliter, Ordini præstiterant, & hoc in gratiarum actionem.* Hoc idem confirmat (apud *Paulum ab Omn. SS. in Claui aurea part. 3. c. 6. n. 217. in fine, pag. 308.*) *P. Ireneus à S. Iacobo tract. de singul. Virgin. Protect. sect. 3. c. 4. §. 3.* Sequentibus verbis: *Per Litteras Affiliationis vicem rependimus, atque in gratitudinem bonorum temporalium, quæ charitatiuè accepimus, refundimus spiritualia, quod in vniuersa Ecclesia, ab initio fuit receptum, & vsitatum.* Additur itaque *Gratiosa* huic Filiationi, primò, quia gratis datur, vtpote aliquid spirituale. Secundò, quia in gratiarum actionem, & in remunerationem beneficiorum, id est eleemosinarum &c. Gratiosè conceditur; nam in remunerationem dictorum beneficiorum, à Prælatis Regularibus *Gratiosè* conceditur, & in signum grati animi, dum se volunt gratos ostendere; aliam autem viam non habent, aut modum meliorem recompensandi ipsorum eleemosinas, & beneficia; ideo eiusmodi largiuntur Litteras, vt taliter compensent gratiosè beneficia temporalia, dictas videlicet eleemosinas &c. bonis spiritualibus; quo proinde modo optimè compensantur eleemosinæ sæcularium (prout dicit citatus *Paulus ab Omn. SS.*) *Sæcularium eleemosinas bene compensant Religiosi in spiritualibus, quanquam enim pauculi illorum, quos mundus numerat inter suos, admittantur ad Sanctissima Religiosarum Familiarum merita, velut membra de eiusdem succo sanguinis communicantia: nihilominus tamen multum saltem iuuari prosunt orationibus eorundem, quos sibi officijs suis, liberalitate, eleemosina, alijsque modis fecerunt obstrictos. Ita par. 3. cap. 4. sub num. 203. pag. 289.*

20 Imitatores Christi Crucifixi sunt Religiosi, & profitentur sanctam paupertatem, vnde à bonis temporalibus alieni sunt, quæ amore Domini sui spontè reliquerunt, sunt tamen diuites, & abundantes bonis spiritualibus, quibus magis indigent homines sęculares. Quid fit ergo? illi qui magis abundant temporalibus, prouident indigentiæ, & paupertati Religiosorum; & Religiosi velut magis abundantes bonis spiritualibus, succurrunt in illis, sæcularibus; & taliter vtrorumque subuenitur indigentiæ: id quod *S. Paulus* desiderauit, vt fieret, dum scribens ad *Corinthios*, illos adhortatus est, subuenire fidelibus, qui erant Ierosolymis, dicendo illis: *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestra inopiæ sit supplementum. 2. Cor. c. 18. v. 14.* Et hoc Consilium Apostolicum ad amussim impletur in concessione communicationis bonorum operum à Superioribus Regularibus in adoptiua Filiatione, & eorum Litteris Gratiosis, quæ dari solent ab ipsis in forma Gratiosarum, hoc est, in virtute animi grati, & in gratiarum actionem ob varia beneficia charitatiuè iam actu Ordini præstita, prout cum *Ruteo* dictum est *loc. cit. num. 9. & 10.* & euidenter apparet ex ipso tenore Litterarum Gratiosarum subsequentium, ab earundemmet Originalibus transcriptarum.

## GRATIOSA PRIMA.

*Abbatis Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium.*

*QVoniam decet pias mentes diuino rore nutrire, & adiutrices, piasque manus in procelloso huius sæculi mari positis,* 21
*quantum cum Deo possumus Gratioso fauore extendere, vt securiùs ad salutis portum valeant peruenire, atque pij, gratique animi ratio expostulat, vt nostræ Congregationi plurimùm bene affectis, non temporalia, sed æterna, quæ possumus, bona conferamus, religiosæ charitatis fructus tribuamus: & quatenus eorum pietas, & bonitas magis adaugeatur, nostrique dilectio, & nostra in eos beneuolentiæ ratio maior appareat, & vtraque in eo, quæ Charitas est perpetuò perseueret. Tibi igitur spirituale auxilium præbere cupientes; de maxima Omnipotentis Dei &c.*

## GRATIOSA SECVNDA.

*Congregationis Cassinensis, aliàs S. Iustina de Padua Ordinis S. P. Benedicti.*

*D. Angelus Maria de Parma Hum. Præsidens Congregationis Cassinensis Ordinis Sancti P. Benedicti de Obseruantia, cæterique Deffinitores Capituli Generalis, Dilectis nobis in Christo D. Clara à Rizza, Filijs, ac Filiabus, nec non eorundem Vxoribus, & Nepotibus præsentibus, ac futuris, salutem in Domino sempiternam.*

22 *DEuotos, piosque fideles, qui Congregationem nostram, eiusdemque Monasteria, & Monachos, Amore, & Officijs prosequuntur, debitis gratiarum actionibus, & mutuis studijs demereri præcipuas nostri muneris partes esse, censemus. Quamobrem considerantes (vt ex fide dignis testimonijs accepimus) singulari beneuolentia Congregationem nostram, & præsertim Monasterium Sanctorum Nazarij, & Celsi de Verona, diligatis, nec vllis alijs rebus, quàm spiritualibus obsequijs in vos gratum animum declarare valeamus, de immensa Dei Omnipotentis Misericordia, & inexhausta liberalitate confisi, nec non Sanctiss. P. N. Benedicti, Scholasticæ Sororis eius, Mauri, & Placidi, tanti Discipulorum Magistri. Cæterorumque innumerabilium Ordinis nostri Sanctorum meritis, auctoritateque Priuilegiorum, nobis à Sacrosancta Sede Apostolica concessorum suffulti. Deinceps omnium, & singulorum Sacrificiorum, Orationum, Ieiuniorum, Vigiliarum, Diuinorum Officiorum, Eleemosinarum, Disciplinarum, aliorumque bonorum operum, piarumque exercitationum, quæ ad Dei Gloriam, & Laudem, atque animarum salutem in dicta nostra Congregatione (diuina opitulante gratia) fiunt, ac imposterum fient, participes vos fore decernimus, & eorum plenam communicationem, præsentium tenore in Domino impartimur. Illud etiam addentes, quòd post vestrum obitum (quem Deus fœlicem concedat) pro expiatione animarum vestrarum per vniuersam Congregationem ipsam, sacrosanctum Altaris Sacrificium offerri singulis annis mandabimus. Summum bonorum Omnium Largitorem humiliter rogantes, & obsecrantes, vt communionem hanc à nobis in terris ex toto corde decretam, diuina Dextera benedictione de Cœlis ratam, firmamque non dedignetur habere. In quorum fidem præsentes fieri, & sigilli nostri, quo in talibus vtimur, iussimus appensione muniri.*

*Datum Venetijs apud S. Georgium Maiorem Die 6. Mensis Maij 1679. Pontificatus verò S. D. N. Innocentij Diuina Prouidentia Papæ Vndecimi Anno Tertio.*

D. Stephanus ab Vrbe Deffin. & Scriba Capituli Gener.

## GRATIOSA TERTIA.

*P. M. Generalis Ordin. Prædicatorum.*

*CHristiana Charitate tenemur, & gratitudinis ratione debemus, Ordini nostro plurimum affectis, non temporalia, sed æterna, quæ possumus, bona conferre, & mutuare, ac Religiosæ charitatis tribuere fructus, vt eorum pietas in Deum, & Sanctos, magis augeatur, nostrique dilectio, & nostra in eos maior appareat beneuolentiæ ratio, & vtraque in eo, qui charitas est, perpetuò perseueret. Vestra igitur Charitatis memores, &c.* 23

## GRATIOSA QVARTA.

*P. Ministri Generalis Ordin. Minorum Sancti Francisci Conuentualium.*

Dilectis Religionis nostræ Amicis & Benefactoribus.

*FRanciscanam Religionem nostram in altissima paupertate fundatam, sæcularium contemptu rerum stabilitam, soliusque inopiæ, & egestatis diuitem esse, atque opulentam considerantes, Summi Optimique Pontifices, qui eam singulari complexi sunt beneuolentia; Vrbanus V. præsertim, ideoque Amicorum, & Benefactorum piæ munificentiæ temporalia referre minimè posse arbitrati, vt eorum beneficia terrena Cœlestibus, transitoria perpetuis, deficientia, permanentibus, gratijs, & indultis, quibus eadem Religio ditatur, & decoratur, compensare valeret, Apostolica concesserunt liberalitate; ne videlicet eorum pietas* 24

*debito careat prouentu; nec nostra paupertas notam subiret ingratitudinis. Vos igitur &c.*

## GRATIOSA QVINTA.

*P. Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum.*

VT *Sanctorum communio Dos est Ecclesię*
25 *Militantis in terra iuxta ac triumphantis in Cælo; ita communicatio bonorum omnium spiritualium ęmulari debet apud nos sacrum illud, quod in Cælis viget commercium, vbi perfecta charitas (qui Deus est) fœlicitatem inter Sanctos maximè communem; & communionem maximè fœlicem efformet. Hinc apud Ordines Religiosos, vtpotè beatę illius ęternitatis rudimenta quędam, & imagines eximiè viget fœlix hęc communio, quę amabili fraternę charitatis profusione in eos pręcipuè exundat, qui sacris istis Cœtibus peculiari aliquo nexu deuinciuntur. Quos inter cùm singularis vestra pietas, & in nostrum hunc Ordinem beneuolentia, iure, ac merito vos reponat, propterea, vt vestris erga nos meritis pro nostra tenuitate vicem in Domino rependamus; confisi de eximia Omnipotentis Dei misericordia, & participes vos facimus omnium &c.*

## GRATIOSA SEXTA.

*P. Prioris Generalis Ordinis Seruitarum.*

26 C*Vm in humilitatis latibulo Familiam nostram Seruorum ab eius Origine, fundamento paupertatis innixam, & rerum temporalium indigentem, ac propterea piorum Benefactorum auxilio, & charitatiuo subsidio subleuandam esse, Maiores nostri nouissent; consultissimè prouiderunt, vt per tenuitatem nostram vbi vires aliunde non suppetunt, pro temporalibus, spirituales gratię rependantur, ijs nimirum, qui nostrę Religioni fauere, & Ecclesiarum Ornamenta, Monasteriorum leuamen, & Ordinis augmentum, quoquo modo promouere noscuntur. Nos itaque &c.*

## GRATIOSA SEPTIMA.

*P. Correctoris Generalis Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula.*

E*Vangelica pietas, quam erga nostrum Ordi-* 27
*nem amplissimis beneficijs ostendistis, omni iure efflagitat, vt christiana in vos, charitatis ardorem, operum exhibitione declaremus, & quamquam sęcularium retributione id efficere nequimus, auro, argentoque cum Petro carentes, ad Saluatoris nostri Iesu Christi beneficentiam recurrentes, de infinita ipsius liberalitate, cælestium exhibitione efficere contendemus. Igitur &c.*

## GRATIOSA OCTAVA.

*P. Pręsidentis, & Definitorum Capituli Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronę.*

P*Ręcipua deuotio, ac singularis vestra erga* 28
*nostram Congregationem propensio voluntatis, quam ex multis experimentis satis perspectam habemus, merito à nobis postulant, vt quem vobis debemus in Domino charitatis affectum, declarare curemus. Idque cùm nulla alia re, quam spiritualibus obsequijs, quatenus tenuitas nostra patitur, pręstare valeamus. De Omnipotentis Dei bonitate confisi &c.*

## GRATIOSA NONA.

*P. Abbatis Generalis Oliuetarum.*

C*Vm nobis pateat, DD. VV. singulari iam* 29
*pridem Congregationem nostram affectu complexos, erga eam plurimas beneuolentię significationes pręstitisse, ne tantę gratię, ac deuotioni DD. VV. minus satisfactum sit, qui temporalem vicem referre non valemus, spiritualem de more rependentes, & si paupertatis nostrę conscij multiformis Gratię Dei bonos Dispensatores imitantes DD. VV. omnium Missarum, Diuinorum Officiorum, Psalmodiarum, Orationum, Ieiuniorum, Eleemosinarum, Obedientiarum, Disciplinarum, Cęterorumque bonorum operum, ac laborum, quę Dei auxilio in pręfato nostro Ordine fiunt, fientque, vnà, & diuisim,*

publi-

*publicè, & priuatim, quantum ex eiusdem Dei dono possumus, participes esse intendimus, ac tenore præsentium declaramus, superstites, ac vita functos. Decernentes insuper, vt cùm fidelis obitus DD. VV. contigerit, atque propinquiori ex nostris cœnobijs, cum harum oblatione fuerit renuntiatus, solemne Defunctorum Officium pro Animarum DD. VV. salute, cùm primum fieri poterit Monachi vniuersi ibi degentes celebrent, quemadmodum hactenus pro benefactoribus nostris, cæterisque charis Amicis facere consueuimus, Deum humiliter deprecantes, vt Sanctissimi Benedicti, ac Diuæ Franciscæ Romanæ meritis, & intercessione, nostram ipse inopiam supplens, plurimam DD. VV. suorum bonorum Copiam largiatur. In quorum fidem præsentes Litteras Participationis nuncupatas, nostri Sigilli impressione munitas, manu propria subscripsimus. Dat. &c.*

## GRATIOSA DECIMA.

*P. Ministri Prouincialis S. Francisci de Obseruantia.*

30 *QVamuis ex charitatis debito omnibus Christi fidelibus teneamur, illis tamen potissimùm nos obligari dignoscimus, quorum deuotionem, beneuolentiam, ac pietatis officia erga ordinem nostrum certis beneficiorum indicijs frequentiùs experimur. Proinde vestram charitatem liberalitatemque in præfatum nostrum Ordinem attendentes, veluti certa relatione cognouimus, dignum, & rationabile, ac Domino Deo gratum censuimus, si ab eodemmet Ordine cum spiritualibus gratijs, & subsidijs vobismet vices rependantur. Cùm enim ob omnium rerum temporalium omnimodam abdicationem, nullam charitati vestræ temporalem retributionem impendere valeamus; spiritualibus saltem beneficijs, ea recompensare summoperè desideramus. Idcircò nos &c.*

## GRATIOSA VNDECIMA.

*P. Ministri Prouincialis Ordinis S. Francisci Reformatorum.*

31 *QVamuis ex debito charitatis, omnibus nos obligatos agnoscamus, obligatio tamen nostra multò maior est erga illos, quorum specialibus, ac manifestis signis beneficiorum frequentiùs acceptorum, experti sumus affectum. Vnde habentes respectum ad deuotionem, quam ad nostrum portatis Ordinem, prout certa nobis relatione clarum est, existimauimus, rem dignam omninò esse, & acceptam Diuinæ voluntati, si ab eodem Ordine participaretis aliquod Priuilegium Gratiosum. Veruntamen inuenientes nos priuatos omnibus rebus temporalibus, impossibile est, similiter temporaliter vobis respondere, pro tantis, & tam copiosis subsidijs. Ideo spiritualibus saltem ea recompensare desideramus. Quapropter &c.*

## GRATIOSA DVODECIMA.

*P. Præpositi Generalis Societ. Iesu.*

*FAcit tua virtus, ac pietas, & in nostram hanc Societatem beneuolentia, & merita requirunt, vt quidquid à nobis mutui Obsequij in Domino referri possit, id de iure, ac meritò debitum esse existimemus. Quamobrem cum nostrum hunc in te animum nullis alijs rebus, quàm spiritualibus obsequijs declarare valeamus, pro ea authoritate &c.* 32

## GRATIOSA DECIMATERTIA.

*P. Præpositi Generalis Clericorum Regularium Congregat. Som.*

*DIuinæ bonitatis naturam, quæ sui ipsius diuitias in quodcunque creaturarum genus copiosa largitione transfundit, imitari pro nostra tenuitate cupientes, spiritualium totius nostræ Congregationis bonorum fontes; hoc est, nostræ paupertatis Thesauros cuique de ea benemerito patere volumus. Itaque, cùm certissimè constet, Dominationem vestram esse ex eorum numero, qui multa nos pietate, charitateque prosequuntur; Volentes pietatem pietate, charitatemque mutua charitate compensare; Tenore præsentium, &c.* 33

Ex tenore itaq; omnium harum Gratiosarum Litterarum, & aliarum, etiam quæ afferri possent, sed breuitatis gratia omittuntur, euidenter apparet, quòd concedi soleant à Superioribus Regularibus, Amicis, ac Benefactoribus Ordinis eorum, in recompẽsationem, vti dictum est, beneficiorum, & eleemosinarũ accep- 34

acceptarum, ac in gratiarum actionem. Meritò itaque ex hoc secundo capite (vltra hoc, quòd gratis datæ) dicuntur Litteræ *Gratiosæ*; eodem etiam modo participatio, & communicatio bonorum operum, ac Filiatio Spiritualis adoptiua nominatur Gratiosa, quia videlicet remuneratoria est, ac in gratiarum actionem data. Imò verò debet esse talis, data scilicet in remunerationem, & in gratiarum actionem, prout constat ex Priuilegio *Vrbani V.* Ordini Fratrum Minorum concesso (quod etiam alij Ordines participant) id refert *Casirubius in Compendio Priuilegiorum, Verbo Indulgentia quoad sæculares quartò, n. 6.* Sequentibus verbis; *Vrbanus V. concessit, vt Generales, & Prouinciales totius Ordinis Minorum, possint communicare suffragia, Indulgentias, Orationes, & bona spiritualia Benefactoribus.* Si itaq; Priuilegium, admittendi ad participationem, & communicationem bonorum operum, & ad Filiationem adoptiuam spiritualem, concessum fuit à Summo Pontifice *Vrbano V.* Superioribus Regularium, ad bonum, & commodum Benefactorum, clarum est, esse remuneratorium, & in gratiarum actionem; vide *Cappuccinus in Annotationibus super dictum Priuilegium vers. Quarto dicitur: sic Glossatur: Quia talis communicatio, seu receptio ad participationem bonorum Congregationis, communiter fit à Prælatis informatis à talibus, quòd sint Benefactores, & idcircò recipiuntur in communicationem bonorum Ordinis (vt patet ex ipsis Litteris Confraternitatis, seu Filiationis.) Ideo notetur, quòd si talis causa, propter quam recipiuntur, non esset vera, quia scilicet non esset talis Benefactor, vt ibi supponitur, non valeret ei talis receptio ad participationem, nisi secundùm ratam, scilicet secundùm quòd fuerit Benefactor, quia deficiente causa finali, seu conditione concessionis, deficit ipsa concessio, & non valet, nisi quantum accesserit ad causam talis concessionis.* Per quæ optimè confirmantur omnia hactenus dicta.

35 Idipsum confirmari etiam potest, ex Bulla *Iulij Secundi* quæ incipit: *Aliàs Venerabilem Fratrem*. Et habetur apud *Peyrinum de Priuil. to. 1. constitut. 4. Iulij II.* in qua Bulla iste Pontifex communicat bona opera Religiosorũ Ordinis Minimorũ, nemini alteri, nisi Fundatoribus, & Fundatricibus Monasteriorum, Procuratoribus, & Procuratricibus, Tutoribus, & Tutricibus, ac Conseruatoribus præsentibus, & futuris, in compensationem videlicet beneficiorum præstitorũ eidem Ordini: verba sunt hæc §. 5. *Quod dicti Ordinis Domorum Fundatores, Fundatrices, Procuratores, & Procuratrices, Tutores, & Tutrices, eorumque vtriusque sexus liberi. Nec non dicti Ordinis Conseruatores præsentes, & futuri, omnium, & singulorum ipsorum Ieiuniorum, Orationum, & Sacrificiorum, & quorumcumque aliorum bonorum in toto huiusmodi Ordine Minimorum de cætero faciendorum, & recitandorum, participes fore, & illis communicata sint, & esse debeant.* Eodem igitur modo Superiores Regulares, imitando istã Bullam Pontificiam, & vtendo priuilegio supra citato *Vrbani V.* (quod propter communicationem priuilegiorum cõmune est omnibus alijs Ordinibus) concedunt Benefactoribus similes Litteras communicationis, & Filiationem Ordinis, quæ cùm sit in remunerationem beneficiorum, eleemosinarũ videlicet, &c. & in gratiarum actionem, dicitur propterea *Gratiosa*, sicuti datæ propter hoc Litteræ, dici solent *Litteræ Gratiosæ*.

Sed hic aduertat Lector, quòd etiamsi Prælati Regulares concedant Litteras 36
participationis, ac Filiationis Spiritualis suis Benefactoribus in *Gratiarum actionem*, hoc est titulo gratitudinis, & quia obligati sunt iure naturali recompensare aliquo modo, ac remunerare Benefactorũ eleemosinas, & charitatiua eorum beneficia, talis tamen recompensatio non est finis vltimatus, sed solùm est motiuum aliquod conferendi ipsis Filiationem spiritualem, & concedendi Litteras Gratiosas, quod benè obseruat *Ruteus de Participation. q. 8. sect. 2. n. 11.* vbi dicit: *Beneficia tam ab Amicis præstita, esse quidem motiuum ad conferendas Litteras participationis, non tamen finem.* Vnde opus est, non confundere hic motiuum, & finem; vnum ab altero distingui debet, & separari, prout à DD. maximè Moralibus semper formaliter distingui solent, & considerari inter se diuersa; imò in illis Litteris Gratiosis exprimuntur vt diuersa. Sit huius exemplũ (inter alias superiùs allatas.) *Gratiosa Dominicanorum;* incipit enim ista; *Christiana charitate tenemur, & gratitudinis ratione debemus Ordini nostro plurimũ affectis &c.*

Ecce in istis verbis expressum motiuum concedendi Gratiosam, quæ formaliter est gratitudo, *Gratitudinis ratione debemus*, prout etiam eadem concessa fuit in gratiarum actionem. Vnde etiã originem habet, prout dictum est, quòd vocetur *Gratiosa*. Finis postmodum concessionis, tanquam quid diuersum à motiuo significatur, ac exprimitur in conclusione eiusdem Gratiosæ sequentibus verbis. *Vt sic multiplici meritorum fructu, & Sanctorum suffragio adiuti, hic augmentum gratiæ, & gloriæ cumulum habeatis in Cœlis*.

37 Sicut itaq; motiuum concedendi Benefactoribus Filiationem Spirituale per Litteras Gratiosas est gratitudo, & remuneratio, ita finis est gratia, & gloria, ac consecutiò effectiua omnium bonorũ spiritualium illorũ, quæ per Litteras illas communicare intendunt Superiores. Obligatio gratitudinis ex beneficijs, & eleemosinis, est id, quod mouet, hinc motiuũ dicitur. Effectus spirituales, qui communicantur, vt recipiantur, sunt finis intentus, qui nũquam debet confundi cum motiuo. Imò foret dignus grauissima censura ille Superior Regularis, qui propter lucrum terrenum, materialiter sumptum, ex motiuo faceret ipsum finem, in quo imitaretur Sacerdotem, qui accepta eleemosyna, vt pro aliquo celebret, cùm illa solum esse deberet motiuum applicandi fructum sacrificij, finis verò salus spiritualis, & bonum illius, pro quo celebrat missam; ille vice versa, confunderet motiuum cum fine, hoc est, eleemosinam ipsam, ac lucrum, quod motiuum tantum esse deberet, pro suo vltimato fine suæ celebrationis haberet. Procul ergo, ac remotus à tam sordida, & peccaminosa confusione supponi debet quilibet Superior Regularis (quidquid euomat sceleratus ille Hæresiarcha *VVicleffus apud VVald. t.3. de Sacram. tit.10.c.99. in principio*. ibi etiam optimè refutatus) quia licèt dictæ *Gratiosæ* solis Amicis, ac Benefactoribus concedi soleant, clarum tamen est, illas semper prouenire ex motiuo gratitudinis, illis expresse inserto, nec vnquam intelligi id per modum finis, aut confundi cum fine, prout neque bona conscientia posset fieri: neque proportionem habere cum intentione finali conferendi dona spiritualia in ordine ad recompensationem eleemosinarum, bonorumq; temporalium; etiam excluso hic titulo iustitiæ, & posito illo solùm gratitudinis, prout supra insinuatum. Quod ad nostrum intentum pulcherrimè docet *Card. Caietanus* qui sic dicit: *Inter Religiosos, & Principes, seu quoscumq; alios, qui contulerunt eleemosinas eis, non est habitudo secundùm aliquem contractum iustitiæ propriè dictæ, sed solùm secundùm debitũ gratitudinis; nam donantes, beneficium eleemosinæ conferunt, & Religiosi naturali iure tenentur, tali dono gratiam retribuere suis Religiosis actibus 2.2.q.187.art.4. §. Ad euidentiam horum*.

## DVBIVM QVARTVM.

### *An Gratiosæ semper sint remuneratoriæ, & in remunerationem necessariò concessæ?*

Stabilitum est præcedenti dubio, quòd ex duplici capite conueniat huic Filiationi Spirituali nomen *Gratiosæ*, tum quia est *gratis data*: & hoc primum est inseparabile, quia veluti res spiritualis necessariò semper debet esse Gratiosa, hoc est, semper gratis data: tum quia concedi solet (quod est alterum caput) in remunerationem, & gratiarum actionem, vnde etiam gratiosa denominari solet. Nunc inquiritur, an etiam secundum hoc caput sit semper necessariò coniunctum Filiationi Spirituali, subministrando ipsi, prout alterum primo loco positum inseparabiliter nomen Gratiosæ; & est idem ac inquirere, an ista Filiatio, quæ vtpotè res aliqua Spiritualis, est semper *gratis data*, sic etiam prout est *Gratiosa* necessariò debeat esse concessa etiam in remunerationem, & gratiarum actionem, hoc est, ex motiuo solo Gratitudinis propter recepta ob Dei amorem beneficia: vno verbo solis benefactoribus, & non alijs necessariò debeat esse concessa? 38

Cùm responsione affirmatiua videri potest alicui solutum hoc dubium antequam propositum, propter dicta præcedenti dubio, ex quibus apparet (saltem primo intuitu) quod prorsus taliter, & non alio modo debeat concludi. Et primò quidem ex tenore ipsarum *Gratiosarum* præcedenti dubio allatarum, 39

quibus adiungi poteſt(ad maiorem confirmationem ) hæc altera S. Franciſci de Paula, relata à *Ruteo de Participationibus q.* 1. *ſect.* 6. *n.* 30. *& q.* 8. *ſect.* 2. *n.* 9. quæ ſic habet: *Feruidus deuotionis affectus, quem ad noſtrum Ordinem geritis, exigentia digna requirit, vt quia in temporalibus non poſſumus vicem veſtræ charitati rependere, in ſpiritualibus tamen, quantum nobis authore Deo ſuppetit, prout in noſtris apud Deum peroptamus deſiderijs, veſtra beneficia gratitudinis debitis compenſemus*. Ex quibus verbis, prout etiam ex ſupra citatis, euidenter colligitur, concedi à Superioribus Regularibus, quaſi omnes ſub ſolo motiuo gratitudinis, in remunerationem, & gratiarum actionem; ac per conſequens ſolis benefactoribus, & non alijs abſolutè communicari. Secundò, authoritate allata duorum ſummorum Pontificum *Vrbani V. & Iulij II.* Tertiò adiuncta annotatione, quam facit *Sorbo Capuccinus*, gloſando Priuilegium *Vrbani V.* prout præcedenti dubio citatur, in quo aduertit, quòd ſi is, qui aſſumitur à Superiore Regulari in Filium adoptiuum Ordinis, per Litteras Gratioſas, non ſit verus benefactor, prout ſupponitur, tum ab Ordinis Superiore, tum in ipſis Litteris Gratioſis, *non valet ei talis acceptio ad participationem*: Quòd etiam confirmat (iiſdem planè verbis) *Corduba in Quæſtionario Theologico lib.* 5. *qu.* 42. *diſt.* 9. Igitur clara videtur eſſe deciſio, quòd ſolis benefactoribus poſſit concedi ſpiritualis adoptiua Filiatio, & quidem ſolùm ex motiuo gratitudinis, recompenſationis, ac remunerationis. Sed hoc non obſtante.

40 Reſpondeo contrarium, & dico, quod etiam non Benefactoribus poſſit, & de facto ſoleat à Superioribus Regularium concedi; neque propterea perdit, imò magis ſibi adoptat nomen *Gratioſæ*, in quantum videlicet prouenit non ab animo grato propter obligationem, & in gratiarum actionem, ſed quod magis propriè Gratioſum eſt, ex ſola pura charitate, ac mera gratia. Prima huius aſſerti probatio ſit authoritas ſequentium Doctorum, qui hoc expreſsè admittunt, & ſunt *Rodriquez tom.* 1. *q. q. Regul. qu.* 33. *art.* 6. *in fine*, vbi ſic ait: *Si ſine vlla cauſa, ſed ad libitum, aliquis Prælatus vult recipere ad participationem aliquem, bonorum ſuorum, ſeu ſuæ Congregationis, ex charitate pura motus, tunc benè valebit conceſſio, ſeu communicatio ſecundùm intentionem eius &c. Miranda in Manuali Prælatorum, tom.* 2. *qu.* 50. *art.* 5. iiſdem penè verbis id habet: *Si quis Prælatus ſine vlla cauſa, ſed ad libitum vult quempiam recipere ad participationem bonorum ſuorum ſubditorum ex pura charitate motus, valebit eiuſmodi communicatio, & participatio ſecundùm intentionem eius, qui communicauit &c. Tamburinus de Iure Abbat. diſp.* 9. *q.* 4. *n.* 5. *Verſu non eſt tamen*, prout ſequitur: *Ex mera charitate poterit Abbas ad participationem bonorum ſuorum Monachorum quemcunque voluerit admittere* &c. *Ita affirmant Antonius Corduba in q. q. Theologicis lib.* 5. *de Indulgent. q.* 42. *punct.* 3. *dicto* 9. *Miranda &c.* Subſcribunt huic noſtræ reſponſioni *Peyrinus de Prælato q.* 3. *c.* 6. *n.* 13. *in fine, & Bordonus reſol.* 84. *q.* 3. *n.* 50. Primus ſic ait: *Si Prælatus velit aliquem non Benefactorem ex mera charitate ad participationem admittere, poterit; ſicut enim poteſt bona temporalia indigenti ex charitate tribuere, ita poteſt etiam ſpiritualia; atque ita Corduba, Rodriquez, Miranda, & Sorbo in Compend. Verbo Indulgentiæ quoad Sæculares* 4. *punct.* 3. *verſ. IV. Dicitur, pag.* 306. Secundus hæc habet: *An præter Benefactores poſſint ſua bona ſpiritualia concedere alijs non Benefactoribus? Reſpondeo ſic, quia cùm bonum ſit ex ſui natura diffuſiuum, vt dicitur; in communicatione, limitationem non recipit, ergo indifferenter communicabile: Rodriqu. Miranda, &c. & ex alijs Peyrinus.* Adiungo *Lezanam tom.* 4. *q. q. Regularium, Verbo Suffragia num.* 6. vbi expreſsè dicit: *Licèt Litteræ Confraternitatis ſolùm Benefactoribus concedi ſoleant, poſſunt nihilominùs etiàm non Benefactoribus concedi ex charitate, aut ſpeciali amicitia. Ludouicus à Cruce de Expoſit. Bullæ Cruc. diſp.* 1. *c.* 8. *d.* 15. *n.* 17. Itaque horum Doctorum Authoritate concedi poteſt, Filiatio Spiritualis ſine motiuo gratitudinis, aut remunerationis, ac conferri ex ſolo motiuo charitatis, ac ex pura, & mera gratia, vnde longè meliori titulo conueniat Litteris nomen *Gratioſarum*.

Altera probatio noſtræ reſponſionis ſit ipſa ratio, quæ eſt ( vltra illas quas afferunt *Peyrinus, & Bordonus* ) quia Prælati Regulares maximè Generales, & 41

Pro-

Prouinciales habent plenam administrationem omnium bonorum communium tam temporalium, quàm spiritualium suæ Congregationis, sed etiam ad ipsos spectat (prout infra videbitur) de Iure communi iuxta Doctores, in specie *Lezanam p.1. summ. cap. 18. num. 67.* applicare alijs opera bona suorum subditorum dando Litteras talis communicationis, ergo possunt id facere absolutè ex mera charitate. Consequentiam probo: nam si dictæ Litteræ, & communicationes non essent concessibiles, & applicabiles nisi limitatiuè, hoc est in remunerationem, & gratiarum actionem tantùm, non esset in Prælatis plena, & plenissima administratio, quæ supponitur, & qualis in ipsis debet supponi, quod similiter infra probabitur. Insuper (prout bene argumentatur superius *Peyrinus*) si possunt Superiores Regulares virtute prædictæ illius plenæ administrationis distribuere ex motiuo solius charitatis indigentibus bona temporalia Congregationis, cur non possint ex eodem motiuo solius charitatis idem cum bonis spiritualibus? quis limitauit motiuum ad vnam distributionem, & non ad alteram? vnde ratio disparitatis habetur? imò potiùs deberet practicari oppositum, hoc est limitari distributio bonorum temporalium, & non illa bonorum spiritualium, quorum, ex parte animæ nostræ, maiorem habemus necessitatem.

42. Ad rationes superius in contrarium allatas, facilis est responsio: Vnde ad primam, quæ accepta est ex ipso tenore Gratiosarum, Concedo, quòd illæ à nobis superius allatæ contineant vniuersim motiuum gratitudinis, & quòd quæuis illarum concessa veniat à Prælatis Regularium in remunerationem, & gratiarum actionem; nego tamen, quod propterea non possit etiam concedi, ab ipsis ex solo motiuo charitatis, mutando intentionem, motiuum, & tenorem, omittendo in ipsis expressionem motiui gratitudinis, ita vt solùm mentio fiat motiui puræ, ac meræ charitatis, & gratiæ. Idque adeò verum est, fieri posse, quòd etiam inueniam practicatum ipso actu fuisse: imò de facto, nemine obstante practicari (quod insuper loco tertiæ nostræ probationis adductum sit, quæ ex prati deducta efficacior esse non potest) Hem id clarum ex duabus sequentibus Litteris, quarum prima refertur de verbo ad verbum *à Ruteo de Particip. qu. 1. sect. 6. n. 29.* Et est ab ipso Sanctissimo Fundatore S. Francisco de Paula, in qua sic habetur: *Fr. Franciscus de Paula Minimorum Ordinis humilis Institutor, nec non Generalis Corrector immeritus. Plenissimè confisi de Morum probitate nobilissimorum virorum Petri Briconet, Magistri Ioannis de Broyer &c. singulis gratijs, immunitatibus, & Indulgentijs quibuscunque fidelibus nostri præfati Ordinis Procuratoribus per priuilegia, seu aliàs quomodolibet concessis, ac imposterum concedendis, vna cum Venerabilibus eorum Vxoribus, cum eorum liberis, & substitutis, plenè, & integrè gaudendi, fruendi, & vtendi; in omnibus etiam Mysterijs diuinis, Orationibus, & Missis, Ieiunijs, ac Vigilijs, cæterisque quibusuis suffragijs, & bonis per Ordinem vniuersum à cunctis Fratribus nostris in perpetuum Dei ordinatione fiendis, specialissimè participandi, & communicandi &c. vobis facultatem facio. Sub datum Anno 1501. die 7. Martij cum appositione sigilli.*

Ex tenore huius Gratiosæ, certissimè constat, non ex motiuo gratitudinis à Sancto concessam fuisse (omissa videlicet omni etiam apparente formula, aut verbo, id exprimente) sed motum solo charitatis motiuo eam concessisse, ac inductum ad id sola probitate illorum, quibus hæ Gratiosæ fuere concessæ, prout ipsa verba formalia indicant. *Plenissimè confisi de morum probitate nobilissimorum Virorum.* Imò quando voluit communicare suam Filiationem Spiritualem ex motiuo gratitudinis, & in gratiarum actionem, hoc expressit, prout ex illa Gratiosa colligi potest, quam in principio huius dubij attulimus, quæ incipit: *Feruidus deuotionis affectus, Data 24. Martij Anno 1503.*

Altera Gratiosa; quæ ad nostrum propositum (& hodie in praxi obseruatur) est illa, quæ exijt à *P. Generali Ordin. Carmel. Discalc.* quam appono vti iacet, à *Paulo ab Omnibus Sanctis Carmelita Discalc.* relata *in Claui Aurea p.3. c.4. n.197. pag. mihi 282.* addendo, insuper esse formam communem, & quæ solet ordinariè à solo *Preposito Generali* conferri apud *Discalcea-* 43

*scalceatos Carmelitas*, estque sequentis tenoris.

*Fr. N. Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Præpositus Generalis N. N. in Domino salutem.*

*Cùm salutis nostræ Author Iesus Christus præsentes discipulos, & nos absentes imitatores suos erudiens, singulari fraternæ charitatis præcepto præsertim obstrinxerit: vt diligeremus alios, quemadmodum ipse dilexit nos, tanto magisterio, & instituto nostro valde consentaneum est, vt saluti proximorum, operam similem, quam Redemptor noster nauauit, impendamus. Cùm vero ipse sic nos dilexerit, vt labores, dolores, operasq; sua in salutem nostram cum infinito merito, ac satisfactione direxerit, nullum eum imitandi modum similiorem inueniri posse videmur, quàm si è pijs laboribus, & operibus nostris, quæ ex ipsius gratia præstamus, & spiritualibus bonis, quibus ex ipsius Thesauro fruimur; partem aliquam proximis tribuamus. Quapropter nos, qui licèt immeriti, prædictæ Congregationi præsumus, & bona eius augere, atque in alios iustis de causis deriuare debemus, confisi meritis, & precibus Beatissimæ Virginis Mariæ, Mater Dei, & nostræ, cui specialiter famulamur, ac eius Sponsi Sanctissimi Ioseph, nec non Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi Patrum nostrorum, Sanctorum Angeli, & Anastasij Martyrum, Alberti, & Cyrilli Confessorum, ac Sanctæ Teresiæ Virginis, & aliorum Sanctorum, ac Sanctarum Ordinis nostri, & Omnium Sanctorum, ac Sanctarum Dei (Te) peculiari charitatis significatione complectentes, ad participationem omnium priuilegiorum, Indulgentiarum, precum, Ieiuniorum, Disciplinarum, Peregrinationum, piorumque operum, aliorumque quorumuis bonorum spiritualium totius nostræ Congregationis admittimus. Precamurque Diuinam bonitatem vt (Te) per hoc nostrum Ministerium prædictorum bonorum cum prouentu maximo consortem efficiat &c.*

Ex tenore huius Gratiosæ colligitur, eam concedi (saltem explicitè) ex puro motiuo charitatis, estque forma solita, ac vsitata, etiam hodie, prout citatus Author *Ab Omnibus Sanctis n. 197.* loquitur: sic enim ipsemet: *In hac forma dari consueuerunt Litteræ Filiationis, seu Fraternitatis apud Discalceatos Carmelitas.* Hoc etiã in re ita se habet, prout ex collatione modernarum datarum reperi, quas eodem prorsus tenore, & formula conscriptas animaduerti. Et quamuis inserta eidem clausula *Iustis de causis* nonnumquam applicari possit, & colligi à Superiore (prout etiam à parte rei erit) per modum causæ, ac motiui gratitudinis, seu remunerationis, aut in *gratiarum actionem*, hoc tamen non obstat; nam sufficit nobis in conclusionis nostræ probatione, quòd saltem non semper tali modo concedi soleat, sed etiam per modum puræ amicitiæ, ac christianæ charitatis, quod motiuum expressè colligitur ex vi verborum in his ipsis Litteris, prout legenti, & bene consideranti patebit, maximè in principio earundem.

44 Hoc tamen aduerto (quod bene notandum est) quod si prædicta Gratiosa solùm concessa sit ex motiuo charitatis, ita vt is, qui accipit, non sit Benefactor: talis hoc casu erit quidem aggregatus Ordini, fietque particeps omnium bonorum operum eiusdem, at non propterea etiam Indulgentiarum, etsi earum fiat mentio in supradicta Gratiosa, in qua dicitur: *Vos peculiari charitatis significatione complectentes, ad participationem priuilegiorum, Indulgentiarum &c. nostræ Congregationis admittimus.* Et ratio huius est, quia Prælati Regulares vi Gratiosarum nõ possunt communicare non benefactoribus Indulgentias, Indulgentiæ enim aliter à Prælatis concedi non possunt, quàm in virtute priuilegij Apostolici ab *Vrbano V.* concessi, quod pro solis Benefactoribus sonat, prout ex eodem clarè apparet supra præcedenti dubio allato: Vnde ad nostrum hoc propositum optimè docet *Tamburinus de Iure Abbat. tom. 2. disp. 9. q. 4. n. 6. in fine.* Dum ibi sic ait: *Ex mera charitate poterit Abbas ad participationem suorum Monachorum quemcunque voluerit admittere, quo tamen casu (subiungit) non poterit communicare Indulgentias, iuxta priuilegium Vrbani V. concedendas tantùm Benefactoribus.* Idem docet etiam *Peyrinus tom. 2. de Prælat. qu. 3. c. 6. n. 13. in fine* hisce verbis: *Si Prælatus velit aliquem non benefactorem ex mera charitate ad participationem admittere, poterit quidem, sed hoc casu Prælatus non poterit communicare Indulgentias, cùm solis benefactoribus communicare concesserit Vrbanus V.*

45 Ad secundum argumentum in contrarium allatum ex Authoritate duorum Summorum Pontificum *Vrbani V.* & *Iulij II.* respondetur: exinde non posse deduci,

deduci, quòd neque non Benefactoribus possint Prælati Regulares concedere suas Gratiosas, & spirituales Filiationes; quod clarum est, quia quantum ad priuilegium *Vrbani V.* obseruandum est, cum *Peyrino de Prælato q.3.c.6.num.9. versu Noto 1.* quòd ipse duo concedat, primò quòd Prælati Regulares possint communicare suffragia, Orationes, & bona spiritualia; at ista concessio nihil noui confert prędictis Prælatis, cùm hoc possint de Iure communi, quod ijsdem idipsum concedit, prout docent *Rodriquez, Miranda*, & alij, apud ipsos citati cum communi Doctorum, prout etiam nos in processu probabimus. Alterum est, quod etiam possint communicare Indulgentias, Ordini concessas: *Concedit secundò* (verba *Peyrini* sunt) *quòd possint prædicti Prælati communicare dictis Benefactoribus Indulgentias. Et ista est magna concessio, quam ex iure communi non habebant. Cùm enim Indulgentiæ tantùm valeant, quantum sonant, non possunt applicari, nisi ijs, qui in eis nominantur expressè.* Quo supposito, aut sermo est solùm de simplici cōmunicatione suffragiorum, Orationum &c. & hanc Prælati Regulares de Iure communi concedere possunt; quibus volunt; cùm de Iure talem facultatem habeant independenter à tali priuilegio, ac omni alio, prout infra suo loco, ratione & authoritate probabitur. Aut insuper sermo est de communicandis etiam Indulgentijs, & ista potestas, quia illam non habent Prælati Regulares, ipsis conceditur ab *Vrbano V.* in allato priuilegio, sed pro solis Benefactoribus, prout constat: nec potest extendi, aut concedi non Benefactoribus, quia cùm *Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, non possunt applicari nisi ijs, qui in eis nominantur expressè*, prout supra citatus *Peyrinus*, ait, & sic concludit: *Cùm ergo in dicto priuilegio concedat Pontifex, quòd præfati Prælati possint Indulgentias communicare, certum est, quòd Superiores nominati in præfato priuilegio possunt omnes indulgentias concessas Regularibus, dictis Benefactoribus applicare, etiam si in illis, nihil tale dicatur, quod absque hoc priuilegio non poterant. Atque ita Suar. tom.4. in 3.p. disp.55. n.13. Duobus autem modis intelligo posse fieri hanc applicationem: primò; applicando fructum dictarum Indulgentiarum eo modo, quo applicantur Defunctis. Secundò, concedendo, vt dicti benefactores possint per se ipsos dictas Indulgentias lucrari, faciendo ea, quæ ad id requiruntur.* Huc usq; *Peyrinus*. Quod porrò attinet ad exemplum *Iulij II.* Respondetur, quòd ex eo, quòd prædictus Pontifex concesserit solis benefactoribus Ordinis Minimorum participationem, non sequatur propterea, quòd non possint Prælati Regulares illam concedere etiam non benefactoribus, *& cuicunque voluerint*, ex puro motiuo charitatis, cum habeant ad hoc facultatem de *Iure*, in quantum sunt Prælati, & Moderatores suorum Ordinum.

46 Ad tertiam, & vltimam rationem in contrarium fundatam in auctoritate *Sorbi Cappuccini, ac Corduba*, Respondeo hos Doctores idem in re quod nos asserere, quod ex eorundem verbis sequentibus clarè colligitur: *Quia talis communicatio, seu receptio ad participationem bonorum Congregationis communiter fit à Prælatis informatis de talibus, quod sint benefactores Ordinis, & idcirco recipiuntur ad communicationem Ordinis, vt patet ex ipsis Litteris Confraternitatis, seu Filiationis. Ideo notetur, quòd si talis causa, propter quam recipiuntur, non esset vera, quia scilicet non esset talis benefactor, vt ibi supponitur, non valeret ei talis receptio ad participationem, nisi secundùm ratam, scilicet secundùm quod fuerit benefactor, quia deficiente causa finali, seu conditione concessionis, deficit ipsa concessio, & non valet, nisi quantum accesserit ad causam talis concessionis. Quòd si sine vlla causa, sed ad libitum vult recipere aliquem ad participationem bonorum suorum, seu Congregationis, ex pura charitate motus, aut motu proprio, tunc bene valebit ei talis communicatio, & etiam secundùm dispositionem participantis:* Sic citati Doctores, & insuper ijsdem penè verbis *Lauorius de Indulgentijs par.2.c.4.n.15. & 16. pag. mihi 47.*

## DVBIVM QVINTVM.

### *An iusta sit, & secundùm æquitatem.*

47 Respondeo affirmatiuè, & euidenter ostendo; quia nimirum Prælati

lati Regulares illam concedunt ordinariò (prout viſum eſt) ex motiuo gratitudinis, & in gratiarum actionem, at quid iuſtius, ac æquitati, & rationi conformius, quàm retribuere beneficiũ acceptum, propter quod iure naturali quilibet tenetur ad debitam recognitionẽ? hinc meritò cuilibet Gratioſarum Litterarum ſupra allatarũ inſerta eſt (prout apparet) hæc æquitas, & recompenſationis obligatio, ſpiritualis ſaltem, cùm temporaliter ob paupertatem Religioſam non poſſit eſſe reciproca. Hoc confirmat *Ruteus de Partic. q. 8. ſect. 2. n. 10.* vbi ſic inquit: *Cùm Regulares non concedant communicationem bonorum ſpiritualium per Litteras, niſi in gratiarum actionem ob varia beneficia iam actu Ordini præſtita, per id non ſolùm opus non vituperandum, ſed rationi, & æquitati valde conſentaneum faciunt, eo quòd is, qui beneficium aliquod ab alio accepit, iure naturali debito gratitudinis obligatur, ad id nouo aliquo beneficio compenſandum; hinc in modernis noſtris Litteris participationum, ſic habetur. (Æquum eſt, & debitum, vt temporalia beneficia, quæ charitatiuè tam abunde metimus; ſpiritualibus noſtris, qualiacunque illa ſint, compenſemus.)* Ita vt, quamuis non ſint obligati Prælati Regulares titulo iuſtitiæ, aut veri contractus concedere benefactoribus, pro eleemoſinis eorundem, filiationem ſpiritualem, iuxta doctrinam *Card. Caietani 2. 2. quæſt. 187. a. 4.* ſupra allatam *dub. 3. in fine* vbi dicit: *Inter Religioſos, & Principes, ſeu quoſcunque alios, qui contulerunt eleemoſinas eis, non eſt habitudo ſecundùm aliquem contractum iuſtitiæ propriè dictũ:* & ex hoc capite conſequenter (ſi volumus in rigore loqui) non poteſt rectè, ac propriè dici iuſta, hoc eſt conceſſa ex contractu, & debito veræ iuſtitiæ. Eſt tamen iuſta, in quantum conceditur à Prælatis, titulo quidem debiti, ſed ſolùm debiti ex gratitudine, ſeu ſecundùm debitum gratitudinis, vt *Caietanus* loquitur, ac dando rationem ſubdit. *nam donantes, beneficium eleemoſinæ conferunt, & Religioſi naturali iure tenentur tali dono retribuere ſuis religioſis actibus;* ad quod tenentur ex obligatione fundata in ipſa natura beneficij, prout docet *Paſſerinus tom. 2. de Hominum Statibus qu. 187. ar. 4. Inſpectione 1. n. 13. pag. mihi 395.* vbi ſic ait: *Obligatio gratitudinis fundatur in natura beneficij, quod petit, vt qui recipit beneficium, conuertatur in benefactorem per gratiarum actionem, ideo ingratitudo eſt peccatum, non quia defraudatur intentio benefactoris per ſe, & propriè, ſed quia impeditur connaturalis Ordo beneficij, qui eſt, vt beneficij effectus conuertatur, & redeat ad ſuum principium per gratiarum actionem.* Et in hoc ſenſu tam iuſta dici poteſt Filiatio ſpiritualis, & Gratioſa, quæ datur, tam æqua, vt ad eam etiam teneantur Prælati Regulares erga benefactores cum obligatione ſubinde etiam conſcientiæ, prout clarè deduci poteſt, & infertur non ſolùm ex allata doctrina *Paſſerini*, ac Doctorum plurimorum, ſed in ſpecie etiam iuxta id, quod notat *Sanch. in Decalog. l. 7. c. 27. n. 8. in fine*, vbi ait: *Religioſi eleemoſinas recipere debent animo benefactoribus gratificandi, faciendo illos bonorum operum participes. Quare, cum otioſam & Religioſis actibus deſtitutam vitam degunt, peccant eas vſurpando, & defraudando ea ſpe, & beneficio. Valentia in 2. 2. diſp. 10. qu. 5. punct. 3.* id ipſum affirmat, & ait: *Tenentur Religioſi vſurpare eleemoſinas cum ea circumſtantia, videlicet, vt gratificentur benefactoribus faciendo illos bonorum operum participes. Quare, cùm otioſè, & irreligioſè viuunt, ex talis circumſtantiæ defectu, peccant vſurpando.* Item *Lezana tom. 4. ſumm. verbo Suffrag. n. 6.* vbi ſic ait: *Certum eſt Regulares illos, qui ex eleemoſinis fidelium, vel etiam ex redditibus ab illis relictis viuunt, teneri ipſorum bona ſatisfactoria, ſeu impetratoria, pro ipſis applicare. Ratio eſt, quia tales eleemoſinæ, ſeu redditus, conceduntur ipſis à fidelibus ſpe participandi eorum bona opera, & illorum intuitu. Vnde hoc fine, & ſpe defraudant illos, ſi talia opera pro ipſis non applicent. Hoc autem peccatum regulariter eſt contra virtutem gratitudinis, quia accipere debent prædictas eleemoſinas animo gratificandi benefactoribus, ſaltem in ſpiritualibus, faciendo ſcilicet illos bonorum ſuorum operum participes.* Per hos itaque Doctores, ac communem doctrinam, Regulares, ſpecialiter Superiores, ac Prælati, pluribus obligantur titulis, præcipuè gratitudinis, applicare pro ſuis benefactoribus opera bona Ordinis, ac fructum ſpiritualem eorum: *Et hic quoque fructus* (concludit Lezana *n. 8.*) *eſt ille, quem Prælati Regulares applicant de bonis ſpiritualibus ſuorum ſubditorum, cùm benefactoribus ſuis Litteras Confraternitatis concedunt.* Si itaque taliter res ſe habet, non poteſt

non

non esse iusta secundùm æquitatem Filiatio Spiritualis, ac Gratiosa, prout etiam argumentatur *Ruteus cit. nu. 10. in fine* sic inferendo: *Si igitur Regulares, debito gratitudinis, & iure naturali, eos, qui sibi fuit eleemosinis beneficia temporalia præstiterunt, tenentur, quoquo modo compensare, & cum non habeant aliud, quo id præstare possint; si ad exoluendum debitum, participationem in bonis suis spiritualibus per Litteras Filiationis concedant, rem varijs titulis debitam exercent*. Ergo si ex debito, erit etiam iusta, & iusta quidem secundum æquitatem, consequenter verissima nostra responsio.

48 Verissima dico, etiam si concedatur Filiatio Spiritualis ac Gratiosa *ex mera charitate, & non titulo gratitudinis*: quia sic concedendo, imitantur Prælati charitatem, ac amorem illum infinitum Iesu Christi, qui *ita dilexit nos, vt labores, dolores, operaque sua in salutem nostram cum infinito merito, ac satisfactione direxerit*: prout dicitur in Gratiosa *P. Præpositi Generalis Carmelitarum discalceatorum*, allata dubio præcedenti. Et quid magis iustum, & æquitati conformius esse potest, quàm se conformare exemplo amoris Dei erga nos, & Iesu Christi, qui specialiter nobis præcipit, vt amemus proximum nostrum *quemadmodum ipse dilexit nos*, ac ipsi benefaciamus, prout ille sine vllo suo proprio commodo nobis benefecit? Et hic prostrata cadit hæresiarchæ *VVicleff* insolentia, qui calumniando Litteras Filiationis Spiritualis, velut illis solum concessas, à quibus sperantur bona temporalia, de quo apud *VVualdensem tom. 3. de Sacramentalibus tit. 10. c. 99. in principio*, impius sic loquitur. *Patet eorum Simoniaca hæresis manifestè, cùm non dent tales Litteras, nisi sub spe, & intentione probabili, quòd eis lucrum temporalium, & confœderationem illicitam reportabunt, quomodo non sunt ergo hæretici Simoniaci in affectu?* Cadit inquam, eiusdem hæretica insolentia; nam, quando à Prælatis Regularibus conceduntur Gratiosæ (prout visum est) ex puro motiuo charitatis, seu ex mera liberalitate, *VVicleffi* impostura locum non habet, quòd tales sint Simoniaca hæresi infecti, nam taliter communicando, communicant sine vllo excogitabili interesse, ex mera tantùm liberalitate, & charitate: quando vero ex solo motiuo gratitudinis, in remunerationem videlicet, & in gratiarum actionem prout supra dictum, & explicatum fuit; talis etiam concessio sub tali motiuo, actus est sine dubio iustus virtuosus, debitus *iure naturali ex debito gratitudinis*, quomodo ergo Simoniacus? Simoniacus esset, si daretur pretio bonorum temporalium, contra præceptum Christi *Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date*, in quantum pretium est de essentia, ac ratione formali intrinseca Simoniæ; prout docent SS. Patres, ac Doctores communiter: & id ipsum factum *Simonis Magi* satis indicat. *Act. c. 8. Date & mihi hanc potestatem* (id est) *date pretio, Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. tr. de Simonia c. 1. n. 3. in fine*) à quo facto, *Simonia*, suam habet originem: *Quia ille fuit primus, qui in lege gratia hoc vitium commisit*, ait *Suar. n. cit. in princip.* in quo communiter Doctores conueniunt. *Franciscus de Arauxo de Statu eiusd. to. 2. disp. 14. p. 2. ar. 1. n. 3.* vbi sic ait: *Primus qui in lege Euangelij hoc peccatum commisit, fuit Simon Magus, ergo ab illo tanquam authore hoc vitium nominatur*. Excluso autem pretio (prout in casu nostro tanquam certum supponimus) non est Simonia, ne mentalis quidem, prout communiter docent omnes Authores. Vnde *Cardin. Caiet. in summa Verbo Simonia*, apertè dicit: *Scito Simoniam mentalem consistere in intentione pretij. Et hoc est, quandocunque intendit pro Spiritualibus temporalia, aut è contrario, ita quod Ly (pro) pretium denotet*. Quia absolutè *ad inducendam Simoniam requiritur pretium* (ait noster Pasqualigo de sacrificio nouæ legis *tom. 2. q. 919. n. 5. iuxta illud Actor. 8. Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. Ergo excluso pretio, cadit Simonia, prout dictum est. Item optimè confirmat ad nostrum propositum. *Celestinus in Compendio Theologia Moralis tract. 7. de Simonia c. 1. dub. 4. pag. mihi 348.* ita dicendo: *Ea de causa positum est in definitione Simonia verbum (pro pretio temporali) quia si deest ratio pretij, non est Simonia, sicut non est Simonia dum res spiritualis commutatur pro re spirituali, nec etiam Simonia cum datur temporale occasione spiritualis, quia tota malitia Simonia in eo sita est vt temporale tradatur in commutationem, & quasi appre-*

*appretiationem, seu æstimationem rei spiritualis; & cùm non datur temporale sub hoc titulo pretij, sed eleemosyna,* (prout faciunt Benefactores Ordinibus) *non est Simonia. Atque hinc patet non esse Simoniam cum datur rei pretio æstimabilis, ante vel post collationem rei spiritualis, titulo solùm liberalitatis.* Doctrina hæc efficacior, ac clarior esse non posset (si bene consideretur) pro nostro casu, ad eximendum Superiores Regulares etiam ab vmbra cuiusuis imposturæ ipsis à *supra cit. Hæresiarcha* impositæ. Contra quem concludo nunc, verbis *Rutei de Particip. quæst. 8. sect. 2. n. 11. in fine: Nullo modo colligi potest sordidum lucrum, & quæstus ex eo, quod dictæ Litteræ solis Amicis, & Benefactoribus concedantur, eum id ex iusto debito gratitudinis fiat.*

49 At verò, ne piæ aures deuoti Lectoris, neque etiam in minimo offendantur, cum admoneo, has, & similes sententias, qualis est ista *Rutei*, ac præcedens *Cælestini*, accipiendas esse cum grano salis; & non crudè, prout iacent; Cùm enim ait, *Ruteus loc. cit. Nullo modo colligi potest sordidum lucrum, & quæstus, ex eo, quòd dictæ Litteræ solis Amicis, & Benefactoribus concedantur* (addens rationem) *Cùm id ex iusto debito gratitudinis fiat:* Hæc inquam verba, non ita accipienda sunt, ac si ex iusto debito gratitudinis, res tẽporales, pretio æstimabiles prout tales, Superiores Regularium, compensare velint, bonis spiritualibus per Litteras Gratiosas. Intelligenda ergo sunt præfata *Rutei verba* secundùm expressos terminos subiectæ materiæ, de qua agit; tractat autem de bonis operibus, quæ per Filiationem Spiritualem communicantur Benefactoribus, in compensationem eleemosinarum, sustentationis, charitatiui subsidij, &c. quæ Religiosis exhibent: Istæ ergo eleemosinæ, &c. licèt si materialiter considerentur sint pretium, vel pretio æstimabiles; formaliter tamen, prout sunt eleemosinæ, opera charitatiua, propter Deum facta, spiritualizantur, & efficiuntur opera pia, sancta, & spiritualia; atque adeò non est compensatio rei spiritualis pro temporali, sed spiritualis pro spirituali. Eodem modo capienda sunt verba *Cælestini* paulò ante adducta: *Atque hinc patet non esse Simoniam, cùm datur res pretio æstimabilis* (*materialiter spectata, sed per piam intentionem formaliter spiritualis*) *ante vel post collationem rei spiritualis, titulo liberalitatis, aut gratitudinis.* Idem dic de alijs similibus sententijs.

50 Porrò, cùm totus iste tractatus ex professo agat de communicatione operum spiritualium, quæ per Litteras Gratiosas, à Religionum Superioribus communicantur Benefactoribus, pro acceptis ab ijs beneficijs, quæ ordinariè consistunt in eleemosinis (vt dictum est) in subsidijs, & adiumentis in fauorem Religionis propter Deum, ideo clariori explicatione à censurarum periculis vindicandus est. Sciendum ergo, quòd licèt huiusmodi eleemosinæ, adiumenta, & subsidia, pretio temporali sint æstimabilia, formaliter tamen aliud non sunt, quàm actus pij, & religiosi, ac consequenter actus spirituales; quare non debent considerari solùm materialiter, præscindendo à formali, nimirùm ab intentione, & fine, quo fiunt, id est, ex pietate, misericordia, charitate erga Deum, &c. qui omnes actus sunt Christianæ Virtutis, & per consequens spirituales, vti explicat *S. Th. 2. 2. quæst. 32. art. p.* & ibidem *Caietanus*. Et iterum *S. Tho. in 4. sentent. distinct. 15. S. Bonauentura*, & alij relati *à Nauarro in Man. cap. 24. n. 2. & 3.* inde est, quòd eiusmodi beneficia, & eleemosinę plerumque nomine charitatis appellentur, quæ Regina est, omnes sub se virtutes continens, à quarum vnaquaque, dictæ eleemosinæ, ac temporalia beneficia formaliter efficiuntur spiritualia: ad quod propositum aptè quadrat *Textus in Cap. Inter opera charitatis:* Et ibidem. *Glossa litt. B. de Sponsalib.* cum alijs *à citato Nauarro* adductis.

51 De his ergo rebus *materialiter* temporalibus, *formaliter* autem spiritualibus, mihi sermo est in præsenti Tractatu; proinde quæcunque in eo tractantur *secundùm subiectam materiam*, modo hic explicato, intelligi debent, per *Text. in C. Solitæ, & ibi Canonistæ de Maior. & Obed.* adeò vt generalitas restringi debeat secundùm subiectã materiam, vt per *Petrum de Ancharano in Cons. suo 163. incipiente in Christi &c. Visis, & diligenter inspectis, &c.* De his inquam assero, quòd per communicatio-

tio-

tionem operum spiritualium, quæ per Litteras Gratiosas communicantur, cõpensari valeant, per quam compensationem nullatenus committitur Simonia, cùm re ipsa nil aliud sit quàm cõpẽsatio spiritualis pro spirituali. Hac ergo intentione, & sub hac formalitate, ego loquor, ac intelligi volo, aliorumq; sententias, eodem sensu adduco in præsenti libro ad Hæreticorum confusionẽ, præcipuè effrontis *VVicleffi*. Et reuera, quantum obseruare licet, ex ipsimet formulis Litterarum Gratiosarum, quas *Cap.1.Dub.3.* & alibi ob oculos posui; ex earum tenore communiter videtur, intentionem, & causam finalem talis cõmunicationis, aliam non esse, quàm ex debito gratitudinis velle compensare illos actus pietatis, misericordiæ, & charitatis Benefactorum Ordinis, quod sub diuersis verborum formis, in dictis Litteris, exprimitur; velut cùm in vna dicitur: *Ne eorum pietas debito careat prouentu, igitur &c.* In alia: *Dominationem vestram esse de eorum numero, qui multa nos pietate, charitateque prosequuntur. Volentes pietatem pietate, charitatemque mutua charitate compensare, tenore præsentium &c.*

## DVBIVM SEXTVM.

### *An superflua sit, existente aliàs iam Communione Sanctorum, ac Ecclesia?*

52 IN Ecclesia Dei res certa est, ac ita certa, vt de Fide sit, dari inter Fideles mutuam Communicationem bonorum operum: *Certum est de Fide* (ait *Paulus de Omnibus Sanctis in Claui Aurea p.3.c.1. n.188. in princ.*) *Inter Fideles in Ecclesia Dei, mutuam esse bonorum operum Communicationem: adeò vt omnia facta in gratia, & charitate opera bona, eo ipso, siue ipso iure, & facto, sine speciali intentione, & applicatione facientis, directa ad ipsum participantem, communicentur omnibus iustis, siue existentibus in statu gratiæ.* Imò quòd duę sint Communicationes spirituales, seu Cõmuniones in Ecclesia Dei (ait *Ioannes à S.Tho.Ordin. Dominicanorum in Compend. Totius doctrinæ Christianæ p.1. c.4.*) Vna videlicet fundata in Fide, altera in Charitate, & Sanctitate: *Duæ dantur* (ait) *in Ecclesia spirituales Communicationes: vna fundatur in Fide, & altera in Charitate, & Sanctitate. In Fide fundatur Cõmunicatio exterior Sacramentorum, quæ vt Fideles, & mediante Fide, recipimus, sicuti, & Cõmunio suffragiorum, Beneficiorum, & Orationũ, quas Ecclesia externè facit, & distribuit Fidelibus, & quorum non sunt capaces, nisi Fidem Ecclesiæ habentes. In Charitate autẽ, fundatur Cõmunicatio bonorum operum, per quam existens in gratia potest satisfacere pro alio, & simul participare meritum boni operis facti ab altero pro se; & tandem ex bonis operibus, ab alio factis, habebitur in Cęlis quoddam gaudium, sicuti quod Sancti in Cęlis intercedant, nobis prodest in terris. Hæc secunda est Communio Sanctorum, & Iustorum, in quorum operibus datur quędã mutua, & reciproca Cõmunicatio: hanc non participant existentes in peccato mortali, aut extra gratiam, siue sint Fideles, siue Infideles. Prima Cõmunicatio, est Fidelium, etiam non existẽtium in gratia: nihil tamen participant ex illa Pagani: Excommunicati, aut Hæretici: at verò nullius Cõmunionis, neq; Fidei, neq; charitatis dãnati participes redduntur.* Pro explicatione autem quomodo vnus fidelis in gratia existens, gaudeat, & participet de aliorũ bonis operibus, quæ fiunt per totũ Mundũ, non potest melior similitudo inueniri, quæ magis ad viuũ rem explicet, quã illa, quã affert *S. Paulus ad Rom. 12. v.5.* in qua totã Ecclesiã Militantẽ cõparat Corpori humano, Christũ Capiti, & reliquos fideles mẽbris reliquis humani corporis. *Vnũ corpus sumus in Christo, singuli autem, alter alterius mẽbra. Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit Caput super omnẽ Ecclesiã, quæ est Corpus ipsius. Ad Eph. c.1.22. Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Ad Eph. c.5.23.* Pulcherrima similitudo, qua mediãte, aptissimè explicari potest Cõmunio, seu Cõmunicatio bonorũ operũ spiritualiũ, qua mutuò gaudent omnes in Ecclesia Christi Fideles: quia etsi varia, diuersa, & non eiusdẽ dignitatis sint membra Corporis Naturalis, constituunt tamẽ vnicũ Corpus Naturale, sic quãuis sint diuersæ nationes, ac populi fideles, ac inter se inæquales in sãctitate, ac præeminẽtia, nihilominus, cõstituũt vnicũ Corpus Mysticũ, quod dicitur Ecclesia. A Capite velut de fonte, ac prĩcipio deriuãtur oẽs spirit⁹ sensitiui in reliqua mẽbra, vt viuere possint, & operari suas vitales operationes. Sic à Christo, ceu fonte, & principio omnis boni, descẽdũt in fideles omnia dona

gratiarum, prout *S. Io: in suo Euangelio c. 16. De plenitudine eius, nos omnes accepimus*, & S.Paulus ad Ephes.4.v.7.*Vnicuiq; nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Inter membra præterea vnius, ac eiusdem corporis, habetur communicatio non solùm exterior, in quantum externè vnum alteri vicissim inseruit, sed etiam interior, in quantum vnum alteri suam communicat virtutem, ac participare facit vigorem eorundẽ spirituũ, quos à capite recipit: sic inter membra eiusdem Ecclesię, quæ sunt Fideles, inuenitur aliqua communicatio nõ exterior solùm, vi cuius vnum mutuò iuuat alterum, ac illi inseruit exterius, iuxta varios gradus, & officia, de quibus scripsit *S.Petrus in sua Epist.1.c.4. v.10. Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes*. Sed reperitur insuper aliqua communicatio interior, vi cuius vnum membrum communicat fructũ bonorũ operum ab altero factorum, ac iuuatur per illam gratiam, quam à suo Capite Christo immediatè accepit. Et hæc est illa communicatio interior spiritualis, de qua *Propheta dicit Psal.118. v.63. Particeps ego sum omnium timentium te*: hoc est: Domine particeps sum omnium bonorum operum, quæ faciunt omnes timẽtes te. Omnes iusti videlicet in toto Mũdo. Hæc nobis proponitur ad credendũ in *Symbolo Apostolorum*, illis verbis: *Sanctorũ Communionem*, prout docet *Catech. Rom. Pij V. in hoc Articulo Symboli, & Canisius in maiori Cathechismo ibidem*: Hoc egregiè exponit, *S.Tho.Op.6.c.13.* sumpta pariter similitudine corporis naturalis: *Sicut in corpore naturali* (ait) *operatio vnius membri cedit in bonũ totius corporis; ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesia. Et quia omnes Fideles sunt vnum corpus, bonum vnius, alteri communicatur. Apostolus Rom.12. Singuli autem alter alterius mẽbra. Vnde & inter alia credenda, quæ tradiderunt Apostoli, est, quòd Communio bonorum sit in Ecclesia, & hoc est, quod dicitur: Sanctorum Communionem, Inter alia verò mẽbra Ecclesiæ, principale membrum est Christus, quia est Caput: bonũ ergo Christi Communicatur omnibus Christianis, sicut virtus Capitis omnibus membris.* Vnde certum de fide est (id enim credere debemus, vt Articulum fidei) esse in Ecclesia militante aliquam Communicationem omnium bonorum operum mutuam, in tali forma, quòd cuiuslibet operis boni, quod facit vnus iustus, participes sint omnes alij iusti, qui in Mundo sunt, idque sine speciali applicatione illius, qui bonum opus egit; nam sufficit ad talem Communicationem passiuam, solummodò esse Fidelem, & in gratia, membrumq; viuum huius Mystici Corporis, quod est Ecclesia.

53 Porrò, non restringitur ista Communicatio, & Cõmunio SS. ad solos Fideles Ecclesiæ Militantis, sed extenditur insuper ad Fideles Ecclesiæ Triumphãtis, ac Purgantis, prout notat *Ruteus de Particip. quæst.2. sect. 1. num. 2.* vbi assignat etiam, in quo communicent, dicendo: *Nota hanc Communionem Sanctorum non esse solùm inter Fideles Ecclesiæ Militantis, sed & Triumphantis, & Patientis: communicamus autem cum Beatis in hoc, quòd suis Orationibus multa nobis impetrant: item participamus in eorum satisfactionibus superabundantibus, quæ reposita in Thesauro Ecclesiæ vna cum Christi satisfactionibus, per Indulgentias nobis conferuntur. Cum Animabus etiam Purgatorij communicamus in hoc, quod earũ Orationibus iuuamur, sicut & quibusdam satisfactionibus, quæ quandoque in nonnullis superabundarunt, priusquam denuo in peccatũ recidissent. Et nos vicissim illas iuuamus, nostris satisfactionibus, Sacrificijs, Orationibus, & alijs bonis operibus.* Concludit postea: *Maximè autem inter Fideles viuentes est hæc Communio, qui varijs modis fiunt participes bonorum operum*: Ac primò quidem communicant inter se Fideles omnes externè in vsu eorundem Sacramentorum, ac fructibus ex ijsdem profluentibus in eodem Sacrificio, ac vsu Eucharistiæ, per quam specialiter, velut eiusdem Corporis membra vniuntur Christo vt Capiti communi; Communicant præterea in prædicatione Verbi Dei, in Officio Ecclesiastico, Ritibus, Cęremonijs, alijsque rebus sacris. Deinde internè communicant in eadem Fide, in eadem gratia, ac in alijs omnibus virtutibus, specialiter in charitate, quæ fundamentum est huius communicationis: *Radix mutuarum Orationũ inter amicos est charitas* (ait *Soto in 4.dist.45.q.3.ar.1. V.Sic ergo.*) Quia vniti in ipsa, & per ipsam Fideles, velut mẽbra vnius solius corporis, se inuicem iuuant: quod similiter innuere visus est *S.Thom. Opusc.6.cit.* Sequentibus verbis: *Sciendum*

*est,*

*est, quòd non solùm virtus Passionis communicatur nobis. Sed etiam meritum Vitæ Christi, & quidquid boni fecerunt omnes Sancti, communicatur in Charitate existentibus, quia omnes vnũ sunt, Psalm. 118. Particeps ego sum omnium timentibus te. Et inde est, quòd, qui in charitate viuit, particeps est omnis boni, quod fit in toto Mundo*: Quod clarè affirmat *Ruteus sect. 1. cit. n. 3.* sic dicendo: *Sanctorum Communio, de qua in Symbolo, maximè consistit in Charitate, quæ est fundamentum huius Communionis, per quam fideles inter se vniti, veluti vnius Corporis membra, se inuicem iuuant.* Aduertit postea immediatè, quod sequitur: *Aduertendum tamen, prædicta omnia* (quæ sunt prædicta bona, in quibus fideles tam externè, quàm internè communicant) *non esse effectus Communionis Sanctorum, sed radicem, & fundamentum, super quo omnes illius effectus fundantur: ex eo enim quòd omnes Fideles ratione eiusdem Fidei, Charitatis, Sacramentorum &c. sunt vnum Corpus Mysticum Ecclesiæ, ideo habent inter se effectus, & influxus communes; participant enim in eodem effectu Sacramentorum, in eodem Thesauro communi, satisfactionibus, & bonis operibus aliorum.* Secundò, Communio Sanctorum comprehendit etiam Communicationẽ Thesauri Ecclesię, qui constat ex meritis infinitis, & satisfactionibus Christi Domini Nostri, & ex operibus satisfactorijs superabundantibus Sanctorum, quia participant omnes fideles de tali Thesauro, fitque illis communis per applicationem eiusdem, hoc est, per Indulgentiarum cõcessionem, quarum supremus dispensator Summus Pontifex est. Tertiò fideles, ceu membra eiusdem corporis per mutua officia, & merita, per reciprocas Orationes, & satisfactiones, per Sacrificia denique Missæ, inuicem se iuuant, atque tali modo participes mutuò fiunt bonorum spiritualium, in quãtum ista fiunt suo modo communia vi particularis intentionis, per quam vnus intendit pro altero orare, aut aliud bonũ opus agere; quod non solùm omnibus communiter est concessum, sed vlterius habetur pro vno ex specialibus effectibus Communionis Sanctorum, prout rectè docet *Suarez in 3. p. t. 4. disp. 48 sect. 1.* qui *n. 1.* dicit: id manifestum esse ex illo *Iacobi 5. Orate pro inuicem vt saluemini. Ad Rom. 15. Obsecro vos Fratres, vt adiuuetis me in Orationibus pro me à Deo. Et Iob vlt. Ite ad seruum meum Iob, ille orabit pro vobis.* Idq; adeò manifestum esse ait, vt addat; *Et de veritate hac ita generatim sumpta, etiam Heretici non contradicunt.* Quia res certa est, quòd fideles, veluti vnius corporis mystici membra, per proprias Orationes, bona Opera, & satisfactiones, non solùm se ipsos iuuant, sed etiam alios iuxta propriam voluntatẽ, intentionẽ, & applicationem. *Et hoc negare, esset hæreticum contra articulum Fidei: Credo Sanctorum Communionem* (ait *Soto in 4. dist. 45. q. 2. ar. 1.*) Cõmunicãt itaq; Fideles velut membra vnius, & eiusdem corporis, ac participant mutuò fructũ propriorum bonorũ operũ, ac bonorum spiritualium, applicãdo, & dirigendo illa iuxta propriam suã voluntatem pro libitu, quibus magis placet illa applicare, iuxta suam intẽtionẽ, prout dictum est; imò sine tali expressa, & speciali intẽtione, aut generali etiam, prout similiter supra dictũ est, quia etiam sine ista intẽtione expressa, vel generali operantis, participant fideles in omnibus Ieiunijs, Eleemosinis, Disciplinis, Orationibus, Sacrificijs, ac omnib⁹ alijs bonis operibus, quæ fiunt ab omnibus Fidelibus totius Mundi: Et hoc propter vnicã radicem charitatis, quæ omnia opera spiritualia facit communia; atque hoc ipsum est, quod *S. Tho. Op. 6. supra cit.* docet: *Quidquid boni fecerunt omnes Sancti, cõmunicatur in charitate existentibus, quia omnes vnũ sunt.* Quod ex *Psal. 118.* probat: *Particeps ego sũ omnium timentiũ te.* Subiungit postea: *Et inde est, quod qui in charitate viuit, particeps est omnis boni, quod fit in toto Mũdo.* Quales autẽ fructus illi in genere, & in specie, sint, qui participantur ex bonis operibus fidelium: infra dicetur: sufficit ex hucusque allatis concludere, quod stante Communione Sãctorũ (quæ in Ecclesia Articulus Fidei est,) participent Fideles mutuò de enumeratis bonis spiritualibus, quę ipsis, vt vidimus, cõmunia sunt: exclusis solis incapacibus, sua culpa, & in specie Excõmunicatis: quia *Excommunicati* (ait *Nauarrus de Orat. & Horis Canon. c. 2. n. 55.*) *per hoc, quòd sunt extra Ecclesiam, perdunt partem omnium, quæ fiunt, quod est maius damnum, quam damnum alicuius rei temporalis.* Ex hac ipsa priuatione bonorum spiritualium, quam incurrunt Excommu-

nicati, motiuum desumit *Rut. de Partic. q. 2. sect. 1. n. 1* dicendi, optimè posse concipi, & explicari Communionem Sanctorũ ex oppositis effectibus Excõmunicationis; in quantum videlicet Excõmunicatio aliud non est, quã quædã priuatio Cõmunionis Sanctorum; nam illæ res, quibus priuantur, prorsus eædem sunt, in quibus aliàs mutuò cõmunicant fideles: *Nota* (dicit) *effectus, saltem quosdam, Cõmunionis Sanctorũ, rectè concipi, & explicari posse, per nonnullos effectus Excõmunicationis, illis oppositos: cùm Excommunicatio sit priuatio Cõmunionis, quæ est in Ecclesia; illa, quibus priuantur, sunt illa eadem in quibus communicant Fideles. Excommunicatio igitur priuat hominem communibus Ecclesiæ suffragijs, quæ ad Tria mẽbra reuocari possunt, scilicet, ad Sacrificiũ Missæ, quòd pro sola Ecclesia offertur; ad Orationes omnes, quæ fiũt nomine Ecclesiæ, & ad Indulgentias, quæ Ecclesiæ membris per Prælatos communicantur. Deinde Excommunicatus, priuatur vsu, & participatione Sacramentorũ: in his igitur, in quibus priuantur Excommunicati, sicut & in nonnullis alijs, consistit Sanctorum Communio.*

54 Nũc posita ista cõmunione, superflua videtur Filiatio Spiritualis, & participatio per concessã Gratiosã, de qua nos hic agimus. *Nauarr. Miscell. 11. de Psalt. & Rosario Versu 3.* Format hoc ipsũ dubiũ (loquẽdo tamen de communicatione spirituali in particulari, quę fit in Archicõfraternitate SS. Rosarij) & quærit, an sit necessaria particularis, & expressa cõmunicatio ad hoc, vt Confratres illius participent eiusdẽ bona spiritualia: *Videri enim potest* (ait) *quòd non,* & subdit rationẽ: *quia communicatio bonorum in gratia, & charitate factorum, ipso iure, sine ipso facto, sine communicatione alia particulari communicatur omnibus Iustis, gratia, & charitate ornatis: adeò quidem, quòd, vt ait S. Tho. Op. 6. relatus à nobis (omnis qui incipit esse gratus Deo gratia gratum faciente, incipit esse particeps omniũ bonorũ, quæ in toto Mundo sunt,) & meritò: quia est articulus fidei explicatus in Symbolo Apostolorum, esse Sanctorum Cõmunionem: & probatur per illud Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te.* Eandem difficultatem mouet *Paul. ab Omn. SS. in Claui Aurea p. 3. c. 1. n. 188. Versu, Et vt difficultatem.* Tractãdo hunc ipsum nostrum casũ de Gratiosis, & Filiatione Spirituali, his verbis: *Supposita illa generali Communione, quæ est in Ecclesia, per quam ipso facto vnius bona opera alteri applicantur, ratione vnionis, quæ fit per charitatem, sicuti bonum vnius membri in eodem corpore, ipso facto, atque Iure, ratione vnionis, quæ est inter ipsa membra, per communicationem alteri applicatur, non videtur præterea desiderari altera bonorum operum communicatio, & applicatio: quippe, quæ superflua, & nullius momenti foret.* His tamen non obstantibus.

Respondeo ad nostrum propositum 55
dubiũ, negatiuè, videlicet non esse superfluam Filiationẽ Spiritualem, stante etiã Cõmunione Sanctorũ, & Ecclesiæ. Hæc responsio omninò certa est, nam, *Constans & certa semper fuit Theologorum sentẽtia,* (ait *Paulus ab Omn. SS. loc. cit. n. 189.*) *quòd præter generalem illam Communionem, quæ sequitur ratione mẽbri Corporis Mystici, omnes Christianos complectentis, & à Christo Domino ortum trahentis, ideoque nullis humanis arbitrijs poni, aut tolli valentis, detur alia specialiter meritorum, seu bonorum operum Communio, non modò inter eos, qui specialis alicuius intra Ecclesiam corporis sunt membra, verùm etiam inter eosdem, ac Adoptatos in eiusdem Mystici Corporis compagẽ. Sicut quamuis intercedat Communio aliqua Politica inter omnes qui eidem Regi subsunt, tamẽ specialior est, quæ eos nectit, qui eiusdem præterea sunt Prouinciæ: & adhuc maior, quæ intercedit inter personas eiusdem Vrbis; maxima verò est omnium, quæ cernitur inter personas eiusdem familiæ, & cognationis.* Sed accedamus iam ad responsionis probationes.

Et prima sit, quod *Concilium Constantiense* 56
damnat assertionem, quòd *Superflua sit Spiritualis Filiatio*, dum excommunicat, & damnat *Ioannem VVicleffum*, qui inter alias suas propositiones hæreticas, etiam hanc euomuit, prout videre est apud *VValdensem to. 3. de Sacram. tit. 10.* Vnde *Paulus ab Omn. SS. cit. n. 189. Vers. Hanc quoque,* loquendo de ipso dicit: *VVicleffus homo hæreticus, & emoti ingenij, inter alia asseruit, specialẽ meritorum, seu bonorum operum Cõmunicationẽ, in Religionibus, & Pijs Congregationibus fieri solitam, nullatenus esse licitam, sed vanam, superfluam, ac superstitiosam. Et Rutens de Particip. q. 8. in princ.* etiam ait: *Contra Communicationẽ bonorum operum, quæ fit in Religionibus, aperto marte insurrexit VVicleffus, eãq; vt falsã, & simoniacã reprobauit; sed in Concil. Constant. anathemate damnatus est, & Thomas VValdensis to. 3. de Sacramental. tit. 10. eam acriter expugnauit.* At debet magni æstimari opinio *VValdensis* circa istam communicationẽ (*ait* prædi-

*prædictus Paulus ab Omn. Sanctis cit. n. 189. in fine)* quia approbata fuit à *Pontifice Martino V.* & quidem per specialem Bullam: *Huius insignis viri sententia circa hanc bonorum operum Communicationem, specialem meretur authoritatem in Ecclesia Dei: quippe à Martino V. Pontifice approbata, & confirmata, sicuti, & alia ipsius opera per Bullam incipientem. Placuit nobis &c.* Quam Bullam lego in principio Tertij tomi *VValdēsis de Sacram.* ac reperio in ipsa, *citatum Tomū* fuisse valde desideratum à Summo Pontifice, prout suam mentem in illa declarat, transmissasque fuisse ad ipsum *VValdensem* ab eodem Pontifice, conclusiones damnatas *VVicleffi, vt securiùs valeat eas confutare*.

57 Præter *Martinum V.* (& sit hæc secunda probatio) habemus etiam alios Summos Pontifices, qui in suis Bullis & Decretis Apostolicis distinctè loquuntur, ac tractant de communicatione particulari bonorum spiritualium, fieri solita in Religionibus, & alijs Specialibus Congregationibus; ergo ista communicatio nullo modo est superflua, stante etiam Communione Sanctorum, & Ecclesiæ. Consequentia est certa, aliàs enim Summi Pontifices frustra de illa loquerentur, ac disponerēt, quod admitti non potest. Antecedens probo euidēter. *Vrbanus V.* prout supra allatum est, *Dubio* 3. huius capitis, concedit Generalibus, & Prouincialibus totius Ordinis Minorum S. Francisci posse communicare Suffragia, Orationes, ac bona spiritualia eiusdē Ordinis, suis Benefactoribus. *Iulius II.* similiter citatus prædicto Dubio, per seipsum cōmunicat opera bona Religiosorum Minimorū, prout ibi videre est, ac disponit cum illis ad bonum Fūdatorum, & Fundatricum Monasteriorum. Item Procuratorum, & Procuratricum, Tutorum, ac Tutricum, Conseruatorū denique, idque in perpetuum, in compēsationem beneficiorum præstitorum illi Ordini. *Iulius III.* communicat Confratribus charitatis Romæ, & Archihospitali Spiritus Sancti, participationē operum bonorum omnium Religiosum, ac Locorum Piorū aliorum totius mūdi: sic refert *Frater Seraphinus Leuisellus de Religione B. Ioannis Dei, in Compendio,* quod edidit, *Priuilegiorum, & Gratiarum prædictæ Religionis part. 2. c. 6.* cuius titulus: *Communicationes bonorum* §. 1. sequentibus verbis formalibus: *Confratres Confraternitatis Charitatis Romæ, participes fiunt Omnium Ieiuniorum, aliorumq; spiritualium bonorum, quæ exercentur in toto orbe terrarum in omnibus Religionibus, & Congregationibus, alijsque locis pijs; sic concessit Iulius III. Confraternitati prædictæ, & Archihospitali S. Spiritus, sicut apparet in ipsius Priuilegijs fol. 135. & fol. 140.* Quæ communicatio (amplissima certè, & singularis) sese extendit per participationem ad omnes etiā alias Religiones, ac ad Adoptatos eisdem per Litteras Gratiosas, aut Filiationis spiritualis &c. *Clemens VII.* in sua Bulla quæ incipit: *Ex Clementi Sedis Apostolicæ prouisione*: (& videri potest *in primo tomo Bullarij edita An. 1530.*) Religioni Carmelitanæ, Patrum Discalc. facultatē concedit, nō solùm conferendi suis Confratribus, qui portāt Scapulare B. Virg., omnes spirituales gratias Ordinis, sed insuper posse etiam illas cōmunicare omnibus alijs, qui gratijs eorundem Confratrum gaudere voluerint. Quæ Bulla (ait *Paulus ab Omn. SS. in Claui Aurea par. 3. c. 4. n. 198. in fine*) Confirmata fuit à *Gregorio XIII. Clemēs VII.* (sunt verba ipsius formalia) *Ordini facultatem concedit, non solùm Confratribus nostris qui habitum nostrum, siue Marianum Scapulare gerunt, gratias omnes, & priuilegia Apostolica communicandi, verùm omnibus alijs, qui gratijs eorundem Confratrum gaudere voluerint, Et hāc Constitutionē confirmauit postea Gregorius XIII. An. 1577. per Bullam incipientem; Vt Laudes Gloriosiss. Virg. &c.* Et quia (*prout refert Raynaud. in Scapul. Partheno-Carmelitico Illustrato p. 1. c. 4. Vers. Cooptatio ergo, pag. 84. & Paulus ab Omn. SS. in Claui Aur. par. 8. c. 9. Vers. Ego Authoritate qua fungor, pag. 568.*) prædicti Confratres simul cum Scapulati recipiuntur etiam ad Fraternitatē Ordinis, vi sequētium verborum: *Recipio te ad Confraternitatem nostræ Sacræ Religionis, & inuestio, ac participem te facio, omnium bonorum spiritualiū eiusdem Ordinis in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen*: Comprehendendo autē hic sub nomine Ordinis, bona spiritualia non solū veteris familiæ Carmelitanæ, quàm nouæ, à S. Theresia reformatæ, vi expressi pacti, inter prima, ac suprema capita vnius & alterius Ordinis initi, quod pactum confirmauit *Paulus V.* Ecce porrò alium Pontificem, qui similiter apertè approbat participationem

Ordinum Regularium, eamque stabiliuit in suo Breui, Authoritate Apostolica: *Nomine autem Ordinis comprehendi, & antiquam familiam Carmelitanam, & nouam Theresianam, ita ferentibus Pactis conuentis inter vtriusque Cætus Capita, compertum est. Firmauitque ea Pacta Paulus V. 1617. Pontificatus sui XII. Dato Diplomate, cuius initium est. Ad ea, quæ personarum &c.* Ita prædictus *Raynaudus*. Quod itidem refert *Petrus Thomas Sarracenus Carmelita par. 4. Informationum spiritualium, Informat. 2.* Sequentibus verbis: *Ad Conseruationem Charitatis, & augmentum concordiæ in Religione Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo, conuenerunt Romæ, Reuerendi Patres Generales Ordinis Carmelitani, & Præpositus Generalis RR. PP. Discalceatorum Hispaniæ, statueruntque, vt in omni loco, in quo Patres Carmelitani Confraternitatem Beatissimæ Virginis iam erexerunt, Patres Discalceati eis dare valeant benedictum Scapulare, & admittere ad participationem omnium Indulgentiarum, Priuilegiorum, & Gratiarum Carmelitani Ordinis, Instrumentum huius vnionis authenticatum fuit à Ioanne Valtellio Notario publico Sacræ Cameræ, Die 24. Augusti 1616. Vnio ista admodùm placuit Paulo V. Summo Pontifici, & ab eo fuit laudata, approbata, & confirmata in quodam Breui. Dato Romæ sub die 18. Aprilis 1617.* Adiungamus etiam his *Concilium Constantiense*, quod *sess. 8. art. 19.* (apud *Peyrinum de Prælato qu. 3. c. 6. n. 6. in fine*) damnat illum, qui dicit, quòd Orationes specialiter applicatæ, non plus iuuent, quàm communes: quod idem est, ac condemnare illum qui dicit, superfluam esse applicationem particularem bonorum spiritualium, & Filiationem per Gratiosas (vt in casu nostro) stante communi participatione, hoc est Communione Sanctorum. *Et hoc esse de fide, tam post Decretum, quàm ante, docet Alanus de Sacrificio Eucharistiæ lib. 2. c. 35. vers. Ex contraria sententia* (ait *Peyrinus*) indeque sic concludens: *Quare multum interest recipi ad participationem alicuius Religionis.* Et nos similiter concludendo nostrum hoc argumentum; authoritati Conciliorum, Summorumque Pontificum, authoritatem quoque addimus vnius Nuntij Apostolici cum iurisdictione Legati à Latere *Alexandri* videlicet *Episcopi Foroiuliensis Nuntij Apostolici Sanctissimi D. N. Sixti IV.* cum plena potestate Legati à Latere per totam Germaniam: Approbauit is vi huius suæ Iurisdictionis, ac Authoritatis Apostolicæ, confirmauitque Confraternitatem Sanctissimi Rosarij, ac eiusdem statuta, in quorum vno (sexto videlicet) prout obseruat *Nauarrus in Miscell. 11. de Psalt. & Rosario num. 1. in princ.* stabilitur, ac declaratur, quòd omnes de Confraternitate, participes sint omnium bonorum spiritualium, quæ à quolibet Confratre, aut Sorore eiusdem Congregationis fiunt, ac fient per totum Mundum: *Sextum statutorum* (ait *Nauarrus*) *declarat omnes Confratres esse participes omnium bonorum, quæ fiunt ab omnibus Confratribus, & Consororibus præfatæ Confratriæ Sanctissimi Rosarij per omnem Orbem dispersis.* Hanc communicationem liberalem, ac participationem spiritualem bonorum operum Confratrum, & Consororum SS. Rosarij, approbat Authoritate sua Apostolica prædictus Nuntius in suis Litteris Apostolicis datis Coloniæ Anno 1476. per quod stabilitur nostra responsio, in quátum videlicet approbatur communicatio spiritualis, ac participatio particularis bonorum operum in Corpore alicuius Confraternitatis per totum Mundũ dispersæ. Ex quo manifestè infertur, etiã stante generali Communione Sanctorũ, non esse superfluam participationẽ particularem, quod in conclusione, & responsione ad propositum dubium diximus, ac docuimus. Legat qui vult libellũ intitulatum: *Rosarium Sacratissimæ Virginis Mariæ*: impressum Venetijs, apud Ioannem Antonium Bertanum, Anno 1587. laudatum, & approbatum primò ab Illustrissimo Patriarcha Veneto: Deinde à Reuerendiss. P. Inquisitore Fr. Francisco Pisani: ibi pag. 15. reperitur etiam approbatio, ac Confirmatio prædictæ Confraternitatis SS. Rosarii concessa particularibus Litteris à prædicto Nuntio Apostolico *Domino Alexandro*, datis ad instantiam *Imperatoris Federici III. eiusque Coniugis*: Quæ Litteræ videri possunt apud *Nauarr. Miscell. 4. de Psalt. & Rosario* de quo etiam tractat *Miscel. V.* Prætermitto hic alios Summos Pontifices, qui tractarunt, & disposuerunt etiam ipsi de bonis operibus Religionum. At omittere non possum, quòd idipsum fecerit San-

Sanctissimus Pontifex *Clemens* X. Fel. Mem. qui in vna à so edita Bulla, quæ incipit, *De Salute Gregis Domini. Sub die 20. Iunij* 1674. Cõcedit, pręter aliàs plurimas Indulgentias Recitantibus, ac apud se habentibus Coroná Domini à Patribus Camaldulensibus benedictam, etiam participationem hanc bonorum operum Religionum, sub forma, & limitatione prout sequitur. *Et solitus se exercere in aliquo ex operibus, quæ fiunt in Religionibus, fit particeps omnium, & singulorum, quæ fient in dictis Religionibus, si intentione huiusmodi participationis illud opus exercuerit.*

58 Probatur tertiò nostra responsio: Quia si stante Communione Sanctorum, ac Ecclesiæ, superflua foret Filiatio, ac participatio Spiritualis per Gratiosas, oporteret reijcere etiam, velut vanas, & otiosas concessas à S. Benedicto, Francisco de Paula, alijsque eiusmodi maximis Sanctis, & Fundatoribus Ordinum, datasque ab ipsis deuotis Amicis, ac Benefactoribus: Similiter etiam vanæ, & inanes essent omnes aliæ participationes, factæ ab vniuersis Ordinibus, ab ipsorum exordio vsque ad hanc horam, & quæ imposterum futuro tempore fient; quod vtique esset insignis macula & error summus tantorum Sanctorum, ac Fundatorum Innocentissimæ vitæ; ac tantorum doctissimorum Superiorum Regularium; quatenus videlicet quilibet illorum, in concessione talis communicationis, commisisset actum prorsùs inanem, superfluum, ac vanum; suauitate, ac doctrina ipsorum prorsus indignum; quale ne quidem somniari potest de personis adeò honoratis, doctis, ac Sanctis, in omni doctrina, ac virtute adeò excellentibus.

59 Quartò, Si stante Communione Sanctorum, & Ecclesiæ, superflua foret Filiatio Spiritualis per Gratiosas concessa, vana etiam, & improbabilis foret doctrina, & Authoritas omnium sapientissimorum Catholicorum Doctorum, qui hanc opinionem docuerunt, ac propugnauerunt ex instituto, contra *VVicleffistas*, veluti Thesaurum animæ pretiosissimum, quales sunt (præter à me fortè non inspectos, aut visos) *VValdensis* (approbatus vti vidimus à Pont. Martino V.) *Corduba, Nauarrus, Sorbus, Henriquez, Rodriquez, Suarez, Valentia, Lezzana, Ascan. Tamburinus, Antonius Carraciolus Theatinus, Zanardus, Bordonus, Peyrinus, Iulius Lauorius, Castro Palao, Laymannus, Pellizarius, Pasqualigus, Gobath, Raynaudus, Ruteus.* qui omnes suis locis in hoc opere citantur. Insuper *Paulus ab Omnibus Sanctis.* Carmelita, qui refert in *Claui Aurea part. 3. c.8. n.29. pag.*314. Tractasse de Filiatione Spirituali sequentes ex suo Ordine Carmelitanos Doctores, videlicet *Thomam à Iesu lib.2. de Confraternitate B. Virg. Mariæ de Monte Carmelo. c. 5. Hyeronimum Gratianum in Tractatu de Iubileo, p. 1. c. 8. Cyprianum à Sancta Maria in Thesauro Carmelit. part.1. cap.20. & 21. Petrum Thomam Saracenum par.6. Informat. Spiritual. Eliam à Sancta Theresia in Legatione Ecclesiæ Triumphantis ad Militantem lib.2. cap. 40. & alibi, Gregorium Nazianzenum à S. Basilio in sua Adoptione Parthenia par.2. cap.41. & in Instructione Familiari pro Confrat. B. V. M. de Monte Carmelo c.18. Gabrielem à Sancto Vincentio par. 3. de Sacram. Pœnitent. disp. 11. qu 6. & disp. 13. qu.7. Irenæum à S. Iacobo in Tract. Theologico de Singulari B. Virg. protectione sect. 3. c.4. §.3. Ludouicum à S. Theresia in suo Opere de Successione, Eliana &c. c.224.* Recenset præterea *Paulus ab Omn. Sanctis cit. par.3. c. 1. n. 189. versu, Hanc quoque &c. pag.* 293. Sequentes Doctores magis antiquos, Discipulos tamen Carmelitæ Familiæ, *Richadum Lauinghamum Doctorem Oxomiensem, anno 1489. Alanum de Linna Doctorem Cantabrigiensem anno 1417. Ioannem Bestonum anno 1423. qui à Clero Anglicano deputatus, interfuit Concilio Constantiensi nomine illius Regni. Ioannem Berneghamum anno 1430. qui omnes vt scribit Pitsæus de Viris illustribus Angliæ, & post illum Bzouius, fortiter & verbis, & scriptis VVicleffitis obstitere.* Omnes isti Doctores Catholici insignes, ac singularis doctrinæ, cum alijs omnibus, qui apud ipsos, aut per se, aut post ipsos tractarunt de Filiatione Spirituali per Gratiosas, supponunt pro certo, ac defendunt, eam non esse vanam, aut superfluam, contra *VVicleffum*, ac eius sequaces, sed spiritualiter proficuam animæ, non obstante Communione Sanctorum, ac Ecclesiæ. Consequentia certa est; nam si Filiatio per Gratiosas foret eadem cum Communione Sanctorum

ctorum, non fuisset tractata à prædictis Sapientissimis Doctoribus, ac alijs, veluti res distincta, & adeò pretiosa animæ, tantopere desideranda, ac procuranda, prout etiam ipso facto eam procurarunt pro se, summa æstimatione, & desiderio, Capita etiam Coronata, & Maiestates Imperatoriæ.

60 Quintò probatur nostra Responsio; Quia licet titulus Communionis Sanctorum sit Articulus Symboli Apostolici, nihilominus iam à primitiuo illo tempore Gratiosa hæc participatio, de qua tractamus in vsu fuit, imò practicata ab ipsis Apostolis; ergo non superflua, stante etiam Communione Sanctorum: Consequentia est certa; nam aliàs illa non fuissent vsi Apostoli, vtpote superflua, qui tamen Communicarunt suas Orationes, & opera bona certis aliquibus Christianis magis ipsis Amicis ac notis. Antecedens etiam certum est, abundè probatum à *VValdensi tom. 3. de Sacramental. tit.* 10. *c.* 94. & 95. Item à *Ruteo de Participationibus qu.* 1. *sect.* 3. & à nobis etiam probabitur sequenti Capitulo tertio. Concludo Argumentum eisdem prorsus verbis *Peyrini de Prælato q.* 3. *c.* 6. *n.* 14. vbi absolutè, & apertè sic inquit: *Vsus Participationum fuit in Ecclesia à tempore Apostolorum vsque ad præsentia tempora semper approbatus.* Ergo nec per somnum dici potest superfluus. Confirmatur hoc ipsum Argumentum; Quia si Apostoli communicando suas proprias Orationes, & bona opera Amicis suis magis deuotis, ac notis, non plus tribuissent illis, quàm exinde in genere participare poterant omnes alij fideles vi Communionis Sanctorum; quam specialem gratiam suis illis Amicis communicassent præ alijs? *Nec est, quod dicat aliquis* (ait Ruteus *sect. cit. n.* 14.) *Paulum, & alios Apostolos solùm communicasse fructum, qui alijs prouenicbat ex Generali Communione Sanctorum. Contra enim constat, ad participandum ex fructu orto ex Communione Sanctorum, non requiri specialem intentionem, aut applicationem operantis, quæ tamen hic reperitur, neque per hoc specialis aliqua gratia facta illis fuisset, quæ non fieret omnibus Fidelibus, quam tamen indubiè intendebant Apostoli per speciales illas promissiones, & applicationes. Paulus namque, & alij Apostoli varios Discipulos sub se habebant, quorum erant veri Prælati, proindeque bona illorum opera alijs communicare poterant. Et Nauarrus Miscell.* 11. *de Orat. n.* 4. *rectè ostendit ex Thoma VValdensi, Apostolos specialem communicationem bonorum operum fecisse, cùm ait; Paulus, Ioannes, & Iudas Apostoli, & Timothæus, & Siluanus communicarunt specialiter suas orationes suaque bona opera quibusdam particularibus Christianis sibi amicioribus.* Ex quibus omnibus constat, quòd participatio per Gratiosas, stante etiam Communione Sanctorum non sit superflua.

Sextò denique, si superflua esset, ob 61
id exinde foret, quia ab ipsa alius fructus spiritualis non reciperetur, quàm habeatur à generali Communione Sanctorum; at hoc falsum est; ergo &c. quòd hoc falsum sit, probatur; quia longè maiores, & specialiores fructus participantur per Gratiosas, ac communiones particulares Religionum, quàm solùm per generalem Communionem Sanctorum, iuxta communem sensum Doctorum, inter quos specialiter *Cyprianus à S. Maria Carmelita Discalceatus in Thesauro Carmelitarum par.* 1. *c.* 20. Sic ad nostrum propositum, & quidem doctissimè loquitur; *Secundùm ius Commune, Subditorum suorum Opera, potest communicare Prælatus, super quæ authoritatem sibi vendicat, eo namque ipso, quo Congregationis regimine, & cura pollet, bonorum quoque Operum eiusdem authoritate dispensatiua pollere censetur. Sed rogabis, quomodo hæc operum bonorum, participatio, de qua loquimur, aliquid nouum conferet; cum in Ecclesia Dei inter fideles sit mutua quarumcumque operum participatio? Vt namque ait D. Thomas Opusc.* 6. *in Exposit. Symb. ipso iure & facto opera in gratia, & charitate facta, sine speciali aliqua applicatione, omnibus iustis in gratia, & charitate existentibus communicantur, vt ex illo Dauidis constat: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodiendum mandata tua. Resp. Momenti plurimi esse, & specialissimi hanc bonorum operum nostrorum pro Confratribus communicationem, & à Fidelium communicatione longè disparem. Pro quo notandum; dupliciter, pia, & Sancta opera posse à quolibet Iusto alijs communicari; Primò, per actum expressum voluntatis, quo quispiam quasi donando huiusmodi opes spirituales alteri impartitur. Secundò, sine expresso actu voluntatis, sed quasi naturali quadam consequentia, & coniunctione, sicuti quando duo homines inter se amici, &*

*lon-*

*longe chari, vnionis vinculum inter se ineunt, eo ipso omnia eorum sunt communia, ita vt quo coniunctio maior fuerit, & strictior, eo melior, & intimior sit participatio, & communicatio bonorum. Cùm igitur sit latissima quadam consociatio omnium eorum, qui gratia, & charitatis habitu præditi sunt; qui sicuti latissimè coniuncti sunt, sic etiam latissimè, & communissimè, participant in bonis pijs actionibus suis. Est alia verò coniunctio magis specialis eorum, qui specialiter inter se coniunguntur, vt videre est in vna familia, vbi fratres inter se specialissimè coniunguntur ratione Filiationis in ordine ad Patrem vnum, ideoque specialibus bonis, & commodis inter se perfruuntur. Haud secus in proposito nostro. Quantumuis fideles inter se vniantur, & coniungantur, hoc tamen latissimè fit ratione habitus charitatis, ideòque latissima est participatio, & communicatio bonorum Operum. Cum verò specialiter inter se Confratres euadunt, sub vnica Cælesti Matre, necesse est ratione huius Filiationis, specialem intercedere communicationem, quandoquidem speciale sit vinculum & coniunctio. Quod optimè S. Thomas explicat, dicens; dupliciter contingere quempiam in alterius operibus bonis participare: Primò, propter (inquit) communicationem in radice operis, quæ est charitas in operibus meritorijs: vnde omnes, qui inuicem charitate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant. Alio modo (ait) ex intentione facientis, qui aliqua opera specialiter ad hoc facit, vt talibus prosint: vnde ista opera quodammodo efficiuntur eorum, pro quibus fiunt, quasi eis à faciente collata: vnde possunt eis valere, vel ad impletionem satisfactionis, vel ad quidquid huiusmodi, &c.*

62 *Quapropter aduertant Confratrès, quàm bonum sit, & quàm iucundum, sub huius Confraternitatis domicilio habitare in vnum: non enim dictu facile est, quot gratijs, & beneficijs ratione huius communicationis efficiantur participes. Satis faciunt enim pro pœnis temporalibus, & in Purgatorio luendis de condigno (vt aiunt) sicut ac si ipsimet illa opera exercerent, &c.* Quod certè non habetur virtute Communionis generalis Sanctorum, & Ecclesiæ præcise, quia talis fructus Satisfactionis pretiosissimus, requirit applicationem, & intentionem specialem operantis, qualis per se non inclusa est (ex communi ac certa doctrina *S. Thomæ* apud *Ruteum* supra, & alios communiter) in Communione Sanctorum; quia ista sine particulari applicatione participatur, *ipso iure & facto*, inclusa verò est in speciali communicatione per Gratiosas, prout iam constat (& meliùs constabit ex sequentibus) At hæc non est illa, prout apertè affirmat *Hyeron. Gratianus in Tract. de Iubilæo Anni Sancti, par. 1. c.4.* Sequentibus verbis: *Non simus desides, nos miseri mortales in rogandis Dei seruis, vt nobis sua opera communicent, & in procurandis litteris Fraternitatis Religionum, atque aliarum Confraternitatum, vnde hic fructus Satisfactionum bonorum ipsorum operum, ad diminuendas tam graues Purgatorij pœnas deriuat. Neque sint ipsi in concedendis parci, aut difficiles, quia si nobis largiuntur, satisfactionum suarum eleemosinas, ipsi maius gloria adipiscuntur præmium; faciunt enim vnum ex maioribus misericordia operibus, Deoque gratioribus, quod fieri possit. Hæc autem bonorum operum Communicatio, de qua modo loquor, non est illa vniuersalis, quam inter se habent omnes Iusti, de qua dicit David; Particeps ego sum omnium timentium te, & in Symbolo Apostolorum, vocatur Sanctorum Communio. Illa quippe iuuat ad impetrandos à Deo fauores pro alijs, quin Iustus propterea de suo quidquam deperdat; adeò grata Domino Deo sunt opera Iustorum omnium, vt per ea moueatur ad benefaciendum alijs; & multoties, gratias, ac fauores conferat peccatoribus, eò quod Consanguinei, aut Parentes sint, vel vnius Iusti, vel ab hoc ei commendati. Et sicut quandoque Rex, cui Capitaneus suus insigne præstitit seruitium, mouetur ad largiendum fauores omnibus illius Consanguineis, non ijs solùm, qui ipsi fuere fideles; sed sæpe numerò etiam illis, qui sui erant inimici, si dependentiam aliquam habeant à dicto Capitaneo, porrigit occasionem, qua amicitiam redintegrare, & in gratiam suam redire valeant, vt eos fauoribus prosequi possit. Idipsum, & non minùs efficere apud Deum potest opus bonum, seu seruitium Suæ Maiestati à Iusto aliquo exhibitum.* At omnis iste fructus percipitur absque hoc, quòd ille se priuet (prout bene ait citatus Author) in re minima, per solam generalem impetrationem, & est fructus vniuersalis, qui prouenit à Communione Sanctorum, ac Ecclesiæ ipso iure, & facto, exclusa videlicet etiam applicatione particulari bonorum operum; nam ista est solùm absolutè inclusa in communicatione per Gratiosas, & affert secum fructum pretiosissimum satis-

factionis supra dictum, qui absolutè, & præcisè non habetur in virtute solius Communionis Sanctorum: hinc bene dicit *Gratianus loco cit.* quòd ista non sit illa; Consequenter illa non est superflua; quia insuper alium nouum fructum adfert super Communionem Sanctorum, & Ecclesiæ, & est *Fructus momenti plurimi, & specialissimi* (ait supra cit. *Cyprianus à S. Maria*) quæ dum prouenit ista Communicatio, & participatio bonorum operum, per Gratiosas à speciali voluntate, ac intentione, seu applicatione dictorum operum, item ab intentione particularis amoris, ac sanctæ charitatis erga amicos nostros, ac benefactores, eleuat ista chariras, ac particularis intentio, & applicatio, nostra opera bona, ad maiores fructus Spirituales, prout etiam *Ruteus* docet *de Particip. q. 1. sect. 2. n. 15. Hac enim charitas* (ait) *qua alios nostrorum operum participes reddimus, plurimum actiones nostras eleuat*. Imò ita eleuat, nobilitat, ac exaltat, vt sine ista (*teste S. Chrysost. hom. 79. ad Pop. Antioch. apud Ruteum in fine cit. num. 159.*) *Nullum meritum esse magnum posset: nisi enim lucrum, & alijs communicarent, siue ieiunans maneas, siue dormiens humi, siue fauillam comedas; siue lugeas continuè, & nulli prosis alteri, nil magnum efficis.* Hinc est, quòd etsi generalis Communio Sanctorum, & particularis Gratiosarum, ita sint vnitæ, quod videantur in vnum confusæ, imò eadem res, hoc tamen non ita se habet, quamuis vna sit fundata super altera, hoc est, particularis Ordinum per Gratiosas, super Generalem Sanctorum, ac Ecclesiæ. *Specialis hæc Communio Religionum* (ait *Ruteus qu. 1. sect. 4. n. 18. in fine*) *fundamentum habet in Generali Communione Sanctorum, explicata per nonum Symboli Articulum, Communionem Sanctorum*. Vnde particularis Communio Gratiosarum, non tantùm non est superflua, sed logicè, & Mætaphisicè loquendo, adiungit insuper certum gradum, & differentiam particularem ad Communionem Sanctorum, & Ecclesiæ, contineturque in ista, sicut species in suo genere, prout similiter affirmat *Ruteus qu. 6. sect. 3. num. 11.* ita dicendo: *Communicatio bonorum, & meritorum Religionis, quam Prælati Regulares per Chartas Filiationis faciunt, est species quædam Communionis Sanctorum, magis tamen ad particulare corpus Religionis restricta, quæ in Generali Communione, tanquam species in suo genere continetur.* Quod simili modo repetit *q. 8. sect. 1. num. 3. in fine* prout sequitur. *Per Litteras Filiationum plurimum stabilitur Nonus Symboli Apostolici Articulus, Credo Communionem Sanctorum, in quo Communicatio Religionum tamquam species in genere continetur*: Concludit postea, *Et conformiter ad sensum communem Ecclesiæ, in dicta Communione Sanctorum, explicatur.* Optima conclusio, quia re ipsa *In Communione Sanctorum, communicatio Religionum explicatur.* Ecce quàm clarè! In Ecclesia Dei semper fuit, & est communicatio (prout in principio huius dubij dictum est) bonorum operum, quæ significatur per Articulum Communionis Sanctorum: nunc ergo sicuti in tota Ecclesia semper fuit ista Generalis Cõmunio omnium operum bonorum inter omnes fideles, veluti inter membra varia eiusdem Mystici Corporis: Similiter fuit vna alia similis huic, & est in omnibus Ordinibus Regularibus, tam inter ipsos Ordinis Religiosos, ceu propria, & proxima membra; quam inter alios eidem Ordini per Litteras Gratiosas incorporatos, ac adscriptos, quia sicut omnes fideles constituunt vnum corpus Mysticum, videlicet Ecclesiam, sic sub ipsa, Ordines, & Congregationes, sua Corpora veluti partialia, ac Ecclesiæ subordinata, constituunt: itaut ad imitationem Communionis Generalis Sanctorum, in Religionibus, ac Congregationibus, inueniatur vna certa alia specialis, similiter bonorum Operum communicatio præter illam Generalem. Communio Sanctorum comprehendit omnes fideles, hoc est totum corpus Ecclesiæ in quo per connexionem membrorum, & vnitatem Corporis Mystici reperitur aliqua communicatio spiritualis iuxta omnes effectus supra enumeratos. Particularis Communio Religionum, comprehendit omnes Ordines Religiosorum, omnesque Congregationes cum incorporatis ipsorum per Litteras Gratiosas, faciendo (prout dictum est) per se, quælibet illarum cum suis proprijs, naturalibus (vt ita loquar) filijs, simul & Adscititijs (quasi proprijs membris) vnum Cor-

Corpus particulare Mysticum, in quo respectiuè omnia reperiuntur, quæ ad cõstituendum illud tale necessaria sunt, simul cum omnibus proprijs eiusdem effectibus: & tali quidem modo, quòd sicut membra vnius Religionis tàm propria, quàm Adscripta, dupliciter ingrediuntur ad Compositionem alicuius corporis Mystici: Sic etiam dupliciter participant de aliorum fructibus, ac bonis spiritualibus, videlicet, & veluti membra Corporis Ecclesiæ Vniuersalis, vi cuius, & influunt, & recipiunt varios fructus spirituales, vna cum alijs fidelibus in communi; & insuper veluti membra suæ Religionis, quæ similiter constituendo vnum Corpus speciale in se, & suis membris, proprios habet effectus, & particulares influxus, mutuam videlicet spiritualem communicationem inter sua solùm membra, distinctam ab illa, quæ est inter reliqua membra Ecclesiæ Vniuersalis. Ex his itaque clarè apparet differentia inter istas duas communiones. Communio enim Sanctorum, habet radicem suam, & consistentiam in vniuersali Corpore Ecclesia: Altera Religionum, in Corpore particulari Ordinum Religiosorum, aut aliarum particularium Congregationum, quod totum sicut nos hic, docet etiam *Ruteus q.2. sect.2. nu.8.* sic scribens: *Nota Communionem Sanctorum comprahëdere omnes fideles, seu totum Corpus Ecclesiæ, in quo ob connexionem membrorum, & vnitatem Corporis Mystici, reperitur Communicatio in omnibus effectibus supradictis. Sub illo autem Magno Corpore Ecclesiæ reperiuntur diuersæ Congregationes, quæ Mysticum etiam aliud Corpus cum suis membris constituunt, vt sunt omnes Ordines Religiosi, in quibus reperiuntur omnia, ad Compositionem vnius particularis Corporis requisita, vna cum illius effectibus; ita vt membra alicuius Religionis, dupliciter ingrediãtur compositionem Mystici Corporis: primò enim sunt membra Corporis Ecclesiæ, vna cum omnibus Fidelibus, & exinde influunt, & recipiunt varios fructus, æquè ac alij fideles. Secundò, sunt membra suæ Religionis, quæ speciale etiam Corpus constituit, in quo proportionaliter reperiuntur quidam influxus, & Communicationes mutuæ inter ipsa membra, distinctæ ab ijs quæ sunt in toto corpore Ecclesiæ. Vnde patet differentiam inter hæc duo, radicaliter consistere in hoc, quod Communio Sanctorum sit in toto Corpore Ecclesiæ; Participationes verò in Corpore Ordinum Religiosorum, & aliarum particularium Congregationum.*

Et quamuis radicaliter tam vna, quam altera, recognoscat pro fundamento propriæ Communicationis, aut Communicabilitatis, vnionem, *quæ fit per charitatem* prout *Corduba ait in Quæstionario Theologico lib.5. qu. 42. pag. mihi* 483. Eò, quòd fideles per vnionem spiritualem, quæ suam originem à charitate trahit, sint in Communione bonorum spiritualium inter se vniti, & quasi ex contractu Societatis vicissim participent, iuxta illud *Dauidis* 118. *Particeps ego sum omnium timentium te:* vnde lucrum vnius cedit quoque in lucrum omnium reliquorum, quod similiter notat idem *Corduba l. cit.* dum loquendo de communione Generali Sanctorum, & Ecclesiæ, sic subiungit; *Sicut enim cùm inter aliquos est contracta Societas omnium bonorum, quidquid vnus lucratur, est omnibus commune, sic in proposito spiritualiter, quia charitas est Spiritualis amicitia, & Societas, connectens membra Ecclesiæ. Et Peyrinus de Prælato q.3. c.6. num. 6. versu Noto 8.* sic ait: *Est enim vna omnium Fidelium Vniuersalis Ecclesia, charitate coniuncta, quæ est Societas, & amicitia spiritualis; vnde sicut in societate temporali de lucro vnius participant cæteri; ita in amicitia spirituali.* Loquendo deinde de communione particulari per Gratiosas, *Ruteus qu.1. sect.1. n.1.* de ea idem affirmat dicendo: *Prælati Ordinum, quos recipiunt ad participium meritorum Ordinis, vocant Fratres, & incorporant Ordini, fiuntque illius membrum, sicut ipsi Religiosi, & initur quædam spiritualis societas, quia sicut in contractu societatis inter mercatores omnia lucra sunt communia, ita per hanc incorporationem fit quadam Societas: qua omnia suo modo redduntur communia.* Quamuis itaque (inquam) quælibet istarum Communionum tam Generalis Sanctorum, qnam particularis per Gratiosas, fundata sit in vnione spirituali, *quæ fit per Charitatem*, nihilominus tamen *specialior est (ait Paulus ab Omnibus Sanctis supra cit.) & adhuc maior*, altera per Gratiosas, præ illa prima Sanctorum, hæcque magis stringit, quam illa, ratione videlicet (ait Ille) strictioris vinculi, ac vnionis, *quæ omnium maxima est, quæ cernitur* (prout hic)

hic) *inter personas eiusdem familiæ, & Cognationis*. Idipsum etiam affirmat *Cyprianus à S. Maria in Thesauro Carmelitarum part.* 1. *c.* 21. dum sic ait: *Sicut enim in bene morata Domo, vel Familia, quilibet frater quicquid diuitiarum cumulat, non sibi soli, sed omnibus fratribus acquirit, aut in mercatura, qui Societatem quandam ineunt, non vni, sed omnibus lucrum cedit: ita dicendum nobis venit de Confratribus; cùm enim sub vnica Matre Filij sint, & speciali vinculo Confratres nostri, quicquid nos diuitiarum spiritualium conquirimus, non nobis solis, sed ipsis etiam acquirimus. Quod cùm ita sit, aduertendum est, quàm amplas, quàm ingentes necesse sit huiusmodi esse diuitias*: quod similiter bene aduertit *S. Thomas opusc.* 6. vbi loquendo de talibus fructibus specialibus, qui proueniunt ex dicto maiori vinculo, sic ait: *Qui in charitate viuit, particeps est omnis boni, quod fit in toto mundo*: Ecce communio Generalis Sanctorum) *sed tamen specialius illi, pro quibus fit aliquod bonum: nam vnus potest satisfacere pro alio: sicut patet in beneficijs, ad quæ plures Congregationes admittunt alios*: Et hæc est communio, & vnio particularis, quæ (vt ait S. Doctor) specialius confert bona, & beneficia spiritualia magis specialia: de qua specialitate loquendo etiam *Peyrinus de Prælato qu.* 3. *c.* 6. *n.* 2. *versu Noto* 1. ita ait. *Eò ipso quòd aliquis est peculiari modo membrū alicuius Religionis per Litteras Fraternitatis, merita illius Religionis valent apud Deum, vt ratione illorum conferat illi aliqua bona peculiari auxilio tanquam membro talis Religionis*. Cui conformia habet *Ruteus q.* 2. *sect.* 2. *n.* 9. dum sic ait: *Varij fructus oriuntur fidelibus per Communionem Sanctorum ex sola radice charitatis, in quibus nihil habent Religiosi, & illis vniti, supra alios fideles; quia tamen Ordines Religiosi componunt etiam Corpus speciale, ad imitationem corporis totius Ecclesiæ: ideo in illo Corpore subalterno, reperitur etiam inter eius membra vnio mutua charitatis, ita vt ex eadem radice charitatis, bona opera vnius prosint alijs, & Deus virtute illorum soleat alijs plura præstare beneficia*. At meliùs loquitur *q.* 6. *sect.* 5. *n.* 15. Vbi (ex doctrina *Nauarri Miscell.* 11. *de Rosar. n.* 3.) sic ait: *Specialis communicatio bonorum operum Religionis, adiuncta Communioni Sanctorum, multò facilius, & plura beneficia impetrare solet, imò specialem virtutem habet impetrandi, supra Communionem Sanctorum: non solùm, quia illam præsupponit, sed etiam, quia est strictior, quædam vnio, & maius vinculum Charitatis inter membra eiusdem Ordinis: vbi autem est maior vnio charitatis, ibi merita vnius efficacius prosunt alijs, tanquam speciali ratione illis aliquo modo appropriata*. Postea subiungit. *Sæpè Deus impeditur, ne conferat fructus ex Generali Communione Sanctorum propter varia peccata malorum fidelium. In speciali vero hac Communicatione Religionum, concurrunt ferè omnes boni Religiosi, & ex fidelibus recepti ad participium bonorum operum plures probiores, qui omnes proinde non haben: tam multa grauiora peccata, quæ impediant collationem prædictorum fructuum. Et hæc bene notanda; sæpè enim accidere potest, vt ob solam Communionem Sanctorum, effectus prædicti, aut eorum aliqui, non conferantur, quibusdam fidelibus, qui tamen tribuuntur ob specialem hanc Communicationem in bonis operibus alicuius Religionis*: Hucusque *Ruteus*. Ex quibus omnibus conuincentibus rationibus, authoritate Pontificum Summorum, Sacris insuper Concilijs, Sanctis Patribus, ac Theologis vna cum *Sancto Thoma*; euidenter constat, esse differentiam inter duas Communicationes, Generalem nimirùm Sanctorum, & specialem per Gratiosas. Consequenter non esse istam superfluam, etiam supposita altera, imò addere fructus proprios, & distinctos prouenientes etiam à distinctis principijs: prout bene *Ruteus q.* 2. *sect.* 2. *n.* 8. *in fine*. *Et hinc* (hoc est à differentia, ipsarum) *colligi possunt varij effectus vtriusque*. Effectus primæ, Communionis scilicet Generalis Sanctorum, assignauimus supra. Secundæ verò, specialis videlicet Communionis per Gratiosas, tractabimus infra Capitulo Septimo ex instituto. Quo cum conclusum sit hoc dubiū, & Primum pariter Caput. Sit itaque.

CA-

# CAPVT SECVNDVM.

## FORMA GRATIOSARVM.

64 ILIATIO SPIRITVALIS communicatur à Prælatis Regularium, per distributionem Litterarum certarum, quas *Gratiosas* vocant, prout notum est. *Per has inquam Litteras* ( ait ) *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea p. 3. cap. 4. n. 197.) Seu per distributiones illarum, fit participatio meritorum Ordinis*. Tractatur itaque in hoc Secundo Capite de forma earum Litterarum, alijsque ad illas spectantibus: Sit itaque.

### DVBIVM PRIMVM.

### *Quænam sint forma illarum, & an vniformes?*

RESpondeo, formam, qua aliquis, aut plures nominatim admittuntur ad participationem bonorum spiritualium Ordinis RR. PP. Theatinorum esse hanc sequentem.

*D. N. N. Congregationis Clericorum Regularium Præpositus Generalis.*
*Dilectis in Christo N. N. Salutem in Domino sempiternam.*

*Piam decet nostri instituti rationem, vt, quos nobis charitas nectit, eosdem, & bonorum communio iungat. Idcirco cùm vestram erga nostram Congregationem voluntatis propensionem cognouerimus maximam, cumque nobis significatum sit vobis summoperè iucundum fore, si bonorum omnium, quæ in eadem Congregatione, Deo auctore fiunt, compotes, ac participes faceremus, non potuimus, & beneuolentiæ, & honestæ postulationi, pioque desiderio vestro non satisfacere. Quapropter per has nostro Sigillo signatas Litteras, Vos in Carissimorum nostrorum numerum cooptamus; & cùm inter viuos, tùm inter mortuos numeramus, atque (Sacrificiorum, Precum, Horariarum, Meditationum, Vigiliarum, Ieiuniorum, Indulgentiarum, & denique bonorum omnium, quæ à Nobis fiunt, vel posthac fient, consortes volumus esse, atque participes.) Quoniam autem non nostris meritis, sed Dei ope, & gratia nitimur, fontem bonorum omnium Iesum Christum Dominum nostrum exoramus, vt de immenso bonorum suorum cumulo nostram ipse inopiam ditare dignetur. Vos verò, quo amplioribus huius nostræ Congregationis fructibus, meritisque potiamini, memores estote, Deum Optimum Maximum obsecrare, vt ipsam non modò tueatur, atque conseruet, sed in dies etiam merito, ac numero, auctam amplificet, ad suam laudem, & gloriam sempiternam. Dat. &c.*

*D. N. N. Præposit. Gen. Congreg. Cler. Regul.*
*Locus* ✠ *Sigilli.*
*D. N. N. Cler. Regularis Secretar.*

In alijs Religionibus, quales sint formæ Gratiosarum, quantum reperire, & habere potui, retuli præcedente Capite, specialiter dubio tertio, quæ vt apparet, non sunt omninò vniformes; imò fermè quælibet Religio suam specialem, & propriam habet, iuxta arbitrium, & beneplacitum Superiorum, à quibus distribuuntur; imò obseruaui, ab vna, & eadem Religione, duas diuersas formas Gratiosarum vsurpatas, ac modernam quidem longè magis grauem, & variam ab antiqua. Si quis autem desideraret Idæam, aut exemplar pro formatione Litteræ Gratiosæ, præter à me allatas, consulat *Peyrinum in suo Formulario, Littera P. cap. 1. & Bordonum resol. 84. n. 22.* Verum equidem etiam est, quòd Litteræ Gratiosæ Regularium, vniformes sint, & non sint: non sunt, quoad accidentalem tenorem verborum; ac modum: sunt autem, quoad substantiam, & contentum formale, *quia forma communiter est talis* (ait *Ruteus de Partic. pag. 1.) Tenore præsentium vobis damus plenam communionem Omnium Missarum, Suffragiorum, Orationum, Meditationum, Prædicationum, Abstinentiarum, omniumque bonorum quæ per singulos, & vniuersos nostræ Religionis Fratres, ac Sorores, vbique, & perpetuo fieri dederit Christus Dominus, vt talibus adiuti suffragijs, ac bonis operibus, hic augmentum Gratiæ, & in futuro vitam percipiatis æternam.* Quoad contentum substantiale itaque huius tenoris, quamuis alijs proponatur verbis, aut cum aliqua 65

D varie-

varietate exhibeatur, conueniunt denique omnes allatę Regularium Gratiosę, prout videre est; imò hæc est earum substantia, in quantum videlicet obiectum, & finis Prælatorum Regularium, alius per distributionem earum non intenditur, quàm communicare per ipsas omnia bona opera Spiritualia, iuxta allatum tenorem, & hæc est vnica illarum norma, & forma communis (ait *Ruteus q. 1. sect. 2. n. 8.* sequentibus verbis; *Nota Prælatos iuxta normam communem, dare alijs communicationem septem præcipuè bonorum Spiritualium, scilicet Missarum, Orationum, Suffragiorum, Meditationum, Prædicationum, Peregrinationum, abstinentiarum, & omnium bonorum.* Hinc ego concludo, Formam Gratiosarum in substantia, quoad concessionem videlicet, esse vniformem, in quantum omnes, communicant, & concedunt, idipsum, ergo in hoc omnes vniformes sunt.

66 Sunt præterea Gratiosæ insignitæ titulo(in principio)dignitatis Prælatorum, qui eas concedunt: firmatæ ab ipsis propria manu, sigillatæ sigillo Ordinis, ac dignitatis, subscriptę à Secretarijs ipsorum, ac notata die, qua datæ; omnes istæ circumstantiæ tales sunt, quæ probare possunt valorem dictarum Litterarum, easq; facere authenticas, quæ circũstantiæ, cùm omnes etiam reperiantur. (prout videre est) in præmissa nostra Gratiosa Littera Theatinaieam reddunt essentialiter, & authenticę bene formatã.

## DVBIVM SECVNDVM.

### *Vtrum Gratiosa possint Limitari?*

67 NOrma, & forma substantialis dictarum Gratiosarum, prout, declaratum est Dubio præcedenti, est vniformis, in quantum omnes conueniunt in communicatione illorum septem bonorum spiritualium enumeratorũ, imò in genere omnium bonorum Spiritualium Ordinis: nunc queritur, vtrum talis norma, & forma communicationis possint limitari?

Respondeo, quòd sic: quia Prælati Regulares in concessione illarum *gerunt personam totius Communitatis, sicut vnus particularis gerit personam suam, prout ex S. Th. in Addit. ad 3. p. q. 26. art. 1.* habetur. Iam sicut persona particularis potest iuxta suum beneplacitum applicare alijs limitatè sua bona opera, supra quæ habet integrum Dominium; concessionemque suam, vel restringere, vel dilatare ad suum arbitrium, sic id multò magis absq; omni dubio poterit facere Prælatus Regularis vi Dominij sui, in quantum est suorum Religiosorum Caput, potestatem habens supra bona opera ipsorum, illa distribuendi, & applicandi alijs magis, ac minus iuxta suum beneplacitum. Consequenter optimè ille poterit, & quilibet alius Prælatus Regularis, limitare solitam formam suarum Gratiosarum: Veruntamen id in vsu non est, Omnes modo vniformi concedi solent, ac ita etiam fieri debet, fugiendo partialitatem, ac omne particulare interesse.

## DVBIVM TERTIVM.

### *Quandonam in sua perfectione constituta?*

LItterę Filiationis Spiritualis continent gratiam, & singularem quidem, vnde Gratiosę dici solent quia videlicet secum efferunt gratiam participationis tãtorum bonorum Spiritualiũ. 69
Modo quęrimus hic quãdonam censeri debeant in suo perfecto esse constitutę, valoremque habeant communicandi?

In Capitulo, *Si eo tempore, de Rescriptis in 6.* Deciditur, quòd in concessione gratię debeat respici tempus dationis: Vnde iuxta hanc constitutionem videtur mox solui hoc dubium, quòd videlicet forma, aut Littera Gratiosa, in quantum gratia est, ab instanti suæ subscriptionis, seu vt vocant, *dationis*, habeat suum completum esse, & ab eodem instanti proueniat, quòd aliquis gaudeat effectiuè participatione bonorum Spiritualium, quæ per Gratiosam conceduntur.

Huic opponitur decisio *Rota, Decisione 458. ex Nouiss. apud Pasqualigum decis. 411.* in quantum affirmat, quòd ante expeditionem Litterarum, gratia sit res informis, ac imperfecta; consequenter non potest, (hoc supposito) in veritate dici, perfectam esse Spirituale Filiationẽ (quę pari

pari modo gratia est) & in suo esse formali, ac valore constitutam à tempore solùm, & instanti dationis. Sed hoc non obstante.

70 Respondeo ad dubium, & dico, Litteras Gratiosas habere suum perfectum esse formale, ac proprium valorem, mox vt signatæ sunt, & subscriptæ à Prælatis, qui ius concedendi habent. Vnde antequam illæ sint expeditæ, aut receptæ, iam reddunt ipso facto participes omnium bonorum Spiritualium Ordinis, personas, ad quas diriguntur, ipso videlicet instanti, quando subscribuntur, & signantur.

Prima probatio nostræ responsionis, sit Authoritas illorum, qui sustinent, Gratiam esse in suo esse Completo, & perfecto, subito ac est signata, & subscripta; suntque *Rota coram Burato decis.* 110. *num.* 112. vbi dicit: *Ad perfectionem Gratiæ sufficit, quod supplicatio signata fuerit absque expeditione Breuis*. Ibi adducuntur etiam aliæ duæ decisiones pro hac ipsa sententiã videlicet: *Caputaque, decis.* 88. *num.* 2. *p.* 3. *& Calciatensis decimarum*. 2. *Maij* 1614. *Suarez lib.* 8. *de Legibus cap.* 2. *num.* 2. *Sanchez lib.* 8. *de Matrimon. disput.* 29. *num.* 2. *Mol. de Iustit. tom.* 3. *disp.* 599. *num.* 1. *Bonacin. de Legibus disput.* 1. *qu.* 1. *punct.* 4. *num.* 49. *in fine*. *Pasqualig. decis.* 411. *n.* 2. *&* 3. alijque apud citatos.

71 Altera probatio desumitur ex ratione, quæ hic clara & euidens est: nimirum, quia Filiatio Spiritualis, seu Gratiosa, in quantum gratia est, aliam vllam causam efficientem agnoscit præter voluntatem Prælatorum Regularium concedentium; ergo posita ista, ac manifestata per signationem, & subscriptionem, vti supra dictum est, constituetur hæc in suo Completo esse, ac perfecto valore, consequenter cum suo immediato fructu, & effectu; quia eo ipso, quòd completa fuerit, & perfecta causa, mox eius etiam effectus completus erit ac perfectus.

72 Confirmo hanc ipsam rationem per hoc, quod D.D. Communiter docent, specialiter *Bonac. l. c.* quòd videlicet, gratia, aut priuilegium, validum sit, & perfectũ, statim ac ponitur Consensus, concedentis: *Priuilegium est validum posito consensu concedentis* (ait *Bonacin.*) qui immediatè subiungit: *& valida est in foro conscientiæ quælibet facultas concessa à Summo Pontifice, statim, ac supplicationem admisit subscripto verbo, Placet; aut Fiat: Cap. Institutiones* 25. *q.* 2. *& Clementin. Dudum §. nos enim de sepulturis*.

Expeditio postea Litterarum, non continet nouum aliquod Complementum gratiæ signatæ, & subscriptæ, sed solùm seruit pro foro externo, & vt authenticè constet de ipsa, quòd sit concessa. *Expeditio Litterarum* (ait etiam *Pasqualigo loc. cit. n.* 4.) *non continet aliquod complementum gratiæ, sed tantùm authenticationem in foro fori, & inseruit, vt auctoritatiuè constet de concessione*. Cęterum, Gratia, *prodest à puncto concessionis*, ait *Bonac. loco citato*: Sicque pariter in nostro casu, Filiatio Spiritualis, seu Gratiosa, ab ipso instanti, quo à Prælato Regulari signatur, & conceditur, immediatè iuuat, habetque suũ valorem & effectum communicationis bonorum Spiritualium Ordinis, quamuis nondum expedita sit illa Littera, nec recepta à persona ad quam dirigitur. 73

Hoc tamen limitandum est, quando videlicet vsus, & declaratio Superiorum non sit in contrarium: prout in formula Gratiosa *Patris Bordoni Generalis Tertij Ordinis S. Francisci* Reperio, in qua prout videre est, declaratur, quòd nullum habeat effectum, vel valorẽ, si in illa Gratiosa non solùm cõtineatur nomen eiusdem Patris Generalis, adiuncto paruo sigillo, sed quòd insuper debeat ab aliquo Religioso dicti Ordinis esse distributa, ex quo colligitur, quòd voluerit concedens suspendere valorem, & effectum suæ Gratiosæ, vsque ad ipsam factam actualem distributionem eiusdem, & quidem factam mediante aliquo Religioso dicti Ordinis, exhibeo hic formulã illius, desumptã ab ipso suo Originali: 74

*Fr. Franciscus Bordonus Parmensis, Religionis Tertij Ordinis S. Francisci: Magister, & Generalis.*

*Virtute præsentium Litterarum, & concessione facta per Felicis Recordationis Vrbanum Quintum in Filios Nostræ Religionis vos recipimus, ac participes facimus Missarum, Orationum, Vigiliarum, Ieiuniorum, Abstinantiarum, Obedientiarum, Mortificationum, Disciplinarum, Præ-*

*dicationum, Peregrinationum, Missionum, Obseruantiarum Regularium, Exercitiorum Spiritualium, & omnium aliorum bonorum operum, quæ (Deo fauente) in nostra fiunt Religione. Volumus autem Præsentes Litteras, valere sola Impressione nostri Nominis, cum singulari subsignatione nostri parui Sigilli, distributione facta per aliquem ex nostris Religiosis.*

*Fr. Franciscus Bordonus.*

Vltima huius Gratiosæ clausula, singularis est, quod videlicet nullum habeat valorem, si non distribuatur à Religioso eiusdem Ordinis.

## DVBIVM QVARTVM.

### *An sine Litteris Gratiosis, solis nimirum verbis, aut alia quauis Forma, consistere possit, aut concedi Filiatio Spiritualis?*

75 QVæritur an Filiatio Spiritualis effectum suum adæquatum nanciscatur, si ad eum, cui conceditur, consuetæ Litteræ Gratiosæ non expediantur; sed vel tertiæ alicui personæ scribatur, vt gratiam Filiationis concessionario factam indicet; vel verbis præcisè id ei significetur; aut Libro cuidam illius nomen inscribatur, aut denique alio quocunque modo?

Respondeo affirmatiuè; sufficit quippe, si oretenus tantùm à Prælato Regulari Ordinis Filiatio cuiquam concedatur, ad hoc vt ista esse suum immediatum, valorem integrum, atque effectum consequatur. Patet, quia ad valorem gratiæ neque Scriptura, neque subscriptio requiritur, sed sufficit (vt dictum præcedenti Dubio) consensus præcisus concedentis, qui sufficienter haberi potest per sola verba, absque omni scriptura, vt docent Authores communiter, deduciturque ex *Clement. Dudùm, verb. In quibus per ipsos, de sepult.* vbi sic habetur: *Vniuersa priuilegia, Gratias, vel Indulgentias, Verbo seu scripto, seu quacunque forma concessa.* Ex *Extrauagante: Etsi Dominici, de pœnitent, & remissione*; vbi dicitur: *Tam verbo, quàm scriptis confectis Litteris.* Et ex *Cap. Institutionis 25. quæst. 2.* in quo habetur ex Gregorio; *Sine qua in nostra præsentia videntur esse disposita.* Idque affirmant, *Glossa in dicta Clement. Nauarr. p. 2. Consil. tit. de Priuilegiis Conf. 1. num. 1. Molina tom. 3. de Iustit. disput. 599. num. 1. Suarez de Legib. lib. 8. cap. 2. numer. 2. Sanchez de Matrimonio tom. 1. disp. 25. nu. 10. Et tom. 3. disp. 29. n. 2. Pasqualig. Decis. 412. num. 1. Et quæst. 269. num. 2. Castro-Palao p. 1. de Priuilegiis Tract. 3. disput. 4. punct. 3. §. 1. num. 1.* aliique innumeri ab his citati, qui vnanimiter asserunt, ad esse formale gratiæ, eiusque valorem, absolutè non requiri vllam Scripturam; idque probatur.

Primò, quia omnis gratiæ valor, dependet (vt dictum) à concedentis voluntate, quæ verbis, aut alio quouis signo, æquè, ac scriptura manifestari potest. Vnde *Gabriel à S. Vincentio in tract. de Sacram. p. 3. de Sacram. Pœnit. disp. 13. qu. 8. pag. mihi 576. colum. 2.* proposita quæstione, an ad valorem Indulgentiarum (quæ & ipsæ sunt gratiæ) quodcunque concessionis signum sufficiat, affirmando respondet, in hæc verba: *Quæres, an ad concedendas Indulgentias, aliqua verba requirantur? Respondetur negatiuè, sed sufficiet quodlibet signum exterius, Indulgentiæ manifestatiuum, sicut etiam hoc requiritur, vt Indulgentia reuocetur.* 76

Secundò, quia is, qui largitur gratiam, ad largiendum eam non mouetur eo fine, vt Litteris, aut Scriptura exprimatur, quam sæpiùs nec vidit, nec legit; sed mouetur inde, quia scit petitam fuisse, cuius petitionis, dum considerat substantiam, & motiua concedendi, format Gratiosam voluntatem, & postulata concedit: Vnde gratia in suo esse perfecto iam consistit, antequam expediantur Litteræ, cùm à sola concedentis voluntate perfectionem suam obtineat. 77

Verum quidem est, quòd cum voluntas mente retenta, nihil operetur, *leg. si repetendi Cod. de condict. ob caus.* ideo, nisi concessio signo aliquo sensibili pandatur, gratiæ largitio igno- 78

ignorabitur. At sensibilis huiuscemodi concessio, in nostro casu, haberi poterit per hoc, quòd vel, mediante tertia persona, alteri intimetur, vel Libro ad hoc deputato inscribatur, aut verbis manifestetur, vt diximus, iuxta concedentis arbitrium. Imò *Gonzalez in Reg.8. Canc. Glossa 12. n.46. & 47.* cum alijs, quos ibi citat, dum loquitur de Gratia, à Pontifice, seu alio quouis Principe concessa, dicit: *Gratia concessa à Papa, vel alio Principe, solo verbo conficitur, absque aliqua Scriptura, & per solam verbalem collationem Ius acquiritur perfectum in re: Nam in lingua Principis stat Gratia, & in Scriptura testimonium.* Idem dic in casu nostro.

79 Tertiò: Quia Gratia est donatio, donatio autem in esse perfecto constituitur absque Litterarum exaratione; hæc quippe necessaria solùm est in testimonium, pro foro externo in Iudicio, ac casibus particularibus, vt videre licet apud citatos, aliosque Authores. Stat itaque conclusio probata, quòd à Prælato Regulari, absque solita Gratiosarum Litterarum forma, Filiatio Spiritualis, ac participatio bonorum operum haberi possit; sola videlicet communicandi voluntate, oretenus tantùm expressa, qua quis declaret, se Hunc verbi gr. recipere ad participationem bonorum Spiritualium sui Ordinis, quod absolutè sufficit.

## DVBIVM QVINTVM.

### *Vtrùm Filiatio Spiritualis, absque vlla sensibili forma, Communicari valeat?*

80 QVærimus, an quis verè in Filium Ordinis adoptetur, per hoc præcisè, quod Prælatus mente concesserit, & voluntate secreta communicauerit alicui bona spiritualia Ordinis; quin hunc mentis actum, aut verbis prodiderit, aut signo externo manifestarit?

Respondeo affirmatiuè: Idque inde, verum esse, patet, quia eodem modo, nulla scilicet mediante forma sensibili, participatur à Fidelibus Generalis Sanctorum, & Ecclesiæ Communio; igitur particularis quoque Religionum Communio pari modo participari poterit. Consequentia legitimè sequitur; vt enim nos *Dub. 6. Capit. præced.* diximus, & testatur *Ruteus qu. 6. sect. 3. numer. 11. Communicatio bonorum, & meritorum Religionis, est species Communionis Sanctorum, quæ in Generali Communione tanquam species in suo genere continetur.* Antecedens probatione non indiget, nam, iuxta eundem Authorem, *l. c. De fide est, quòd per Communionem Sanctorum omnia fidelium bona opera, & merita, suo modo prosint alijs, & in illis omnibus communicent; idque ex sola vnione charitatis; citra* (Nota) *expressam intentionem;* quòd multò plus est, vt prædicto *Dub. 6.* explicuimus: ad hoc enim, vt quis particeps efficiatur Communionis Sanctorum, sufficit, iuxta sententiam omnium Theologorum, & in specie *Corduba in Quæst. Theol. lib. 5. quæst. 42. puncto 1.* quod participans *sit membrum viuum per charitatem.* Vbi *Versu: Et nota:* asserit, quòd hæc participatio *Fit ratione vnionis per charitatem, etiam sine speciali intentione, & applicatione facientis ad ipsum participantem, iuxta illud Symboli, Credo Sanctorum Communionem, & illud Psalmi, 118. Particeps ego sum omnium timentium te.* Si ergo Generalis Sanctorum Communio, à fidelibus participatur, exclusa omni applicatione; cur non à fortiori particularis Religionum Filiatio, addita Prælatorum applicatione, participabitur, seclusa omni alia forma sensibili? Hanc eandem consequentiam, licet in ordine ad aliud propositum, deducit etiam *Ruteus quæstion. 6. sect. 5. numer. 13. in fine:* dum sic infert: *Sicut enim bona opera Iustorum citra aliquam intentionem prosunt ad certos effectus personis coniunctis: ita orationes, & suffragia Iustorum, speciali intentione applicata personis per charitatem coniunctis, specialem vim habent, cum sit quædam ratio vnitatis inter illos.*

Aduertunt tamen, in ordine ad nostrum propositum, *Paludanus, Corduba, Adrianus, & Aragonius, apud Ruteum loc. cit. n.14. in princip.* Quòd etiam virtute parti- 81

cularis Communicationis Religionum, quæ necessariò ex parte Prælatorum illam conferentium specialem requirit applicationem, varij impetrentur fructus, etiam citra intentionem operantium. Verba *Rutei* sunt: *Recepti ad participationem bonorum operum Religionis, recipiunt etiam varios fructus per impetrationem indirectam oriundos, citra aliquam intentionem operantis, quos enumerant Paludanus, in 4. dist. 45. quæst. 2. artic. 3. §. Quartò est aduertendum. Illa autem sunt, gaudium spirituale, dæmonum debilitatio; Cordis illuminatio per varias gratias præuenientes, quibus ad conuersionem, aut virtutum profectum excitantur; præseruatio à peccatis, & alijs malis spiritualibus, & corporalibus; collatio item variorum bonorum spiritualium, quæ omnia Deus ob merita Iustorum alijs solet liberaliter largiri, de quibus plura sunt in Sacra Scriptura testimonia, Gen. 30. Benedixit Dominus Laban propter Iacob. Et cap. 19. Recordatus Dominus Abrahæ, liberauit Loth de incendio Sodomæ. Et c. 18. Dixit eidem Abrahæ, quod parceret quinque Ciuitatibus, si inuenirentur in illis decem Iusti, &c.*

82 Pariter ego, vt Lector, qui huc fortè non reflexerit, obseruet velim, quòd etsi virtute Communionis generalis Sanctorum, absque particulari applicatione, Iustus aliquo modo particeps fiat omnium bonorum operum, ac meritorum omnium fidelium totius mundi, vt dictum superius *Dub. 6. præced. Cap.* docetque *Angelicus Doctor Opusc. 6.* sequentibus verbis: *Omnis qui incipit esse gratus Deo, gratia gratum faciente, incipit esse particeps bonorum, quæ in toto mundo sunt.* Caussam huius rei Generali Sanctorum Communioni adscribit *Nauarrus, de Rosario, Miscell. 11. Versu Tertiò quæritur, in fine*, dum ait: *Et meritò, quia, est Articulus fidei, explicatus in Symbolo Apostolorum; esse Sanctorum Communionem, & probatur per illud, Particeps ego sum omnium timentium te: Psal. 118.* Nihilominus, per hanc Generalem Communionem, non participatur, absque particulari applicatione, valor satisfactorius de iustitia, & de condigno; nunquam enim talis communicatio fit ipso Iure, sed vi tantummodò specialis applicationis; idque *Certum est in communi Theologia* (ait *Ruteus quæst. 6. sect. 3. num. 11.*) *bona opera vnius, non prodesse alteri, quoad effectum satisfactionis, nisi operans, id specialiter intendat.* Ratio est euidens, quia si quiuis peccator, cùm per pœnitentiam, Diuinæ gratiæ restituitur, ipso iure, vi Communionis Sanctorum, particeps fieret Thesauri Satisfactorij Ecclesiæ, absque vlla speciali eiusdem applicatione; sequeretur, quòd quamprimum absolutus foret à peccatis quoad culpam, & vnitus Christo Capiti, tanquam viuum membrum Ecclesiæ, eo ipso quoque immediatè liber esset ab omni debito pœnæ, peccatis suis debitæ. Sequela probatur: quia Thesaurus Ecclesiæ, quo ad vim satisfactoriam, est valoris infiniti: *Dispensatio* autem *communis Thesauri Ecclesiæ* (vt testatur etiam *Ruteus quæstion. 2. sect. 2. numer. 9. in princ.*) *qui inter Fideles distribuitur, est effectus Communionis Sanctorum.* Si ergo Thesaurus iste, qui, ob merita Christi in eo principaliter contenta, est valoris infiniti, citra specialem applicationem, ipso iure, & facto, participaretur à Iustis pro exsolutione pœnarum ipsis debitarum, ipso facto liberi forent ab omni reatu pœnæ, quòd dici non potest, vtpote *falsum, & hæreticum* (vt ait *Nauarrus loc. citato. Versu. Sed contra, &c.*) *contra Sacram Scripturam, & definitionem Concilij Trident. sess. 25. in Decreto de Indulgentijs. Nauarro* (qui hanc doctrinam asserit esse *Sancti Thomæ*) adstipulantur *Corduba in Quæst. Theol. lib. 5. de Indulg. qu. 42. princ. Vers. & Nota, in princip.* vbi ait; *Via satisfactionis, seu participium ad satisfactionem, requirit specialem intentionem, & applicationem eius; qui communicat tale opus satisfactorium alteri: ita quod nisi illi, seu illis sit applicata specialiter talis satisfactio, vel nisi sint illi recepti ad participandum de satisfactionibus alicuius personæ, seu Communitatis, non proderunt eis talia bona satisfactoria ad satisfaciendum pro suis peccatis. Quia aliàs sequeretur, quòd quicunque existens in charitate, esset immunis ab omni pœna propter infinitatem Thesauri Ecclesiæ, quem participant per Sacramenta; aut per Communionem Sanctorum ratione charitatis. Vel saltem sequeretur, quòd existens in maiori charitate, esset debitor minoris pœnæ, in hoc sæculo, & in futu-*

*futuro : quod patet esse falsum secundum Scotum in Vigesimo Quodlibeto. Ergo ex sola intentione facientis, seu applicantis; habetur participatio ad satisfaciendum.* Peyrinus *de Pralato quæst.3. c.6. n.3.* vbi citat etiam: *Rodriquez, Paludandum, & Sorbum,* aitque: *Ad participandum per modum satisfactionis, requiritur specialis intentio operantis, & specialis intentio Prælati applicantis tale bonum opus quoad valorem satisfactorum tali determinatæ personæ, alioqui sequeretur, quòd omnis peccator, eo ipso quòd fieret iustus, esset absolutus ab omni pœna suis peccatis condonatis debita; quia ad soluendas huiusmodi pœnas, infinitus meritorum Thesaurus est in Ecclesia, vt probat ex D. Thoma, & Palud. Nauarrus loc. cit. num. 2. Vers. Sed contra. Et Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea part. 3. cap. 2. num. 192. Vers. Secundum quod. pag. 277.* hisce verbis: *Quod requiritur ad debitam, & infallibilem pro alio satisfactionem, est specialis intentio, seu applicatio particularis illius, qui communicat opera sua satisfactoria alteri, ita vt nisi illi applicetur specialiter talis satisfactio, vel nisi recipiatur ad participandum de satisfactionibus certa alicuius personæ, seu Communitatis, siue Congregationis, non proderunt ei talia opera satisfactoria ipso iure, & infallibiliter ad satisfaciendum pro suis peccatis, ita Nauarrus loc. cit. asserens, hanc esse doctrinam S. Thomæ, ab Omnibus communiter receptam. Si enim sola applicatio generalis, & quæ procedit ex sola radice charitatis, sufficeret ad satisfaciendum ipso Iure, & facto pro altero, sequeretur, vt ait Paludanus in 4. dist. 45. quæst. 2. a. 1. quæst. 4. quod omnis peccator, eo ipso quòd fieret iustus, esset absolutus ab omni pena, suis peccatis, quoad culpam condonatis, debita: quia ad soluendas huiusmodi penas, infinitus meritorum Thesaurus est in Ecclesia, cùm in eo sit repositus etiam valor meritorum Christi, qua fuerunt infinita, vt habet Extrauag. Clementis VI. Vnigenitus de Penit. & remiss. & ita si ipso facto applicaretur ad soluendas penas, quas Iusti debent; ipso facto etiam ipsi absoluerentur ab eis, quod est falsum, & Hæreticum.*

83 Hæ duæ obseruationes, responsionem nostram ad præsens dubium datam, abundè probant. Continent enim, iuxta Catholicæ doctrinæ veritatem, quòd admissi ad communicationem bonorum spiritualium Ordinis, vi præcipuè intentionis operantium, aut Prælati applicantis, participes efficiantur ipso facto fructus satisfactorij bonorum Religionis; supposita igitur præfata mentali tantùm, concessione Prælati Regularis, habetur ipso facto perfecta Spiritualis Filiatio, absque vllis Litteris Gratiosis, aut alia quacunque sensibili forma. Consequentia hæc certa est, prout & ipsius antecedens. Argumento robur addit doctrina *Doctoris Angelici*, qui *in Addit. ad 3. part. quæst. 26. ar. 1.* Communicationem bonorum operum tripartitò distinguit; in *Generalem*, qua opera bona in beneficium totius Ecclesiæ ordinantur: In *Specialem*, qua applicantur Amicis, & Benefactoribus, prout fieri solet per Litteras Gratiosas à Prælatis Regularibus: Et in *Singularem*, qua quis determinatæ personæ valorem bonorum operum suorum applicat. Trinæ hæ Communicationes, iuxta mentem Angelici Doctoris, esse suum participant ab intentione, & interna applicatione, absque vlla dependentia ab alia externa forma; id verbis ipsiusmet clariùs patebit: *Opera (inquit) satisfactoria vnius, alteri computantur, non solùm ex vi charitatis, sed etiam ex vi alicuius:* quæ intentio *potest ad alterum dirigi tripliciter, aut in Generali, aut in Speciali, aut in Singulari. In singulari quidem, sicut cùm quis pro alio satisfacit determinatè, & sic quilibet poterit alteri sua opera communicare. In speciali autem, sicut cùm quis orat pro Congregatione sua, & familiaribus, & Benefactoribus, & ad hoc etiam ordinat sua opera satisfactoria: & sic ille, qui Congregationi præest, potest opera illa aly communicare, applicando intentionem illorum, qui sunt de Congregatione sua, ad hunc determinatè. Et in Generali: Sicut cùm quis opera sua ordinat ad bonum Ecclesiæ in generali: Et sic ille, qui præest Ecclesiæ, potest opera illa communicare, applicando intentionem suam ad hunc, vel ad illum. Et quia homo est pars Congregationis, & Congregatio pars Ecclesiæ, ideo in intentione priuati boni includitur intentio boni Congregationis, & boni totius Ecclesiæ: & ideo ille qui præest Ecclesiæ, poterit communicare ea, quæ sunt Congregationis, & huius hominis: & ille, qui præest Congregationi, potest communicare ea, quæ sunt huius hominis, sed non conuertitur.* Hucusque Doctor Angelicus. Ex cuius doctrina clarè patet, nullam formam externam, neque vllas Litteras, pro communi-

municatione tam actiua, quàm passiua bonorum operum, etiam virtutis satisfactiuæ, necessarias esse; sed ad summum requiri in casu nostro, siue internam operantis intentionem, siue Prælati applicationem. Conclusum itaque manet, vt supra iam diximus, quòd sicut in ipsa Communione Sanctorum, quæ est in tota Ecclesia, reperitur talis participatio, in qua etiam omnes dicuntur participare in bonis operibus aliorum, & tamen pro tali communicatione non requiritur, forma aliqua externa, aut vllum signum sensibile: sic neque requiratur in hac speciali communione bonorum operum Congregationis, & Religionis; adeoque absque vllis Litteris, aut quacunque sensibili forma, per mentalem præcisè Prælati Regularis concessionem, Spiritualis Filiatio cum omnimodo suo effectu haberi queat. Dixi non requiri Litteras Gratiosas, aliamue formam pro communicatione etiam passiua, id est ex parte illius, qui in Filium Ordinis assumitur; hic enim (nisi aliunde incapax fuerit) particeps fit Orationum, Satisfactionũ &c. quin earum recordetur, aut sibi applicet; sufficit enim virtualis ipsius, & interpretatiua acceptatio, quæ semper supponitur, ait *Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 48. sect. 3. num. 11.*

84 Aliam assumpti probationem deduco ex quadam *Bordoni* Decisione; is *Resolut. 84. quæst. 9. num. 17.* quærit, an Prælati Regulares, etiam defunctis conferre valeant Spiritualem Filiationem, Responderque affirmatiuè; rationem assignat, Quia *per eam communicant bona propria Religionis, existentia sub eorum potestate, & dominio; ergo possunt ea donare, cui voluerint, modò eorum sit capax; sed Animæ in Purgatorio talium bonorum sunt capaces, ergo etiam Filiationis Spiritualis*. Igitur potest (infero modò) Filiatio Spiritualis communicari non sensibiliter, sed mentaliter, sola voluntate, & applicatione interna Prælatorum Regularium; quod indubitatum est, quia reuerà alio modo, quàm mentaliter, defunctis communicari nequit.

85 At grauis in contrarium exurgit difficultas. Opponet enim quis: Filiatio Spiritualis inuoluit communicationem Indulgentiarum Ordinis; ergo sensibiliter dari debet, per Litteras videlicet, aliudue signum, debetque cognita esse ei, cui conceditur; Consequentia probatur, quia nemo lucratur Indulgentias, quas ignorat: Quod inde patet, quia, vt quis eas lucretur, adimplere debet, quæcunque à Summis Pontificibus, pro earum consecutione, præscripta sunt, & quidem cum intentione saltem virtuali, eas lucrandi, vt volunt *Corduba lib. 5. de Indulgent. quæst. 25. circa finem. Vers. Secundò requiritur. Rodriquez p. 1. summ. qu. 184. num. 7. & in Bullam Cruciatæ §. 8. num. 9. Bossius de Iubilæo sect. 4. Casu 10. num. 4. Passerinus de Indulgentijs q. 38. n. 294. & noster P. Alphonsus de Leone, de Iubilæo p. 2. n. 135.* alijque. Sed quomodo quis poterit habere eiusmodi intentionem, qui vel Indulgentias ignorauerit, vel si sciuerit, lucrari non cogitarit; aut qui penitùs ignorat, quòd Filiationis Ordinis factus sit particeps, cùm à Prælato mentaliter tantùm ei collata fuerit? Neque declinatur difficultas, si dicatur cum *Ruteo quæst. 2. sect. 2. n. 9.* non dari in Religionibus particularem Indulgentiarum Thesaurum, qui dispensetur à Prælatis per Gratiosas, sicut datur in Communione Sanctorum, & Ecclesiæ, quem Summus Pontifex dispensat: *Dispensatio communis Thesauri Ecclesiæ* (verba *Rutei* sunt) *est effectus Communionis Sanctorum: in Religionibus autem nullus est Thesaurus particularis constans ex superfluis Fratrum satisfactionibus per participationes dispensabilis à Prælatis*. Neque si cum eodem dicatur *Quæst. 3. sect. 1. num. 4.* Quòd *Prælati Regulares non habent potestatem ordinariam concedendi Indulgentias ex Thesauro Ecclesiæ* (cùm huius solus, & Supremus dispensator sit Summus Pontifex) *neque ex Thesauro particulari Religionis*, cùm iste non detur; atque sic cesset proposita difficultas, quæ seipsam soluit, si non admittatur, quòd per Gratiosas, præter alia bona spiritualia, etiam Indulgentiæ conferantur. Non, inquam, per hoc difficultati satisfactum est, quia negari nequit, quòd per Litteras Filiationis communicentur etiã Indulgentiæ Ordinis: quis enim istud negauerit, si ipsæmet Litteræ disertis verbis, id palam protestentur? videatur Gratiosa Theatina, quæ inter alia sic habet: *Consortes volumus esse, atque participes*,

*pes, Precum, Horariarum, Missarum, Meditationum, Vigiliarum, Ieiuniorum, Indulgentiarum &c.* Et illa PP. Carmelitarum Discalceatorum, quæ dicit: *Peculiari charitatis significatione complectentes, ad participationem omnium Priuilegiorum, Indulgentiarum &c. admittimus.* Licèt ergo verum sit, in Religionibus non inueniri Thesaurum particularem ex superfluis Fratrum satisfactionibus, à Prælatis dispensabilem; neque hos habere potestatem ordinariam concedendi Indulgentias ex Thesauro Ecclesiæ, sed tantùm Summus Pontifex: *Habere tamen possunt delegatam* à Summo Pontifice, ait *Ruteus n. 4. cit. & de facto Pontifex dedit potestatem Regularibus concedendi certas Indulgentias*, quòd per Gratiosas fieri concessit *Vrbanus V.* nimitùm *vt Generales & Prouinciales totius Ordinis Minorum, possint communicare Suffragia, Indulgentias, Orationes, & bona spiritualia*, vt refert *Cæsarubius in Compendio Priuil. Verbo Indulgentiæ quoad sæculares quarto, num. 6.* Quæ concessio per participationem extenditur ad omnes Regulares. Igitur difficultas adhuc in suo robore permanet, quam tamen facilè effugere possem, dicendo, Prælatos, quando mentaliter solùm conferunt bona spiritualia Ordinis, non conferre vnà Indulgentias, ratione impossibilitatis, & ob incapacitatem passiuam in obiectione propositam. At tam eneruiter nolo me defendere: Quapropter audactèt:

Respondeo ad difficultatem, quod mentaliter solùm admissus ad Filiationem Spiritualem, non minus, quàm assumptus per consuetas Litteras Gratiosas, participat vnà cum alijs fructibus etiam Indulgentias Ordinis, si tamen à Pontifice iniuncta opera, adimpleuerit, sine quibus nihil fiet; cùm concessio Indulgentiarum, iuxta Doctores, præsertim *Gobat de Iubilæo cap. 12. num. 79. Sit contractus quasi innominatus, do, vt facias.*

86 At hæc responsio (subinferet quispiam) nulla esse videtur, cùm eadem recurrat difficultas; si enim mentaliter assumptus ad Filiationem, vt Indulgentias consequatur, adimplere debet iniuncta à Summis Pontificibus, & quidem cum intentione saltem virtuali illas lucrandi, quæ nimirùm ex formali præcedenti perseueret; aliàs (inquiunt illi apud *Adamum Burghaber Centur. 2. num. 91.*) *lucraretur aliquis Indulgentias, etiamsi nesciret, has se habere; & lucrari posset, modò requisitum opus præstaret*, certè virtualis hæc intentio nunquam haberi, aut supponi potest in eo, qui inscius, participat Filiationem Spiritualem, dum adimplet quodpiam iniunctorum operum, si priùs nunquam habuit actualem intentionem, ea adimplendi eo fine, vt Indulgentias Ordinis consequatur, cùm nec somniate potuerit, se ad earum participationem admissum fuisse. Cæterùm, si, ad lucrandum Indulgentias, sufficeret, materialiter adimplere iniuncta opera, citrà vllam earumdem præuiam notitiam, aut eas lucrandi intentionem; lucrari quis etiam Iubilæum posset, modò tempore præscripto ieiunaret, licèt nullam prorsùs de Iubilæo notitiam, neque vllam illud lucrandi intentionem habuisset, quòd admitti nullatenus potest, maximè in sententia præfatorum, aliorumq; Authorum, qui necessariò requirunt intentionem saltem virtualem, quæ videlicet ex formali præcedenti perseueret.

Porrò vrgetur difficultas ex eo, quòd 87
ex *Lugone de Pœnit. disp. 27. sect. 6. num. 82. in fine*, obseruat *Gobat loc. cit.* Quòd nonnunquam Summi Pontifices, dum concedunt Indulgentias, præscribunt operibus certam intentionem, v.g. contra imminentia pericula, pro necessitate, auxilio Domini impetrando &c. Qui autem non orat, aut operatur cum præfixa intentione, haud dubiè non lucratur Indulgentias; quia *Opus implendum est secundùm formam specificam*, ait *Grassus*, & alij, apud citatum *Gobat*. Necessaria igitur est intentio, & consequenter perfecta notitia Indulgentiarum, ad lucrandum eas: ex quo sequitur, non subsistere nostram assertionem, nec possibilem esse casum, quo in actum redigi queat.

Nunquam hoc dico ego, imò totum 88
contrariù. Quapropter reassumo denuo responsionem meam, ac dico; quòd (excepto casu, quo Pontifex operi iniuncto specialem præscribit intentionem) de cetero, quotiescunque mentaliter tantùm assumptus in Filium Ordinis, iniuncta

iuncta præstabit, licet nullam prorsùs Indulgentiarum notitiam habuerit, neque eas lucrandi intentionem, lucrabitur tamen Indulgentias. Huic meæ assertioni, suffragatur *Cardinalis de Lugo loc.cit. n.81. & 82.* Per hæc verba: *Dummodo non exigantur opera pro aliqua speciali necessitate applicanda, v.g. Orationes pro auxilio Diuino implorando contra talia pericula imminentia (tunc enim non potest fieri opus cum tali intentione, sine aliqua illius notitia) fateor, me non inuenire rationem conuincentem ad dicendum, quòd necesse sit scire, vel intendere lucrari Indulgentiam*, ita *Eminentiss. Lugo*, cuius sententiam, nostramq; simul opinionem acriùs præterea defendunt.

89 *Portellus de Dubijs Regul.Verbo Indulgentia, in Addit.num.7.* vbi ait: *Ego credo absolutè; ignorantem Indulgentiam, illam lucrari. Moueor primò, quia sic audiui ex ore proprio quondam à Patre Molina Magistro meo, &c.* Ibidemque concludit: *Ergo satisfiet præcepto imposito pro faciendis rebus iniunctis pro Indulgentia, etiam si quis careat intentione actuali, vel virtuali eam lucrandi, &c. Suarez in 3.par. tom.4. disp.56.sect.1. num.7.* Qui rotundè asserit: *Non esse necessarium, vt is cui Indulgentia conceditur, percipiat, & intelligat, sibi concedi. Layman lib.5. Theol. Moralis, tract.7.cap.6. num.9.* Qui etiam expressè asseuerat: *Certum esse debet, ad lucrandum Indulgentias, non requiri actualem voluntatem siue intentionem lucrantis, sed satis esse habitualem, aut interpretatiuam; cùm enim vnus Iustus alteri Iusto, etiam ignoranti satisfactiones suas applicare possit, cur non etiam satisfactiones Christi, & Sanctorum per Indulgentiam?* Vbi vides: *Laymannum* non solùm nobiscum sentire, sed etiam contra aduersarium nostrum argumentari.

90 *Sanctarellus, Tractatu de Iubilæo cap. 15. dub.4.* Vbi proposita quæstione: *An ille, qui visitat Ecclesiam, lucraturus certam aliquam Indulgentiam, si nesciat alias præterea eidem Ecclesiæ esse concessas, lucretur omnes?* Respondet affirmatiuè, citatque *Hieronymum Gratianum par.1. c.15.* Rationem quoque assignat, *quia* nimirùm *Indulgentiæ tantùm valent, quantum sonant; suntque gratiæ, fauores, & priuilegia, non autem odiosum quid, aut damnosum, vnde ampliari debent, non restringi. Quare, si in Bulla dicatur, quòd si quis visitauerit aliquam Ecclesiam, lucrabitur Indulgentias plenarias, & liberabit vnam Animam ex Purgatorio: Etsi aliquis non recordetur Animarum Purgatorij, neque de hac gratia aliquid nesciat, nihilominus eam liberabit; nam neque memoria, neque scientia visitantis Ecclesiam, adaugent, vel diminuunt Indulgentiarum valorem. Pariter, si quis habeat numisma benedictum, quo plures lucrari potest Indulgentias, omnes lucrabitur, quantumuis neque earum recordetur, nec de ijs sciat, Gratian. De Iubil.par. 1.c.15. Thesaurus quippe meritorum Christi, & Sanctorum, qui à Pontifice applicatur, tot adfert fructus, quot ille declarat & concedit, dicentibus v.g. Coronam, aut aliud pium opus, ab eo præceptum, peragentibus: & horum peractor, licèt notitiam nō habeat omnium fructuum ipsi applicatorum, non proinde desinit eos lucrari. Sicut etiam Diuina gratia multos operatur in Anima fructus, quamuis ille, qui eam recipit, ipsos ignoret: Ita Indulgentia acquisita, multos causat fructus, & effectus, licèt is, qui eam acquisiuit, talium fructuum notitiam non habeat.* Hæc *Sanctarellus loc. cit.*

*Diana Coordinatus tom.1.tract.6. resol.10. num.* 3. Vbi loquitur de Indulgentia plenaria ab *Adriano VI.* concessa omnibus & singulis Christi Fidelibus, qui vesperi, audito pulsu, recitauerint ter Salutationem Angelicam; ait: *Et hanc Indulgentiam lucrari omnes Christi fideles, etiamsi illam ignorent, satis alibi probaui ex Molina, Portel, & alijs, quibus nunc addo, me citato, Martinum de S.Ioseph, in Monita Confessariorum tom. 1. lib.1. tract. 6. De Indulgentijs num. 8. Escobar in Theolog. Moral. tract. 7. Excomm. 5. cap.8. num. 54. Thomam Leonardum Dominicanum in Thesauro Sacratissimi Rosarij &c. Ex quibus patet, vt diximus, omnes Christi fideles lucrari Indulgentiam plenariam, recitando post Solis occasum tria Aue Maria cum versiculis solitis, etiamsi nescirent, quòd recitantibus illas salutationes Angelicas, Summus Pontifex concesserit Indulgentiam plenariam.* Ita *Diana l. c.* 91

Qui itidem *tom.5. tract.5. resol.18.* Quærit, an pro adipiscenda aliqua Indulgentia, sufficiat, implere iniuncta opera, licèt is, qui ea facit, ignoret, adimplenti concessam esse Indulgentiam? Responderque affirmatiuè, ac citat pro hac sententia *Salas de Legibus, disp.17.c.5. in princ. Villalob. in Summ. tom.1. tra.26. difficult.13. n.9.* Quibus ego addo *Quintanad. tract. 9. in Appendice ad Iubilæa pro mortis articulo dub. 4.num.1.in fine,* Vbi huic opinioni suffragatur, cum prædicta tamen limitatione

*Lugo-*

*Lugonis*, per hæc verba: *Assentiar cum limitatione, quam Lugo addit, disp. 27. sect. 6. num. 82. Dummodo verò non exigantur certa opera pro aliqua speciali necessitate applicanda; non potest enim tunc opus fieri cum tali limitatione, sine aliqua illius notitia*. Et paulò post *num. 2.* probat denuò, approbatque hanc opinionem. *Pellizzarius in Manual. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. 250. & de Monial. cap. 9. num. 40. Vers. Assero 6. P. Verricellius noster tract. 5. Moral. & Legal. quæst. 5. n. 185. Petrus Prost in Spicilegio Theologico de Iubilæo cap. 15. dub. 4. Dicastillo* apud, & cum *Adamo Burghaber loc. cit. Vers. Respond. Valuisse. Gobat de Indulgent. part. 1. cap. 14. num. 163.* Et deinde *num. 164.* excipit casum *Lugonis* tantùm, vt supra. *Leander part. 1. tra. 1. disp. 14. quæst. 37. Pasqualigo noster in Praxi Magni Iubilæi q. 34. num. 4. Bassæus tom. 2. Verbo Indulgentia, num. 14. & noster P. Quarti, Tract. de Iubilæo Anni Sancti, pag. 143. Vers. Respondeo igitur*. Vbi asserit, *Huic opinioni standum esse, vtpote probabiliori, & magis fundatæ*. Porrò vltrà rationes à Doctoribus superiùs allatas.

92 Probatur primò; quia, cùm Pontifex concedit Indulgentiam, eam concedit absolutè, ei, qui præcise tale, vel tale opus adimpleuerit, independenter ab operantis intentione, cùm Indulgentia aliud non sit, quàm relaxatio pœnæ, sub conditione operis iniuncti: pœna autem ex sua natura est relaxabilis independenter ab intentione illius, cui relaxatur, cùm intentio operantis influere non debeat, neque operari circa relaxationem. Igitur si Pontifex concedit Indulgentiam, concessa fuisse, censenda est, independenter ab intentione illius, qui eam lucrari potest. Consequentia est clara, quia vt bene notant apud *P. Pasqualigo l. c. num. 5. in fine. Alciatus de Præsumpt. Reg. 3. præsumpt. 32. num. 9. Menado in Resp. Constit. Regni in aliquibus init. num. 20. Menoch. cons. 331. num. 35.* Omnis concessio facta censetur iuxta rei concessæ naturam; quare cùm neque natura Indulgentiæ, neque formula Bullæ, vllam exigat intentionem, concludendum est in fauorem nostræ sententiæ; prout concludit *P. Quarti loc. cit.* Hisce verbis: *Quando tractatur de remittendis pœnis, aut vt quis à soluendo suo debito liberetur, sicut in præsenti contingit casu; si alius pro me soluit creditorem, etiam me inscio; Liber euado ab illo debito, quamuis nullam soluendi intentionem habuerim. Vnde infertur, rectè facere illos, qui secum semper gestant diuersa Numismata benedicta, Coronas, Rosaria &c. Quia quando dicunt Rosarium, Officium &c. plures lucrantur Indulgentias, quamuis illas ignorent*.

Secundò, quia quodlibet opus bonũ, factum in gratia, præsertim si fuerit pœnale (vt norunt Theologi) vltra gratiæ portionem, quam semper meretur, satisfacit quoque pro certa portione pœnæ in Purgatorio debitæ: quamuis operans meritoriè, neque actualiter, neque virtualiter, dum operatur, talem satisfactionem intendat: imò affirmant *Portellus, & Bassæus, locis citatis, quod multi, imò plerique sæculares id ignorent*. Cùm ergo Indulgentia suppleat defectum nostrorum operum satisfactoriorum; quoad Purgatorij pœnas, sitque eiusdem conditionis, cuius sunt opera ad lucrandum eam iniuncta, vt satisfactionem videlicet pro Purgatorij pœnis præstent; clarum est, quòd talis pœnarum exsolutio haberi possit, quin intendatur, vel sciatur, multò minùs Indulgentiæ quis recordetur. 93

Tertiò, quia Summus Pontifex sæpe concedit Indulgentiam plenariam moribundis, sensibus iam destitutis, qui nihil ampliùs percipiunt, neque sciunt talem gratiam sibi factam esse; & tamen illam lucrantur: ergo ad lucrandum Indulgentiam neque actualis, neque virtualis intentio necessaria est. Vnde *Pasqualigo loc. cit. num. 10.* dicit, Indulgentias concessas moribundis, & pro quibus non iniungitur opus aliquod peragendum, ipsis applicari posse; etiam sensibus iam destitutis, quamuis priùs illas nunquam petierint, vt apud eundem affirmant *Suarez, Acosta, Rodriquez, Villalob. Quintanaduen. & Bonacina*, cùm sufficiat, quòd Indulgentiarum capaces, nimirum in statu gratiæ sint; si vero non essent, non propterea (ait *P. Pasqualigo*) committitur sacrilegium: Vnde etiam applicari poterunt phreneticis, Amentibus, & quibuscunque baptizatis. 94

Quartò, in Compendijs Regularium, præsertim Mendicantium, multæ inueniuntur Indulgentiæ, sæcularibus, qui eorum visitant Ecclesias, concessæ; sequere- 95

quereretur iam ex opposita sententia ( infert, & bene *Portellus l. c.* ) quòd tales, qui visitarent, & in statu gratiæ existerent, si actuali intentione carerent, neq; priùs eam habuissent, illas nullo modo lucrarentur: *Quod valde durum est* ( inquit ) *& nimis rigidum, cùm neque Summi Pontifices, id concedentes, exprimant, vt id fiat ex tali intentione, & ferè nullus sæcularis id intendat, quando intrat, & sic ferè frustrarentur illæ Indulgentiæ*. Eodem quoque modo frustrarentur aliæ innumeræ fidelibus concessæ, qui visitauerint Basilicas, aut alias Ecclesias Romæ, & tot aliæ insignes per Christianitatem passim concessæ; quod admitti absolutè non potest.

96 Quintò, impertitur nonnunquam Summus Pontifex Indulgentiam omnibus ijs, qui intersunt; exempli gratia, Romæ in Ecclesia S. Petri alicui solemnitati, Sacrificio ipsius &c. multi illorum ignorant talem sibi factam gratiam, & nihilominus lucrantur Indulgentiam, iuxta *P. Quarti, & Burghaber locis citatis*; Ergo nec intentio actualis, nec virtualis necessaria est, Fideles quippe in hoc casu *merè passiuè se habent*, ait *P. Quarti*, idque in hunc modum confirmat: Si quis Sacerdos amicus meus mihi fructum sui Sacrificij applicat in satisfactionem meorum peccatorum, inscius eam obtineo, quin vllum actum voluntatis circa hoc eliciam. Idem ergo dicendum in casu nostro.

97 Sextò denique, Operans semper censendus est operari titulo maximè sibi proficuo *Papinian. l. cum pluribus in fine ff. de sol.* Et modo efficaciori; *Bald. in cap. Quia verisimile de præsumpt. Caietan. cons. 11. Cranetta cons. 318. num. 4. Alex. in l. Si seruus plurium §. Si numerus in fine ff. de leg. 1. Ergo, quando quis absque notitia Indulgentiæ* ( argumentatur *P. Pasqualigo loc. c. num. 5.*) *atque adeo absque aliqua intentione virtuali assequendi ipsam, exequitur opera iniuncta; adhuc censetur exequi ratione generalis intentionis interpretatiuæ ob lucrandam Indulgentiam, nam censetur exequi modo sibi vtiliori, & efficaciori.*

98 Patri *Pasqualigo* suffragari videtur *Adamus Burghaber loc. cit. Vers. Ad 1. & 2. in contrarium*, Vbi in nostram concedens sententiam, sibijpsi obijcit; Primò, quòd Indulgentia sit actus Iurisdictionis voluntariæ, non coactiuæ, adeoque non possit exerceri nisi in volentes. Secundò, quòd sit species donationis, proinde, vt habetur in Tractatu de Promissionibus, & Donationibus, non possit habere suum effectum, nisi acceptetur à donatario, quod absque præuia illius notitia, & expressa acceptandi voluntate fieri nequit. Respondet, quemlibet velle acceptare Indulgentias sibi concessas, virtualiterque acceptare, *non quidem vi, & virtute intentionis formaliter, seu actualiter habitæ, qualem requirunt Aduersarij, sed ipsius operis, dum illud ritè peractum, prodesse sibi cupit, quantum potest, adeoque etiam ad lucrandas Indulgentias, esto nullam aliam de his habeat, vel habuerit intentionem*. Quod totum coincidit cum doctrina *P. Pasqualigo* Superiori num. allata; Qui vlteriorem addit rationem; prouenit hoc, inquit, *Ex vniuersali intentione virtuali, per quam quisque quærit in suis operationibus Beatitudinem*, vt docet *Sanctus Augustinus Concion. 2. in Psalm. 32.* Adeoque semper vult, quod meliùs est, & quod plus participat de beatitudine, consequenter semper intendit operari omni modo efficaciori, & vtiliori.

99 Opponent fortè Aduersarij: Ad merendum, non sufficit dicta generalis interpretatiua intentio; ergo neque ad lucrandum Indulgentias. Præterea, concessio requirit acceptationem; neque credendum est, Pontificem illis conferre Indulgentias, qui eas non acceptant, ad has autem acceptandas requiritur intentio, saltem virtualis.

Respondeo ad primum ( quidquid sit de intentione ad meritum requisita ) non currit paritas rationis inter meritum, & Indulgentiam; hæc enim in sola pœnæ remissione consistit, ac propterea ex sua natura non requirit vllum actum in persona, cui remittitur pœna, adeoque nec intentionem, nec scientiam. In tantum autem Indulgentia de facto requirit actum, in quantum non conceditur nisi conditionatè, si videlicet opus iniunctum præstabitur, qui actus sub titulo determinatæ satisfactionis requiritur, vt cum satisfactionibus Thesauri Ecclesiæ coniungatur. Cæterùm absolutè loquen-

loquendo, ad satisfaciendum alteri, non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit exhibere satisfactionem. Vnde ad obtinendam Indulgentiam, sufficit, vt adimpleatur quocunque demum modo opus iniunctum, ita vt ab Ecclesia assumi, cum satisfactionibus ex ipsius Thesauro desumptis vniri, ac Deo offerri queat. Imò tota hæc doctrina verificatur etiam (contra *Lugonem*, *Quintanaducn. & Gobat*) quando exigitur opus applicandum pro certa necessitate. Quia (vt argumentatur *P. Pasqualigo loco citato numer. 9.*) aut implentur iniuncta opera, applicanturque pro dicta necessitate, aut non; si ad implentur, & applicantur, Indulgentia obtinebitur, licet operans nil sciat de Indulgentia, modò præstet opus, atque applicet, licet absque respectu ad Indulgentiam. Porrò, si non adimpletur, aut non applicatur, non exhibetur opus iniunctum, cùm non solùm opus, verùm etiam intentio præcepta sit.

100 Ad secundam oppositionem respondeo primò, cum, *P. Burgaber supra*; quemlibet habere vniuersalem intentionem acceptandi Indulgentias, quod sufficit. Id confirmat noster *P. Quarti loco citato pagin. 142. Vers. Secunda sententia*, hisce verbis: *Indulgentiæ acquiruntur, quin earum habeatur notitia, posito, quòd impleta sint opera iniuncta, licèt ex mera deuotione, absque actuali, aut virtuali intentione, & sufficit, non adesse intentionem contrariam, quod idem est, ac dicere, quòd sufficiat intentio habitualis*, siue acceptatio vniuersalis.

Respondeo secundò, cum *Patre Pasqualigo loco citato numer. 8.* Ad concessionem tunc requiri acceptationem, quando per eam in concessionarium transfertur aliquod dominium, ad hoc enim requiritur actus aliquis concessionarij, cùm dominium rei concessæ non acquiratur, nisi adsit animus eam possidendi, *Rutn. consil. 143. Bursat. consil. 325. numer. 15. Surd. cons. 391. nu. 27.* At per Indulgentias non transfertur aliquod dominium in concessionarium, cùm per eas tantummodo liberetur à debito pœnæ, à quo, vt liber euadat, nulla requiritur acceptatio, per se enim quilibet censetur eam velle acceptare.

Licet autem hic applicentur satisfactiones ex Thesauro Ecclesiæ, quas deinde quilibet offert pro suis debitis, id tamen non semper fit formaliter, sed sufficit fieri virtualiter, in quantum scilicet Ecclesia eas offert pro vnoquoque; hæc quippe oblatio, est virtualis solutio, quæ continet vtrumque, exhibitionem videlicet, & acceptationem, insuper, & solutionem factam pro eo, qui liberatur à debito pœnæ: quapropter non requiritur actus ex parte recipientis Indulgentiam, sed solùm actus, quo exhibetur opus iniunctum; Sufficit enim, quòd Ecclesia Deo offerat satisfactiones pro eo, qui opera iniuncta peragit, idque facit virtualiter, quando concedit Indulgentiam, ita præfatus *P. Pasqualigo*. 101

Exactiore diligentia, vt cernis, amice Lector, præsentem difficultatem, sententiæ nostræ oppositam, tibi resolui; non tam, vt assertionem meam sustinerem, quàm vt speciali te consolatione replerem, certum te reddens (quod fortè vel nesciebas, vel non credidisses) scilicet, quòd plurimas Indulgentias lucrari possis, tam pro te, quàm pro defunctis, etiamsi nil de ijs cogites: maximè, si Spirituali Filiatione ab aliqua Religione donatus fueris, quæ innumeras secum affert Indulgentias, vt in decursu huius libri cernere poteris. Hęc notitia meritò accendere te debet, ad multiplicandas orationes, ac bona opera: maximè ad frequentem Ecclesiarum Regularium visitationem, quibus plurimæ à Pontificibus concessæ fuerunt Indulgentiæ.

Superest denique alia adhuc difficultas soluenda. Filiatio Spiritualis est quidem effectus internus, eius tamen concessio dependet ab externo effectu, extrinsecùs manifestato: igitur per solam internam conferentis voluntatem, non potest illius concessio esse perfecta. Antecedens constat, quia Filiationes Religionum, cùm conceduntur, semper Litteris Gratiosis manifestantur. Probatur consequentia à paritate concessionis Indulgentiarum, hæ nam- 102

que ſemper, cùm conceduntur, manifeſtantur exteriùs. Ideo præter *Suarez in 3. par. tom. 4. diſput. 57. ſect. 2. num. 10.* docet etiam *P. Paſqualigo de Iubilao quæſt. 140.* quòd *efficacia Indulgentiæ pendet à voluntate concedentis, non quomodocunque, ſed exteriùs manifeſtata, quia per ſolam interiorem voluntatem non conſummatur conceſſio, atque adeò nec habetur efficacia Indulgentiæ.* Ergo, vt conceſſio ſit efficax, *requiritur ſignum exterius* (ait *Gabriel à S. Vincentio de Pœnit. diſp. 13. quæſt. 8.*) *Indulgentiæ manifeſtatiuum; ſicut etiam hoc requiritur, vt Indulgentia reuocetur.* Ergo à pari, quia Filiatio Spiritualis ſemper conceditur per Litteras Gratioſas, per quas exteriùs manifeſtatur; ab his conſequenter, tanquam à ſuo ſigno manifeſtatiuo (& non aliter) ſuam efficaciam recipit, atque vltimum complementum.

103 Reſpondeo ad argumentum, falſum eſſe antecedens, quòd nimirùm Filiatio Spiritualis, quantum ad ſuum eſſe, & efficaciam dependeat ab externo effectu manifeſtato; abſolutè id nego, & ſic pariter ruit conſequentia. Aliud eſt, quòd de facto Filiatio Spiritualis, quoties conceditur, per Litteras Gratioſas manifeſtetur: aliud, quòd quoad ſuum eſſe, & efficaciam ab hac manifeſtatione dependeat; illud concedimus, iſtud negamus. Ad probationem, negatur paritas rationis inter manifeſtationem Filiationis per Gratioſas, & promulgationem Indulgentiarum, ſi hæc neceſſaria eſſe concedatur ad ipſarum efficaciam. Indulgentiæ, vt ſupra diximus, ſunt contractus quidam innominatus, do vt facias; ſcitur autem, quòd contractus notus eſſe debeat contrahentibus; & præcipuè Indulgentiæ manifeſtari debent, ratione operis à concedente iniuncti. Filiatio autem Spiritualis, non habet rationem contractus, ſed eſt pura gratia, & quoad ſuum eſſe, atque efficaciam tota dependet à ſola voluntate interna Prælati concedentis, tamquam à ſua propria, & adæquata cauſa, qui in conceſſione non dicit: do vt facias: ſicut Pontifex in conceſſione Indulgentiarum; nihil exigit ab aſſumpto in Filium Ordinis; quidquid dat, totum gratuitò donat; recipiturque à donatario, etiam dormiente, & ne quidquam cogitante; ſicut enim donum iſtud eſt intrinſecum quid, & Spirituale, ita etiam illius receptio. Quilibet per ſua bona opera de congruo meretur pro altero, & ſatisfacit, quin ille quidquam de hoc ſuſpicetur, aut ſciat; ſufficit, iuxta omnes Theologos, vt ſit capax in anima. Aliud non facit Prælatus, quando concedit Filiationem Ordinis, quàm applicare merita, & opera ſatisfactoria ſuorum ſubditorum; vt autem huiuſmodi conceſſio ſuam totalem obtineat efficaciam, aliud non requiritur, quàm Spiritualis ea recipiendi capacitas. Quare nihil hìc obſtat commune illud axioma, ac legis principium: *Voluntas mente retenta, nihil prorſus operatur, l. ſi repetendi ff. de condict. ob cauſ. & l. Quidam cùm filium ff. De hæred. inſtit. Surd. conſ. 321. numer. 56. Menoch. lib. 1. Præſumpt. 26. numer. 5. Duran. deciſ. 379. num. 6. Rota deciſ. 334. num. 6. part. 1. Recent. apud P. Paſqualigo quæſt. cit. numer. 2.* Vbi rationem à priori huius principij reddit: *quia*, videlicet, *nulla cauſa poteſt operari extra propriam ſphæram; ergo nec voluntas mente retenta, poteſt ſe extendere ad effectus externos, cùm ſint extra ſphæram voluntatis, prout mente retinetur.* Non, inquam, obſtat hoc principium, quia conceſſio Filiationis totaliter ordinatur ad internum; neque neceſſarium eſt, vt ad vllum externum effectum ſeſe extendat, ad hoc vt efficacem nanciſcatur executionem; prout in ſententia *P. Paſqualigo* conceſſio Indulgentiæ neceſſariò ſe debet extendere, fatetur enim ipſemet, *num. 2.* Quòd *Indulgentia conceſſa, eſt quidam effectus exterior.*

## DVBIVM SEXTVM.

### *An valeant formulæ Litterarum Gratioſarum abſque intentione concedentis?*

Neminem decipiunt Prælati Regulares, diſtributione Gratioſarum, 104
neque conferunt Litteras ſolùm materialiter abſque intentione efficaciter communicandi etiam bona ſpiritualia Ordi-

Ordinis, in ipsis comprehensa: aliàs tali deceptione, grauiter peccarent; nisi aliunde rationabili, vrgente, ac iusto motiuo excusarentur; vt si fortè violenter adigerentur ad dandas personis indignis, atque immeritis, si subreptitiè extorquerentur, &c. quo casu licita foret merè materialis concessio Gratiosarum, absque dicta intentione. Quæritur ergo hic, an isto casu, & quolibet alio, imò semper, quoties simpliciter deest intentio, valeat materialis Gratiosarum concessio?

105 Respondeo, non valere, sed esse omninò inefficaces. Patet, quia totum esse, totaque efficacia Filiationis Spiritualis (vt constat ex præcedenti Dubio) dependet, ac deriuat à sola intentione, & voluntate Prælati concedentis, tanquam à sua sola & adæquata causa, & per solam huius interiorem voluntatem consummatur concessio. Hac igitur deficiente, deficit totum ipsius esse, valor, & efficacia; adeoque concessio exterior non valet absque interiore, cùm non possit dari effectus absque sua causa. Confirmatur à pari. Si Summus Pontifex concederet Indulgentias exterius solùm, absque interiori intentione, *nihil faceret* (dicunt *Suarez in 3. part. tom. 4. disput. 57. sect. 2. num. 10. Fillucius tract. 8. num. 242. Alphonsus de Leone, de Iubilæo part. 1. num. 222.* Cur hoc? ideo solùm, quia *efficacia Indulgentiæ*, iuxta citatos, *pendet ex sola voluntate concedentis*. Nam *exterior concessio* (ait *Pater Pasqualigo de Iubil. quæst. 140. num. 4.*) *sine interna voluntate, esset ficta concessio, & ideò nihil operaretur*. Si autem Summus Pontifex, sine intentione, nihil faceret in hoc casu; ergo neque operaretur aliquid sine illa Prælatus Regularis, cum sola externa materiali concessione. Consequentia negari non potest, cùm æquè necessariò requiratur interior intentio tam pro ista, quàm pro illa concessione. Imò *Pasqualigo quæst. cit.* ad efficaciam, & esse completum Indulgentiæ, vltrà internam intentionem, requirit etiam exteriùs manifestatam concessionem; quocircà *num. 3.* ait: *voluntas interior non adæquat, quia se sola non potest ponere concessionem Indulgentiæ in esse*. Et *num. 4.* idipsum denuò confirmat: *Efficacia Indulgentiæ pendet à sola voluntate concedentis, non quomodocumque, sed exteriùs manifestata; quia per solam interiorem voluntatem non consummatur concessio, atque adeò nec habetur efficacia Indulgentiæ*. Nos ex opposito, in præcedenti Dubio, sustinuimus, Filiationem Spiritualem à sola interna voluntate, & applicatione concedentis accipere totum esse consummatum, & efficaciam, independenter ab vlla externa manifestatione, & concessione: Si ergo Indulgentia, quæ iuxta doctrinam præfati Authoris, non est res merè interna, sed ex parte etiam sensibilis, & externa, concessa absque intentione, non valet: multò minùs valebunt Gratiosæ, quæ sunt internum quid, absque interiori applicatione.

Vnum obijci posset. Valet Confessio Sacramentalis, facta Sacerdoti, cui Ordinarius verbis solùm, & externè, sed sine interiori voluntate, aut intentione, fictè concessit iurisdictionem: ergo etiam valent Gratiosæ, concessæ sine intentione; & applicatione. Sequitur consequentia à paritate; quia si Sacramentum valet cum externa solùm concessione Iurisdictionis, absque interna intentione; cur non à fortiori valebit in casu nostro Filiatio Spiritualis? Antecedens est *Basilij Pontij de Matrim. lib. 5. cap. 19. num. 14.* Et *Dianæ par. 11. tract. 4. Et Miscellan. 4. resol. 17.* aliorumque. Imò *Pontius* id extendit ibidem ad omnem alium actū, & contractum: *Adde etiam in omni contractu, excepto Matrimonio, & in omni actu, in quo iure Diuino, vel naturali non requiritur intentio, valere consensum fictum, verbis tantùm expressum*. Quòd si vera est vniuersalis hæc doctrina, valebunt quoque Gratiosæ, modò sensibiliter sint manifestatæ, licèt fictè concessæ; quia *valet vniuersaliter in omni actu consensus fictus, verbis tantùm expressus*. 106

Respondeo ad obiectionem, negando vtramque consequentiam. Ad antecedens, quod concedo, dico cum *P. Diana loc. cit.* quòd collatio Iurisdictionis, quam confert Ordinarius, siue verbis, siue scripto, Sacerdoti, ad hoc, vt virtute illius licitè, & validè possit administrare Sacramentum Pœnitentiæ, sit actus exterius, *in quo nos*, vt 107

in alia materia scribit *Virginius Aluiset. de Priuilegijs Regularis sect.4.dub.7.n.72. Adhæremus verbis, & terminis, nec quærimus de intentione. Actus autem Iurisdictionis exterioris* (ait *Diana) est instar cuiusdam sententiæ in foro exteriori prolatæ, quæ non postulat sui confirmationem internam, illam iuridicè pronuntiantis*. Imò *Diana, Lugo de Pænit, disp.11.q.74.* & alij), reprobant opinionem contrariam *Bonacinæ tom.1. de Sacram. Pænit. disp.5.q.7. punct.4.§.1.n.29.* Cui tamen adhæret *Barbosa de Potestate Episcopi, part.2. Allegat.25.n.40, Bossius de Iubileo sect.3, Casu 2.§.1.num.3.* Atque etiam *Suarez tom.4.in 3.par.disp.28. sect.5. n.3.* Vt vult *Bonacina*; Verùm qui legit *Suarez*, videbit, quòd non sit cum *Bonacina*; vti nec *Bossius l.c. §.4.n.142.* vbi sibi ipsi contrarius est §.1.*num.3.* asserens quòd valeat sola externa applicatio Ordinarij, absque interna, vti certè valet (etiam in sententia *Barbosa cit.num.40.* vbi cum *Bossio cit. num.142.* ait: *Valet Confessio facta Sacerdoti, cui Episcopus facultatem audiendi Confessiones, fictè concessit, id est solis verbis externis, absque vera intentione concedendi; quia tunc adest licentia à legitimo Superiore, & eius nullitas est occulta, ac proinde adest titulus præsumptus cum communi errore: sicut adest etiam in alio casu Episcopi videntis, & tacentis, non tamen internè consentientis.*) Valet, inquam, fictè collata Iurisdictio; non quidem ideò, quia in tali casu, ratione tituli præsumpti cum communi errore, Ecclesia tribuat Iurisdictionem, vt argumentantur *Barbosa, & Bossius*; Sed quia absolutè valet sola externa approbatio Ordinarij, absque interna, licitè & validè audiendi confessiones. Rationem huius assignant citati, alijque Authores, quia in hoc casu Confessarius, *reuera est approbatus ab Episcopo; nam iudicium de idoneitate, quod Concilium Tridentinum sess.23.c.15. requirit, vt Confessarius (qui non habet Parochiale beneficium) iudicetur idoneus, non est iudicium internum, sed externum, quod quidem in ipsamet externa approbatione imbibitur.* Neque obstat doctrina hæc intentioni, quã necessariò requirit *Concil.Trid.sess.24.cap.17.* in cuiuscunque Sacramenti administratione; quia, vti eruditè obseruat *Nicolaus Isambertus tom.3. in 3.par.D.Tho.disp.21. de Sacram. Pænit. art.4.* apud *Dianam*, valde diuersa est intentio, quæ essentialiter requiritur ad administrationem cuiuslibet Sacramenti, quod iuxta *Concil. Trid.l.c. tribus perficitur, materia, forma, & intentione Ministri*, ab intentione Ordinarij conferentis approbationem pro audiendis Confessionibus: *Ratio huius iudicij* (ait *Isambertus*) *& vera intentionis in Episcopo ad conferendum alicui hanc approbationem est distincta à ratione intentionis essentialiter requisitæ in administratione huius Sacramenti, vel alicuius alterius*. Propterea, quamuis non possit esse validum aliquod Sacramentum sine intentione Ministri; nihilominus valida erit confessio facta illi, cui ab Ordinario externè solùm, & sine intentione approbatio collata fuit: cùm intentio Ordinarij approbantis non sit Sacramento essentialis, sicut illa administrantis; sine hac enim non stat Sacramentum, quia tribus (vt dictum) perficitur, materia, forma, & intentione Ministri; benè autem sine illa, per solam externam approbationem, absque interiori intentione. Sicque Opponenti non solùm conceditur antecedens, sed & defenditur: Negatur tamen consequentia, propter disparitatem vtriusque intentionis, Ordinarij videlicet, in approbando aliquo pro Confessionibus; & Prælati Regularis in suscipiendo ad Spirituales participationes; in ista enim concessione intentio est essentialis, vt patet, ex prædictis: in illa neque requiritur. Congruit hisce doctrina *Pontij*, superiùs allata, quòd, nimirùm, *valeat in tali concessione consensus fictus, verbis tantùm expressus*. Et quòd *non valeat consensus fictus, verbis tantùm expressus* (iuxta eundem) *in Sacramentorum administratione, vel vniuersaliter in omni actu, in quo iure Diuino, vel naturaliter requiritur intentio*, vt in concessione Gratiosarum, in qua intentio requiritur essentialiter, vti à principio intrinseco; propterea negatur secunda quoque consequentia, deducta ex *Pontij* doctrina.

CA-

# CAPVT TERTIVM.

## GRATIOSARVM ANTIQVITAS.

108 I ex antiquitate desumitur Nobilitas, *Vetustas nobilitat. l. Prouidendum. C. De postulando, & ibi Gloßa, Verbo Nobilissimos:* Certè Spiritualis nostra FILIATIO, per Litteras GRATIOSAS, nobilissima erit, vtpotè antiquissima. Hæc ipsius antiquitas in præsenti Capite tractabitur; quare sit

### DVBIVM PRIMVM.

### *An deducantur ex Testamento veteri?*

RESpondeo, quòd sic; quia certè ex veteri Testamento erat, qui dixit: *Psalm. 118. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Hęc participatio spiritualis, de qua hìc loquitur Propheta, idem est, ac Spiritualis Filiatio per Litteras Gratiosas, de qua agimus. Vnde *VValdensis, De Sacramental. tom. 3. cap. 100.* In Summario eiusdem Capitis, ait: *Litteræ Fraternitatum sigillatæ, quòd non sint nouæ. Et quomodo hoc ab antiquo* (Testamento) *peruenerit ad Ecclesiam, ostenditur; num. 10.* Idque eodem *num. 10. pag. 189.* demonstrat ex *lib. 1. Machabaeorum cap. 12.* Et *Ruteus de Participationibus quæst. 1. sect. 1. num. 1.* præclarè ad propositum nostrum; narrat enim ibidem, Sacra Scriptura, quòd *Ionathas* Summus Sacerdos Iudæorum, miserit *Spartiatis* Litteras, per quas amicitiam cum ipsis, ac Fraternitatem renouat. Porrò hæc Littera magnam habet similitudinem, atque affinitatem cum Litteris Gratiosis, quas Pręlati Regulares dare solent Amicis, quibus eos participes reddunt bonorum operum Religionis; Litteræ autem sequentis sunt tenoris: *Ionathas Summus Sacerdos, & Seniores Gentis, & Sacerdotes, & reliquus populus Iudæorum salutem. Iam pridem missæ erant Epistolæ ad Oniam Summum Sacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri.* Et paucis interiectis: *Nos cùm nullo horum indigeremus, habentes solatio Sanctos Libros, qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos renouare Fraternitatem, & amicitiam.* Deinde paulò inferiùs demonstrat, in quo Fraternitas ista consistat: *Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus, & cæteris, quibus oportet, memores sumus vestri in Sacrificijs, quæ offerimus, & in obseruationibus, sicut fas est, & decet meminisse Fratrum.* Hæ, certò, Litteræ sunt Spiritualis Fraternitatis; ab his deductiuè ad nostras Gratiosas sic argumentatur *VValdensis num. 10. cit. Videtis ergo, quoniam non sunt nouæ tales Fraternitatum Litteræ sigillatæ.* Cui consonat *Ruteus loco citato.* Dum ait: *Hæc Epistola maximam affinitatem habet cum Litteris nostrarum participationum.* Idque demonstrat similitudo, quæ inter vtrasque interuenit; Nam *Ionathas, Spartiatas* nominat *Fratres*, atque renouare se velle cum ipsis Amicitiam, & Fraternitatem: quod & Pręlati Regulares faciunt, quandoquidem eos, quos ad participationem meritorum Ordinis recipiunt, nominant *Fratres*, Religioni incorporant, eiusque membra efficiunt, haud secùs, ac proprios Religiosos. Porrò inter hos omnes contrahitur quędam Societas Spiritualis, ita vt sicut apud Mercatores in contractu Societatis omne lucrum est commune: sic vi huius particularis Societatis fit mutua communicatio bonorum operum, quę hoc modo fiunt omnibus communia; hoc totum continetur etiam in Epistola *Ionathæ*, vt clarè patet; quod, & *Lyranus* innuit apud *VValdensem cit. num. 10.* Et *Ruteum loc. cit. num. 2.* Prosequitur enim *Ionathas: Iustum est ergo, cùm Fratres existatis, & transmittere ad nos, & petere, quæ vobis necessaria iudicatis: facimus verò, & nos idem, & vestra propria simul vt nostra propria reputamus:* Ecce hic genuinum prothotypon verę Societatis, ac Fraternitatis; declarat enim *Ionathas*, in quo ea consistat, in participatione, nimirùm, & Communicatione *Sacrificiorum, quæ fiunt*

*in omni tempore, & aliarum obseruationum:* id est (vt interpretatur *Lyranus* apud *Ruteum loc. cit. num. 3.*) *aliarum oblationum, Vigiliarum, & Orationum.* Hæc sunt ipsissima bona spiritualia, quorum Prælati Regulares Amicos suos participes reddunt, Sacrificiorum, nempe Vigiliarum, Orationum, &c.

109 Denique, Prælati Regulares in maiorem fidem, & authenticum testimonium huius Communicationis, non solùm scripto eam profitentur publicè in Litteris, verùm has etiam sigillo muniunt Ordinis, Idipsum reperitur in Litteris *Ionathæ.*, vt ex sequentibus verbis patet *loc. cit. Mandauimus itaque eis, vt salutent vos, & reddant vobis Epistolas nostras de innouatione Fraternitatis nostra*, Neque Litteris deest sigillum, cùm *Iosephus* apud *VValdensem cit. num. 10. Et Ruteum loc. cit. num. 4.* Sigillatas fuisse testetur; *Portitor Litterarum Dometius, Epistolas vobis deferet, signatulum habentes, Aquilam, Draconem vnguibus portantem.* Ita *Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 5.* Ex hoc sigillo, effigiante Aquilam, quæ vnguibus teneat Draconem, colligit *Ruteus num. 4. cit.* Moralem quamdam interpretationem, proposito nostro apprimè accommodam, per hæc verba: *Eos nempe, qui ad hanc Communionem recipiuntur, variis gratijs, & benedictionibus prauenire, quibus velut Aquila Cælestes, Draconem Infernalem debellant, & victum conculcant, quò faciliùs salutem consequantur: & hoc est, quod in forma participationum additur: Vt talibus adiuti suffragiis, ac bonis operibus, hic augmentum gratiæ, & in futuro vitam percipiatis æternam:* Hæc *Ruteus*, qui numero subsequenti aliam insuper facit ponderationem, quòd nimirùm fautores Religionum nonnunquam in gratiarum actionem pro bonis spiritualibus charitatiuè correspondeant suis temporalibus, iuxta effatum *S. Pauli Rom. 15. Si Spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.* Ita fecere *Spartiatæ* cum *Iudæis*, vt Litteræ *Oniæ* Regis ipsorum, quæ sequentis sunt tenoris, testantur; *Ex quo hæc cognouimus, benè facitis scribentes nobis de pace vestra, sed & nos rescripsimus vobis; pecora nostra, & possessiones nostra, vestra sunt.* Concludatur proinde cum *VValdense cit. num. 10. Videtis ergo, quoniam non sunt noua Fraternitatum Litteræ,* cùm in antiquo iam Testamento vsitatæ fuerint, & Religionum Prælati iis modò vtantur *eadem quasi methodo (inquit Ruteus num. 5. in fine) qua vsus est aliquando Ionathas Sacerdos Iudæorum*, Admoneo denique Lectorem, vt in maiorem sententiæ nostræ confirmationem legere dignetur *VValdensem tit. 10. cit. cap. 93. num. 2. pag. 176.* Vbi reperiet, quòd Author iste methodum Litterarum Gratiosarum deducat ex alia insuper Epistola, *2. Machabæorum* descripta, quæ sic habet; *Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui, quod ad Abraham, Isaac, & Iacob locutus est &c. Et nunc hic sumus orantes pro vobis, regnante Demetrio, Anno 169. Nos Iudæi scripsimus vobis.* Supra quam ita commentatur VValdensis; *Hæc Scriptura, quam nobis sic repentè misit Deus ad calamum, occasionem tribuit, altiùs laborandi, Repentè namque cecidamus in Religiosorum suffragia, quæ ipsi Religiosi promittunt, & offerunt, & chartis scribunt Christi Fidelibus de pinguedine spiritus, & abundantia charitatis &c.*

## DVBIVM SECVNDVM.

### *An originem trahant ex Testamento nouo?*

QVòd Confraternitas vniuersalis, siue Communio Sanctorum & Ecclesiæ à Deo ipso fuerit instituta; præterquam quòd certum sit, id *Nauarrus* affirmat, *De Orat. & Horis Canon. cap. 20. n. 56.* Sequentibus verbis: *Deus Optimus Maximus instituit quandam Fratriam, siue Confraternitatem charitatis, in qua omnes boni simul inuicem communicant sua bona spiritualia; idque non abs re, quandoquidem vni soli Domino seruiant omnes, omnes morantur in vna domo, quæ est Ecclesia; omnes regenerantur vno fonte: omnes vna fide viuunt, & vno amore se diligunt:* Quibus dictis, immediatè prorumpit in laudem huius Confraternitatis, atque exclamat; *O felicem societatem, excellentem Fratriam, siue Confraternitatem, expertem vitiorum, ornatam virtutibus, in qua nulla inuidia, ambitio, hypocrisis, præsumptio, vel alia actio mala, saltem mortifera, inuenitur: in qua Clerici, & Laici; Seculares, & Religiosi; diuites, & pauperes;* 110

Con-

*Coniugati, & soluti; Citramontani, & Vltramontani; Hispani, & Galli; Germani, & Poloni; Angli, & Scoti: Domini, & serui, Heri, & famuli: omnes demum accumbunt vni mensa; omnibus propinantur ijdem cibi, licèt aliquos eorum abundantiùs alijs, quàm alijs. In qua pluris fit cor confessum dolore peccatorum, quàm vestis lacera, & sordidè refecta, & calceus fenestratus; licèt & hæc sincera mente gestata, multum eam ornent; pluris præcordia charitate, etiam vsque ad inimicos extensa, quàm vestes holoserica, panneaue pretiosa, solum verrentes: quamuis, & hæ, cùm rationi consonant, eam decorent. Infelices profectò, & ignominiosi fuerimus, qui in multis Fratrijs, siue Confraternitatibus, & Societatibus honorificis descripti, immò, & probatas Religiones professi, quos corona rasa, barba resecta, vestes diuersæ tacitè clamitant in ea constitutos, si ab ea simus exclusi; cùm tamen in ea inueniantur multi militer armatis, negotiatores diuites, coniugati mille curis distracti, agricolæ suis ligonibus fessi, & alij mechanicis suis artibus, noctes, & dies exercendis dediti, immò, & serui, contumelijs dominorum nunquam non affecti.* Hæc *Nauarrus*; ex cuius sat prolixo discursu euidenter apparet Communionis generalis, quæ nono Symboli articulo continetur, singularissima præstantia, nec non & nobilissima origo, quandoquidem *Deus Optimus Maximus eam instituit*. Quod si ita est, à Deo pariter originem suam ducit Communio quoque particularis Gratiosarum, cùm hæc (vt sæpiùs dictum) fundetur in illa: *Specialis Communio Religionum* (ait *Ruteus quæst. 1. sect. 4. num. 18. in fine*) *fundamentum habet in generali Communione Sanctorum, explicata per nonum symboli Articulum, Communionem Sanctorum.* Agnoscit quippe originem suam à Christo Seruatore nostro, qui Deus est, & Caput Mysticum totius Ecclesiæ, consequenter à nouo Testamento; proinde ad Dubium

111 Respondeo affirmatiuè cum *VValdensi de Sacramental. tit. 10. c. 93.* Vbi testimonijs tam veteris, quàm noui Testamenti demonstrat, concessionem participationis meritorum fundari in Christo. Porrò *cap. 93.* asserit, probatque textu noui Testamenti, quòd & Apostoli ipsi mediantibus Litteris concesserint participationem bonorum operum. *VValdensem* sequitur *Ruteus*, qui *quæst. 1. sect. 2.* decidit: Gratiosas Religionum communicationes originem habere à Christo: *Et sect. 3.* quòd etiam Apostoli ad Christi Domini imitationem hasce practicauerint Communicationes; quod & nos probaturi sumus, ita vt euidenter constet, Gratiosas à Christo trahere originem; sit ergo

Prima probatio; Authores communiter cum *S. Thoma*, docent, Christum Dominum esse Caput Mysticum Ecclesiæ, Fideles autem, ipsius membra; sicut ergo Caput sua virtute influit in omnia membra, quæ ratione huius influentiæ, perfectionem participant Capitis: sic benignissimus Redemptor noster virtutem suæ Passionis taliter communicat fidelibus, vt omnes abundanter participent, tam de meritis, quàm de satisfactionibus ipsius; *Io. 1. De plenitudine eius omnes accepimus:* & *1. ad Timoth. 2. Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus:* nec solùm seipsum, sed & omnes actiones, quas ab instanti suæ Conceptionis, ad vltimum vsque Passionis suæ terminum Æterno suo Patri pro nobis obtulit, nobis donauit, ac fructuum Passionis suæ nos effecit participes, vt testatur *Angelicus Opusc. 6. Bonum Christi communicatur omnibus Christianis, sicut virtus Capitis omnibus membris.* Cuius fructus participem se esse gloriabatur Apostolus, quando dixit, *Hebr. 3. Participes Christi sumus*, id est (vt interpretatur *Cornelius à Lapide*) *Vitæ, gratiæ, gloriæ, hæreditatis Christi participes facti sumus.* An non est ista Generalis Communicatio Gratiosissima, pretiosissima, à Diuino fonte promanans? Authoritate noui Testamenti roborata? Est vtique. Sed ab ista suam trahit originem Communio particularis per Gratiosas, & in ea fundatur, vt sæpè dictum; ergo vera est nostra responsio. 113

Verum quidem est (quod & *Ruteus sect. 2. cit. n. 7.* aduertit) quòd cùm Communicatio generalis, quæ à Christo deriuat, sit infinita; ista verò, quæ à Prælatis Regularibus prouenit, ex natura sua finita, & limitata; illa longè superet istam: Præterquam quòd *Prælati* (ait *Ruteus*) *aliquid tantùm suarum satisfactionum, nonnullosque alios effectus alijs communicant,*

*cant, nec aliquid gratiæ habitualis, aut meriti vitæ æternæ illis conferunt. At Christus, omne suum meritum gratiæ actualis, & habitualis, sicut, & vitæ æternæ, omnes suas satisfactiones infinitas, nobis in integrum communicauit, nec aliquid sibi reseruauit; cùm in communi DD. sententia, nil sibi aliud, quàm gloriam Corporis, & nominis exaltationem meruerit*. Et ante *Ruteum VValdensis cap. cit. 93. num. 5. Christus fecit nos communicatores meritorum mortis suæ, precis suæ, prædicationis, vigiliæ, patientiæ, abstinentiæ, improperiorum, maledictorum, necessitatis, peregrinationis, laboris, & sitis, infinities plus Religiosis modernis: non scilicet partem donando, sed totum: nihil ad sui vtilitatem penitus reseruando*. Pretiosissimæ sanè sunt infinitæ istæ Communicationes; Participationes adeò salutiferæ, vt earum auxilio gratis redempti, ex inferno transferamur in Cœlum, & hæredes efficiamur Paradisi. Quapropter meritò protestatur *S. Bernardus Serm. 4. Hebdom. Pœnos*. Quòd earum nunquam obliuisci velit: *Memor ero* (inquit) *quandiu fuero, passionum, ac laborum eorum, quos pertulit in prædicando; fatigationum in discurrendo; tentationum in ieiunando; vigiliarum in orando; lacrymarum in compatiendo: recordabor etiam dolorum eius; conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium, quæ per eum, & super eum abundantiùs transierunt*. Hæc ergo, aliaque omnia Christi merita, ac Passiones, *per eum abundantiùs communicamus* (ait *Doctor Mellifluus*) *& per eum ad nos abundantiùs transierunt*. Has infinitas Christi communicationes, licèt à longè, imitantur Prælati Regulares in particularibus suis Participationibus per Litteras Gratiosas. Vnde sit [illegible]

113 Secunda Assumpti probatio: Prælati Regulares particularibus suis, per Litteras Gratiosas, communicationibus, imitantur generales infinitas à Christo deriuantes; ergo à Christo, eiusque nouo Testamento, tanquam à propria Idæa, trahunt originem. Antecedens probatur cum *VValdensi loc. cit. & Ruteo sect. 2. cit. num. 8. & 9.* Quia septem præcipuè numerantur bona Spiritualia, quæ Religiosi in suis Litteris communicant iuxta *VValdensem cap. 94. num. 1. sub Littera A, & Ruteum, qui num. 8. in princip.* ait: *Prælati iuxta normam communem, dant alijs communicationem septem præcipuè bonorum Spiritualium, scilicet Mißarum, Orationum, Suffragiorum, Meditationum, Prædicationum, Peregrinationum, Abstinentiarum, & omnium bonorum*. Omnia hæc bona, ad imitationem, quamuis remotam, Communicationum Christi, communicant; ergo ab istis trahunt originem. Probatur minor; quia quantum ad Missæ Sacrificium, si institutum, & oblatum fuit in vltima Cœna, si etiam cruentum Passionis Sacrificium consideratur, inueniemus, fructum infinitum vtriusque Sacrificij nobis à Christo, integrè communicatum fuisse. Secundò, quantum ad Orationes, & suffragia, fecit Christus eorum participes non solùm Apostolos, vt ex Euangelio constat, sed totum etiam mundum, specialiter quando pernoctauit in Oratione Dei, & rogauit Patrem pro totius Mundi Salute; atque etiam in prolixa illa Oratione ante suam Passionem in Horto Getsemani. Tertiò, non solùm Contemplationes suas, Prædicationes, Peregrinationes, & Abstinentias omnibus communicauit hominibus; sed etiam (vt testatur *Ruteus n. 8. cit.*) *Ab instanti Conceptionis omnes actiones suas pro Salute Mundi Deo Patri obtulit: ita vt Vigiliarum, Silentij, Laborum, improperiorum, famis, sitis, & omnium aliorum bonorum operum totius vitæ plusquam abundè participes nos effecerit*. Propterea *S. Augustinus, In Appendice serm. de diuersis, serm. 59.* (vt videre est apud *Ruteum num. 8. cit. in fine.*) Introducit Christum loquentem, & demonstrantem, se omnium, quæ in hac vita operatus, & passus est, nos mortales participes effecisse: *In præsepio* (inquit) *expositus, & pannis inuolutus iacui; infantiæ contumelias, humanosque dolores, quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet, vt te mihi similem facerem, pertuli; irridentium palmas, & sputa suscepi; acetum cum felle bibi; flagellis cæsus, vepribus coronatus, Cruci affixus, vulnere perfossus, vt tu eriperemis, morti animam in tormentis dimisi*. Vnde *S. Hieronymus apud VValdensem, cap. cit. 93. num. 4. in principio*, non sine ratione exclamat: *Quæ maior potest esse clementia, quàm vt Dei Filius, Filius hominis putaretur: decem mensium fastidia sustineret, partus expectaret aduentum: inuolueretur*

*uere-*

*lueretur pannis, subijceretur Parentibus, per singulas adolesceret ætates; & post contumelias vocum, alapas, & flagella, crucis quoque pro nobis fieret maledictum, vt nos à maledicto legis absolueret, Patri factus obediens vsque ad mortem?* Istæ ergo sunt infinitæ illæ participationes Generalis Communionis Christi Domini: Istæ sunt illæ Litteræ, & Chartæ Gratiosæ noui Testamenti, quas imitantur tanquam Originale, à longe licèt, atque remotè tantùm, in suis Gratiosis Religionum Prælati: *Hæc est Charta meritorum Christi, quam omnes Scripturæ resonant, veteres, & nouellæ, & quā Ecclesiasticorum Scriptorum libri sunt referti* (dicit *VValdensis cap. 93. cit. nu. 3.*) & *n.4.* concludit: *Hanc ergo plenissimam Chartam meritorum concessit Christus participibus suis, non tantùm Missarum* (ecce Ideam Gratiosarum Religiosarum) *Orationum, Vigiliarum, Prædicationum, Abstinentiarum, & laborum suorum: sed & cibationis suæ, potationis, quietis, dormitationis, & silentij, & Gratulationis, Meditationis, Sonationis, & Cantationis, & vniuersa quæ gessit, saluti hominum procurabat.* Hæc ipsa charta Gratiosa generalis, qua merita infinita, opera omnia, & tota Passio Christi generi humano communicatur, est charta (sicut nostræ particulares Gratiosæ) etiam scripta & sigillata: sed *diuina manu conscripta* (dicit *VValdensis n.3. cit. sub littera B.*) *& Christo concedente formata: & Sancti Spiritus pignore sigillata.* Neque caret Charta hæc suo Titulo, qui indicet dignitatem concedentis: ecce enim Cruci affixus est *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*: neque deest Secretarius, *Certè scripsit* (dicit *VValdensis l. cit. n.7.*) *per Prophetas, per Apostolos, & Euangelistas suos.* Cuius specialiter Secretarius erat *Isaias cap.53.* quia, *Priusquam Christus nasceretur in terris, priuilegium orbis cecinit Esaias in charta magna* (dicit *VValdensis cit. n.3. sub litt. B.*) & ad instar cuiusdam Secretarij eandem scripsit; exhibuitque nobis (Subiungit deinde *Ruteus sect. cit. 2. n.9.*) *Christus per suam Passionem dedit nobis Chirographum salutis, in quo suorum meritorum participationem nobis largitus est: eum autem ipsius Secretarius, & Propheta Isaias scripsit, & nobis exhibuit c.53.* vbi primò suos nobis communicat dolores, ac languores, cùm dicit: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit:* Secundò plagas, *ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Tertiò liuores: *liuore eius sanati sumus.* Quartò, silentium: *Non aperuit os suum sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet: & non aperuit os suum.* Quintò, Percussiones, ac alapas: *propter scelus populi mei percussi eum.* Vltimò, orationes; *peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Sic ergo per Spiritum Propheticum *Isaias* in dicto capitulo exarat chartam Gratiosam Christi, diuinarum eius Communicationum, velut Secretarius eiusdem (dicunt *VValdensis, & Ruteus*) qui *cit. num. 9.* ita concludit: *Hoc enim caput Isaiæ habet quasi rationem cuiusdam chartæ, & Chirographi, quo Christus per suum Prophetam, velut per suum Secretarium reddit nos participes omnium suorum meritorum, eo modo, quo faciunt Prælati Regulares suis chartis.* De qua participatione (quæ, vt Apostolus quoque innuit ad *Ephes.3.* ad omnes Gentes extenditur; *reuelatum est SS. Apostolis & Prophetis in Spiritu, Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis in Christo Iesu per Euangelium*) exclamat *Granatensis tract.4. Memorial. cap.10. medit.2.* à *Ruteo* relatus *n.9. cit. in fine.* *O mirabilem communicationem! O pretiosissimam Associationem, contractum, & Chartam Confraternitatis! O Societatem Thesaurorum ineffabilium!* hæc igitur charta, Christi communicationum, est Originale, & Idæa chartarum Gratiosarum Prælatorum Regularium, qui hanc imitantur, & sequuntur, iuxta doctrinam ab *Apostolo Petro* datam, *1. Pet. 2.* qui eis inculcat: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius:* sicut & *Greg. Papa hom. 17. in Euang. Ipsa* (quippe) *Christi facta, præcepta sunt, quia dum aliquid tacitus fecit, quid agere debeamus, innotescit.* Et quia Christus ex infinita sua charitate in *Charta magna* Passionis suæ fructum nobis communicauit, imò omnium suorum Sanctorum operum; Prælati Regulares secundùm possibilitatem, eum imitando, etiam ipsi Amicis suis & Benefactoribus alijs chartis minoribus, Ordinis bona Spiritualia communicant: Et ita chartæ istæ minores ab ipsa Christi magna charta, & Testamento nouo trahunt consequenter originem, *& sequuntur vestigia eius.*

Ter-

114 Tertiò probo nostram responsionem, descendendo à Christo ad Apostolos, ex eodem Testamento nouo. Ipsi Apostoli ad imitationem Christi (vt habetur in sacro textu, maximè *ex Epistolis Pauli*) familiariter vsi sunt communicationibus, & participationibus spiritualibus, *in quibus* (dicit *Ruteus sect. 3. cit. n. 11. in princip.*) *sunt multa valde affinia ijs, quæ fiunt hodie à Prælatis Regularibus in Participationibus*: ergo originem trahunt ab ipsis, & consequenter à nouo Testamento: consequentia certa est. Sed impudenter temeratius Hæreticus *VVicleffus* negat antecedens, dum ait apud *VValdensem cap. 94. in princip. Nec Apostoli talia concesserunt*; Verùm ex Catholico Zelo sese opponens iste Auctor contra mendacem exclamat: *Misereor super turbam istam mendacij. Apostoli non fecerunt Litteras, sicut fratres, de communicatione charitatis?* Ergo Apostoli per te, ò mendax (dicit *VValdensis*) non vtebantur Litteris communicationis charitatis? en id probo, & quidem facilè: *Vnius fratris audiamus litteras, si Apostoli sic fecerunt*: Obseruetur pro euidenti probatione formula sequens *Gratiosarum* Litterarum (dicit *VValdensis*) quà aliqui Prælati in suis participationibus vsi sunt, & videbis, quòd certò *Apostoli sic fecerunt*; Ecce Litteræ. *Ego Frater N. &c. Deuotionem sinceram, quam ad nostrum habetis Ordinem ob Christi reuerentiam, & Sanctæ Virginis Matris eius, diligentiùs attendens, Omnium Missarum, Orationum, Ieiuniorum &c. Participationem perpetuam vobis concedo*. Iam litteræ legantur *Pauli Apost. ad Ephes.* 1. Sed quare hoc? quia *conferenda sunt verba* (ait *Ruteus n. 11. cit.*) *quibus hac forma vtuntur quidam Prælati in suis Participationibus, cum verbis Apostoli*: qui ita loquitur: *Ego (scilicet Paulus) audiens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes Sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, &c.* Considerate duas istas litteras, & obseruate, si quædam differentia inter illas inuenienda? *Quæ tam differentia* ait VValdensis *inter: Ego Frater N. attendens deuotionem sinceram ad ordinem nostrum, ob Christi reuerentiam, & Matris eius. Et Ego Paulus audiens fidem vestram quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes Sanctos?* Hìc, quæ differentia? certè nulla. At prosequamur, *Remunerat autem Frater* (prosequitur *VValdesis*) *hanc deuotionem taxatis precibus, Orationum, Missarum &c.* hoc est, communicat Prælatus in dicta Littera deuoto Amico, propter reciprocam deuotionem, fructum Sacrificiorum, Orationum &c. Et Paulus Apostolus quid facit? *Paulus memoriam eorum facit in Orationibus suis*. Denique (supradictus concludit) *Fratres concedunt participationem perpetuam. Paulus non cessauit gratias agens pro eis exercere memoriam*. Est ergo magna paritas & similitudo inter *Pauli Apostoli* verba, quibus in sua Epistola Ephesijs suarum Orationum fructum communicat, & formam litterarum Gratiosarum, qua Prælati Regulares vtuntur in suis patticipationibus: vt testatur *Ruteus n. cit.* Imò *Paulus Apostolus* Prælatis Regularibus in suis Epistolis subministrauit formam communicandi participationes Ordinum per Chartas & Epistolas; vti benè aduertit idem Author, videlicet Epistola ad *Coloss.* 1. vbi similiter scribit: *Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes: audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes.* Et deinde: *Ideò & nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni Sapientia, & intellectu Spirituali, vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes*. Et ecce fructum Gratiosarum Participationum Regularium, cùm & in aliquibus adiungatur: *Vt talibus adiuti Suffragijs, ac bonis operibus, hic augmentum gratiæ, & in futuro vitam æternam percipiatis*. Item ad *Thessal.* 1. sic scribit: *Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione*. Idem repetit initio *Epistolæ 2. ad Timotheum, ad Philemonem, & ad Philippenses*. Quibus verbis certè nihil aliud voluit Apostolus, quàm illos omnium suarum precum reddere participes, eo modo, quo Prælati Regulares de facto faciunt: *quibus verbis* (*Ruteus n. cit. 11. in fine*) *indubiè, nihil aliud intendebat Apostolus, quàm reddere eos participes omnium suarum Orationum, & hoc continuò, vt ait; quod & modò Prælati Regulares faciunt*: Adde, Apostolum in suis Epistolis non solùm alios suarum Ora-

Orationum reddere participes, sed insuper (sicut Prælati Regulares quoque faciunt in suis Gratiosis) etiam omnium suorum laborum, atq; bonorum operũ: vnde scribens ad *Philippenses*, ita loquitur: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens super cõmunicatione vestra in Euangelio Christi:* Porrò hìc *Nihilominus Paulus promisit* (dicit *VValdensis cap. cit. 94. n. 1. sub litt. B.*) *dicendo semel: in cunctis orationibus meis; quàm sigillatim recitando Missas, Prædicationes, & Vigilias quas Fratres promittunt per partes.* Et dum dicit *super communicatione vestra in Euangelio*, Apostolus intelligit de communicatione *in bonis operibus*, sic cum alijs sentit doctissimus, & pijssimus *P. Nouarinus in suo Paulo Expenso, & illustrato, super cap. 1. Epist. ad Philipp. sub n. 1144.* quod apertè attestatur *Cornelius à Lapide* sequentibus verbis: *Hæc communicatio, est cooperatio, & Participatio laborum, & Passionum, quas Paulus, & Apostoli pro hac Euangelij propagatione, vel sustinebant, vel suscipiebant, in quibus communicabant, & participabãt Philippenses*: quòd etiam Apostolus, declarat, dicens: *Eo quòd habeam vos in corde, & vinculis meis, & in defensione & Confirmatione Euangelij socios gaudij mei omnes vos esse.* Quibus clarè demonstrat, quomodo Philippenses suorum laborum, atque meritorum sint participes: *Socios gaudij mei omnes vos esse:* hìc enim *gaudium plerique putant vocari vincula, & tribulationes, quas pro Euangelio Paulus sufferebat, quarum participes Philippenses erant effecti*: verba sunt supradicti *P. Nouarini loc. cit. n. 1145.* vbi aduertit *Græcum* habere loco *gaudij mei*, *Gratiæ meæ*: hoc est: *Consortes* (explicat *Ruteus sect. cit. 3. n. 12.*) *& ex æquo participes gratiæ, ortæ scilicet ex vinculis meis, & laboribus, ac difficultatibus susceptis pro defensione, & Confirmatione Euangelij.* Ecce quomodo Paulus Apostolus omnium suorum laborum, & passionum Philippenses demonstret participes. Et quis Prælatorum Regularium per suas Gratiosas tanta communicauit, quanta Paulus Apostolus per suas Epistolas? *Nonne maiora donauit Fratribus suis Paulus* (dicit *VValdensis cit. num. 1. in fine*) *& maiorum fecit esse participes per planas Epistolas suas, quàm Religiosi, vel cæteri Ecclesiarum Prælati, per chartas modernas Fratribus largiuntur?* certissimum id est: quia *ipsi* (Religiosi scilicet, prosequitur Idem) *Missas celebrant, vigilant, laborant* (sed quid?) *nullus tamen Fratrum promittet, quod fecit Paulus ad Coloss. 1. dicens, Gaudeo in passionibus pro vobis & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in Carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Quanta charitas, vt se putet passiones debere Christo in Carne sua pro Fratribus! Et iterum 1. Corinth. 15. Quotidie morior per Gloriam vestram. Ecce qui fecit bonorum suorum speciales participes, primò beneficia charitatis suæ abundanter exponit, Orationum videlicet, Euangeliorum, Vigiliarum, Abstinentiarum, Passionum Christo congruentiarum, quotidianam Cruciationem Animæ, mortem, & vitam per gloriam. Hæc charta erat Fraternitatis Apostoli, hæc scripta Epistola, & Pauli manu subscripta.* Hucusque doctissimus *VValdensis*, mirabilis in probando nostro assumpto, quod magis adhuc stabilitur, *per illa multa* (affero verba *Nauarri de Psalt. & Rosar. Miscell. 11. sub n. 3. vers. 6. quæritur*) *quæ Thomas VValdensis attulit, ad probandum, quòd Paulus, Ioannes, & Iudas Apostoli, & Timotheus, & Siluanus Communicarunt specialiter suas Orationes suaque bona Opera quibusdam particularibus Christianis sibi amicioribus.* Cùm constet (etiam per ipsum *VValdensem*) inter Apostolos non Paulum tantùm, sed & alios, ad imitationem Christi sui Magistri, qui ex infinita sua Charitate omnium suorum meritorum participes fecit homines, alijs communicasse bona opera, ac orationes proprias, quod etiam faciunt Prælati Regulares per suas *Chartas Gratiosas*; propterea stabiliter conclusum manet, illas ex nouo Testamento originem trahere.

## DVBIVM TERTIVM.

### *Vtrùm talis communicatio à principio omnium Religionum practicata fuerit?*

RESpondeo affirmatiuè: & dico, 115
quòd cùm Christus Dominus, eiusque Apostoli, imò totum Corpus Ecclesiæ consueuerit communicare bona opera: insuper & Sancti Patres, ijsdem inhærentes vestigijs, hanc communi-

municationem, ab initio naſcentis Eccleſiæ, exercuerint; prout, in huius rei probationem, aliquos ex omnibus ferè ſæculis, breuiter adducit *Ruteus quæſt. 1. ſect. 5.* ad imitationem *VValdenſis cit. tit. 10. cap. 95.* Ita pariter in qualibet etiam Religione à Sanctiſſimis earum Fundatoribus, & primis Moderatoribus, communicatio bonorum operum Ordinis, per chartas Filiationis practicata fuit; idque admittitur à Doctoribus communiter, tam antiquis, quàm recentioribus: & ab omnibus Religionibus in particulari.

116 Probo igitur reſponſionem imprimis authoritate Doctorum, teſtante id *VValdenſe, cit. cap. 95. in princ.* vbi ait: *Nulla Monaſterialis collectio, ab inſtitutionis ſuæ tempore, hanc omiſit charitatem. Peyrin. de Prælato, quæſt. 3. cap. 6. num. 14. in fine; Vſus talium participationum fuit in Eccleſia à tempore Apoſtolorum vſque ad præſentia tempora, ſemper approbatus;* loquitur autem de hac ipſa participatione per Litteras Gratioſas. *Tamburino, de Iure Abbat. tom. 2. diſp. 9. quæſito 4. num. 4. verſ. ex quibus: Concludendum eſt, expediens eſſe, Prælatos Regulares qui præ alijs, Chriſti, & Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum imitatores eſſe debent, Litteras Gratioſas elargiri debere, maximè domeſticis, & benefactoribus, quia fraterna, & Religioſæ charitati conſonum eſt, atteſtante Domino: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Hinc ortum habuit, vt Religiones ab antiquo has patentes litteras, & Suffragiorum chartas, ſuis domeſticis, & familiaribus, alijſque deuotè petentibus donauerint, vt totius Religionis Sacrificiorum, Orationum, Ieiuniorum, diuinorum Officiorum, prædicationum, aliorumque operum participes efficerentur. Ruteo, quæſt. 1. ſect. 5. num. 23. in fine: Bonorum ſpiritualium communicationes, & participationes, cùm ortum habuerint non modo in veteri teſtamento, ſed etiam à Chriſto, & Apoſtolis, imò & ab ipſa Eccleſia, & Sanctis Patribus, non eſt mirum; quòd Prælati Regulares ſemper illis vſi fuerint, eaſque amicis, & benefactoribus in teſtimonium beneuolentiæ conferant. Bordone reſ. 84. quæſt. 1. num. 8. An vſus communicandi benefactoribus bona opera, quæ fiunt in Religione, ſit antiquus? Reſpondeo, eſt antiquiſſimus, de quo ſit mentio in cap. cùm dilectus 3. de ſucceſſ. ab inteſt. ibi Archipreſb. de Alterio ad participationem Orationum Monaſterio de Bruſia obtulit ſe, & ſua, & eſt decretalis Innoc. III. Electi de anno 1198. Ferdinando de Caſtro Palao Oper. Moral. part. 4. tract. 24. diſp. vn. punct. 6. num. 8. verſ. ſecunda quæſt. Mos eſt non ſolùm præſens, ſed antiquus, vt Prælati cooptent aliquos inſignes Benefactores in fratres Religionis, eoſque quaſi illius membra conſtituant, ſibique vniant, & omnium gratiarum, & bonorum operum, quæ in Religione præſtantur, efficiant participes. Ruteo quæſt. 1. ſect. 6. numer. 24. in princ. Quod in ſingulis Religionibus ſemper fuerit praxis concedendi Litteras Filiationis Amicis, & benefactoribus, reddendo illos participes bonorum ſpiritualium, conſtat ex ſingulis Ordinibus in particulari.* Et hoc ipſũ ſit

117 Secunda probatio noſtræ reſponſionis; conſuetudo videlicet omnium Religionum, quæ adeò certa eſt, & ab antiquo vſitata, vt vlteriùs probatione non egeat, cùm reipſa conſtet, vt videre licet, præcipuè apud *VValdenſ. e. cit. & Rut. ſect. 5. & 6. cit.* quibus locis hi duo Authores, antiquiſſimas recenſent Litteras Gratioſas, Sanctiſſimorum Epiſcoporum, Fundatorum, Prælatorum, Monachorum, aliorumque directas etiam ad Reges Galliarum, ad deuotiſſimas Principiſſas, &c. quæ omnia hìc diffuſiùs referre ſuperſedeo, tum ſtudio breuitatis, tum quòd res ſit extra omnem controuerſiam poſita: quare tam Dubio huic, quàm toti Capiti finem impono, verbis *Rutei ſect. 6. cit. in fine*, quod nimirum abſolutè loquendo: *Ea ſemper fuit conſuetudo in omnibus Religionibus, Amicis, & Benefactoribus, Litteras Filiationum concedere, quibus bonorum ſpiritualium Ordinis participes redduntur.*

CA-

# CAPVT QVARTVM.

## *A quonam concedantur* LITTERAE GRATIOSAE?

118 INdubitatum est, concedi à Prælatis Regularibus. Decidetur ergo hoc Capite, quo iure id faciant, & quinam Prælati hac potestate polleant; quate sit.

### DVBIVM PRIMVM.

*An huiusmodi potestas ex sua Natura eis competat?*

REspondeo affirmatiuè. Ratio in promptu est; quia Religiosus vi solemnis suæ Professionis, sub dominio, & possessione Superioris sese constituit. *Glos. V. Possidere, cap. Non dicatis 11. 12. q. 1. Bondonus de Paupertate Religiosa cap. 12. numer. 5.* & Doctores communiter. Specialiter autem per Votum Obedientiæ, vt constat ex *Bonifatio VIII. cap. si Religiosus in 6.* vbi ait: *Si Religiosus, cuius arbitrium non ex sua, cùm velle, vel nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei super Caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet*: quo Voto suppositò, *in ipso iure naturali fundatur eius obligatio*; *Pellizzarius in Manuali Regul. tom. 1. tractat. 4. capit. 4. sect. 2. quæst. 1. numer. 27.* quæ obligatio ex duplici Capite originem trahit, imprimis in quantum Ius naturale vniuersaliter dictat, obediendum esse Superiori in ijs, in quibus est Superior; deinde, in quantum idem Ius docet, standum esse promissis: quod etiam colligitur ex doctrina *Lessij de Iustit. lib. 2. cap. 5. numer. 10. Vers. obycitur secundò*, vbi ait; *Ius naturale dictat nihil alteri inuito auferendum, quocumque iure id illi competat, sicut etiam iubet Superiori obediendum, etiamsi illa potestas ei nisi iure humano non competat.* Cùm ergo Religiosus per Votum Obedientiæ, voluntariè sese submiserit dominio Prælati, eique coram Deo promiserit obedire, in ijs, quæ sunt conuenientia propriæ Regulæ, tenetur id fideliter exequi: & supposita tali promissione, iure etiam naturali obligatur obedientiam adimplere

ac Superior ex sua natura eam præcipere potest: quocircà ex sua quoque natura communicare potest per Litteras Gratiosas bona opera suorum Subditorum, cùm hæc ratione Voti Obedientiæ sub dominio Prælati constituta sint; idem docet *Tamburinus de Iure Abbatum tom. 2. disputat. 9. quæsito 3. numer. 1.* hisce verbis: *Cum Prælati Religionum dominium voluntatum suorum subditorum ex vi Obedientiæ Voti, in suis manibus emissi habeant, possunt cuicumque voluerint; eorum merita, & Orationes, Oblationes, aliaque opera applicare.* Addo ex mente *Suarez tom. 3. de Religione libr. 10. cap. 6. numer. 6.* posse Prælatum applicare, & communicare pro suo beneplacito subditorum merita *non solum ex vi Voti Obedientiæ, sed etiam ex vi promissionis, qua se tradidit subditus voluntati suorum Prælatorum, imò, & ratione Iurisdictionis Ecclesiasticæ, quam ipsi Prælati recipiunt à Papa*: cùm Religiosus subditus teneatur obedire suo Prælato ex omnibus hisce capitibus: ex quibus proinde sic infert *Pellizzarius numer. 27. citat. in fine: Vnde obligatio obediendi Prælato Regulari oritur ex quatuor titulis, nempe ex Voto, ex traditione, & iurisdictione Ecclesiastica, & potestate politica.* Cùm ergo ex tot titulis Religiosi, eorumque voluntates, sub dominio & possessione propriorum Prælatorum consistant; mirum non est, hos ex sua natura, per Litteras Gratiosas, illorum bona opera, Amicis ac Benefactoribus Ordinis communicare posse, nam, vt dictum est, *In Religioso Iure naturali fundatur obligatio obedientiæ Religiosæ.*

119 Cæterùm cùm hìc tam amplum dominium Prælatorum Regularium supra Religiosos subditos, eorumque voluntates, ac operationes concesserimus, maximè virtute Voti Obedientiæ, propter quod Patres, & Doctores communiter asserunt, Religiosum, non habere velle, nec nolle: non esse sui Iuris, sed totum sub dominio & potestate Prælati; nollem Lectorem, præcipuè Sæcularem (vtporè qui Obedientiæ Religiosæ suauitatem ignorat) sibi formare conceptus, eius dulcedini aduersantes; ita vt sub formalitate præfati dominij, sibi imaginetur, Religiosos subditos, cùm iuxta vulgarem parœmiam nec habeant velle, nec nolle, à suis Prælatis, absoluto dominio; ad libitum ita regi, & tractari, *tamquam serui essent subditi* (ait *Peyrinus de subdito Capit. 12. Notab. 2.*) *& mancipia, pretio, vel bello acquisita.* Non, inquam, adeò viliter possidentur Religiosi à suis Prælatis ratione Voti Obedientiæ, neque ad libitum ab ipsis tractari possunt, aliàs *vilissimus, & stultissimus esset* (subiungit *Peyrinus*) *qui statum Religiosum appeteret; & indueret; cùm libertatem, qua toto auro nobilior est; & qua melius in homine nihil est, à se penitùs abdicaret.* Nouerit proinde Lector, verum quidem esse, quòd Religiosus ratione Voti Obedientiæ, non habeat velle, nec nolle, consequenter constitutus sit sub dominio, & potestate Superioris; sed quid? numquid sub dominio, & potestate Superioris, tanquam seruus, aut mancipium illius, pretio, vel bello acquisitum? apagè hæc: non enim eousque sese extendit dominium istud, ac potestas, consequenter nec præcipiendi facultas. Imperant ergo Prælati Regulares subditis sibi Religiosis, non vt seruis, sed vt Filijs; non iuxta libertatem propriæ lubentiæ, sed iuxta Regulam; maximè cùm ipsimet haud ignorent, excessuros se confinia potestatis suæ, ac Iurisdictionis, si eam vlteriùs extenderent. Idque manifestum est, quia (loquor hìc cum Lectore Sæculari ad tuendum suaue Religiosæ obedientiæ iugum) quia, inquam, Superiores Regulares nequeunt præceptis suis, subditos sibi Religiosos, ad aliud obligare, quàm ad id, ad quod ipsimet Religiosi se eis liberè subiecerunt: obedientia quippe Religiosa, non est subiectio ciuilis, neque naturalis, sed penitus & absolutè voluntaria. Religiosi autem, per Votum Obedientiæ, transtulerunt libertatem, subiecerun- que voluntatem suam, Superio-

rum

rum dominio, in ijs tantùm rebus, & quoad ea præcepta, quæ sunt secundùm Regulam, quam solemniter professi sunt: quocircà eximium Prælatis Regularibus monitum, quod semper præ oculis habere deberent, relinquit *Bruno Cassaing de Prælato Regulari pag. mihi 368. Vltima totius libri propè finem*; vbi per hæc verba operi suo coronidem imponit: *Prælati præ oculis habere debent, se filijs Dei imperare, in quos ipsi, aliam non habent authoritatem, quàm eam, quam radicaliter ab ipsorum pia voluntate, & deuoto proposito, seruiendi Deo acceperе.*

119 Igitur Religiosi, vltra Regulam, non obligantur, neque subditi sunt, sed habent velle, & nolle: non subijciuntur Prælatis vltra terminos & mensuram Regulæ; imò etiamsi pium quid, ac honestum eis imperarent, vltra aut præter Regulam, non subderenrur, quoad hoc, dominatiuæ eorum potestati: *Aliàs* (ait *Castro Palao part. 3. Operis Moral. disput. 4. de Voto Religiosa Obedientia punct. 4. numer. 2. in fine*) *si Religiosis sibi subditis præcipere posset Prælatus, quæ sunt absolutè extra Regulam, & quælibet honesta, potestatem haberet obligandi Religiosum ad mutandum statum, quod est falsum*, redditque asserti sui rationem *numer. 3.* per hæc formalia: *Non enim Religiosus indiscriminatim suam voluntatem transtulit in voluntatem Superioris; sed iuxta Regulam, quam professus est, neque sequela Christi aliud expostulat.* Ex quibus clarè apparet, Prælatos Regulares, ratione Voti Obedientiæ à subditis sibi præstiti, non posse de ipsis disponere dominio absoluto, & ad libitum, tanquam serui essent subditi, & mancipia, pretio, vel bello aquisita: sed facultas de ipsis disponendi, in hoc præcisè consistit, vt exigant ab illis ea, quæ sunt iuxta Regulam; si quid vltra exigatur, iniustum est, neque id vllo pacto prætendere possunt, vt disertis verbis attestatur *S. Bernardus libr. 1. de Præcepto, & Dispensat. column. 4.* vbi ait: *Prælati iussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis; nec vltrà extendi potest, nec contrahi citrà. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, vel plùs exigat, quàm promisi; Vota mea, nec augeat sine voluntate mea, nec minuat sine certa necessitate. Ponant ergo Præpositi metam obedientiæ subiectorum ex Votis labiorum ipsorum, non suorum desideriorum; monentes eos, non cogentes ad celsiora; condescendentes eis, cùm necesse fuerit ad remissiora:* ita *Sanctus Bernardus*, ex cuius sanctissimis verbis clarè constat, quòd cùm status Religionis sit status perfectionis, ad eum nemo cogi possit, cùm sit status consilij, vti benè annotauit *P. Illuminatus Moronus in sua Biga, Controuersia de Consuetudine contra Regulam, Respo. 1. numer. 117. in fine*; *Status Religionis est status perfectionis, ad quem nemo potest cogi, cùm sit status consilij*: ad aliud proinde compelli non possunt Religiosi à suis Prælatis, & superioribus, quàm ad obseruantiam eorum, quæ ipsi promiserunt ex Voto labiorum; quamuis enim Prælati ac Superiores in ipsos tanquam Subditos, habeant dominium, Iurisdictionem, ac potestatem; hæc tamen non extenditur, vt definiunt Doctores, & in specie *Moronus loc. cit. nisi in ordine ad compellendos eos seruare, quæ liberè Deo promiserunt*: id est ad puram obseruantiam Regulæ; inde fit, quòd Superior, seu Prælatus Regularis, non sit Dominus simpliciter Subditorum, vt de ijs pro libitu disponere valeat; sed Minister, & Custos Regulæ, atque Instituti, ait *Lessius de Iustitia libr. 2. cap. 41. Dub. 9. numer. 76. versu: Quintò præcipiat*, hisce verbis: *Superior, est Custos Regulæ, & Instituti, eique datur potestas, vt Subditos secundùm illam perficiat, non vt ad maiora obliget: quæuis enim Religio vitæ mensuram, suum exercitiorum modum sibi præscriptum habet; qui Regulis, & Constitutionibus cuiusque exprimitur, ad quem vt perducatur, instituuntur Superiores.* Cùm ergo Prælati Regulares sint solummodo Ministri, & Custodes Regulæ, & Instituti à Religiosis promissi, vltra quod ad nihil se obligarunt, neque etiam vltra terminos, ac fines Regulæ, seu Instituti Superiores disponere possunt; idque certissimum est iuxta

F 2 ta

ta doctrinam etiam Angelici Doctoris *Quodlib.* 10. *artic.* 10. *&* Communem.

120 Vltra terminos, inquam, fines, ac mensuram Regulæ, seu instituti disponere non possunt Prælati circa suos Subditos; benè autem, quantum ad Regulam, siue Institutum præcisè ab eis promissum, pertinet; & hoc est, quod vult *S. Bernardus* illis verbis: *Prælatus non plus exigat, quàm promisi ex Voto labiorum meorum*, id est vltra Regulam, seu Institutum, quod professus sum: iuxta obseruantiam nimirum, quam inueni, & consuetudinem ab ea legitimè præscriptam, & secundùm Regulam mitigatam, non verò secundùm antiquam, in suo primo rigore institutam, quam in eum modum professus non sum. Deducitur additio hæc, non solùm ex prædictis, & ex approbatione Authorum, *de Castro Palao par.* 3. *de Voto Religios. Obed. disput.* 4. *punct.* 4. *num.* 11. *Moroni Resp.* 1. *citat. numer.* 132. *&* 138. *& Bordoni de Paupert. Religiosa capit.* 21. *quæst.* 14. *& Operum tom.* 6. *cuius Titulus, Propugnaculum Opinionis probabilis numer.* 120. sed etiam conuincitur ratione ipsa naturali, quia si ad statum Religiosum (vt supra dictum) eò quòd sit status puri consilij, à nemine quis cogi potest, præterquam à semetipso; igitur neque ad statum particularis cuiusdam Consilij, perfectionis, seu Instituti, quis cogi poterit ab alio, præterquam à seipso. At talis Religiosus (vti vniuersaliter faciunt omnes) ex voto labiorum suorum, per actum suæ Professionis, eam solummodo promisit perfectionem Euangelicam, & Regulæ suæ obseruantiam, quam prius in suo Nouitiatu practicauit, & didicit; *non iuxta rigorem primæua institutionis* (ait *Moronus loc. citat. numer.* 136.) *sed cum Priuilegijs, exemptionibus, & consuetudinibus, legitimè præscriptis ante emissionem professionis*; igitur à Superiore, circa talem Subditum, disponi solummodo potest, secundùm obseruantiam, & mensuram Regulæ taliter mitigatæ; Consequentia hæc probatione non indiget; clarum enim est, Religiosos à nemine posse cogi (*ait idem Moronus loc. citat.*) nec à Prouinciali, Generali, Capitulo Generali, nec ab ipso Papa ad obseruantias rerum, præter illas, ad quas se Voto obstrinxerunt; neque ad plura, quàm vouerint, poterunt adstringi Religiosi: assignat insuper rationem vniuersalem, *numer.* 136. *quia videlicet, nemo potest cogi ratione subiectionis, Voto, vltra quàm se intenderint obligare voventes*: ergo &c.

Confirmatur hoc totum alio quoque motiuo, allato *à Bordono de Paupert. Religiosa loc. citat. numer.* 47. Nemo tenetur crescere, *ex capit.* 2. *distinct.* 54. *Nauarr. consil.* 56. *de Regul. numer.* 6. vbi probat, Summum Pontificem, non posse cogere Professum vnius Religionis, ad transeundum ad aliam, cuius nullum emiserit votum; igitur qui non professus est Regulam rigorosam, sed mitigatam; ad hanc, non ad illam, obligatus erit: nam si ad illam, quam ex Voto labiorum suorum, neque professus est, neque se obligare intendit, transire teneretur; is, certo modo violentus, atque iniustus foret transitus, ad alium magis rigorosum statum Religiosum, ad quem nemo vnquam cogi, aut compelli potest. Clarissima duo exempla, ad firmam, atque authenticam præsentis doctrinæ demonstrationem affero. Primum sit Patrum Carmelitarum, mitigatam Regulam obseruantium: isti cogi non possunt, ad transeundum ad Carmelitas Discalceatos, qui obseruant Regulam reformatam: Vti nec Franciscani, qui & ipsi bona conscientia (vt docet *Sanchez Operis Moralis tom.* 2. *libr.* 6. *cap.* 2. *numer.* 26. & cum eo *Moronus resp. citat. numer.* 131. Obseruant Regulam mitigatam, id est, cum Priuilegijs, exemptionibus, & consuetudinibus legitimè præscriptis, vllatenus cogi possunt ad obseruantiam rigorosam Patrum Cappuccinorum: & hoc ideò, quia nullus Professus cogi potest ad obseruantiam eius, 121

quod

quod Deo non promisit ex Voto labiorum suorum ; non autem promisere præfati obseruantiam rigorosæ Regulæ Sancti Francisci : igitur ad eam cogi nequeunt, hoc ipsum asserit etiam *Bordonus loc. citat. numer.* 48. Quapropter Summus Pontifex *Innocentius X.* ( quod secundum exemplum sit ) ipsamet methodo, qua Reformationem Regularium aggressus est ( vt etiam obseruat *Bordonus numer. 40. cit. & Tom. 6. loc. cit. num.* 120. ) hanc doctrinam approbauit ; quandoquidem non indixit, neque præcepit Generalem Regularium Reformationem, vti fecit *Clemens VIII.* in suis Decretis, sed solùm in Monasterijs à Sua Sanctitate pro Nouitiatu designatis : ad quæ Monasteria præfatus Pontifex, neminem ex Professis transire compulit, nisi sua sponte ac bono Spiritu id facere voluisset. Intentio quippe illius fuit, vt in dictis Conuentibus educarentur Nouitij cum Reformatione Regulæ, quam deinde profiteri debebant, & promittere ex voto labiorum suorum, eamque deinceps obseruare tenebantur ; quod argumentum est certissimum ( etiam iudicio *Bordoni num.* 48. *cit.* ) Professos Regulam mitigatam, compelli non posse, vt transeant ad reformatam, eo ipso, quòd diuidantur Ordinis Conuentus, ita vt vna pars deputetur pro Nouitijs, ac nouis Professis iuxta ceptam reformationem : altera remaneat pro antiquis Professis iuxta Regulam mitigatam. *Id autem ( ait Bordonus ) est certum Argumentum, quòd Professi Regulam mitigatam, cogi non possunt ad subeundam reformationem, dum in eadem Religione diuiduntur Conuentus &c. Quare professi cogi non possunt, sed solum venientes ad Religionem post inchoatam reformationem.* Quod tamen, de antiquis Professis, cum limitatione, ab Authoribus assignata, intelligendum est : videlicet eos cogi non posse ad reformationem, excepto casu, quo hæc moraliter necessaria foret ad conseruationem Regulæ assumptæ, & in statu mitigato professæ, vt benè docet *Castro Palao loc. cit. numer.* 11. in hunc modum. *Ex voto solùm potes obligari ad obseruandam Regulam, quatenus viget ; non quatenus abolita est : & deinde obligari tantùm potes ad obseruanda quæ necessaria fuerint ad illius secundùm statum assumptum, conseruationem, quia sub tuo Voto nec expressè, nec tacitè continentur. Aliàs posses ad nouam Religionem obligari. Quòd si vrges, quando iudicabitur, reformatio moraliter necessaria ad Religionis assumptæ reformationem? optimè respondet Layman. libr. 4. Sum. tractat. 4. capit. 9. num. 4. conclus. 2. inquit enim, Tunc reformatio Regulæ necessaria videri debet ad Regularis Ordinis conseruationem, si cum præsente obseruatione ; paucissimi ad perfectionem Religiosam peruenire studeant, sed cum scandalis, & querela sæcularium viuant ; vt expediret omninò Religionem dissolui, quàm ita continuari. Si neque essentialia Vota, v. g. quæ ad paupertatem Religiosam spectant, communiter obseruentur.* Videatur *Moronus respons. cit. à numer.* 130.

Exceperam ego olim Confessiones 123
cuiusdam Monialis prouectæ iam ætatis, quæ Religionem professa fuerat, mitigata iam Regula ; aduerti, eam in materia hactenus tractata, de Regulæ obseruantia, sequentibus agitari scrupulis. Eos tibi euoluere, ô Lector, consultum duxi, vt ex eorum solutione tantò clariùs pateat, quantopere fundata, atque radicata sit doctrina hucusque tradita. Primus scrupulus in eo consistebat, quòd iam à tempore Nouitiatus illius, à quo plurimi eousque excurrerant anni, ad publicam Mensam, coram omnibus Monialibus, lecta semper fuerit, & etiamnum legatur Regula rigorosa, prout à prima sua origine instituta fuerat : ergo ( inquiebat ) nullius roboris est Regula mitigata, neque vnquam ab hac contra illam, præscriptum fuisse, dici potest : quandoquidem præscriptio hæc, ac conscientiæ securitas, quæcumque demùm afferatur, interrupta semper fuerit, ab interueniente publica Regulæ rigorosæ lectione. Excmi scrupulum

lum iſtum pęnitenti; ei conteſtatus, certò ac ſecurè tenendum, quòd publica lectio menſalis primæ ac rigoroſæ Regulæ, obligationem non inferat eam obſeruandi; lectio enim refertur ad memoriam, non ad interrumpendam conſuetudinem, quæ vim præſcriptionis iam obtinuit: & eſt actus ſpeculatiuus potiùs, non verò practicus: ad conſeruandam autem in praxi legem aliquam, ſeu conſuetudinem, requiritur actus practicus. Legi ergo (aiebam) præfatam Regulam ad publicam menſam, atque etiam priuatim, at non practicari: conſequenter non præiudicare conſuetudini contra eam pręſcribenti, neque conſcientiæ Monialis, eam non obſeruantis; Aliud dicendum foret, ſi Regulam mitigatam, & ex Voto labiorum ſuorum promiſſam non ſeruaret. Similis ſcrupuli deciſionem, quoad lectionem menſalem, non quidem Regulæ, ſed Bullarum Pontificiarum, inuenio apud *Bordonum de Pauper. Relig. citat. cap.* 21. *num.* 33. Eius reſolutio ad normam noſtræ facta, ſequentibus conſtat verbis. *num.* 36. *Legendæ ſunt in Menſa, & leguntur defacto, ergo conſuetudines, nullas vires contra dictas Bullas accipere poſſunt, nec præſcribi, eis interrumpente lectura. Sed ex hoc nihil contra nos, nec refert quòd legantur, quia lectio refertur ad memoriam, non ad tollendam conſuetudinem iam præſcriptam. Eſt præterea actus ſpeculatiuus, non practicus, qui neceſſarius eſt ad conſeruandam, vel tollendam legem, & conſuetudinem. Leguntur ergo, ſed non practicantur, conſequenter lectio in nullo præiudicat præſcriptæ conſuetudini.*

124 Alius adhuc ſcrupulus, & quidem præcedenti grauior conturbabat bonæ Monialis animum, maioremque conſcientiæ infligebat pœnam; ſcilicet, quòd licet primus Regulæ rigor, non ſolùm tempore Nouitiatus illius, non ampliùs obſeruabatur, ſed etiam tanto tempore antè, vt (iuxta traditionem) nulla, quando relaxatio cœperit, extet memoria: ita vt priſtinus Regulæ ſtatus, adeò abierit in deſuetudinem ex iam longæua conſuetudine, quòd fermè præſumatur iuſta cauſa non ſeruandi Regulam primæuam, ſed tali modo mitigatam: nihilominùs, quando ipſa emiſit Profeſſionem, non habuit limitatam, & expreſſam intentionem profitendi Regulam mitigatam, vt ſeruabatur à toto Conuentu, cum excluſione poſitiua rigoroſæ obſeruationis: quare, cùm teneretur (aiebat) vtpote Religioſa, ſub peccato mortali, tendere ad perfectionem, vti continuò in exhortationibus, Religioſiſſimus, ac ſanctiſſimus Zelus Patrũ Cappuccinorum eis inculcabat: ideò ſe obligatam agnoſcere ad rigoroſam primæuę Regulæ obſeruantiam: tum quia hæc ex Voto labiorum ſuorum excluſa non erat; tum quia talis obſeruatio, vera eſſet via ad perfectionem: non autem, obſeruare Regulam ita collapſam, vt modò ſeruatur.

Hunc ipſum ſcrupulum, ſeu dubium 125
promouent Doctores, in ſpecie *Abbas Panormit. cap. ſuper eo num.* 5. *de Regul. & cap. Deus qui nu.* 19. *de vita & honeſtate Cleric. & cap. vnic ad Monaſterium, nu.* 18. *de ſtatu Monach. Felin. cap. vnic ad Concupiſcentiam num.* 12. *de Conſtitut. Dec. cap. Ad noſtrum, in noua additione nu.* 21. *&* 22. *de appellat. & ibi Præpoſit. num.* 9. *Roſel. verbo Religio* 2. *numer.* 12. *Sylueſt. verbo Religio* 3. *quæſt.* 12. relati à *Morono Reſp. cit. num.* 130. quibus adde *Bordonum loc. cit. quæſito* 12. *num.* 45. hi omnes reſoluunt (vti ego iuxta eorum doctrinam Moniali reſponderam) non eſſe neceſſarium, in actu profeſſionis habere expreſſam intentionem non ſe obligandi ad primam Regulam, ſed ſolùm ad mitigatam, & prout eſt in vſu: ſufficit enim, habere de eo implicitam & virtualem intentionem, *contentam* (ait *Bordonus*) *in conſuetudine ſic viuendi*; ita vt, ſi ante profeſſionem interrogata fuiſſet, an ad primam Regulam atque ad rigoroſum inſtitutum ſe velit obligare, reſpondiſſet, quòd non, prout reuerà à quolibet prudente, reſponſuram fuiſſe, ſupponendum eſt: tum quia quiuis Nouitius vel Nouitia, illorum vel illarum mores ſequi intendit quibuſcum conuerſatur, ac durante vita conuerſari debet, neque talis intentio irrationabilis eſt, cùm opera ex ſe indifferentia, quæ publicè à tota Communitate exercentur, bona eſſe cenſenda ſint; tum etiam, quia (vt benè *Caſtro Palao nu.* 11. *cit.*)

11. *cit.* ) *ex voto Iubiorum, solùm potes obligari ad obseruandam Regulam, quatenus viget, non quatenus abolita est. Et Nouitius profitetur eam Regulam* ( ait *Bordonus nu. 45. cit. prout obseruatur; non enim discipulus debet esse maior Magistro, sed sufficit illi esse sicut Magister Matth. 10. 25: & ad præsentem modum viuendi diriget suam professionem: ergo censetur profiteri Regulam, prout nunc obseruatur*. Atque hoc est, habere intentionem implicitam, & virtualem profitendi Regulam secundùm præsentem obseruantiam: ad quod non est necessaria, inquiunt citati Authores, intentio explicita, excludens primam Regulam iam abolitam. In hunc modum, præter alios enumeratos, resoluit hunc Monialis scrupulum, *Moronus loc. cit. num.* 134. per hæc verba: *Non est necesse, quòd actu, qui professionem emittit, intendat non se obligare ad primæuam Regulæ obseruantiam, sed tantùm in quantum est in vsu; sed sufficit, quòd tantùm implicitè hoc intendat: ita vt si interrogaretur, an velit obligari ad Regulam primæuam; responderet se nullo modo velle, sed intendere profiteri illam Regulam vt in vsu. Et ratio est quia taciti, & expressi eadem est virtus, iuribus vulgatis: Et votū est lex priuata, quam sibi quisq; imponit: Ergo sicuti lex non ad plus obligat, quàm intendat illam ferens, neq; Votum plus obligabit, quàm intendat, qui illud emisit: ergo neque poterit cogi ad maiorem obseruantiam, quia potestas tota Superioris cuiuslibet in Religionibus, est respectu Voti: neque iurisdictio censetur tradita nisi ad effectum, vt exigatur obseruantia emissorum Votorum*. Hucusque *Moronus*, & optimè quidem: cui adde *Pellizzarium de Monialibus cap. 4. sect. 3. num. 124. in fine*, vbi ait: *Et si vouens obseruare Regulam, intenderit se obligare sub mortali, aut veniali ad singula contenta in Regulis, ex errore putans ita exigere professionem suæ Ordinis, in re solùm intendit profiteri id quod eius Ordinis professio petebat, & maior obligatio est inuoluntaria; vtpote orta ex errore, ideòque non tenet*. Quo non potest dici melius quid ad nostrum propositum.

126 Quantum ad illum scrupulum, quem Prædicatores Cappuccini ( veri Oratores Apostolici, & Pauli Doctoris Gentiū genuini sequaces ) Zelantissimis suis Exhortationibus, dictę Moniali causarunt: quòd nimirum Regulares vtriusque sexus obligati sint ad perfectionem: dico id esse verissimum, neque ab vllo negari posse, quandoquidem non tantùm Religiosi, sed omnes etiam Christiani ad vitæ perfectionem obligentur, vt exactè probat *Hieronymus Platus de bono Status Religiosi libr. 1. cap. 12.* & confirmat *Petrus Maria Passerinus de Hominum Statibus & officijs Tom. 1. ad quæst. 184. D. Th. in 2. 2. pagin. 28. numer. 6.* vbi ait: *Perfectio est essentialis, & necessaria cuilibet Christiano, illa præcisè quæ excludit peccatum mortale: Vnde homo ex hoc perfectus est, quia cùm sit in statu gratiæ, & charitatis, sic viuit vt non peccet mortaliter*. Et hac de causa status Religionis dicitur Status perfectionis. Quapropter communiter affirmant Doctores cum *S. Th. 2. 2. q. 164.* (in qua per octo articulos, & cum eo illius Cōmentator *Caietanus*, tractat de Perfectione Religiosa, eius obligatione, ac statu ) Religiosos versari in via perfectionis, & obligari ad eam tendere; ita præter alios *Miranda in Manu. Prælat. tom. 1. quæst. 1. artic. 3. sub conclus. prima*, vbi ait: *Qualibet approbata Religio est perfectionis electiua via, atque disciplina deueniendi, atque ascendendi ad perfectionem*. Et *quæst. 5. art. 5.* cum *S. Thoma quæst. cit. 184. art. 5.* hanc statuit conclusionem: quòd licèt quæuis Religio, sit status perfectionis, & omnes Religiosi aliquo modo profiteantur perfectionem: *non tamen tenentur necessariò sub nouo peccato, actu iam esse perfecti, sed solummodo ad perfectionem tendere, & ad ipsam adipiscendam conari*; quod & probat, exactè explicando suam doctrinam, & communissimam hanc sententiam, quòd nimirum Religiosi vi sui status obligati sint tendere ad perfectionem: imò per hoc ipsum distinguitur à Doctoribus communiter cum *S. Thoma quæst. cit.* status Religiosus à statu Episcopali, quòd ille inferat obligationem tendendi ad perfectionem; hic verò perfectionem iam acquisitam præsupponat: vnde *Paulus Squillant. de Obligationibus, & Priuilegijs Episcoporum p. 1. c. 4.* ait: *Hæc igitur est veritas, sed non omnes capiunt verbum istud, quòd Religiosi sint in statu perfectionis aquirendæ, quia faciunt tria Vota: Episcopus verò, qui est in statu perfectionis adeptæ, tenetur esse perfectus*: idipsum confirmat *Pellizzarius in Manual. Regul. Tom. 1. tract. 1. cap. 3. sect. 2. quæst. 3. nu-*

3. *numer.* 53. sequentibus verbis : *Status Religiosus est status perfectionis aquirendæ; ideoque contradistinguitur à statu Episcopali, qui est status perfectionis iam aquisitæ. desumitur ex S. Thomæ quæst.* 184. *art.* 5. *docente, perfectionem Religiosorum, ac Episcoporum, secundùm diuersa attendi: cùm ad perfectionem Religionis pertineat studium, quod quis adhibet ad propriam salutem: Ad perfectionem verò status Episcopalis, studium ad proximorum salutem. Vnde cùm status Religionis ordinetur ad seipsum; ideo vocatur schola, & studium perfectionis: status verò Episcopalis ad perficiendum alios: & hoc ipso, quòd non potest tale munus rectè obiri absque præsupposita perfectione iam aquisita, sequitur, statum Episcopalem esse statum perfectionis iam acquisitæ, non autem solùm acquirendæ*, cuiusmodi est status Religiosus.

127 Ex hoc autem, quòd status Religiosus sit status perfectionis acquirendæ, seu via, & conamen ad perfectionem; non sequitur; eum vocari non posse statum perfectionis, sed potiùs viam tantùm, & scholam, ad eam acquirendam; quasi videatur repugnare, versari simul in statu perfectionis, & in via ad eam; Non, inquam, hoc sequitur (obseruat hoc ipsum *Pellizzarius loc. cit. num.* 54.) status quippe Religiosus, *ita est in via* (inquit) *ad perfectionem, vt etiam terminum includat, habens non solùm inchoantes, sed etiam prouectos, ac perfectos*: adeoque ratione perfectorum, ac prouectorum, qui sunt principaliter intenti à Religione, meritò status perfectionis nuncupari potest: maximè cùm status perfectionis inæquales patiatur gradus, prout quisque maiorem vel minorem in via virtutum fecit progressum. Præterea, cùm in ijs omnibus, qui verè statum Religiosum profitentur, aliquis gradus perfectionis reperiatur, proinde tali etiam modo, in toto Religionis Corpore ea existere potest ac debet. Quia verò perfectio Religiosa, in quocumque demùm gradu inueniatur, in eo tamen consistit, vt ad maiores semper gradus anhelet, ideò respectu etiam prouectorum ac perfectorum, in Religione degentium, status Religiosus semper obtinet rationem scholæ, viæ, atque conaminis ad perfectionem; licèt, vt dictum, reapse sit, & verè vocetur status perfectionis, qui tamen in gradu incipientium ac proficientium non subsistit, cùm primariò ac principaliter tendat ad gradum perfectorum. Ex quibus omnibus, præfatæ Moniali omninò conceditur, eam, vtpote Religiosam, obligari ad perfectionem. 128

Ex hoc tamen antecedenti, non consequenter infertur supradictus scrupulus, præfatam videlicet Monialem teneri ad obseruantiam primi, ac rigorosi instituti suæ Regulæ; nam eousque non sese extendit obligatio tendendi ad perfectionem; aliàs nemo Religiosorum, ex Voto labiorum suorum, Regulam mitigatam professus, ob puram huius obseruantiam in conscientia securus foret, & tamen *neque aliud expostulat sequela Christi*; ait *Castro Palaus citat. de Voto Obedient. Religiosa disput.* 4. *punct.* 4. *num.* 3. *Et neque item obstat* (adiungit *Moronus cit. resp.* 1. *sub num.* 131.) *quòd Regula sit laxior, quia ad hoc, vt quis in aliquo statu saluetur, sufficit seruare, quæ à sua Regula, quamuis non austera, præscribuntur, quod certum est*: atque adeò certum, vt *Sanchez tom.* 2. *Operis Moralis lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 26. vniuersalem hac de re formet propositionem, asseratque: Omnes Religiosos excusari à peccato, qui solam Regulam mitigatam à se professam, & legitimè præscriptam, obseruant; rationem etiam assignat: quia nimirum, Regula, vel consideratur prout tria substantialia Vota includit, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ; & hoc modo sumpta, dicit quid omninò substantiale Religionis, & tria Vota continentur sub Regula; adeoque in hoc sensu, nulla contra eam consuetudo, aut præscriptio valet, maximè cùm dicta tria Vota obligent ex iure Diuino naturali, aduersus quod nulla consuetudo præualere potest. Aut sumitur Regula, in quantum comprehendit reliquas obseruantias, quæ continentur sub Voto, non quasi quid Religionis substantiale; sed quasi leges adiunctæ; & istæ tamdiu obligant, quamdiu conseruantur, & quamdiu vim legis obtinent; quam tamen amittunt per contrariam consuetudinem, sufficientem ad derogandum alijs Ecclesiasticis Legibus; cùm leges Regulares non plus roboris habeant, quàm leges Ecclesiasticæ. Sicut ergo, cùm

cùm Prælatus Regularis, siue Superior, in aliqua dictarum Regulæ legum dispensat cum subdito, hic eam non obseruando; excusatur à peccato; ita pariter à peccato immunis erit, qui eandem legem non obseruat, postquam abijt in desuetudinem, nam contra legem non minus robur obtinet consuetudo (legitima tamen) quàm dispensatio: imò multò minùs peccabunt Religiosi, in nostro supposito casu (subiungit *Sanchez*) *quia tales Religiosi* velut etiam sæpedicta Monialis) *iam in re non profitentur priorem illam, & pristinam regulam, sed aliam diuersam laxiorem: & nihil refert, in eum statum deuenerit, siue per dispensationem, siue per legitimam desuetudinem.* Vult ergo. vt paucis dicam, *Sanchez* Religiosum, vltra obseruantiam Votorum, in conscientia solùm obligari, ad obseruandam Regulam, à se ex Voto labiorum suorum promissam, siue ea sit in vigore primæui Instituti; siue mitigata: quod etiam confirmat *P. Peregrinus in Comment. Constitut. Theatin. in Proœmio pag.* 23. his verbis: *sicut nemo virtute suæ professionis in vna Religione, potest compelli transire ad aliam arctioris Regulæ Religionem: eodem modo nequit ad arctiorem vitam obligari. Vnde S. Gregorius relatus in Cap. Gesta distinct.* 74. ait, *Iustum est, vt nemo crescere compellatur inuitus:* fundamentum autem horum omnium est, quòd Votum non obligat vltra intentionem vouentis.

129 Cæterùm, quamuis Regula, per Professionem promissa, quantum ad obseruationem suarum Legum, non obligaret sub vllo peccato, neque etiam veniali, (prout non obligat Theatina) sed præcisè ad subeundam pœnam legalem, transgressoribus taxatam (*Peregrinus loc. cit. Lit. A. §.* 3.) nihilominùs exinde non sequitur, non posse Superiores obligare subditos per præceptum, in virtute sanctæ Obedientiæ, ad obseruationem eiusdem Regulæ, ac legum illius, supposito Voto Obedientiæ secundùm Regulam, ab ipsis emisso; & quòd isti, transgrediendo huiusmodi præcepta, non peccent mortaliter, maximè quando Prælati in suis imperijs non excedunt causam, neque modum; qua de re consulantur, qui materias Regularium tractant, *Peyrinus, Lezzana, Pasqualigo, Bordonus, & alij:* Religiosus quippe, vt communiter docent, & in specie *Lessius de Iustit. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 76. *per Votum Obedientiæ, subiecit se Regulæ, & potestati Superioris,* atque adeò *se obligauit generatim ad viuendum secundùm Regulam, & ad obediendum Superiori præcipienti consentanea Regulæ;* in qua obligatione, *primò omnium continetur, vt Regulam, & mandata Superiorum non contemnat:* Imò necessarium est, vt Religiosus semper conseruet generale, ac firmum propositum, Regulæ, & præceptis Superiorum sese conformandi, neq; ea vmquam contemnendi, contemptus enim destruit rationem formalem obiectiuam, & totum fundamentum Obedientiæ; quapropter Doctores communiter, vt videre est apud *P. Peregrinum in Commentarijs ad Constitut. Theatinas in Proœmio lit. A. §.* 2. *& Versu Dico primo pag.* 28. & apud *Sanchez in Decal. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. Sæpiùs, cum *Sancto Thoma* 2. 2. *quæst.* 186. *artic.* 1. *ad* 1. *& Caietan. ibidem*, Religiosum illum peccati mortalis damnant, qui ex contemptu violauerit Regulam, aut mandata Superioris; quæ sensibiliter, & modò humano accepta & intellecta, haud dubiè exequi tenetur.

Dico, *Sensibiliter, & modo humano:* 130
licèt enim perfecto Religioso, pro motiuo obediendi, sufficiat solummodò penetrare, si possit, aut saltem coniecturare, actum imperatiuum internum intellectus, ac voluntatis Superioris: ad hoc tamen, ratione rigorosæ etiam obligationis obedientiæ, non tenetur, vt obseruat etiam *Moronus Resp.* 1. *cit. num.* 119. vbi ait: *Est aduertendum, subditum Religiosum, quoad præcissam status obedientiæ obligationem, non teneri obedire Superiori, licèt norit eius voluntatem esse, vt aliquid faciat; sed opus esse, illud ipsum esse præceptum;* adducitque in fauorem huius assertionis *S. Thomam de Veritate quæst.* 13. *artic. vlt. arg.* 3. *iuncta eius solutione. Siluest. Verbo Obedientia fine. & Verbo Præceptum q.* 2. *& Vasquez p.* 2. *quæst.* 95. *art.* 3. *disp.* 255. *cap.* 2. *ad finem*, qui ait: *non teneri Religiosum obedire, etiamsi norit actum intellectus Superioris imperantis, nisi etiam voce sit expressus, quia homines obligantur præcepto, modo humano explicato, & intel-*

*intellecto*. Assignat huius rei rationem *Peyrinus de subdito quæst.* 1. *cap.*4. quia videlicet subditus non est subiectus imperio, ac voluntati Prælati, *nisi exteriùs humano modo manifestentur, id est expressè, aut saltem interpretatiuè: Ita vt signis indicet, aliquid esse faciendum, vel omittendum, quia tunc humano modo, satis explicat suam voluntatem*; ita *Peyrinus*, & apud ipsum *Toletus lib.* 8. *Summ. cap.* 15. *num.* 3. *Sanchez lib.* 6. *in Decal. cap.* 2. *num.* 5. *Miranda tom.* 2. *Man. Prælat. quæst.*26. *artic.*4. & alij superiùs à *Morono* relati; quibus adde *Amicum tom.* 5. *de Iustit. & Iure disp.* 9. *sect.* 10. *num.* 154. vbi ait: *Nec voluntas Principis est efficax, & ad extra operatiua, nisi sufficienter manifestata, cùm hic sit modus, hominum naturæ accommodatus, quem debet omnis Principis potestas seruare*: concludit deindè: *& hoc est de intrinseca ratione potestatis humanæ, quæ vt efficaciter sit ad extra operatiua, debet externo signo sufficienter explicari, cùm nequeat illa aliter ab hominibus intelligi.* Huc etiam facit, quòd *de occultis nemo diuinare tenetur*, vt dicitur *Cap. vt nostrum, vt Ecclesiastica benefic.* §. *Porrò*. Vnde *Virginius Aluiset. de Priuilegijs Regularium sect.* 4. *dub.* 7. *num.* 72. ait (quamuis in ordine ad aliud propositum) *adhæremus verbis, & terminis, nec quærimus de intentione*. Quapropter *Petrus Murga de potestate Parochi Disquisit. Pastorali Canonica, & Regulari num.* 43. *&* 44. *pag. mihi* 22. Hanc Legislatoribus suggerit admonitionem: *Legislator debet procurare legem claram, & vti debet verbis in propria eorum significatione: aliàs si Legislator extra legem dicat, se aliter eam intelligere, quàm ipsa verba sonant; non tenemur stare eius interpretationi*: Nam reuerà subditus non tenetur obedire Superiori, nisi mandatum suum sufficienter ei expresserit: atque adeò, *Nec ego ero inobediens* (concludit *Peyrinus lo. c. Vers. Probatur* 1.) *faciens aliquam rem, vel omittens, quam scio meum Prælatum ægrè laturum, si hanc suam voluntatem non manifestauerit vno ex duobus dictis modis, vt habet Rodriquez tom.* 3. *qq. Regul. quia ad mentem illius non exteriùs manifestatam per præcepta, operari non teneor.*

131 Pariter, nec tenetur quisquam operari iuxta legem sibi inuincibiliter incognitam, cùm & ipsæ Leges communiter non obligent subditos sibi ignotos: quapropter hac ipsa de causa promulgantur, vt vim habeant obligandi: vnde *P. Quartus de Casibus Reseruatis sect.*2. *c.*3. *quæst.* 6. *Versu Ad secundum*, disertè ait: *Certum esse apud omnes ignorantiam inuincibilem cuiuslibet legis excusare ab eius transgressione, quia nemo peccat, nisi actu voluntario; hic autem præsupponit cognitionem. Vnde ignorans hunc diem esse festum de præcepto, cogitans omittit sacrum, vel comedit carnes, non peccat. Quare leges communiter non obligant ignorantes; atque adeò essent inutiles, nisi promulgarentur, ita vt veniant in notitiam subditorum*. Quo principio supposito tanquam certo, sustinet idem Author *Cap. cit.* ignorantes inuincibiliter casuum reseruationem, siue nullam habeant annexam censuram, siue etiam sint Episcopales, si in eos, stante tali ignorantia, inciderint, non incurrisse casus reseruatos (quamuis respectu non inuincibiliter ignorantium sint reseruati) posseque proptereà ab huiusmodi peccatis à quocunque ordinario Confessario absolui: quia nimirum, licèt præfati peccauerint, aut contra legem naturæ, aut contra aliam legem, cui peccata ab ipsis commissa opponuntur; contra legem tamen, siue edictum Episcopi reseruantis, quod inuincibiliter ignorarunt, non deliquerunt, ergo &c. *Ratio à priori est* (ait citatus Author) *quia ignorantia pœnæ statuta per Legem, vel edictum, excusat ab incurrenda pœna ignorata à delinquente: quia hic non est transgressor illius legis pœnalis, vt ex communi DD. sententia probat Sanchez de Matrimonio lib.*9. *disput.*32. *sed reseruatio est pœna, & iusta quædam vexatio delinquentium, ob difficultatem obtinendi absolutionem, & recurrendi ad Seueriorem Iudicem, ergo &c. ita etiam Nauarrus, Graffis, Ioseph de Iannario de Casib. reseru. resol.* 1. *per totam, & alij &c.* Vbi porrò addit circa finem: *Et id quod diximus de ignorante inuincibiliter reseruationem alicuius peccati, colligitur pariter habere locum in eo, qui dum pariter inuincibiliter non aduertit, peccatum quod commisit, esse reseruatum: videlicet ob inaduertentiam cum excusari à reseruatione, quia ignorantia, & inaduertentia æquiparentur, & eodem modo tollunt voluntarium, vt docent Suarez de Censuris disputat.*4. *sect.*9. *Sanchez Summ. lib.*4. *cap.* 22. *Diana par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 41. *& communiter DD.*

Si quis autem opponeret, casuum 132
reseruationem esse limitationem Iurisdictio-

dictionis, restrictæ à Superiore, inferioribus Confessarijs, qui non vult, vt isti sint Iudices illorum peccatorum, quæ ipse sibi reseruauit; adeoque ignorantiam prædictam, seu inaduertentiam nihil pœnitentibus suffragari; stante semper, quòd in Confessarijs deficiat Iurisdictio, & facultas absoluendi. Respondet *P. Quartus*, verum quidem esse; quòd in Confessarijs inferioribus deficiat Iurisdictio, & facultas absoluendi à casibus reseruatis, sed *respectu illorum, qui reseruatione ligantur. Secus verò respectu illorum, qui eam non contraxerunt, respectu quorum, Casus reseruati perinde se habent, ac si reseruati non essent; vt sunt impuberes, vel perpetuò impediti &c. & idem est de ignorantibus; non quia ignorantia conferat Confessarijs Iurisdictionem, sed quia cùm minuat voluntarium peccantis, minuit etiam malitiam peccati, ità vt non computetur inter reseruata.* Vt ergo edictum Episcopale, circa casus reseruatos, non sit inutile, sed obliget in conscientia, ipsius est procurare, vt publicetur, & eius notitia ad omnes perueniat: *Spectat ad Reseruantem* (ait *P. Quarti loc. cit. Ad secundum in fine*) *procurare, vt Edicta reseruationis ità promulgentur, & monitis Parochorum intimentur, vt illorum notitia ad omnes perueniat: aliàs inutilia redderentur respectu ignorantium*. Pari igitur modo, in casu nostro, Prælato Regulari incumbit, præcepta sua, subditis sibi Religiosis, sufficienter, & humano modo, vt dictum est, notificare, & exprimere: taliter quippe (modò præcepta sint secundùm Regulam) ipsi haud dubiè ad ea obseruanda obligabuntur.

133 Prout etiam tenentur obseruare Regulam, ratione Voti Obedientiæ, quam secundùm Regulam promiserunt. Circa quod distinguendum cum *Caramuele in Theologia Regulari, num. marg. 89. & 90.* inter Religiosos qui profitentur Regulam, & eos qui illam non profitentur; sed præcisè obedientiam secundùm Regulam. Primi proculdubio, ex vi suæ professionis, eam seruare tenentur, cuiusmodi sunt Franciscani, qui eam expressè promittunt; ideo *Franciscani* (inquit *Caramuel num. 90.*) *tenentur in interiori Foro ad suam Regulam, cùm disertissimis eam promittant verbis. Ego Frater (dicunt) voueo, & promitto Deo seruare Regulam &c.* Secundi non tenentur, quia non promiserunt obedire Regulæ, sed Prælato: vnde idem *Caramuel num. 89. in princip. Quia ego non promisi obedire Regulæ, sed Prælato, non magis teneor Regulæ obedire, quàm Præposito alterius Religionis, cui non promisi obedientiam. Hæc veritas ex professionis forma innotescit. Regula præceptibilis est; præcepta non est; imò nec quidquam præceptibile est præter Regulam, quod non sit propter Regulam*. Promittunt autem Prælato obedientiam secundùm Regulam (vt constat ex ipsa Professionis formula) inter alios, Benedictini, Dominicani, Theatini, &c. quos proinde in foro interno propria Regula non obligat. Cęterùm quamuis hæc in foro interno non obliget ad vllam culpam, neq; etiam venialem, prout nec Theatina obligat: *Declaramus, nullas Constitutiones, aut Regulas nostras obligare nos ad culpam, sed pœnam tantùm, nisi propter præceptum, aut contemptum*, ita in Procemio: nihilominùs (vt notauit *S. Thomas 2.2. quæst. 186. artic. 9. ad 3. & ibidem Caiet.* tractans de Regulis Ordinis S. Dominici, quæ etiam non obligant sub culpa, neque veniali) licèt transgressio Regulæ, & actio ipsa, prout transgressio est, ex vi Regulæ, & Constitutionis, nullam culpam contineat, cùm Regula ad peccatum non obliget: peccat tamen ordinariè, qui eam frangit, quia plerumque huiusmodi actui inobseruantię, sese admiscet aliqua negligentia, pigritia, contemptus, exigua æstimatio Regulæ, aut quid simile: Quare appositè in hanc rem *P. Peregrinus in Proœmio Constit. Theat. lit. A.* §. 1. in hunc modum commentatur: *Si quis facit aliquam actionem ex se indifferentem, sed à nostris Constitutionibus prohibitam, quæ illi videatur honesta, & bona, quamuis sit minus bonum, id quod facit, quam seruare Regulam, non tamen committit aliquam culpam: Non ex vi Constitutionis, quia non obligat ad Culpam, nec etiam ex vi illius actionis, quia non tenetur quis semper facere, quòd melius est. Quando verò transgressio oritur ex nimia cupiditate erga aliquid, & non ex alio malo fine, est peccatum veniale: quia dato quod nō esset à Constitutione prohibita illa actio, esset tamen culpa ex libidine, idest ex nimia cupiditate: ergo à fortiori est culpa venialis, dum à Regula est prohibita: Et similiter quando quis, ex nulla alia causa, quam ex animi torpore, & negligentia, ducitur ad transgrediendam Constitutionem,*

*tionem, committit culpam venialem; quia rationi dissonat, moueri ad aliquid ex animi torpore absque alia causa vel fine rationabili. D. Thom. 2. 2. quæst. 186. artic. 9. ad p. ibidem Cajet: Sanchez in Decal. Tom. 2. lib. 6. cap. 4. n. 15. Valent. in 2. 2. tom. 3. disput. 10. quæst. 4. punct. 5. ad finem: qui addit, communiter admisceri culpam in transgressione huiusmodi Regularum, vel ex libidine, quem sequitur Sanchez loc. cit. Suarez de Religione tom. 4. tract. 4. lib. 1. cap. 3. num. 12. in fine.* Hucusque præfatus *P. Peregrinus*. Idem docet *Pellizzarius de Monialibus cap. 4. sect. 3. n. 126.* Sequentibus verbis: *Notant autem Sanchez, & Laymann. ll. cc. & Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 1. c. 3. n. 12. & Castro Palao ex S. Thom. 2. 2. quæst. 186. artic. 9. quòd quamuis transgredi Regulas, aut Constitutiones ad nullum peccatum obligantes, nulla sit culpa, ex sola ratione, quòd est transgressio Regulæ: at potest ibi adesse culpa ex malo fine quo mouetur transgrediens; sicq; is regulariter peccabit venialiter, tum quia non bono fine ducitur, sed ex otiositate, torpore, aut libidine; tum quia occasionem præbet labefactandi Disciplinam Religiosam: quod est benè notandum.*

134 Hinc est, quòd *P. Pasqualigo Centur. 4. q. 325. num. 1.* absolutè teneat, illum Religiosum, seu Monialem esse in statu peccati mortalis, & versari in via perditionis, qui firmum habeat propositum, non obseruandi Regulam, præterquam in ijs, quæ ad mortale obligant: *ita* (inquit) *docent communiter, nec vidi aliquem oppositum sentire.* Quamuis enim doceant, transgressionem Regulæ, non esse peccatum mortale, quandò ipsa ad mortale non obligat; volunt tamen, huiusmodi vniuersale propositum non obseruandi Regulam, quamdiu hæc non obligat ad mortale, ex alio capite, esse absolutè peccatum mortale. At, quia impossibile est, vt vnus perlegat omnes Authores; reperi ego tenentem contrariam sententiam, eum videlicet Religiosum, qui haberet expressam intentionem non obseruandi Regulã, quoad ea, quæ sub graui non obligant, per se loquendo non versari in statu peccati mortalis: estque *Suarez tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 1. cap. 4. à numer. 10.* quem refert, & sequitur *Castropalao par. 3. Operis Moralis tit. de Voto Religiosæ Obedient. disput. 14. punct. 3. à num. 6. pag. 321.* Sequentibus verbis, cuius præcisa formalia, pro faciliori Lectoris satisfactione hic afferam: ait igitur, *Existimo, per se loquendo, peccatum mortale non committere Religiosum, qui careret intentione seruandi Regulas ad culpam mortalem non obligantes, illasque passim violaret: imò esto haberet expressam intentionem illas non seruandi: sic latè docuit Suarez tom. 4. &c. Ratio est, quia non est propositum transgressionis alicuius obligationis sub mortali, cùm omnes Regulæ non excedant obligationem venialis culpæ. Neque item in hoc proposito est periculum morale & proximum transgrediendi aliquam Regulam obligantem sub mortali, vt benè Suarez dicto cap. 4. num. 18. siquidem, compati potest cum illius obseruatione firma. Neque item infertur, te hac praua consuetudine regulas propriè contemnere: aliàs, quoties velles aliquam Regulam violare, censendus esses illius contemptor, & peccati mortalis reus, quod falsissimum est. Requiritur ergo ad contemptum, vt Regulam violes, tanquam inutilem, friuolam, & nullius considerationis; vel eam violes animo determinato, ob illius transgressionem, non te pœnæ subijciendi, sed Prælato resistendi. Seclusa ergo hac intentione, nec propositum violandi Regulas, neque illatum violatio contemptus formalis est, vt latiùs dixi par. 1. tractat. 2. disput. 2. punct. 9. §. 2.* (per hæc verba) *Certum est quamlibet legis transgressionem, siue mortalem, siue venialem, aliqualem contemptum; contemnit enim legem, qui deliquit, in legem: postponit enim obseruantiam propriæ voluntati, & vtilitati. At hic contemptus vocatur materialis, quia in ipsa materia, & opere peccaminoso imbibitur; & quia non habet malitiam distinctam ab ipsa legis transgressione, sed per omnes transgressiones vagatur, vt benè dixit S. Tho. ab omnibus receptus in 4. dist. 9. art. 3. quæstiunc. 3. Contemptus formalis procedit ex intentione formali despiciendi aliquam personam, eiusue præcepta, & consilia, & hic contemptus est speciale peccatum, distinctum à transgressione legis &c. Nec denique ex hoc proposito prauaque consuetudine, fit, Religiosum desistere à via perfectionis incepta in necessarijs, qualia sunt obseruatio Votorum, & Præceptorum Religionis; tametsi deficiat in accidentalibus, & leuem obligationem inducentibus. Neque enim sub graui culpa tenetur his medijs perfectionem procurare, dummodo obseruatione votorum, & Præceptorum Religionis, illam procuret, vt latiùs prosequitur Sanchez lib. 6. Summ. toto cap. 5. Dixi, per se non committere peccatum mortale, Religio-*

*ligiosum, sic passim Regulas violantem: ac peri accidens credo sæpè peccatū mortale cōmittere, nisi efficaciter proponat, & procuret illius praua consuetudinis correctionē: contingit autē hoc peccatū, cum Religiosus aduertit ex suo licentioso, & irregulari modo operādi, graue detrimentum, & sibi, & Religioni fieri. Religioni, sū in Regulari obseruantia, eò quòd inde plures sumant occasionē; Regulā passim violandi. Tum in vtilitate, & fructu, quem ex illo Religioso sperabat percipere, qui suis prauis moribus se inutilem reddit: sibi verò, cū credit se probabili periculo exponi formalis cōtemptus Regularū, trāsgressionis Votorū, aut Præceptorum, quod apertū est.* Hactenus *Castro Palao:* cuius sententia sat bonis fundamētis nixa, magnā habet probabilitatē, præcipuè cùm sit munita authoritate *Suar.* quę proinde magno solatio esse potest Religiosis, quantumuis cæteroquin imperfectis, timida tamen, ac scrupulosa cōsciētia coangustiatis: vti è contrario laxioribus, & disciplinatis, assumptū *P. Pasqualigo,* quod multò securius, vniuersalius, & communius est, timorem, ac synderesin generare poterit; nam inde deducitur

135 Primò, quòd præfatū vniuersale propositum, non obseruandi Regulam vniuersaliter, nisi cùm obligat ad peccatum graue, continet virtualem saltem, & interpretatiuum cōtemptum Regulæ, qui iuxta *Angelicum Doctorem 2.2.q.186.a.9.ad 3.* consistit *in eo, quòd quis nolit se subijcere Regulæ;* qui autem habet tale propositum vniuersale non obseruandi Regulā, quādiu non obligat ad mortale, haud dubiè non vult subiacere Regulæ quoad hanc partem: consequenter eā spernit, ac contemnit; nam subiectio Regulæ (iuxta *P. Pasq. l. c. n. 2.*) consistit in hoc, quòd voluntas eam acceptet, vt normam, secundùm quam suas actiones dirigat; quapropter illud vniuersale propositum non seruādi regulam, cùm ad mortale non astringit, est reijcere talem normā, nec ea velle vti; adeoque subtrahit voluntatem à subiectione; quod dicit virtualem, & interpretatiuum contemptum, prout docent apud eundem *P. Pasqu. n. 2. cit. in fine, Panorm. Tabien. Carthus. S. Antoninus, & Valentia to. 3. disp. 10. q. 4. punct. 5. Versu, Atque ita est.* Videatur *P. Peregr. in Comment. Constit. Theat. in Proœmio litt. B. Verbo Contemptum.*

136 Secundò, quia per hoc vniuersale propositum, non obseruandi Regulam, Religiosus efficitur grauis, ac perniciosus Religioni, grauiterque perturbat obseruantiam Regularem; vnde Religioni haud leue emergit damnum, atq; detrimentum; dum suo exemplo alios inducit ad laxandum habenas obseruantiæ Regulari, & per hoc causam præbet dissipationi Religiosæ disciplinę, quod non nisi grauissimum detrimentum Cōmunitati, imò & ruinam totalem successiuè Religioni afferre potest. Quocirca tale propositum, virtualis saltem intentio est perniciei, & destructionis totius Religionis, & ex hoc capite etiam peccatum mortale, vt affirmant *Sanchez lib. 6. Summ. c. 4. n. 18. Layman l. 4. Theol. Mor. tr. 5. c. 8. n. 9. vers. Dico quarto. Palao par. 3. Oper. Mor. tr. 16. de Statu Relig. disp. 4. De Voto Relig. Obedient. punct. 3. n. 7. Lezzana tom. 1. qq. Regul. cap. 8. n. 18. Pasqual. loc. cit. n. 3.*

Tertiò, quia vniuersale hoc propositū est peccatum mortale ratione obiecti: 137
*Pasqu. l. c. n. 4.* ratio in promptu est; quia etsi transgressio, cuiuslibet Regulæ in particulari, non sit peccatum mortale ratione obiecti: voluntas tamen, quam Religiosus habet, vniuersaliter non obseruandi illas Regulas, quæ sub peccato mortali non obligant, pro obiecto habet graue aliquid, per quod voluntas determinatur, vt sit grauiter peccaminosa: nam omnes Regulę transgressiones, quarum quælibet separatim considerata, res leuis est, simul deinde sumptæ concurrunt in materiam grauem; prout accidit in leuibus furtis, quæ simul iuncta, constituunt materiam grauem furti, quę efficitur obiectū peccati mortalis. Tunc autem plures materię leues, coniunguntur in vnam grauem, quando ita moraliter vniuntur, vt considerentur, & habeātur pro vna re; aut quando effectus ab ipsis producti, siue relicti, inuicem vniūtur: v. g. si quis die ieiunij de præcepto, sæpiùs in modica quantitate sumeret cibum, exiguæ illæ particulæ ciborum simul consideratæ, tandem efficient materiam grauem; quia inuicem vniuntur in ordine ad nutritionem, vt docent communiter Theologi, in specie *Vasquez 2. 2. quæst. 88. disp. 146. c. 2. n. 3. & 4. Sanch. l. 1. Summ. c. 4. n. 9. Suar. l. 3. de Legibus c. 28. n. 11. Reginal. l. 5. Praxis Fori Pœnitent. cap. vlt. n. 67. Molphes. p. 1. Summ. tract. 3. c. 8. n. 7. Palao*

*par. 1. Oper. Moral. tract. 2. disput. 2. punct. 9. §. 4. n. 4.* Ita pariter, quando Religiosus sibi proposuit non obseruare aliquam Regulam, quæ sub mortali non obligat; illæ materiæ leues particularium transgressionum, & quæ præscribuntur à qualibet Regula, inuicem vniuntur in vnicam moralem materiam grauem, propter propositum vnicum, sed vniuersale, transgrediendi omnes Regulas, quæ non obligant sub mortali. Quapropter omnes eiusmodi transgressiones ex sua natura ad eundem finem tendunt, nempe ad relaxationem disciplinæ Regularis; vniuntur quoque, ac continuantur moraliter, tam in formalitate damni, quod inferunt Communitati, quàm in ratione vulneris, quod infligunt Regulæ, quæ à talibus transgressionibus grauiter offenditur, cùm lædatur in omnibus obseruantijs, quæ ad mortale non obligant, ideoque vniuntur omnes in eodem subiecto, per quod notabiliter deformatur, ac deturpatur Vita Claustralis, cùm ei tollatur ordo ille, iuxta quem necessariò dirigenda est.

138 Porrò hic obiter noto cum *P. Peregrino in Comment. Constitut. Theatin. in Proæmio sub verbo Contemptum litt. B. §. 1. pag. 29.* Prælatos Regulares obligatos esse, è suis Monasterijs extirpare prædictas Subditorũ transgressiones, & malas consuetudines, etiam quæ apud subditos non excedunt culpam venialem, nam *licet in subditis* (ait dictus Author) *transgressio frequens Constitutionum non esset peccatum mortale; cùm non ex contemptu formali procedit, sed ex libidine, idest ex nimia cupiditate, vel ex negligentia, vel ex alia causa: tamen Prælatis erit peccatum mortale, si fuerint negligentes ad extirpandas istas malas consuetudines in Monasterijs.* Redditque rationem: *Quia Prælatis ex officio incumbit cura boni publici: & ideò tenentur notabile damnum publicum sub reatu mortali purgare, si possunt: & peccata venialia, quando sunt frequentia in Republica, magni momenti est illa extirpare. Ita docent Soto de ratione tegendi, & detegendi secretum membro 2. qu. 2. conclus. 3. Vers. Secundam verò partem &c. Bann. in 2. 2. D. Thom. quæst. 33. artic. 2. dub. 2. Suar. in Tract. de Charitate disput. 8. sect. 2. sub num. 6. Versu Addendum est vltimo. Bartholom. à S. Fausto in suo Thesauro Religiosorum quæst. 152. num. 3.* Eandem admonitionem Superioribus Regularibus intimat *Pater Didacus Sgroia Cappuccinus*, in suo perdocto libro, cui titulus *Lux Prælator. Præsertim Regularium par. 1. Proœmiali cap. 2. num. 11. in fine & 12. pagina mihi 54.* In hunc modum: *Guardianus relinquens suos subditos frequenter transgredientes Constitutionem Ordinis, etiam in casibus, in quibus non adest nisi peccatum veniale, sine debita correctione, propter nimium affectum pacis, potens illos commodè corrigere, peccat mortaliter, Sanchez in præcept. Decal. lib. 1. cap. 6. num. 19. Villalob. tom. 2. tract. 4. difficult. 2. num. 5. Diana part. 3. tractat. 2. resol. 42. Quia tenetur sub mortali procurare obseruantiam Regulæ, & Constitutionum proprij Ordinis, etiam in casu quo illos non obligent ad peccatum, vel tantùm ad veniale. Lugo de Iustit. tom. 1. disput. 9. sect. 1. num. 21. Anton. à Spiritu Sancto de Regim. Prælat. tract. 5. disput. 4. sect. 7. num. 317. Girag. par. 3. dub. 39. num. 298. vbi quod hæc doctrina est communis omnium Doctorum, præsertim Bann. Sot. Suar. Lorc. Torres, Castro Palao, Turriani, Layman, Basser, Coninch. de Charitat. disput. 28. dub. 3. num. 24. Caspens. tom. 1. de Charitat. tract. 7. disput. 6. sect. 1. num. 8. Nam Superior obligatur, ex præcepto, Ratione sui Officij, ad consulendum bono spirituali, & profectui Subditorum, & Obseruantiæ Regulari, quæ per huiusmodi defectus toleratos, & permissos, maximè in Religione, labefactatur. Inferunt ex hoc Doctores, quod ad hunc effectum, potest etiam Guardianus rem leuem præcipere sub pœna graui, quando ratione finis, & circumstantiarum, potest fieri grauis; nam ea quæ apud Sæculares, etiam Clericos, leuia reputantur, apud Regulares grauia censentur; & excommunicationis, vel Suspensionis capacia esse solent, ex eo quòd illa ad obseruantiam Votorum essentialium, valde sunt necessaria: & huiusmodi sunt, secundùm Llamas, par. 1. Methodi cap. 9. §. 22. relatum ab Alphonso de Leone Centur. Recoll. 1. numer. 258. Ingressus in alterius Cellam; Reuelatio Secretorum Religionis; Alloquutio Nouitiorum. Omissio culpabilis Socij in itinere, &c. ( Vide Peyrin. de Prælat. quæst. 3. cap. 3. numer. 15. ) Et erit materia grauis si permitteret ire in desuetudinem, Obseruantiam Silentij debitis temporibus: horam consuetam Matutini: Chori frequentiam: asperitatem, ac rigiditatem in vestitu,*

ac

*ac fabricis, alijsq; rebus secundùm Ordinis Statutum: si permitteret notabilē negligentiā in rebus spiritualibus: & ità de similibus de quibus DD. c.*

139 Quartò, ea etiam de causa, præfatum vniuersale propositum nō seruandi Regulam quoad leuiter obligantia, est peccatum graue; quia per illud quis se exponit euidenti periculo eam violandi, etiā quando ad mortale obligat. Sicuti propositum cauendi à solis mortalibus, & committendi omnia venialia, quotiescunq; horum occasio obuenerit, continet peccatum mortale, quia obiectum talis propositi in se continet periculum peccandi mortaliter; *Cap. Tres sunt. De Pænit. dist. 1. & notat Glosi. ibidem*, dicens, contēptum multorum venialium, efficere mortale. *Halens. par. 4. q. 65. membr. 3. artic. 1. §. 1. Sanch. l. 1. Summ. c. 5. n. 2. Soto in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. ad 1.* Pari quoq; ratione (inquit *P. Pasqual. q. cit. n. 5.*) intentio vniuersalis violandi omnes Regulas, grauiter non obligantes, manifestum cōtinet periculum & illas præuaricandi, quæ sub mortali obligant. Neq; valet in contrarium, dicere: In tota multitudine Regularum, non datur vlla obligatio, quæ constringat ad mortale; quælibet enim Regula propriā, ac specialē habet obligationē solùmodo legalē, quæ neq; ad veniale obligat: multò minùs datur vna cōmunis obligatio, pro vniuersa Regula collectiuè sūpta, in quātum scilicet comprehendit multitudinē omnium Regularū, & obseruantiarum particularium; ergo cùm quælibet sit diuersæ rationis ab altera, nō poterit insurgere vna obligatio grauis, vt prętendebat nostrum argumentū. Nō, inquam, valet hęc oppositio; negatur enim consequentia. Nam licet per se, & ex obiecto, talis obligatio non consurgat; consurgit tamē per accidens, ratione grauissimi damni, quod ille infert Religioni, ob Disciplinæ Regularis relaxationem: vti etiam propter contemptum, interpretatiuum saltē, vt explicatū est. Adde, quòd talis obligatio consurgat etiam per se, & ex obiecto (iuxta mentem *P. Pasqu. l. c. n. 6.*) quamuis enim dictæ Regulæ, secundùm se consideratæ, sint diuersę rationis; vniuntur tamen, vt simul iunctis viribus, vnicā normam, ac Disciplinam Regularem cōstituant: vnde etiam transgressiones vniuntur quoad relaxationem, & deformationem eiusdem disciplinæ; idque sufficit ad constituendam vnam materiam grauem, cùm omnes sub eodem genere cōueniant. Exemplum demus in materia furti. Si quis alteri furaretur in modica quantitate, nummos, vinum, frumentū, &c. ita vt omnia simul sumpta peruenirent ad materiam grauem; talis peccaret mortaliter; quia licet singula, quæ abstulit, sint in materia parua, & inter se diuersa, cùm tamen sint sub eodem genere, vniuntur in vnam materiam grauem, propter effectum damnificationis proximi: idem dic in casu nostro.

Quintò, quia per Regulā ea principaliter pręscribuntur, quę ad acquisitionem perfectionis requiruntur, quæ, vt docet 140 *Angelicus 2. 2. q. 184. art. 1. in Corpore*, consistit in charitate, ideò *Miranda in Man. Pral. to. 1. q. 1. art. 3. conclus. 1.* cum eodem sancto Doctore *l. c. & Caiet. ibid.* ait: *Perfectio in sola Charitate consistit, ipsa namque est, quæ perfectionem in se continet, & quæ sola hominem formaliter, & essentialiter perfectum efficit, coniungēdo, atq; vniendo ipsum cum Deo, qui est vnicus vltimus omnium nostrùm optatissimus finis, iuxta illud Io: Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Status autē Religiosus primariò & principaliter institutus est (ait idem Sanctus *2. 2. q. 186. art. 1. ad 4.*) ad acquirendā hanc perfectionem; quod fit mediantibus Exercitijs Religiosis, à Regula præscriptis, *quibus tolluntur* (inquit *P. Pasqu. Cen. 4. q. 324. n. 10.*) *impedimenta perfecta charitatis.* Porrò, quòd in hunc finem Regulæ, & exercitia Religiosa præscripta & instituta sint, doctrina cōmunis est, & indubitata: Vnde *Miranda l. c. ar. 4. conclus. 2.* id vniuersaliter de omnibus Religionibus affirmat; *Ad id*, inquit, *sunt in Religionibus instituta exercitia pertinentia ad humanos actus, & quibus Religiosi ordinantur ad perfectionis finē, nempe Dilectionis Dei, & proximi.* Ex quo per necessariam consequentiam deduco cum *P. Pasq. cit. n. 10. proinde Religiosus tenetur operā dare, vt habeat perfectam charitatē, per ea exercitia, quæ sūt ei taxata secundū Regulā, quam professus est*; Si ad hęc tali modo obligatus est; igitur nō poterit absq; peccato mortali habere propositū nō obseruandi Regulā, quādo nō grauiter obligat; hoc .n. esset, nolle tēdere ad perfectionē, quā professus est. Cùm ergo Religiosus ex vi Voti Obedientiæ

G 2 se-

secundùm Regulam, ad perfectionem tendere teneatur; erit quoad propriam voluntatem, & quantum ad sua bona opera secundùm Regulam facta, sub dominio, & possessione sui Prælati; ex quo legitimè sequitur, Prælatos ea iuxta suum beneplacitum dispensare posse per Litteras Gratiosas, idq; in sua natura.

## DVBIVM SECVNDVM.

*An de Iure Communi hoc præstare valeant?*

141 Respondeo affirmatiuè cum *Rodriq. to.1. qq. Regul, quæst. 33. art. 2. in princ.* vbi ait: *Secundum Ius commune, Prælatus potest communicare bona suorum, super quæ habet Authoritatem. & to.2. q.86. art.2. in fine*, item dicit: *Quæ concessio non est priuilegium, sed Ius commune, quia eo ipso, quòd aliquis est alicuius Congregationis Prælatus, habet authoritatē dispensatiuam omnium bonorum de Congregatione; prout resoluit Corduba lib.5. qq. q.7. Verf. Secundò probatur*; qui ait: *Commune est omni Reipublicæ, quòd ipsa vel Princeps illius possit dispensare communia illius Reipublicæ.* Et eodem *l. 5. q.42. punct.3, Eo ipso, quòd habet curam Congregationis, habet authoritatem dispensatiuam communium bonorum ipsorum de Cōgregatione*, Idipsum affirmant, *Miranda in Man. Prel. q.50. art.1. De Iure communi loquendo, quilibet Prælatus cuiuscunq; Congregationis, potest bona, & merita suorum subditorum Benefactoribus suis communicare, & applicare. Lezzana to.1. c.18. n. 67. Iure communi quilibet Prælatus cuiuscunque Congregationis potest id facere. Pellizzarius to. 2. Manu. Regul. tr.9, c.3. sect.6. q.4. n.233. Iure communi id concedente cuilibet Prælato cuiuscunque Congregationis.* Et citant *S. Tho. in 4. dist.20. q.1. art.1. & in Addit. ad 3. p. q.26. ar. 1. & Nauar. Miscell. 11. de Rosario; & de Iubilæo Notab.31.* Quibus adde: *Rut. de Partic. q.4. sect.1. num.3. & 4.* vbi asserit, *Potest Generalis Ordinis, possunt etiam alij Prælati, de Iure communi, communicare Amicis, & Benefactoribus, & externis participationem omnium bonorum Ordinis, & meritorum suorum subditorum, est communis DD.* Habetur ergo ex Authoribus vnanimiter, Ius commune dare Prælatis cuiuscunque Congregationis potestatem concedendi Filiationem Spiritualem per Litteras Gratiosas. Quod vltra Authoritatem DD. rationibus etiam comprobabimus.

142 Primò, quia administratio bonorum Religionis, non solùm temporalium, sed etiam Spiritualium, concessa est Prælatis & Superioribus illius; poterunt ergo de Iure disponere de ijs, & communicare Amicis, ac Benefactoribus ad suum beneplacitum; clara est hæc consequentia, cæteroquin ipsi non forent absoluti Administratores. Antecedens probatur, ita enim decreuit *Pelagius Sūmus Pontifex, in Cap. Nullam 18. q.2.* vbi ait: *Totam bonorum Monastery administrationem ad Abbatem pertinere:* quod intelligendum est, non solùm de administratione bonorum temporalium, sed etiam spiritualium, vt explicant Doctores, in specie *Nauarrus* apud, & cum *Miranda l.c. Tamb. de Iure Abbat. to.2. disp.9. quæsito 3. n.1.* vbi ex hoc ipso Canone deducit, Prælatos Regulares de Iure communi posse dispensare bona spiritualia subditorum sibi Religiosorum: & *Peyrin. de Prel. q.3. c.6. n.8.* Loquatur praxis ipsa in confirmationem nostræ assertionis; certissimum enim est, quòd iam ab antiquissimis temporibus, & etiamnum quotidie Prælati Omnium Ordinum Communicationem bonorum spiritualium suę Religionis per Litteras Gratiosas alijs concesserint; quod signum euidens est, id eis competere de Iure communi: Vnde *P. D. Antonius Caracciolus, in suis Notis ad Constit. Theat. p.2. c.1. §.14. verſ. De nostrorum*, ait: *Firma res est, posse à Prælatis Religionum applicari extraneis participationem suffragiorum suorum subditorum*; ergo hoc eis conuenit de Iure communi.

Secundò probatur; quia quilibet subditus, & quiuis alius, potest bona sua spiritualia applicabilia (seu illorum Dominus) alijs applicare. Quamuis enim vnus Christi Fidelis non possit pro alio contritionem elicere, confiteri, aut mereri de condigno; quia (vt docent Theologi, & nos in progressu huius Operis dicemus) hæc sunt opera personalia, quę nemini communicari possunt, de quibus habetur *Psalm.71. Reddet Deus vnicuiq; secundùm opera sua*; potest tamen orare pro alio, mereri de congruo, satisfacere, impetrare &c. vt patet ex communi Doctrina, & habetur ex *S. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 2. artic. 1. quæstiunc. 4. & ex Richardo ibid. distinct. 20. art.5. quæst.3. ad arg. oppos.* idq; reipsa facere, optimum est consilium, vt habetur ex Apostolo *ad Galat.6.* 143

qui

qui air: *Alter alterius onera portate; & sic adimplebitis legem Christi:* Sicut ergo quilibet subditus,& quæuis persona particularis, id præstandi haber copiam, applicandi scilicet bona sua opera applicabilia;velur eorum Dominus, quibuscunque voluerir; ita pariter idem faciendi facultatem habebit Prælatus Regularis, applicandi videlicet bona opera,ac bona spiritualia omnium suorum subdirorum, iuxta suum beneplacitum, Amicis, Benefactoribus, arque extraneis; idque de Iure,cùm Prælatus sit Dominus bonorum spiritualium,bonorumque operum suorum Subditorum, ex vi Voti Obedientiæ, haud secus ac ipsimet Subditi; vt habetur ex *cit. Canone, & ex Cap. Non dicatis in quæst.* 1. vbi dicitur: *Religiosos non tantùm proprijs facultatibus, sed etiam voluntatibus renuntiasse.* Quapropter concludo Dubij huius resolutionem ipsismet verbis *Tamburini loc. cit.* quòd nimirùm, *Cùm Prælati Religionum, dominium voluntatum suorum Subditorum ex vi Obedientiæ voti in suis manibus emisi, habeant, possunt cuicumque voluerint, eorum merita, & Orationes,Oblationes, aliaque opera (sed antequam constituantur, & reponantur in vniuersali Thesauro Ecclesiæ) applicare, idque de Iure communis* prout vnanimirer affirmant DD. apud eundem *Tamburinum, & Peyrinum.*

## DVBIVM TERTIVM.

### *An Prælati Regulares hanc facultatem habeant per Indultum Pontificium?*

144 RESpondeo affirmatiuè, per Priuilegium videlicet *Vrbani V.* collatum Prælatis Ordinis Minorum, relarum à *Cæsarubio in Compend. Priuil. Verbo Indulgentia quoad sæculares quarto,n.6.* vbi inter cætera inquir: *Vrbanus V. concessit, vt Generalis, & Prouinciales totius Ordinis Minorum, possint communicare Suffragia, Indulgentias, Orationes, & bona spiritualia benefactoribus Ordinis.* Porrò hoc Priuilegium, per viam communicationis, participant omnium aliarum Religionum Prælati *Rodriq.to.1. qq.Regul.q.33.art.2.in princ.Miranda in Manu.Præl.to.2.q.50.art.1.* Specialiter autem Prelati Religionis Theatinę, propter amplissimum Priuilegium, eidem concessum, *à fel.mem.SS.D.N.Gregorio XIV.sub die 5.Aprilis* 1591.registratum in *Compendio nostrorum Priuilegiorum pag.*12. *§.5.* cuius Originale conseruatur Romæ in nostro Archiuio, ad *S.Syluestrum, in Monte Quirinali:* vi cuius Priuilegij,Religioni Theatinæ conceditur participatio omnium Priuilegiorum, Indulgentiarum, & Grariarum spiritualium, quæ hactenus concessæ fuerunt, aut imposterum à Summis Pontificibus concedentur, quibuscunq; alijs Religionibus, Congregationibus, & Pijs Locis, in eadem prorsus forma,ac si ipsi solummodo, & nominatim concessæ fuissent.

At verò, circa Priuilegium *Vrbani V.* 145
obseruandum cum Doctoribus est, in specie cum *Peyrino de Prælato q.3.c.6.n.9. Versu,Noto* 1. eum duo concedere Prælatis Regularibus: primum, quòd communicare possint suffragia, Orationes, & alia bona spiritualia Ordinis; *sed ista concessio* (inquiunt, & quidem appositè, *Rodriq.Miranda,Peyrinus ll.cc.& Ruteus de Partic.q.4.sect.1.n.2.) nihil dat de nouo;* cùm aliud non contineat,quàm quod de Iure communi eis iam priùs competebat,vt decisum est præcedenti Dubio. Secundum,quòd præfatum Vrbani Priuilegium concedit, est, quòd Prælati Regulares possint communicare etiam Indulgentias: *Et ista* (inquit *Peyrinus lo.c. n.2.) est magna concessio,quam ex Iure communi non habebant.* De ea aurem, cùm hic locus eius proprius non sir, alio Capite tractabimus: modò inuestigatum ibimus, quinam in specie Prælati Regulares, Filiationem Spiritualem per Litteras Gratiosas communicare valeant: & vr ordine progrediamur, ordiemur à primis,& gradatim ad inferiores descendemus; sit proinde

## DVBIVM QVARTVM.

### *An hæc potestas resideat penes Summum Pontificem?*

PRopositio præsentis Dubij, non excedit terminos constituti modò à 146
nobis Ordinis; quandoquidem Summus Pontifex non solùm connumerandus sir inter Prælatos Regulares, verùm etiam in eorum ordine primus, supremum illorum Capur, & Generalis omnium

Religionum Generalissimus sic *Hyacint. Donatus tom. 1. part. 1. tract. 1. quæst. 6. n. 4. Pater Generalis, non est supremus Princeps, nec summus, & Maximus Prælatus Religiosorum, sed Romanus Pontifex: & parte 2. tract. 1. qu. 20. num. 10. Dominus Papa, est Generalissimus omnium Religionum, & eadem par. 2. tract. 10. qu. 35. num. 2. Papa est principalis, vniuersalis, & immediatus Superior Regularium, vnde illorum est primus Prior, Prouincialis, & Generalis, & immediatus Ordinarius*: & hoc ferè iuxta omnes Doctores, ait *Castro Palao Operis Moralis par. 3. de Voto Religiosæ Obedient. disp. 4. punct. 2. num. 4.* sequentibus verbis: *De Summo Pontifice ferè omnes Doctores censent potestatem habere obligandi quoslibet Religiosos ad Obseruantiam Regularem, non solùm ex iurisdictione sibi à Christo concessa, sed etiam ex obseruantiæ Voto, quod ipsi censendum est emitti, tanquam supremo omnium Religionum Generali; nam cùm ipse omnium Prælatorum caput sit, ab eoq; eorum iurisdictio dependeat, conueniens erat, vt obligatio illius ex Voto acquisita, efficaciùs ei acquireretur. Deinde tùm ipse Religiones approbauerit, credendum est, sub ea conditione approbasse, vt ipse Supremus illius Religionis Prælatus existeret; atque ità tenent Sotus l. 7. de Iustit. par. 3. art. 1. Nauarr. Summ. c. 12. n. 76. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 10. c. 11. n. 13. Sanchez l. 6. Summ. c. 1. n. 8. Layman l. 4. Summ. tract. 5. c. 8. nu. 3.* Ideò Doctor Angelicus *2. 2. q. 186. artic. 5. ad 3.* vbi proposita sibi difficultate, quòd Prælati Religionum, ex hoc quòd non subduntur Episcopis, non habent Superiores, quibus obediant: Respondet in hunc modum, aptè ad nostrum propositum: *Et si à Diœcesanis Episcopis, totaliter, vel ex parte sunt exempti, obligantur tamen ad obediendum Summo Pontifici; non solùm in his, quæ sunt communia alijs, sed etiam in his, quæ specialiter pertinent ad disciplinam Religionis*; cum autem hic loqui de obligatione, ex vi Voti Obedientiæ contracta, demonstrat *Passerinus in 2. 2. to. 1. super q. 186. art. 8. n. 42. pag. 644.* in hunc modum: *Loquitur verò de Obedientia ex vi Voti, quia de illa sermo est in articulo, & in argumento, quod non remaneret solutum, si loqueretur de obedientia quæ conuenit, & debetur Papæ ratione illius iurisdictionis, quam habet ex officio.* Quare Religiosi, vltra obedientiam communem ac generalem, quam Sũmo Pontifici, ceu Christi Fideles præstare tenentur in omnibus, quæ ad Christianam Religionẽ pertinent; & sicut alij Sanctæ Ecclesiæ subditi, ipsi sunt obligati, & per eum regenerati in Sacrosancto Baptismatis Sacramento: habent insuper obligationem strictissimam, & rigorosam, ei obediendi tanquam primo ac supremo suo Capiti, & Generalissimo Generali ex vi Voti Obedientiæ; ratio superiùs assignata est ex *Castro Palao*, quam etiam innuit *Passerinus nu. 42. cit. in fine*, quia nimirum *Votum profitentium Religionem, se ad summum Pontificem extendit, tanquam ad primum Prælatum, cum quo Religiosus, principaliter init pactum, & sub cuius gubernio se tradit*. Prælati Regulares, in quorum manus Religiosi emittunt Professionem, & quibus promittunt Obedientiam secundùm Regulam, Ministri sunt Papæ, eique subordinati; adeoque promissio his subordinatis in professione facta, multò magis sese extendit ad Caput subordinans, fortiusque promittentem cum eo stringit: in hunc modum ratiocinatur etiam *Durandus in 4. distinct. 44. quæst. 5.* apud *Passerinum num. cit. Promittens obedientiam Ministro, seu Capiti subordinato, multò magis censetur, illam promittere Capiti subordinanti, Prælatus autem Religionis est Papa subordinatus*. Quia verò, *multò magis censetur promittere Capiti subordinanti*, ideò *si contingat, Papam, vnum præcipere* (ait idem *Passerinus lo. cit. numer. 46. in princip.*) *& Prælatum Religionis præcipere oppositum, Papa est obediendum, vt tradit D. Thomas &c.*

Concludo igitur, Summum Pontifi- 147
cem esse primum Caput, supremum ac Generalissimum Generalem omnium Regularium; supra quos proinde, vltra amplissimam suam Iurisdictionem, tanquam Christi in terris Vicarius, extensam supra omnes Fideles, habet etiam potestatem dominatiuam, idque ex vi Voti, seu ratione Professionis cuiusuis Regularis, vi cuius, & maximè per Votum Obedientiæ, Religiosus Suæ Sanctitati donauit propriam voluntatem *secundùm Regulam*, quam deposuit in manus Prælati Regularis Ministri illius subordinati. Dico *secundùm Regulam*, quia etiam potestas dominatiua, quam tenet Summus Pontifex supra Regulares, ratione Voti Obedientiæ, ipsi facti, per quod Religiosus

pro-

propriam voluntatem ei alligauit, & resignauit in voluntatem Suæ Sanctitatis, & aliorum Prelatorum Regularium, vt se totaliter Deo traderet, & eò expeditiùs Mundum relinqueret, intelligenda est, ad mensuram Regulæ, quam professus est, neque extendenda vltra fines illius, vt affirmat *Marchantius in Regulam S. Francisci quæst. 4. poemiali, conclus. 2. vers. Non ex sola*, vbi ait: *Neque enim Pontifex in voluntario illo Religiosæ Professionis Sacrificio, pro sua voluntate obligationum vincula multiplicare potest, sed tantum intra terminos ipsius Regulæ, cui se Religiosus obligauit*: estque hæc propositio communis D.D. in specie *Lessij de Iustit. lib. 2. cap. 41. Dub. 9. nu. 76. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 2. numer. 22. Layman. lib. 4. tract. 5. capit. 9. numer. 10. Peyrin. de Subdit. qu. 1. cap. 8. §. 1. & 2. Lezzana par. 1. cap. 4. num. 32. Moron. in Biga Controuers. de Consuetud. contra Regulam Resp. 1. numer. 65. 117. 132. & 142. Bordon. de Paupertate Religiosa cap. 21. quæsito 14. & To. 6. operum cuius Titulus Propugnaculum Opinionis Probabilis pag. mihi 306. & 307. numer. 119. & 120. sub Titulo Euersio fundamentorum. Anton. à Spiritu Sancto in Directorio Regularium par. 2. tract. 3. disput. 6. sect. 1. §. 2. numer. 26. Passerinus loc. cit. num. 45.* & aliorum: ex quo etiam deducunt, Religiosum violando præceptum Pontificis, quod non spectat ad obseruantiam Regulæ, non committere aliam malitiam, quàm communem omnibus Christianis, qui peccarent, Voto non obstricti: *Tenentur Religiosi* (verba sunt *Antonij à Spiritu Sancto numer. 26. cit.*) *ex vi Voti obedire Papæ, non quatenus est superior omnium Fidelium, sed vt est Generalis omnium Religionum. Vnde ex vi Voti Obedientiæ, non tenentur illi obedire in præceptis generalibus obligantibus omnes Fideles, sed solùm in præceptis, quo ad obseruantias Regulares, iuxta Regulam, & Constitutiones vouentium: nam cùm potestas illius oriatur ex Voto Obedientiæ, non debet extendi vltra intentionem vouentis, vnde Religiosus violans aliquod præceptum Ecclesiæ, non est reus duplicis malitiæ specificæ, sed tantùm vnius. Ita Sanchez lib. 6. Morel. cap. 1. numer. 8. Peyrinus de Subdit. quæst. 1. cap. 8. §. 1. Lezzana tom. 1. cap. 3. numer. 3. & alij* [illegible]

148 Vtrùm verò Sacrilegij reus foret Religiosus ille, qui transgrederetur præceptum Summi Pontificis, in materia secundum Regulam concernente ipsum Ordinem? est Dubium; quod promouetur à *Passerino loc. cit. num. 46. Sed numquid* (ita ille) *quando Papa præcepit aliquid secundum Regulam, ipsis Religiosorum Ordinibus in particulari, censendum est vti potestate dominatiua, quam habet ex vi Voti; & ita, quòd si eius præceptum violetur, transgressio habeat malitiam Sacrilegij contra Votum, & iniustitiæ contra promissionem professioni intimam?* Pro affirmatiua citat *Donatum tom. 3. tractat. 17. quæst. 26.* & apud hunc *Faustum*, & alios. At ipse respondet negatiuè, atque rotundè: *Sed oppositum dicendum est*. Rationem quoque assignat. *Quia cùm ad obligandum Religiosos sufficiat potestas amplissima iurisdictionis, quam habet, vt est Christi Vicarius, ad quid multiplicare obligationes, & vincula? Nisi ergo ex aliqua speciali causa, Papa velit vti etiam illa dominatiua potestate; & id exprimat; in reliquis casibus censendus est vti sua manifesta potestate iurisdictionis. Vnde ius commune Canonicum, non obligat Regulares ex vi Voti, vt dixit Ledesma*. Hucusque *Passerinus*. Iam verò præmissis omnibus istis Doctrinis, ad plenam intelligentiam decisionis, quæ ad propositum Dubium danda est:

Respondeo affirmatiuè, & dico Summum Pontificem absolutè posse concedere Litteras Gratiosas tam omnium simul Religionum, quàm aliquarum, quàm etiam vnius solius Religionis; ac per eas communicare secundùm suum beneplacitum, aut omnia bona opera, & merita omnium Religionum, aut certorum quorundam, vel etiam vnius tantummodo; idque ex sua natura, & de Iure. Responsio hæc, licet certissima, probatur insuper sequentibus rationibus. 149

Primò, quia Summus Pontifex, vt dictum, Caput est supremum, & Generalissimus Generalis omnium Religionum; habetque ex vi Voti Obedientię, sibi alligatas *secundùm Regulam*, & suæ potestati dominatiuæ, subiectas omnium indifferenter Religiosorum, quarumcumque Religionum voluntates, iuxta communem doctrinam: adeoque ex sua natura, & de Iure, iuxta suum beneplacitum, communicare potest bona opera omnium Religionum per Litteras Gratiosas, prout in responsione ex- 150

expositum est. Consequentia non minus certa est, quàm ipsum antecedens, propter Doctrinas superiùs allatas.

151 Secundò, quia ipsemet Summus Pontifex Prælatis Regularibus concedit facultatem communicandi bona Opera; ac merita suarum Religionum; igitur à fortiori Sua Sanctitas ipsa, eandem in se habebit facultatem: Consequentia legitimè sequitur, ex communi illo principio: *nemo dat quod non habet*. Antecedens probatur ex concessione, & indulto *Vrbani V.* in præcedenti Dubio relato; & ex alijs concessionibus, & Indultis aliorum Summorum Pontificum, quæ Dubio Sexto primi Capitis recitauimus.

152 Tertiò, quia de facto Summus Pontifex communicat bona opera, bonaque Spiritualia Religiosorum; ergo id facere potest. Consequentia necessariò sequitur, quia actus præter dubium supponit potentiam, maximè cùm agitur de Summo Pontifice, qui *debet omnia facere, & concedere cum magna consideratione, vt non possit reprehendi Gloss. 1. c. cùm adeò de rescript.* Antecedens probo. *Iulius II.* sua authoritate concedit, & communicat diuersis personis opera bona Spiritualia Ordinis Minimorũ S. Francisci de Paula, per expressam Bullam, quæ incipit: *Aliàs Venerabilem Fratrem* relatam *à Peyrino de Priuileg. to. 1. Constitut. 4. Iulij II.* apud quem dictus Pontifex sequentia concedit §. 5. *Quòd dicti Ordinis (Minimorum) domorum Fundatores, Fundatrices, Procuratores, Tutores, & Tutrices, eorumque vtriusque sexus liberi: nec non dicti Ordinis Conseruatores, præsentes, & futuri, omnium, & singularum Missarum, Ieiuniorum, Orationum, & Sacrificiorum, ac quorumcunque aliorum bonorum, & in toto huiusmodi Ordine Minimorum de cætero faciendorum, & recitandorum, participes fore, & illis communicata sint, & esse debeant.* Hæc *Iulius II.* Igitur vera est nostra responsio.

## DVBIVM QVINTVM.

### *An Sacra Cardinalium Congregatio, supra Regulares constituta, tali potestate polleat?*

153 S*ixtus V.* in *Constitutione 72.* quæ incipit: *Immensa æterni Dei*, instituit Congregationem Cardinalium, quæ Ordine vndecima est, *Tom. 2. Bullarij pag. 466.* pro bono Regimine Regularium. Cæterùm vult *Lezzana to. 1. c. 4. n. 31.* & apud eum *Tho. à Iesu tr. 3. de Visit. Regularium, c. 17. n. 7.* Regulares ex vi Voti Obedientiæ teneri obedire dictæ Sacræ Congregationi, & eiusdem Decretis. *Ex vi Voti Obedientiæ* (verba sunt *Lezzanæ*) *quod Religiosi emittunt, tenentur obedire in his, quæ concernunt Regulam, non solùm Prælatis Religionis, sed etiam specialiter Summo Pontifici, non solùm quatenus est Caput Ecclesiæ, quo titulo omnes etiam sæculares illi obedire debent, sed specialiter etiam ratione Voti obedientiæ emissi in professione: quia Summus Pontifex, est supremus omnium Religionum Generalis, cùm omnis potestas Iurisdictionis, Generalis, & aliorum Prælatorum Religionis, ab ipso deriuetur, atque ita per obedientiæ Votum illi subduntur Religiosi, & tenentur obedire, S. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 5. ad 3. Bannez 2. 2. quæst. 11. art. 10. dub. 6. ad finem. Idem dico de Sacra Congregatione Cardinalium super Regulares, quia illa specialiter instituta fuit à Sixto V. & alijs Pontificibus pro regimine Regularium.* Contrarium nihilominùs sentit *Pellizzarius in Manuali Regul. tom. 1. tract. 4. sect. 4. num.* 107. & hanc opinionem approbant *Antonius à Spiritu Sancto, in Direct. Regul. par. 2. tract. 3. disput. 6. sect. 1. num. 29.* & *Passerinus tom. 1. in 2. 2. super qu. 186. art. 8. n. 47.* quia nimirum, licet à *Sixto V.* & ab alijs Pontificibus, hæc Sacra Cardinalium Congregatio pro regimine Regularium instituta fuerit; tamen non constat (inquiunt præfati Authores, & benè) an eis delegata fuerit, non solùm potestas spiritualis, quam Summus Pontifex habet in omnes Fideles, & consequenter etiam in Regulares; sed etiam potestas dominatiua, quam Pontifex, habet ex vi Voti Obedientiæ supra eosdem Regulares; *imò potius præsumendum est, solùm primam delegasse* (iuxta citatos) *cùm ea ad intentum sufficere possit: nam cùm potestas dominatiua sit specialissima, non debet venire in generali commissione, nisi in specie exprimatur, iuxta communem Regulam, In generali concessione:* quo supposito

Respondeo ad propositum Dubium negatiuè. Ratio est, quia communicatio bonorum operum Ordinis, & concessio Gratiosarum est specialis effectus potestatis dominatiuæ, promanans ex 154

Vo-

Voto Obedientiæ; hac autem potestate dominatiua caret dicta Sacra Congregatio Cardinalium, cùm iuxta citatos Authores, à Summo Pontifice ei communicata non fuerit; ergo &c.

155 Vnde deduco, multò minus alias sacras Congregationes Cardinalium Litteras Gratiosas concedere posse; quibus cùm specialis cura Regularium commissa non sit, neque etiam hi ex vi Voti eis obedire tenentur; sed tantùm ratione Iurisdictionis magis vniuersalis, vt asserunt DD. in specie *Passerinus loc. cit. nu.* 48. vbi ait (loquitur autem de Obedientia, quam Regulares debent Sacris Cardinalium Congregationibus) *De alijs verò Congregationibus, quibus non est commissa specialis cura Regularium, sed communis omnium, res est certior, quia scilicet illa agunt ex communi Pontificis sibi delegata Iurisdictione; vnde Regulares non ex vi Voti, sed vniuersali ratione, tenentur illis obedire, vt Ministris à Summo Pontifice delegatis.* Idem affirmat *Antonius à Spiritu Sancto loc. cit. num.* 33. sequentibus verbis: *Regulares non tenentur ex vi Voti obedire Decretis Congregationis Cardinalium super Concilium, ad ipsos spectantibus; tum quia Congregatio non habet delegationem specialem à Papa super Regulares, sed tantùm Iurisdictionem Spiritualem, qualem habet super alios Fideles; tum quia tales declarationes, tantùm sunt doctrinales, vt tenet probabilior opinio apud Dianam tom.* 1. *tract.* 10. *resol.* 29. *tum quia non solent publicari, nec de ijs constat authenticè, quod necessarium erat, iuxta Decretum ipsiusmet S. Congregationis, quod refert Lezzana tom.* 3. *verbo Sacra Congregatio, n.* 10.

## DVBIVM SEXTVM.

### *An eiusmodi potestatem habeant Legati, & Nuntij Apostolici?*

156 Respondeo negatiuè, quia ipsi non habent potestatem dominatiuam, quæ sola communicare potest opera bona, ac bona Spiritualia Religionum mediantibus Litteris Gratiosis, cùm Regulares ex vi Voti non teneantur obedire Legatis, ac Nuntijs Apostolicis, sed solùm ob iurisdictionem Spiritualem, quam habent æquè supra Regulares, ac supra alios Fideles; prout docent Authores. Vnde *Pellizzarius in Manuali Regularium tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 4. *sect.* 4. *num.* 109. ait: *Votum obedientiæ Religiosæ non obligat ad obediendum cuicumque Superiori, aut Prælato proprio, sed solùm Prælatis Regularibus, & Papæ, tanquam Supremo omnium Religionum Generali; tales autem non sunt Legati, etiam de Latere, neque Nuntij Pontificij, vt patet. Et ad hoc vt saluetur in Regularibus debita subiectio dictis legatis, ac Nuntijs, non est necesse, quòd ipsis teneantur parere ex Voto Obedientiæ; sed sufficit, quòd illi possint ijs imperare per potestatem iurisdictionis; quam Legati de Latere, & Nuntij Apostolici habent in illos, præsertim cum obligatio voti ampliari non debeat vltra intentionem vouentis; & Religiosus vouens obedientiam, intendat per tale votum se obligare solùm Prælatis Regularibus, & Papæ, modo dicto; vt colligitur ex ipsa forma promittendi, quæ regulariter consistit in his verbis; Promitto Deo, & tibi (id est Prælato Regulari) Obedientiam; aut alijs æquiualentibus.* Et *Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regularium par.* 2. *tract.* 3. *disp.* 6. *sect.* 1. §. 2. *n.* 34. ait quoque. *Non tenentur Regulares ex vi Voti obedire Legatis à Latere, seu Nuntijs Apostolicis, quia non habent specialem potestatem communicatam à Papa super Regulares, sed tantùm iurisdictionem Spiritualem, sicut super alios Fideles, nam ad rectum Regimen Regularium, quod illis commissum est, sufficit potestas Iurisdictionis, quam habent super Regulares: & obligatio voti non debet ampliari vltra intentionem voventium: Quod à fortiori dicendum est de Episcopis, nam Regulares exempti sunt.* Idem cum præcedentibus asserit *Passerinus l. c. dubio antecedente, nu.* 49. vbi etiam *Hyacinthum Donatum* arguit, quòd non consequenter loquatur, dum vult Regulares teneri quidem ex vi voti obedire Sacræ Congregationi, non tamen Legatis ac Nuntijs Apostolicis, quinimò potiùs oppositum dicendum foret, aut saltem idem de istis, ac de Sacra Congregatione supra Regulares. *Non consequenter loquitur Donatus* (verba sunt *Passerini*) *volens Regulares ex Voto teneri obedire Sacræ Congregationi Regularium, & id negans respectu Legatorum, & Nuntiorum. Quia imò id affirmandum esset si non potiori, eadem saltem ratione de Legatis, & Nuntijs, qui censentur Ordinarij Regularium in suis Prouincijs.*

DV-

## DVBIVM SEPTIMVM.

### *An hac potestas competat Cardinalibus Sede Vacante?*

157 RESpondeo, quòd non; quia sola potestas dominatiua communicat opera bona, ac merita per Litteras Gratiosas: hanc autem potestatem non habet Sedes Apostolica, siue Collegium Cardinalium Sede Vacante supra Regulares; siquidem hi ex vi Voti non tenentur obedire ipsis, vti etiam docent Authores præcedenti dubio citati, nimirum *Pellizarius loc. cit. num.* 111. *Antonius à Spiritu Sancto cit. n.* 34. ac *Passerinus loc. cit. num.* 51. Vbi tamen refert *Hyacinthum Donatum*, qui contrarium sentit, ex hoc fundamento, quòd Collegium Cardinalium succedat loco Papæ Sede Vacante; Licèt autem hoc verum sit (vnde etiam *Peyrinus tom.* 1. *de priuileg. Constit.* 2. *Sixti IV. nu.* 11. loquens de nobis Religiosis, ait: *Sede Vacante, Apostolica Sedi, seu Collegio Cardinalium immediatè subiacemus, nec per hoc, quòd Papa caremus, caremus etiam Superiore, quia tunc loco Papæ, stat Apostolica Sedes, seu Collegium Cardinalium*) non tamen sequitur ex hoc, nos teneti obedire ex Voto Collegio Cardinalium; *hinc non sequitur*, (ita *Pellizarius loc. cit.*) *Regulares ex Voto Obedientiæ teneri parere Collegio Cardinalium, quo modo tenentur obedire Papæ.* Rationē etiam addit, quia *rationes probantes Regulares ex Voto obedientiæ toneri obedire Papæ, non æqualiter militant in Collegio Cardinalium tempore Sedis vacantis suffecto in locum Papæ, ideòque cùm à diuersis non fiat illatio, minus benè infertur, Regulares teneri ex eodem Voto Obedientiæ parere etiam Collegio Cardinalium, saltem pro tempore Sedis Vacantis; ita viri sanè docti à me consulti: cum quibus addo, quòd, cùm Collegium Cardinalium tempore Sedis Vacantis specialem habeat iurisdictionem in Regulares, etiam ex hoc Capite, quòd tanquam exempti, immediatè subijciuntur Sedi Apostolicæ, tenentur ijs obedire eo modo, quo diximus, illos teneri parere Legatis de Latere & Nuntijs Apostolicis:* Hucusque *Pellizarius.*

158 Addit tamen *Passerinus cit. n.* 51. Collegium Cardinalium non succedere Papæ in Papali iurisdictione, imò id expressè eidem esse prohibitum, vnde non valet deducere, quòd, quia succedat loco Papæ, ideò Religiosi ei sint Subditi, ex vi Voti sicut ipsimet Papæ: *Necdum Colleg. Cardin. Sede Vacante* (inquit *Passerinus*) *non succedit Papæ in Papali iurisdictione; sed imò illi est expressè prohibitum c. vbi periculum de elect. in 6. & Clem. ne Romani eod. tit. & Constit. Pij IV. in eligendi; aliquid Papalis Iurisdictionis sibi vsurpare, nisi in casibus ibidem expressis; ideò non est, vnde dicatur, quòd Religiosi ei subdantur, vt Papæ ex vi Voti:* consequenter, neque est, vnde dicatur, quòd illud possit concedere Filiationem Spiritualem Religionum per Litteras Gratiosas.

## DVBIVM OCTAVVM.

### *Vtrùm Potestas hac sit penes Cardinalem Protectorem Ordinis.*

PER Protectorem Ordinis hìc intelligitur illa Persona Ecclesiastica, quę à Summo Pontifice eligitur, & designatur ad conseruationem, ac defensionem Ordinum atque Religiosorum; ita enim definitur *à Petro Bellasio de Protectore Regularium c.* 2. *num.* 3. sequentibus verbis: *Protector Regularium est Persona in dignitate Ecclesiastica constituta à Summo Pontifice, ad Ordinis Regularium conseruationem, ac defensionem designata.* Dicitur *Persona in dignitate Ecclesiastica constituta*: quia Laici ad tractanda negotia Ecclesiastica assumi non debent *c. decernimus de iud.* aliàs turbaretur Ordo Ecclesiasticus; ita Doctores in *c. Mennam.* 2. *qu.* 5. ideoque qui negotijs Regularium se immiscere debet, necesse est, Iurisdictionis esse capacem. *D. Th. in* 4. *dist.* 19. *quæst.* 1. *art.* 2. *Soto in* 4. *distinct.* 29. *quæst.* 1. *artic.* 3. *& Suarez de Cens. disp.* 2. *sect.* 3. Cur autem debeat esse constitutus in dignitate Ecclesiastica, *ea est ratio* (ait citatus *Bellasius num.* 5.) *quia delegationes Papæ, & Summorum Pontificum, fieri debent, non personis vulgaribus, sed eminentibus. Peregrinus de iurisdict. Ordin. & de Leg. l.* 1. *ad rubr. de offic. & potestate Iudicis delegati.* At in casu nostro Eminens pro- 159

cul

cul dubio, imò Eminentissima, quippe Cardinalitia debet esse dignitas illius, qui eligitur in Protectorem Ordinis, ideoque titulus dubij ita est propositus: Vtrùm potestas hæc sit penes Cardinalem &c. Licèt enim loquendo *de iure*, *certissimum sit* (ait *Bellasius c.4. à n.1.*) *nullam extare legem, quæ statuat solos Eminentissimos Cardinales debere esse Regularium Protectores, ac proinde Summo Pontifici, qui habet plenitudinem potestatis in ijs, quæ sunt iuris simpliciter positiui c. proposuit, de concess. præben. c. cuncta per mundum 9. qu.3. & ex Abb. in c. à nobis de sentent. Excom. integrum esse, creare Protectores non solùm Cardinales, sed etiam alios Ecclesiæ Prælatos. De facto tamen solummodo Eminentissimi Domini Cardinales in Regularium Protectores assumuntur* (*Bellasius n.4.*) *& quidem optima ratione. Cùm enim Cardinales sint Cooperatores, & Coadiutores Papæ, c. fundamenta de elect. in 6. & corporis Ecclesiæ, non solùm honorabiliora membra c. fin. de pæn. lib.6. vbi Archid. & Io: Andr. & Io: de Lignan. ad c.2. de Cler. non resid. Imò, & capita Vniuersalis Ecclesiæ. Martin. Landen. tr. de Card. q.31. eò quòd vnà cum Summo Pontifice Supremo Capite, curam Ecclesiæ, & solicitudinem gerant; vnde in can. decreto 2. qu. 6. §. sunt, dicuntur ferre pondus diei, & æstus, vt illi, qui sunt vocati in partem sollicitudinis arg. c. ad honorem de auct. & vsu pall. &c. per Venerabilem, qui filij sint legit. ideo Summo iure debuerunt Cardinales præfici Religionibus, quæ inter præcipua membra militantis Ecclesiæ enumerantur, eiusque censentur veluti columnæ, & fundamenta. Alphons. Ciacon. in vit. Pontif. in Honor. III. anno* 1216. Dicitur *à Summo Pontifice*; Nam cùm Summus Pontifex sit *Regularium Generalissimus* (explicat idem *Bellasius nu. 6.*) idemque supra eos habeat *non solùm dominatiuam potestatem, D. Th. 2. 2. qu.186. art. 5. ad 3. Azor. tom.1. li.11. cap.18. quæst. 3. Nauar. in Man. c.12. num.76. Rodriq. qq. Regul. tom.1. quæst. 25. art. 5. & Soto de Iust. quæst. 3. cap.3. numer. 26. sed etiam potestatem defensiuam*, Ratione immediatæ subiectionis, quam Regulares soli Summo Pontifici profitentur *Gloss. Sedis Apostolicæ in ca.1. de priuil. in 6. cum tempore de arbitr. c. recipimus & c. Si Papa eodem* (à quo etiam solo eximi possunt à Iurisdictione Ordinariorum *c. frater noster ib. quæst. 1. can. conquestus 9. quæst.3.*) adeoque ad ipsummet Summum Pontificem spectat assignare Regularibus Protectorem, *qui eius vices gerat* (*Bellasius num.7.*) *& per quem veluti per Organum operetur; Religionum defensioni, atque conseruationi assistendo*. Propterea etiã in ipsa definitione dicitur, *ad Ordinis Regularis conseruationem, ac defensionem designata*: per quam particulam insinuatur ac explicatur finis non solùm Pontificis in assignatione Protectorum, verùm etiam officium prætereà, ac munus eorundemmet Protectorum. Ita explicata hæc definitio, videtur esse sufficiens, cùm per quatuor suas causas assignetur: Efficiens est Summus Pontifex: Materialis, Persona ipsa Protectoris: Finalis, protectio, defensio, ac conseruatio Ordinum Regularium; quapropter etiam *Lezzana in Summ. qq. Regul. Tom. 2. cap.9. n.2.* ait: *Dati sunt Religionibus à Summis Pontificibus ad earum defensionem, conseruationem, dilatationem, tutelam, & protectionem, vt ex nomine ipso Protectorum conspicitur contra aduersantes præcipuè*: Formalis denique causa, est authoritas, cum Litteris, aut Breui Apostolico Protectionis collata, & communicata Protectori, virtute cuius ipse constituitur Protector, *& in esse Protectoris*.

Qualis posteà, quantaue sit hæc au- 160
thoritas, & quousque sese extendat, deducendum est ex ipsamet forma Litterarum, seu tenore Breuis Protectionis: *Standum est Litteris protectionis, quæ à Sanctitate sua emanant* (verba sunt *Bellasij tract. cit. cap. 6. num.1.*) *& varia pro varietate temporum, & horum indigentia fuit Protectorum auctoritas, vt videre est in Bullis Summorum Pontificum hac de re emanatis. Idem quoque affirmauit antea Lezzana loc. cit. num.3.* Et *Sanctorius de Melfi in Constitut. & Statuta S. Francisci cap. 1. statut. 2. §.2.* vbi sic ait: *Cùm Summi Pontifices specialia breuia tradant Protectoribus pro tempore, standum est facultatibus eisdem, in talibus concessis, vt prudenter adnotauit VVadingus ad annum* 1217. Quæ Breuia ac Bullæ videri possunt, inter alios, apud *Rodriquez in suo Bullario fol.13. & tom.3. qq. Regul. quæst. 42. art.1. Cæsarub. in Compend. priuil. Mend. verbo Protector Ordinis, & apud Peyrinum tomo 1. de Subdit. quæst.1. c.18. §. 3.* Cardinalis *Vgolinus* primus Protector Fratrum Minorum exercuit supra Ordinem quasi

Sum-

Summam Poteſtatem; factus autem poſtea Pontifex (dictus, *Gregorius IX. eam valde reſtrinxit* (ait *Bellaſius num.* 1. *cit. ſicuti fecerunt Gregorius XI. & Sixtus IV.*) Atque ad tres ſolos caſus ſe extendere authoritatem Protectoris, declarauit præfatus *Gregorius IX.* vti obſeruat *Bellaſius n.* 1. *cit.* ac refert *Petrus Marchantius in Regulam S. Franciſci c.* 12. *Tit. vnico de Protectore Ordinis q.*2. *vbi de Protectoris authoritate in Ordinem, in principio;* & ſunt, hæreſis, Schiſma, ac relaxatio Religionis, en ipſius verba: *Auctoritas Protectoris in Protectionis Regimine, & Gubernatione, ad tres caſus eſt reſtricta, nimirum; in Hæreſi; quando deuiarent Fratres, vel Religio ab vnitate Fidei; in Schiſmate, quando recederent ab Obedientia Romani Pontificis, ſeu Eccleſiæ: in Relaxatione Religionis, quando declinarent ab obſeruantia Regulæ. Iſta Gregorius IX. vt refertur in Compend. priuil. V. Protector. In cæteris omnibus declarat Gregorius IX. quidquid attentauerint Protectores, irritum eſſe, & inane.* Poſt hæc *Vrbanus IV.* conceſſit ampliſſimam auctoritatem Protectoribus, quæ tamen etiam deinde moderata fuit à *Martino V.* & à *Iulio II.* & videre licet apud *Caſarubium in Compend. priuil. Mend. V. Protector Ordinis.* Idem teſtatur *Bellaſius num.* 1. *cit. Poſtea Vrbanus IV. ampliſſimam auctoritatem Protectoribus conceſſit, quam deinde moderati ſunt Martin.V. & Iul. II. vt videre eſt apud Caſarub. in Compend. &c. & Rodriq. qq. Regul. q.*42. *art.*1. *&* 2. Concludit deinde quod *hodie ſtandum eſt Litteris Protectionis, quæ communiter à Sanctitate ſua emanant.* Idque iure merito concludit, ipſemet enim præcedente *capit. V. num.* 1. (loquens de Breui protectionis *Innocentij X.* dato Eminentiſſimo Cardinali *Odeſcalco*, deſtinato vnà cum ipſo in Protectorem ſui Ordinis *ſub die* 20. *Sept.* 1645. *Pontificatus anno primo*) ita differit; *Cumque hodie Litteræ Protectionis ſint pares, vt audio, ſi quæ Eminentiſſ. & Reuerendiſs. Protectori Ordinis noſtri Feſulani à Beatiſſimo directæ ſunt, loco exempli apponam, atque de eis ſcribam; idem erit, acſi omnes appoſitæ forent, & de omnibus tractatum.* Ita vt denique ex moderno Protectionis Breui colligatur auctoritas, ac poteſtas Protectoris ſupra Ordinem, & ſuper Religioſos eiuſdem; nec non & munera, atque officia; ſiquidem *etiam munera Protectoris colliguntur ex Breui Protectionis*, ait *Bellaſius c.* 5. *n.* 1. ad verbum refert citatum Breue *Innocentij X.* & à *n.*3. *vſque ad* 128. Illud ex profeſſo totum explicat, ac exinde declarat auctoritatem, Iuriſdictionem, poteſtatem, atque officium Protectoris Ordinis, prout ibidem videri poteſt. His omnibus ſuppoſitis

Reſpondeo ad dubium negatiuè, idque probo: quia omnis Authoritas Eminentiſſimi Protectoris ſupra Ordinem (ſiue ea ſolum ſit, quæ confertur per Modernum Breue; ſiue etiam magis ampla, conſiderata nimirum reſpectu tenoris Breuium antecedentium, ac antiquiorum) non excedit certè poteſtatem delegatam iuriſdictionis: itaque vera eſt negatiua. Conſequentia itidem legitimè ſequitur, quia (vt toties dictum eſt ſuperius) ſola poteſtas dominatiua Prælati poteſt communicare opera bona Subditorum, ac concedere Litteras Gratioſas, tanquam ea, quæ ſola ius habet tale vi Voti ex ſui natura. Antecedens probatur: *Iuriſdictio*, quippe *Cardinalis Protectoris manat à Pontifice* (ait idem *Paſſerinus vbi ſupra num.*50.) *vt à Capite totius Eccleſiæ, non verò vt à Capite ſpeciali, & intrinſeco cuiuſcumque Religionis*; inde deducit conſequentiam, quòd ideò *ex vi voti obedientiæ non teneantur Religioſi obedire Protectori, ſicut eadem ratione ſupra dicitur de Legatis, & Nuntijs;* Cui conſequentię atque concluſioni ſubſcribunt etiam *Pellizarius vbi ſupra num.* 110. *& Antonius à Spiritu Sancto loc. cit. num.*34. Si itaque Religioſi non tenentur ex vi Voti obedire Cardinali Protectori, tanquam ei, qui realiter non eſt, nec poteſt vocari *ſtricto modo* (ait *Lezzana cit. loc. n.*4.) *Prælatus Religioſorum, quales ſunt Priores, Prouinciales, & Generales, & alij ſimilibus nominibus vocati:* ergo deficit in ſua Eminentia poteſtas dominatiua, & ſic non poteſt concedere Litteras Gratioſas Ordinis, quæ ſunt effectus illius poteſtatis dominatiuæ tantùm: quæ cùm ſit facultas ſpecialiſſima, eamque Pontifex habeat vt ſupremum Caput & Prælatus Religionum, *nec conſtat* (aiunt citati Authores) *nec cenſendum eſt, eam Pontificem delegare;* imò *neque hæc delegatio* (inquiunt iidem) *eſt conformis intentioni vouentium, qui ſe ſubijciunt Prælatis Ordinum:* vnde valde condecens, at- 161

que

quæ conueniens est, vt Pontifex absque grauissima causa vt Caput speciale Religionum, ijs non imperet, nisi mediantibus eorum proprijs Prælatis, quibus Religiosi Subditi sua vota præstiterunt: atque adeò, nisi intercedat causa specialis, numquam credendum est, Suam Sanctitatem delegare, extra Ordinem, prædictam suam intrinsecam potestatem dominatiuam: en verba ipsamet *Passerini* in hanc rem *l. c. n. 49. Conueniens valde est, vt nisi specialis causa id expostulet, Papa, vt specialis Prælatus Religiosorum, præcipiat medijs eorum Prælatis, nam ex hac parte, Pontifex se habet, vt quid intrinsecum corpori Religionis, & tanquam veluti pars eius nobilissima, scilicet caput; conuenit ergo capiti, vt intrinsecus, medijs membris, quæ sint de corpore, influat in corpus, vt hoc modo, corpus viuens, viuat per seipsum: & seipsum per seipsum regat. Vnde ampliare, & extendere hanc potestatem extra personas Ordinis, non est conforme multùm intentioni voventium, & est aggrauare iugum, & onus, magis respectu illorum, quàm aliorum Fidelium, & facere quòd si ex infirmitate deficiant, maior sit plaga, & multiplicetur in peccante malitia. Vnde nisi adsit in hoc specialis causa, non est censendum, Pontificem delegare extra Ordinem, vel Legatis, vel Congregationi, vel Cardinali Protectori, authoritatem illã, quam habet, vt intrinsecum Caput Religionum*. Quæ authoritas aliud non est, quàm potestas dominatiua; itaque vera est nostra responsio.

162 Ex hoc tamen non sequitur, quòd Religiosi non teneantur obedire Cardinali Protectori in ijs omnibus, quæ ad illius Authoritatem, Iurisdictionemque pertinent, vt docet. *Pellizzarius cit. n. 110. Quod tamen non facit*, inquiens, *quin Religiosi teneantur obedire Cardinali Protectori in ijs, quæ spectant ad eius iurisdictionem, idque eo modo, quo diximus ipsos teneri obedire Legatis de Latere, & Nuntijs; nimirum ex subiectione, quam illi habent, correspondente eorum potestati, & iurisdictioni*: quod appositè dictum censeo; totum namque munus, quod habet Eminentissimus Protector, optimè exerceri potest per solã Iurisdictionem, quam ipse habet delegatam à Summo Pontifice, vbi etiam obseruat *Antonius à Spiritu Sancto l. c.* qui loquens *n. 29.* de authoritate Sacræ Congregationis supra Regulares, ait ad nostrum propositum; *Non constat, illi delegasse pro bono regimine Regularium, non solùm potestatem spiritualem, quam habet super omnes Fideles, ac per consequens super ipsos Regulares, sed etiam potestatem dominatiuam, quam Pontifex habet ex vi Voti Obedientiæ super ipsos Regulares, quin potiùs præsumendum est, solùm priorem delegasse, cum ea ad finem intentum sufficere possit*. Ibidemque tractans de Legatis à Latere, siue Nuntijs Apostolicis; de Collegio vniuerso Cardinalium Sede Vacante, atque de Cardinale Protectore, ait *n. 34.* de his omnibus: *Non habent potestatem specialem* (hoc est dominatiuam) *communicatam à Papa super Regulares, sed tantùm iurisdictionem spiritualem, sicut super omnes alios Fideles, nam ad rectum Regimen Regularium, quod illis commissum est, sufficit potestas Iurisdictionis, quam habet super Regulares*. Porrò, quòd sufficiat etiam in Cardinale Protectore sola potestas Iurisdictionis ad benè obeundum munus suum, atque authoritatem supra Ordinem, prout volunt citati Doctores, clarè deducitur ex ipso tenore Breuis Protectionis *Innocentij X.* (quod hodie ordinariè solet vsurpari, vt dictum est) relati à *Bellasio c. 5.* in quo forma authoritatis commissæ est sequens: *Volumus autem, vt Congregationem prædictam foueas, & protegas; ac tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, vt Superiorum dictæ Congregationis Authoritatem, quantum fieri poterit, conseruare cures, ac propterea ipsis Superioribus, Regimen, & Gubernium Subditorum penitus relinquas, nec in negotijs eorundem Fratrum, te immisceas, nisi ab ipsis Superioribus requisitus fueris, vt in ijsdem negotijs authoritatem tuam interponas, & tunc si omninò necessarium fore cognoueris, vt eandem authoritatem tuam, in ijsdem negotijs exerceas, tunc id facere possis, &c.* Posteà præcipit ibidem immediatè Generali, alijsq; Superioribus, & vniuersaliter omnibus Religiosis Ordinis *in virtute Obedientiæ*, vt ipsum recipiant, *iuxta tenorem Breuis in eorum Protectorem; ea quâ debent, reuerentia prosequantur &c.* Quis iam non videt ex tali tenore, quòd tota potestas delegata, atque collata à Summo Pontifice Eminentissimo Protectori, est solùm ad regendum, ad coadiuuandũ, ad defendendum, conseruandum, dilatandũ, & protegendũ Ordinem (prout supra citatus *Iezzana* loquitur; *dati sunt Religionibus, ad earum defensionem, conseruationem, dilatationẽ, tutelam, & protectionẽ*,

*vel ex ipso nomine Protectorū conspicitur)* quod totum sola potestate iurisdictionis fieri potest, Igitur vera est nostra responsio.

## DVBIVM NONVM.

### *Num id possit Conseruator Regularium?*

163 CONseruator Regularium, eorumque Protector in aliquibus conueniunt, in aliquibus discrepant; Conueniunt, quia vterque datur à Summo Pontifice, à quo etiam acquirit suam authoritatem, & vterque à Papa delegatur, vt docent Authores communiter: de Protectore quidem certum id videtur ex dubio antecedente illudque affirmat inter alios *Bellasius c. 6. §. 1. versu, His obseruatis: Protectoris iurisdictio non est ordinaria, sed delegata, & est à Summo Pontifice pro eius libitu*, De Conseruatore autem *Erasmus à Chochier de iurisdictione Ordinarij in Exemptos par. 2. tit. de Conseruatoribus q. 125. n. 8. Conseruator, Pontificis iurisdictione vtitur. De Alloza in Alphabeto Morali verbo Conseruator n. 1. Conseruator, iudex datus à Papa ad defendendum &c. & Lezzana in Summ. qq. Regul. Tom. 2. cap. 10. Tit. de Conseruatoribus nu. 1. Conseruator secundùm ius commune, est index delegatus à Papa datus, quia solùm Papa est, hos Iudices Conseruatores designare; Rodriquez tom. 1. qq. Regul. qu. 65. art. 2. Peyrinus tom. 2. priuileg. in Constitut. 5. Gregor. XV. §. 1. num. 7.* Discrepant deinde, nam Conseruatorem sibimetipsis eligunt Regulares: *Conseruator enim eligitur à Regularibus ipsis*, ait *Bellasius c. 2. n. 9. versu Ex his, & P. Sanctorius de Melfi in Constit. & Statuta Sancti Francisci c. 12. Statuto 11. versu, Quaero igitur primò; Conseruator est iudex à Papa delegatus, sed ab eo, cuius interest, nominatus*. Protector autem eligitur à Summo Pontifice; & quidem ad protectionis officium durante vita exequendum, vt apparet ex ipsomet Protectionis Breui: *Litteras protectionis* (inquit *Bellasius c. 5. §. 5. n. 45.*) *ad Protectoris vitam Regulariter dari solent, vt patet ex contextu Breuis Protectionis supra allato (ad tui vitam) ideoque cessat protectio per Protectoris obitum, tùm mors omnia soluat*. E contra Conseruator à Regularibus electus, deputatur ad annos quinque à *Summo Pontifice Gregorio XV.* in sua Constitutione *de Conseruatoribus §. 5.* dum ibidem ait: *durante quinquennio à die deputationis, amoueri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant*. Ex quo tamen deduci non debet, finito quinquennio teneri Regulares eligere sibi alium Conseruatorem, siquidem possunt eundem absque nouo electionis actu seruare, prout etiam aduertit: *Pellizzarius in Manuali Regularium tom. 2. tr. 8. cap. 8. sect. 4. n. 101.* vt sequitur: *Ex eo quòd in dicta Bulla, statuitur, durante quinquennio, Conseruatores nullatenus posse amoueri, aut mutari, non sequitur eos, elapso dicto quinquennio, debere statim amoueri, aut mutari; cum talis amotio sit odiosa, ideoque absque textu expresso non inducenda qualis tamen textus non extat (quod sciam.) Vnde fit, vt Regulares elapso quinquennio possint quidem amouere Conseruatorem, si velint, non tamen teneantur*. Conueniunt prętereà, quòd vterque debeat esse persona in dignitate Ecclesiastica constituta. De Protectore patet abundè ex præcedenti Dubio, & ipsius propria definitione, aut saltem descriptione. De Conseruatore pariter constat ex ipsamet Bulla *Gregorij XV. De Conseruatoribus* §. 2. in qua decernit Pontifex, vt *dignitate Ecclesiastica sint praditi*. Discrepant autem in ipsamet dignitate, hęc enim in Protectore est Cardinalitia; in Conseruatore potest esse multum inferior, vt patet ex ipsa praxi Regularium in electione suorum Conseruatorum, qui semper sunt inferioris dignitatis, & ex eo, quòd de hoc scribunt omnes illi, qui tractant de Conseruatoribus, quorum non est exiguus numerus, inter quos sunt *Rodriq. Miranda. Portel. Peyrinus, Lezzana, Rodericus, Barbosa, Thesaurus, Sanctorus de Melfi, Moneta, Chochier*, & alij apud ipsos, specialiter *Pellizzarius*, qui *l. c. quaesito 7. n. 88.* cum communi Doctorum ita ait: *Notandum est hic, nomine dignitatis, venire praeminentiā, qualis inest Cardinalibus, Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, Abbatibus, Vicarijs Generalibus Episcoporum, Archidiaconis, Archipresbiteris Primicerijs, Prapositis, Decanis Ecclesiarum, Vicecancellario Papę, Camerario, Summo Pœnitentiario, Clericis Cameræ, Auditoribus Rotæ, Referendarijs, & Prothonotarijs, qui proinde omnes eligi possunt in Conseruatores Regularium, teste Lezzana &c.* Denique conueniunt tertiò in hoc, quòd vterque sit iudex

dex datus à Pontifice ad defensionẽ Religionũ ac Regularium, vti superiùs declaratũ est; atq; etiam ex Bullis, ac Doctoribus constat: differunt autem (ait *Bellasius c. 2. in fine*) quia *Conseruator est pro causis tãtùm ciuilibus, in quibus Regulares sunt rei, habetque procedere solùm in manifestis iniurijs, & violentijs, & quidem intra certam Diœcesim, iuxta præscriptum Constit. Greg. XV. de Conseruatoribus: Protector verò eligitur à Summo Pontifice pro omnibus causis Regularium intra totum Ordinẽ.*

164 II. Respondeo ad Dubium negatiuè. Ratio est, quia Conseruatori Regularium deest potestas dominatiua, cùm supra eos non habeat (prout talis, vt supponimus) aliam authoritatem, quàm puri iudicis in eorum causis ciuilibus, quæ authoritas profectò sufficiens non est, nec sese extendere potest ad communicandum eorum bona spiritualia; & concedendum Litteras Gratiosas; Ergo &c. Cõfirmatur hæc eadem ratio paritate (quæ multùm vrget) Protectoris Ordinis; Hic absque dubio ampliorem habet iurisdictionem, atq; authoritatem, quàm Conseruator, cùm ea sese extendat supra totum Ordinem, & ad omnes causas (teste *Bellasio*) in Conseruatore autem solùm supra vnum Monasterium, aut vnam Diœcesim, & ad causas tantùm ciuiles: si itaq; Protector cum tanta, tamque ampla authoritate nihilominus tamen non habet (vt superiori dubio visum est) potestatẽ dominatiuam, cuius defectus intuitu, nec teneantur Religiosi illius Ordinis, cuius ipse Protector est, illi obedire *ex vi voti*, nec is propterea illorum bona spiritualia communicare, nec concedere Litteras Gratiosas potest, poterit id fortassis Conseruator? profectò multò minus; vera itaque est nostra responsio.

## DVBIVM DECIMVM.

### *An hæc potestas resideat penes Episcopum?*

165 NEgari non potest, Episcopum in multis rebus esse Ordinarium etiã Regularium existentium intra fines suæ Diœceseos, atque pollere Iurisdictione supra eosdem, siquidem id stabilitum est à Pontificibus, definitum in Concilijs, specialiter in Tridentino, & concessum ab omnibus Doctoribus, ex quibus propter ea *Erasmus à Chochier* doctissimum, & omnibus numeris absolutum edidit Tractatum *De Iurisdictione Ordinarij in Exemptos*. Quòd autem ipsimet Regulares exempti sint ab Episcopis, & Ordinarijs, non minus definitum est, atque certum apud omnes, vnde noster *P. Cespedes Theatinus* pulcherrimum, ac perdoctum scripsit Tractatum *De Exemptione Regularium*, in quo huiusmodi exemptionem probat tam ex iure antiquo, quàm ex nouo; quo supposito, statim emergit consequentia, quòd Regulares non teneantur obedire Episcopo ex vi voti, quam apertè deducit *Antonius à Spiritu Sancto in Director. Regular. p. 2. tr. 3. disp. 6. sect. 1. §. 2. n. 34. Non tenentur Regulares ex vi Voti obedire Legatis à Latere, seu Nuntijs Apostolicis, vel Protectori, aut Collegio Cardinalium Sede Vacante: quod à fortiori dicendum est de Episcopis; nam Regulares exempti sunt.* Quamuis etiam absque hac exemptione (inquit *Sanchez l. 6. moral. c. 1. n. 12.*) & secluso hoc exemptionis priuilegio non teneantur Regulares *ex vi voto* obedire Episcopo: *Religiosi* (sunt ipsiusmet verba) *non tenentur obedire Episcopo ex vi voti obedientiæ, etiam stando in iure diuino, & secluso exemptionis priuilegio; Vnde quoad obseruantias Regulares non ipsi, sed Abbati subsunt. Quia et si (eo iure attento, & secluso hoc priuilegio) subessent Episcopo, & esset eorum Superior, eo tamen modo tantùm, quo Episcopus est Superior omnium Clericorum, nempe quoad disciplinam Ecclesiasticam, non autem quoad Obseruantias Regulares, ad quas ex solo Voto tenẽtur.* Id quod etiam affirmat *Pellizzarius in Manual. Regul. tom. 1. tr. 4. sect. 4. n. 112.* Respondens huic quæsito: *an Regulares ex voto Obedientia teneantur parere Ordinarijs locorum, in quibus degunt, præsertim si ab ijs non sint exempti*; resoluit negatiuè, in cuius rei probationem adducit ipsamet verba *Sanchez loco citat.* Porrò ibidem quærit *n. 114.* vtrùm Religiosi non exempti debeant potiùs obedire Episcopo, cui immediatè subsũt, quàm proprio Prælaro Regulari: rem decidit cum distinctione; nimirum: quòd in ijs, quæ spectant ad Ecclesiasticam disciplinam, & punitionem delictorum contra eam commissorum, *tenentur potiùs obedire Episcopo, quàm Prælato Regulari*: Cæterùm in ijs, quæ concernunt obseruantiam Regularem, &

punitionem transgressionum aduersus eam admissorum *parendum potius esse Prelato Regulari, quàm Episcopo. Cum Sanchez loc. cit. & S. Thom. Durand. Syluest. Innoc. & Abbate*. Ratio autem huius eadem est, ac supra adducta à *Sanchez*; *Ex eo quòd* (inquit ipse *Pellizzarius*) *Religiosus etiam non exemptus facit Votum Obedientię (cuius propria materia est disciplina Regularis) non Episcopo, sed Prelato Regulari; ideòque quoad disciplinam Regularem, subijcitur proprio Prelato, non Episcopo; cùm è contra obligatio disciplinę Ecclesiasticę, & punitio delictorum respiciant potestatem iurisdictionis, quę competit non Prelato Regulari, sed Episcopo, vt patet. Vnde fit, quòd cum hodie Religiosi communiter sint exempti ab Episcoporum iurisdictione; de ijs constat eos teneri quo ad omnia obedire potiùs Prelato Regulari, quàm Episcopo, demptis tamen paucis, in quibus subijciuntur Episcopo ex Decreto Concilij Tridentini, aut Constitutionibus Pontificijs*. Dissentiunt ab hac doctrina *Petrus Ledesma tom. 2. Summ. tract. 10. cap. 7. not. 2. Castro Palaus Operis Moral. par. 3. tit. de Voto Religiosę Obedientię disput. 4. punct. 2. nu. 6. Et Pasterinus in 2. 2. D. Th. tom. 1. super quest. 186. & art. 8. num. 56.* adducens etiam pro se *Suarezium, & Donatum*: volunt isti, quòd secluso priuilegio exemptionis possit Episcopus Regularibus, tanquam eorum specialis Prælatus, imperare ratione voti obedientiæ, ac super eos exercere non solùm potestatem iurisdictionis, sed etiam potestatem dominatiuam, quæ à Voto obedientiæ immediatè suam trahit originem: *docent* (inquit *Pellizzarius loc. cit. num. 113.*) *Episcopum, secluso priuilegio exemptionis, esse specialem Prælatum Religiosorum, ratione voti obedientiæ, quod emittunt, habere potestatem dominatiuam in voluntatem illorum*. Quòd autem id doceant, testantur verba ipsa, vt alios taceam, *Castropalai loc. cit.* qui ait: *Dubia questio est de Episcopo, comparatione Religiosorum non exemptorum (si qui vltra Moniales sint) habeantne potestatem ex vi voti eos compellendi ad obseruantiam Regularem. Communis sententia negat, solùm admittit compulsionem in pertinentibus ad disciplinam Ecclesiasticam, in qua Episcopus præferendus Prælato Regulari, secus in obseruandis Religionis statutis; sic tenet Sanchez & c. sed verius censeo, posse Episcopum Religiosos non exemptos ad obseruantiam Regularem cogere, non solùm ex potestate iurisdictionis, sed etiam ex potestate dominatiua, orta ex voto Obedientiæ, & traditione Religiosorum sibi tradita*: Hucusque citatus Author. *Sed contrarium est verissimum*, subinfert hìc denuo *Sanchez num. cit.* propter rationem ab ipso superiùs, & à *Pellizzario* adductam quibus suppositis

Respondeo ad dubium negatiuè, id- 166
que absque difficultate probatur; nam siue habeat, siue non habeat Episcopus potestatem dominatiuam supra Regulares (secluso priuilegio exemptionis) certum est (in omnium sententia) quòd stante prædicto exemptionis priuilegio plus non habeat, quàm solam iurisdictionem, vt supra notatum est. At negari porrò non potest, quòd hodie Religiosi vt plurimum sint exēpti ab Episcoporum iurisdictione, adeòq; non ipsis subiecti ex vi Voti potestatis dominatiuæ; ergo vera est nostra responsio, per solam quippe potestatem dominatiuam communicantur opera bona Religiosorum, mediantibus Litteris Gratiosis Regularibus.

## DVBIVM VNDECIMVM.

### *An id possit Episcopus respectu Monialium sibi subiectarum?*

DOctrina præcedenti dubio tradita 167
infert præsens dubium, à nemine alio (quantum sciam) hactenus elucubratum. Et quoniam in illo negatiuam tenuimus sententiam, nimirum, non posse Episcopum communicare Opera bona, thesauros Spirituales, ac Litteras Gratiosas Regularium, existentium intra fines suæ Diœceseos, ex defectu potestatis specialis, ac dominatiuæ supra eos, vtpote ab illo exemptos; videtur (loquendo de Monialibus & Religiosis non exemptis, sed ipsi subiectis) consequenter deberi præsens dubium resolui modo opposito, videlicet affirmatiuè, & reipsa ita est: Vnde

Respondeo assertiuè, ac dico, posse Episcopum seu Ordinarium communicare opera bona, ac thesauros spirituales omnium Monialium non

exem-

exemptarum; sed ipsi Subditarum. Huic nostræ responsioni refragari non possunt, quotquot asserunt Regulares (secluso exemptionis priuilegio) teneri ex vi voti obedire Episcopo, eumque habere supra illos potestatem specialem, ac dominatiuam in ipsorum voluntatem, quantum ad Opera bona, ac Obseruantias Regulæ professæ: idque expresse de Monialibus Subditis, & subiectis Episcopo affirmant inter alios supracitati *Palaus*, *& Passerinus*; primus quidem, dum ait, *numer. 6. cit. in princip. Dubia quæstio est de Episcopo comparatione Religiosorum non exemptorum, (si qui vltra Moniales sint) habeatne potestatem, ex vi voti eos compellendi ad obseruantiam Regularem?* resoluit quæstionem responso affirmatiuo in hæc verba: *affirmandum ergo est, secluso priuilegio, & exemptione, Episcopum Pastorem esse Religiosorum, eique obedientiam promitti.* Alter verò, quia id affirmat tanquam rem certam, & indubitatam, loquiturque apertè de Monialibus non exemptis: en ipsius verba *loco citato numer. 52. in princip. Certum est Religiosos exemptos non teneri ex vi voti obedire Episcopo, quia ab eius Iurisdictione exempti sunt, & positi sub immediata protectione, & Gubernio Papæ. Vnde huiusmodi Religiosi solùm tenentur obedire Episcopis ex generali ratione Clericatus, vel Christianitatis, in casibus tamen specialibus, ad quos eorum iurisdictio erga Regulares se extendit; nunquam verò tenentur obedire ex voto. Item pro certo habetur quòd vbi Episcopus est alicuius Monasterij Prælatus, & Religiosi in manibus eius profitentur, sicuti sunt Monasteria Monialiũ Subditarum Episcopis; tales Religiosi, aut Religiosæ ex voto tenentur Episcopo obedire.* Si igitur, iuxta hos Doctores Moniales subditæ Episcopo tenentur, ei obedire ex Voto, ipseque secundùm eosdem super eas consequenter habet potestatem dominatiuam, approbant ipsimet, imò probant tali principio responsionem nostram; siquidem communicatio alienorum bonorum Operum prouenit (tanquam effectus proprius) à sola potestate dominatiua; & quisquis hanc habet, habet etiam ius dispensandi alterius bona Opera sibi subiecta; vera igitur est nostra responsio.

168 Addo, quòd nec etiam *Sanchez*; nec *Pellizzarius* huic sententiæ refragari possunt (quamquam vt præcedenti dubio visum est, prætendant Religiosos, secluso etiam exemptionis priuilegio, non teneri obedire Episcopo ex Voto;) loquendo enim de Monialibus non exemptis, sed subditis Episcopo: docet vterque, ipsas teneri ex voto obedire ei, tanquam proprio Prælato proinde *Sanchez in Decal. libr. 6. cap. 1. numer. 11.* inquit: *Moniales subiectæ Episcopo tenentur ei obedire ex voto, & potiùs ipsi, quàm Abbatissæ, seu Priorissæ, quia est earum Prælatus, instar Prælatorum Regularium. Pellizzarius* quoque id affirmat *De Monial. titul. de Voto Obedientiæ Monialium capit. 4. sect. 3. numer. 95.* dicens; *Moniales, quæ immediatè subijciuntur Episcopo, tenentur ei obedire eo modo, quo tenentur parere Prælato Regulari, si illi immediatè subijcerentur, vtpote exemptæ ab Ordinario loci; cùm Episcopus respectu illarum sit ipsarum Prælatus, instar Prælatorum Regularium, & aliàs votum obedientiæ obliget ad parendum cuicumque Prælato proprio:* Idipsum denuò asserit *num.* 98. 103. 104. Si igitur hoc admittunt (prout assertiuè id affirmant, & quidem iure, ac cum veritate) admittunt etiam consequenter, & approbant non solùm nostram responsionem, verùm etiam, ei subministrant fundamentum solidum, vnicumque ad eam stabiliendam, cum tali probatione, quæ mihi videtur irrefragabilis: supposita enim hac assertione, sic argumentor: Episcopus (iuxta *Sanchez*, & *Pellizzarium*) est Prælatus ordinarius (instar Prælatorum Regularium) Monialium sibi subiectarum, illæque propterea ei obligantur ex voto Obedientiæ: adeòque ipse supra eas tanquam sibi subditas habet potestatem dominatiuam, nihilo minus ac habeant eandem supra exemptas Prælati Regulares: adeòque communicare potest ipsarum opera bona, ac merita per Litteras Gratiosas: probatur hæc vltima consequentia: quia certum est, facere id posse Prælatos Regulares, imò defacto in praxi exercent; & tamen ipsi non habet maiorem iurisdictionem ad id faciendum, nec potestatem dominatiuam ampliorem supra sibi subditas Moniales exemptas, quàm Episcopus supra sibi subiectas, & non exemptas; cùm ergo

eadem prorsus paritas currat vtrobique; idemque principium ; negari certè non debet Episcopo, quod conceditur Prælato Regulari, adeoque si iste de facto communicat Opera bona, ac merita Monialium sibi subditarum: pari modo idem facere potest ille, militante eadem ratione, ac principio, de Monialibus sibi subditis. Porrò, quòd Prælati Regulares communicent opera bona, ac Spirituales thesauros Monialium sibi subditarum, ac exemptarum, dubitandi non superest locus, quandoquidem istud ipso facto constat: legantur in huius rei probationem ipsæmet Regulares Gratiosę, & reperiet lector in earum multis id, quod ei hic oculis subijcio excerptum ad litteram ex Gratiosa Prelatorum Generalium Ordinis *Eremitarum Sancti Augustini* Vbi inter alia hæc habentur: *Vobisque omnium orationum, Missarum, Officiorum, Prædicationum, Contemplationum, Ieiuniorum, Vigiliarum, disciplinarum, Obedientiarum, Peregrinationum, cæterorumque laborum, ac bonorum omnium, quæ per Fratres, & Sorores nostri Ordinis in vniuerso orbe Christiano constitutos, Diuina ope fiunt, tam in vita, quàm in morte, participationem, ex Apostolica Sedis Indulto concedimus, & impertimur*. Ex quibus iam concludo, quòd si talis communicatio bonorum Spiritualium Monialium Subditarum atque exemptarum exerceri potest à Prælatis Regularibus; eadem facultas ac potestas concedi debet etiam Episcopo, vt suprà dictum est, circa Moniales non exemptas, quarum ipse proprius est Prælatus, instar Prælatorum Regularium: nec potest quoad hoc assignari vlla disparitas: neque negari Episcopo illud ius, quod supposito voto obedientiæ à suis Monialibus sibi præstito, ipse habet supra illas, earumque opera secundùm Regulam ex sua natura: quod ius, siquidem de facto ab Episcopis & Ordinarijs fortè in praxi non exercetur (vti neque exerceri credo) inde tamen non sequitur, quòd illud in praxim, atq; in actum redigere, (haud secùs ac Prelati Regulares faciunt) secundùm suum beneplacitum non possint.

169 Si quis autem diceret, id facere Prælatos Regulares beneficio Indulti Pontificij, sumpto motiuo ex allegata clausula citatæ Gratiosæ Eremitanæ, *Ex Apostolica Sedis Indulto concedimus, & impertimur*. Hæc obiectio nihil euincit, nam etiam absque Indulto Pontificio, possunt Prælati Regulares ex sua natura, & de iure supposito voto Obedientiæ (vt supra probatum est in principio capitis) communicare opera bona, ac thesauros spirituales propriorum Subditorum ac Subditarum, ratione potestatis dominatiuæ supra vtrosque: pari quoque modo ratione eiusdem potestatis dominatiuæ potest idē facere ex sua natura, & de iure etiam Episcopus. At potiùs id possunt Prælati Regulares *ex Apostolica Sedis Indulto*, quantum ad communicationem Indulgentiarum, quæ etiam Monialibus concessæ sunt. Quod quidem Episcopus certè facere non potest. Sciendum siquidem, quòd licèt Moniales exemptæ non sint, sed immediatè subiectæ Episcopo, participant nihilominùs Priuilegia Religionum, quarum gestant Habitum, & obseruant Regulam, atque Instituta: in quantum nimirum illæ capaces sunt dictorum Priuilegiorum. *Moniales gaudent priuilegijs sui Ordinis, siue sint exempta à potestate Ordinarij, siue non; Rodriq. tomo 1. quæst. 13. art. 22. Suar. lib. 8. de legib. cap. 10. numer. 3. Castro Palao tractat. 3. disputat. 4. punct. 12. numer. 1.* apud, & cum *Pellizzario de Monial. cap. 9. num. 1.* vbi id etiam probat, quia videlicet in concessione Priuilegiorum (inquit ipse) *non attenditur sexus, sed qualitas, idest status Religiosus, qui æqualiter adest in Monialibus, ac in Viris Religiosis vniuscuiusque Religionis, & in materia fauorabili fœmininum comprehenditur sub masculino, in ijs, quæ possunt accommodari fœminis: est autem eadem ratio, quoad vsum priuilegiorum sui Ordinis, tam de Monialibus exemptis, quàm non exemptis: cùm non deceat Moniales, quæ tanquam exemptæ gaudebant priuilegijs sui Ordinis, modò priuari vsu dictorum priuilegiorum, & simul fauore exemptionis aliàs ipsis competente: præsertim cùm priuilegium tollens vnum, non tollat aliud, l. si domus tua, ff. de seruitut. præd. & cap. pastoralis de priuileg.* Id quod etiam ante *Pellizzarium* inter alios docuerat *Ascanius Tamburinus de Iure Abbatissæ disput. 17. quæsito 2.* vt sequitur; *indecens etenim essent, quòd Moniales quæ*

pri-

*Priuilegijs sui Ordinis gaudebant, illa amitterent, quando à Sede Apostolica sub Gubernatione Episcoporum collocarentur: nam Moniales, Priuilegijs, quæ iam obtinuerunt, quando à Prælatis Regularibus regebantur, nullo modo priuantur per subiectionem nouam. Ideò non videntur simul, & semel carere Priuilegijs illius Ordinis, cui subiectæ erant, quia vno priuilegio ablato non tollitur aliud, per ea, quæ tradunt Syluester Verbo Religio 3. quæst. 3. Barthol. de S. Fausto in Thesauro Religios. lib. 5. qu. 367. & Sanch. in Decal. lib. 6. c. 7. n. 115. vbi plures Doctores citat, & quædam infra; ergo ablato priuilegio primo, vt à proprijs Prælatis gubernarentur, non aufertur secundum, nimirum vt participent in priuilegijs Ordinum illorum, quibus erant subiectæ.* Inter ista autem priuilegia, & communicationes censetur etiam participatio Indulgentiarum, siquidem Moniales omnes, etiam non exemptæ, sed subiectæ Episcopo participant omnes Indulgentias (ait *Pellizzarius loc. cit. num. 40.) quæ concessæ sunt tam Religiosis in communi, quàm in specie Religiosis sui Ordinis: his enim omnibus Indulgentijs frui possunt Moniales, si impleant ea, quæ præscribuntur ad eas consequendas; ex vi communicationis priuilegiorum, & gratiarum sui Ordinis, de quibus ea participant tanquam vera membra illius, vtpote profitentes eandem Regulam, & Institutum.* (Circa hoc videatur etiam noster *P. Pasqualigo decis. 179. n. 4.) idque stando in iure communi, & si aliàqui subiaceant immediatè iurisdictioni Sedis Apostolicæ, aut Ordinarij loci: non enim æquum est, ex eo quod fuerunt priuatæ priuilegio exemptionis ab Ordinario loci: eas priuari etiam gratijs ac priuilegijs, quibus antea fruebantur, dum essent dicto modo exemptæ, sicut ostendimus supra q. 1. qua de re Portel. par. 2. Resp. Moral. Casu* 14. Igitur, licèt omnes Moniales, etiam non exemptæ, sed subditæ Ordinarijs, participent Indulgentias Regularium, quas quidem Indulgentias Prælati Regulares in suis Litteris Gratiosis communicant vnà cum alijs bonis spiritualibus Ordinis; nihilominùs tamen hanc Indulgentiarum communicationem non faciunt ex propria potestate, ex sua natura, & de Iure, sicut cæterorum bonorum spiritualium, sed *ex Apostolica Sedis Indulto*, per Priuilegium videlicet speciale *Vrbani V.* vt supra visum est; quod proinde priuilegium, cùm ab isto Pontifice solis Prælatis Regularibus concessum fuerit, extendi non poterit ad Episcopos, ergo &c.

Termino Dubium istud, monendo Lectorem, quòd sicuti superiùs Authoritate, ac rationibus stabilitum fuit, priuilegia & Indulgentias Regularium, communes esse etiam Monialibus, licèt non sint exemptæ, sed Episcopis, aut alijs sæcularibus Prælatis subiectæ (quam communem esse sententiam, probat recenter *Bernardinus Manaruta, in sua Appendix par. 1. cap. 12. Diuisione 5. n. 92. pag. mihi* 343. 344. 345. adducens ibidem abundantes Doctorum Authoritates, Summorum Pontificum Priuilegia, Sacrarum Congregationum Decisiones &c.) Ita idipsum affirmandum est de Religiosis alicuius Ordinis, qui pariter non forent exempti, sed immediatè subiecti Dominio, & Iurisdictioni Episcoporum: vti hucusque fuerunt Monasteria Ordinis S.P. Benedicti, & Canonicorum S. Augustini per totam Bauariam, & plures alias Prouincias. De his inquam, non exemptis Religiosis, citra omne dubium, dicendum est, quod supra de Monialibus pariter non exemptis stabilitum fuit; nimirùm, quòd huiusmodi Religiosi participent omnia priuilegia, omnesque Indulgentias, quæ concessæ fuerunt, & imposterum concedentur, non solùm ipsorum Ordini, sed etiam alijs Regularium Ordinibus, haud secùs, ac si & ipsi forent exempti. Porrò hanc Priuilegiorum, & Indulgentiarum communicationem participant, quin ipsis speciali Pontificia Bulla, ad ipsos in particulari directa, conferatur: sufficiunt quippe Indulta, concessiones, & Bullæ Pontificiæ ipsorum Ordini respectiuè concessæ; in quibus etiam ipsi comprehenduntur non minus, ac si ad ipsos in specie directæ fuissent: nam vt bene *Manaruta l. c. pag. 346. Versu: Sic præter &c. in fine: Summus Pontifex attendit ad portationem habitus, & professionem Instituti, ad concedenda priuilegia, non ad subiectionem istius vel illius Prælati.* Et *fol. 345. in princip.* in rem nostram (agens de Priuilegijs Regularium, prout communia etiam sunt Monialibus non exemptis) ita loquitur: *Ratio quarè*

Sum-

*Summi Pontifices hoc concessere, etc, quia Moniales eandem ac cæteri Regulares Regulam obseruant, eandem vitam ducunt Religiosam, eodem vtuntur habitu, & sub eodem modo viuendi Deo famulantur; maximè quia Priuilegium, vnum tollens, non tollit aliud. L. si domus tua. ff. de seruit. præd. Vrban. & Cap. Pastoralis de Priuilegijs. Ergo ijsdem gaudent priuilegijs, etiamsi Regularibus non sint subditæ.* Hæc eadem consequentia legitimè procedit in casu nostro quoad præfatos Monachos, Canonicos, & si qui forent alij Religiosi non exempti; cùm circa istos eadem currat paritas, eadem militet ratio, propter quam Summi Pontifices concessere Regularibus respectiuè sua Priuilegia, Indulta, Indulgentias &c. *Et vbi est eadem ratio, ibi debet esse eadem Iuris dispositio;* per Iura, & Doctores, apud, & cum *Barbosa, Axiomate* 197.*n.*3. Vbi etiam: *Quòd sicut genus continet omnem speciem; ita generalis ratio continet omnem casum.* Item; quòd vbicunque ratio habet locum, debet habere locum lex.

## DVBIVM DVODECIMVM.

### *An hac potestate polleant Prælati Regulares Generales, ac Prouinciales?*

170 Respondeo, quòd sic. Generales possunt concedere, & de facto conferunt Litteras Gratiosas, ac Filiationem Spiritualem totius Ordinis, nimirum participationem bonorum operum, Orationum, Suffragiorum, bonorumque Spiritualium Religiosorum, ac Religiosarum totius Ordinis; Prouinciales autem omnium bonorum spiritualium propriæ Prouinciæ. Responsio hæc probatione opus non habet, quandoquidem certum est, Generales habere potestatem dominatiuam temporalem, & spiritualem, ac simul iurisdictionis, supra omnes Religiosos, ac Subditos totius Ordinis communiter, comprehensis etiam proprijs Monialibus: quemadmodum etiam Prouinciales supra Subditos, ac Subditas propriæ Prouinciæ: poterunt igitur Generales iuxta suum beneplacitum disponere de bonis spiritualibus totius Ordinis; ac Prouinciales de omnibus totius Prouinciæ, consequenter vtrique conferre Litteras Gratiosas, spiritualemque Filiationem iuxta propriam Iurisdictionem, Generalem, aut Prouincialem. Atque hoc totum ex sua natura, & de iure communi, prout superiùs probatum atque conclusum est, etiam authoritate Doctorum id docentium; & specialiter *Corduba lib.*5. *quæst.* 42. *punct.* 3. *dicto* 1. *Rodriquez tom.*1. *qq. Regul. qu.*13. *art.*2. *Miranda tom.*2. *disput.*9. *quæsito* 3.*n.*7. *Peyrini, de Prælato. q.*3. *c.*6. *n.*10. *Bordon. resf.* 84.*q.*2.*n.*9. *Rutes de Particip. qu.*4. *sect.*1.*n.*3. *&* 4.

Præstat tamen, speciales Amicos, ac Benefactores Religionum procurare, Litteras Gratiosas à Prælatis Generalibus Ordinis potiùs; quàm à Prouincialibus, ab his enim plus haberi non potest, quàm participatio bonorum spiritualium vnius Prouinciæ; ab ijs autem totius Religionis. Consilium hoc etiam intimauit *Ruteus l.c.n.*6. sequentibus verbis: *Consulendum tamen est Amicis, & Benefactoribus, vt quærant potiùs Litteras participationum, à P. Generali, non solùm, quia illæ absque dubio sunt perpetuæ, sed etiam eò quòd per illas multò plures effectus per modum satisfactionis, & impetrationis consequantur, quàm per participationes vnius solùm Prouinciæ, cùm scilicet participent in bonis operibus totius Ordinis.* 171

## DVBIVM DECIMVMTERTIVM.

### *Vtrùm hac potestas resideat penes Capitulum Generale, & Prouinciale?*

Respondeo affirmatiuè. Quia si hac potestate gaudent Prælati Generales, ac Prouinciales, multò magis Capitulum Generale, ac Prouinciale, quæ, regulariter loquendo, superiora sunt dictis Prælatis, imò ipsos eligunt, creant, deponunt, restringunt, limitant, vel amplificant ipsorum authoritatem, eam contrahendo certis decretis &c. quod certum est apud omnes Doctores, eos præcipuè, qui materias Regularium tractant, vti specialiter videri potest apud *Lezzanam in Summa Tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 172

*num.* 12. Et *Antonium à Spiritu Sancto Directi. Regul. par.* 3. *tract.* 4. *disp.* 10. *sect.* 3. *n.* 47. qui propterea censent, authoritatem & potestatem Generalis immediatè, prouenire, & communicari Prælatis Generalibus à Capitulo Generali; Capitulum autem accipere eam immediatè à Papa: adeoque *P. Sanctorius de Melfi in Statut. S. Francisci cap.* 1. *statut.* 4. §. 1. *in fine*, ait: *Tota authoritas Generalis pendet à Capitulo Generali, quod fundatur in iure; quia Capitulum Generale, est tota Religio, quæ sibi caput constituit, & suis legibus munit, & penes Rempublicam residet tota, & suprema Iurisdictio. Rodriquez tom.* 1. *qq.* 17. *art.* 1. *& Philippus de Bictis Cappuccinus in Praxi Causarum Iudicialium Regularium q.* 3. *Prælud. in princ. pagina mihi* 6. Insuper addit: *Apud omnes Regulares, intra Ordinem, primus & Supremus Iudex Ordinarius est Capitulum Generale, constans ex capite, & suis membris, tanto tempore, quo celebratur, ut sentit Suar. tom.* 4. *de Religione lib.* 2. *c.* 8. *n.* 4. *decens, quòd Supremum tribunal Religionis, non est Generalis, sed Capitulum Generale: addens n.* 8. *quòd Capitulum Generale Religiosorum est supra ipsum. Generalem: Et in eisdem locis notat idem Author consequenter, maiorem, ipso Generali, auctoritatem, Generale Capitulum habere, ità quòd Generale assistente, statuta perpetua Capitulum Generale condere possit, etiam contra Suffragium ipsius Generalis, qui sine suffragiis maioris partis Capituli hoc præstare non potest. His consentiens Lezzana tom.* 2. *cap.* 12. *n.* 6. *ait, conceptis verbis, Generalem subditum esse Capituli Generalis, & subscribens Sanchez Romanus in cap.* 8. *Regulæ Minorum, vers. fide, post Cordubam, ait, Capitulum Generale, maioris esse authoritatis, quàm Generalis; & hinc est, quod, ut cum quatuor Magistris, Vgo, Petro, &c. Cordub. notet Sanchez ibid. vers. & iterum, Generalis, non potest irritare, seu mutare Ordinem aliquam Generalis Capituli, cui est subditus.*

173 Sicut autem in Capitulo Generali residet tota Religio, suprema iurisdictio temporalis, ac spiritualis, atque potestas dominatiua suprema supra totum corpus Religionis, & subditorum vniuersaliter nemine excepto: sic etiam in Capitulo Prouinciali residet tota Prouincia, Iurisdictio temporalis & spiritualis eiusdem, ac potestas dominatiua supra omnes subditos illius Prouinciæ:

Vnde *Lezzana loc. cit. cap.* 12. *n.* 4. *& Antonius à Spiritu Sancto l. c. disp.* 8. *sect.* 3. *à n.* 75. dicunt, quòd Capitulum Prouinciale *de Iure communi (nisi obstent specialia statuta) potest facere omnia, quæ potest facere tota Prouincia, non respectu totius Ordinis, sed respectu Prouinciæ, in qua Capitulum celebratur. Item potest de Iure communi (seclusis specialibus statutis) Capitulum Prouinciale eligere suum Prouincialem, & alios Prælatos locales, & eorum authoritatem minuere, & eos punire, & omnia facere, quæ ipse Prouincialis facere potest. Lezzana supra n.* 18. *Antonius à Spiritu Sancto num.* 81. concludens cum *P. Cappuccino de Bictis l. c.* quòd *Capitulum Prouinciale toto tempore, quo celebratur, se habet ad Prouincialem, sicut Capitulum Generale ad Generalem, ut obseruat Sanchez l. c.* Quæ omnia, cùm ita se habeant, necessaria inde sequitur consequentia, quòd prædicta Capitula, tam Generale, quàm Prouinciale, ob supremam, quam habent, Iurisdictionem, & potestatem dominatiuam supra omnes Religiosos totius Ordinis (si loquamur de Capitulo Generali) aut ad minimum supra omnes totius Prouinciæ (si de Capitulo Prouinciali) possint conferre Filiationem Spiritualem per Litteras Gratiosas, non minus ac id possint Prælati Generales ac Prouinciales: & hoc negari à nemine potest.

## DVBIVM DECIMVMQVARTVM.

### *An hanc etiam potestatem habeat Præsidens Capituli Generalis Patrum Theatinorum?*

IN Generali Capitulo Patrum Theatinorum eligitur sub eius initium quidam ex Patribus, qui eidem Capitulo præsideat, qui propterea vocatur *Præsidens*, vt habetur in *Constitut.* 3. *par. c.* 12. in cuius *Præsidentis* manus deponunt officia sua, non solùm Pater Generalis, qui tempus Generalatus sui terminauit, sed etiam omnes alij Superiores, qui dicto Capitulo intersunt, ita vt ipse solus existat Caput Generale cum suprema Iurisdictione, etiam supra totam Religionem, pro toto tempore suæ Præsidentiæ, cuius virtute Iurisdictionis ip- 174

se

se concedit licentias, distribuit assignationes habitationum cum merito Sanctæ Obedientiæ, ac prouidet omnibus emergentibus casibus, & necessitatibus quà temporalibus,quà spiritualibus,quę occurrunt, vsque dum sequatur, ac publicetur noua Electio Patris Generalis, qua facta cessat subitò Authoritas Patris Præsidentis. Iam hinc exoritur dubium, ac quæritur, vtrùm iste P. Præsidens valeat conferre Litteras Gratiosas tempore suæ Præsidentiæ, ac Filiationem Spiritualem Ordinis Theatinorum?

175 Respondeo affirmatiuè; cùm ille habeat Generalem, ac supremam Iurisdictionem spiritualem, & potestatem dominatiuam supra totam Religionem, cuius ipse verus est Prælatus Generalis (toto tempore suæ præsidentiæ) ac quilibet Religiosus subditus Theatinus teneatur ex vi Voti obedire ei durante prædicto tempore. Quapropter tempore suæ Præsidentiæ potest ipse non minùs, ac alij Prælati Generales ex Officio, & de Iure conferre Gratiosas Theatinas, communicare Filiationem Spiritualem, ac simul (ex indulto Apostolico) etiam (tanquam Prælatus Generalis) participationem Indulgentiarum Ordinis. Et in confirmationem huius responsionis, dico, compertum esse apud nos, quòd quidam è Præsidentibus eas de facto concesserit. Is est *Rev. P. Ioannes Maria Vincentius Venetus*, Vir omnibus numeris absolutus,ingentis spiritus ac zeli, magnæque doctrinę, prout edita ipsius opera testantur,cuius proinde honoratissimam facit mentionem *P. Silos part. 3. Historiæ Theatinæ*, in Catalogo Scriptorum Ordinis nostri. In Capitulo Generali, celebrato Romæ mense Aprilis Anno 1662. (cui ego quoque interfui) creatus est hic bonus Pater ob singulares suas dotes in Præsidentem, totius Capituli applausu: duranteq; Præsidentiæ suæ officio concessit, ac subscripsit Filiationem Spiritualem, seu *Litteras Gratiosas Theatinas*, eadem vsus Litterarum impressarum formà, quæ distribui solet à Patribus nostris Generalibus; idque mihi retulit, tanquam rem ipso facto sibi notam *R. P. D. Iosephus Maria Arrigonius Venetus*, Prædicator celeberrimus, magnæque famæ, qui multis annis Patribus nostris Generalibus à Secretis fuit, atque adeò testis fide dignissimus. Ex facto ergo Personæ doctissimæ, atque eruditissimæ debet deduci facultas, atque potestas; ergo &c.

## DVBIVM DECIMVMQVINTVM.

### *Vtrùm hac potestas sese extendat ad Vicarium Generalem, ac Prouincialem, vacante Sede Generali, ac Prouinciali?*

QVi alterius sustinet vices, dicitur *Vicarius*,siue id deinde sit in officio contentioso,siue non contentioso. Quapropter Ethymologia nominis *Vicarius* deriuatur ab obeundo vices; ita communiter Doctores *ex cap. eius, qui vices alterius gerit*. Vnde *Sbrozzius de Vicario Episcopi lib. 1. quæst. 1. n. 2.* Et *Carolus Peregrinus in praxi Vicarior. p. 1. sect. 1. n. 2.* inquirentes ethymologiam huius vocis *Vicarius*, ita concludunt: *Vicarius igitur dictus est à vice, quam gerit, vel qua alicuius muneri, seu Officio, vel loco succedit: scilicet in præfat. Codicis. Hinc fit* (subinfert citatus *Peregrinus*) *quòd Vicarius omnia potest facere, quæ pertinent ad iurisdictionem illius, cuius vices gerit lib. 1. C. de Offic. eius, qui gerit vices alias. Exceptis quibusdam, quæ speciale mandatum requirunt*. Iam verò, cùm triplicis generis dentur Vicarij Regulares: alij quippe sunt Vicarij Generales, qui sustinent vices Generalis, alij Prouinciales,qui vices obeunt Prouincialis: alij denique Conuentuales, qui officium gerunt Superioris localis,seu Monasterij; supposito, quòd omnes tres, in specie tam Vicarius Generalis,ac Prouincialis (de quibus solis hic sermo est, de localibus autem infra *Dub. 19.*) sint realiter veri Prælati, ac Superiores, cum potestate dominatiua, & quòd habeant iurisdictionem, & authoritatem ordinariam (prout reuera habent iuxta doctrinam nostri *P. Pasqualigi decis. 99. nu. 2. & 3. & 4.* vbi ait, quòd *Vicarij huiusmodi sunt Superiores, ex eo quòd gerunt vices Superiorum; atque adeo communicantium ipsis in auctoritate; l. 1.* 176

de

*de quando sunt Vicarij eorum, qui habent curam animarum, habent & ipsi eandem curam, & dicuntur habere Iurisdictionem, vt de Vicario Episcopi: idcirco verè sunt Superiores, & habent auctoritatem Ordinariam, quia omnis Auctoritas, quæ conuenit ex Officio, est Ordinaria.)* Hoc (inquam) supposito; atque etiam, quòd Iurisdictio Ordinaria, & potestas Vicariorum, de quibus hic loquimur, non cesset in morte Generalis, aut Prouincialis, vti certè de Iure non cessat (inquit *Antonius à Spiritu Sancto par. 3. Direct. Regul. tract. 4. disp. 3. sect. 2. n. 94.* sequentibus verbis: *Aduerte prædictorum Commissariorum, siue etiam Vicariorum auctoritatem, quando ipsi iurisdictionem ordinariam habent, non expirare morte Generalis, vel Prouincialis, aut Prioris; Ordinaria enim iurisdictio, non expirat morte concedentis, siue alterius cuiuscumque. Lezzana tom. 2. c. 13. num. 18. benè tamen, quando iurisdictio fuerit delegata.*) Consurgit iam propositum dubium, vtrùm Sede Generalis, ac Prouincialis vacante, Vicarij quoq; ipsorum, sicut habent eandem Iurisdictionem ordinariam, ac potestatem dominatiuam, ita etiam habeant facultatem concedendi Gratiosas, ac Filiationem Spiritualem Ordinis?

177 Respondeo affirmatiuè, non aliter tamen, quàm supposito iuxta supra citatos authores, & vti dictum est, quòd prænominati Vicarij habeant reuerà Iurisdictionem Ordinariam, & potestatem dominatiuam, vti præcedenti numero insinuauimus; cuiusmodi Iurisdictionem ordinariam non habent, inquit *Lezana l. c. num. 17.* illi Vicarij Generales (adde etiam Prouinciales) *qui solùm per nominationem à Generali factam, (vel à Prouinciali) fiunt: hi enim habent iurisdictionem delegatam amouibilem &c. Iurisdictionem habent Ordinariam, qui iure Ordines, vel electionis facti fuerunt.* Probatur responsio; quia, si communicant (prout suppono atque admittitur) cum Generali, & Prouinciali in Iurisdictione, ac potestate dominatiua, eaque vacante ipsorum Sede non cessat, nec expirat, & est ordinaria haud secus, ac ipsiusmet Generalis, atque Prouincialis; sicut isti virtute propriæ authoritatis, ac potestatis dominatiuæ, concedunt Gratiosas; ita, cum ipsorum Vicarijs eadem authoritas remaneat, atque potestas, necessaria sequitur consequentia, easdem & illos posse elargiri, cùm talis collatio aliud non sit, quàm actus Iurisdictionis, ac Dominij, quod habet Prælatus Regularis, specialiter in foro interno, in proprios Subditos; vt supra visum: atqui tale dominium ac Iurisdictio à Doctoribus conceditur dictis Vicarijs Generalibus ac Prouincialibus, vti clarè apparet apud *Antonium à Spiritu Sancto loc. cit. à nu. 56.* vbi diffusè ac eleganter tractat de Vicarijs Generali, Prouinciali, atque locali; distinguendo eos, qui habent iurisdictionem Ordinariam, ab alijs, qui tantùm habent delegatam. Vnde concludimus hoc dubium, cum ista tamen declaratione, quòd eiusdem responsionem affirmatiuam de ijs tantùm Vicarijs sustineamus, qui vacante Sede Generalitia, ac Prouinciali, non solùm eorum vices agant, verùm etiam eorum Iurisdictione, ac potestate dominatiua polleant, virtute cuius eorum Subditi ipsis teneantur obedire *ex vi voti:* siue deinde fuerint promoti; creati, atque electi prius, hoc est *Sede plena:* siue postea, nimirùm *Sede vacante:* hoc quippe conclusionem nostram non variat, dummodo in ipsis subsistat fundamentum eiusdem, nempe iurisdictio ordinaria, atque potestas dominatiua: quæ certè in ipsis subsistit, vt præter supra citatos testatur etiam *Tamburinus Tom. 2. de Iure Abbatum disp. 13. quæst. 11. in fine:* dum ait, *quòd Abbate mortuo, vel amoto, aut suspenso, deuoluitur potestas ad Vicarium Monasterij, quia Monasterium, nunquam dicitur destitutum aliquo Superiore, qui in Monachos ordinariam iurisdictionem exerceat: aliàs Monachi peioris essent conditionis, quàm Subditi Episcopi.* idem fatentur *Diana par. 3. tract. 2. resol. p. & Ioannes de Cenedo in 1. p. D. Thom. tract. 1. disput. 7. n. 6.* quibus addo ego nostrum *P. Peregrinum in Commentarys Constit. Theatin. 3. par. cap. 9. litt. F. §. Absente Præposito, & Ioannem à Sanctiss. Sacram.* in suo verè aureo, & vnico Tractatu, qui totus, & ex professo est de *Vicario Regulari,* inscribiturque: *Prior Claustralis, siue Disquisitiones Regulares, de Officio, & Potestate Prioris Claustralis, & de Vicario Religioso, par. 2. Illatione 8. à nu. 66. pagina mihi 79.* Porrò si in Vicario locali,

locali, ac Conuentuali mortuo, vel amoto, aut suspenso Abbate, dicta residet iurisdictio ordinaria, ac potestas, ita vt propriè ac rigorosè verus Prælatus sit, & cum multis alijs Doctoribus talis etiam nominetur ab eodem *Ioanne à Sanctiss. Sacram. par. 3. principio 2. per totum.* Imò per decursum totius Tractatus. Multò magis residebit in Vicario Generali & Prouinciali, huiusmodi iurisdictio ac potestas, mortuis, vel amotis &c. Generali, & Prouinciali.

## DVBIVM DECIMVMSEXTVM.

### *Num ista potestas competat etiam Patribus Consultoribus Theatinorum, vacante eorum Sede Generalitia?*

178 IN Capitulo Patrum Theatinorum Generali, quod Romæ singulis triennijs celebratur, eliguntur ad gubernandam totam Religionem per sequens triennium, Generalis, ac quatuor *Consultores: Constit. Cleric. Regul. par. 3. cap. 5.* qui *Consultores*, vt constat ex iisdem Constitutionibus, atq; earum Commentatio, recipiunt à Capitulo Generali supremam iurisdictionem, ac potestatem supra vniuersam Religionem, vnde noster *P. Peregrinus in Comment. in cit. cap. 5. litt. E. §. 2. versu: Quintò Papa.* ait: *Generali cum Consultoribus data fuit suprema potestas in Religione*, ac propterea idem versu antecedente cum fundamento præmittit, *Pater Generalis vnà cum Consultoribus facit vnum Tribunal:* quod Tribunal posteà, cum eadem authoritate remanet penes solos *Consultores*, casu quo Sedes Generalitia vacaret, prout expressè definitur in citatis nostris *Constitutionibus Theatinis par. 3. c. 5.* vbi sic: *per Patris Generalis obitum, aut eius muneris abdicationem, ex Consultoribus, professione Senior, Patris Generalis vicem obtineat; vnà cum cæteris Consultoribus deliberet, & expediat &c.* tanquam illis; qui *supremam Iurisdictionem habent in totam Religionem. Peregrinus loc. cit: litt. A. versu: in contrarium verò, in fine:* ac consequenter idem in *Appendice ad Commentaria in Constit. litt. C. tit. facultas Consultorum Clericorum Regular. nu. 7. & 8.* inquit: *Quando Patris Generalis Sedes vacare contigerit intra triennium, vel per obitum, aut quauis alia ratione, in eodem tempore, Sede vacante, habent Patres Consultores Votum decisiuum in omnibus negotijs &c.* Hisce positis, emergit dubium, an tempore Sedis Generalitiæ Theatinæ vacante remaneat penes *Patres Consultores* vnitim sumptos, facultas concedendi Litteras Gratiosas, ac Filiationem Spiritualem Ordinis: ad quod

179 Respondeo affirmatiuè; ratio est euidens, (maximè supposita decisione dubij præcedentis) quia nimirum, *in Patribus Consultoribus Theatinis* vnitim sumptis (Sede Generalitia vacante) residet suprema potestas, etiam dominatiua supra totam Religionem, quæ *ex vi Voti*, ipsis debet obedientiam, vti *nu. antec.* visum fuit. Quapropter *in re* habent veram authoritatem, & potestatem Generalitiam, perseuerat quoque in ipsis idem Tribunal, sicut in *Sede plena*, tam in foro externo, quàm in interno, supra omnes subditos, tanquam ipsorum veris Prælatis, & tales certè sunt, inquit *Antonius à Spir. Sancto in Dir. Regul. p. 3. tract. 4. disp. 5. sect. 2. n. 79.* dum ait, *qui loco superioris* (vt in casu nostro) *à lege, vel statuto præficiuntur toti Religioni, vel Prouinciæ, veri Prælati sunt, habentes iurisdictionem ordinariam, ac illi, quorum officia gerunt.* Si proinde ita est, vti reuerà est, poterunt haud dubiè etiam ipsi, nihilo minùs ac P. Generalis, Sede eiusdem vacante, concedere, ac dispensare Gratiosas Theatinas. Ad cuius confirmationem facit etiam id, quod superiore dubio diximus, siquidem vtrobiq; currit non modò eam paritas, verùm etiam per decisionem vnius probatur consequenter etiã resolutio alteri⁹.

180 Si quis autem hìc opponeret: Patres Consultores Theatini habent supremam authoritatem in totam Religionem, vt hactenus dictum: *faciunt vnum Tribunal cum Patre Generali: sunt veri Prælati, habentes Iurisdictionem Ordinariam*, sicut Pater Generalis: *Vices gerunt Generalis: omnia possunt, quæ potest cuius vices gerunt:* igitur & ipsi, nihilo minùs, ac ipse Generalis, etiam existens, & Sede Generalitia plena, maximè in ipsius diuturna absentia, ac longa distantia, poterunt

runt

runt concedere Litteras Gratiosas, ac Filiationem, Spiritualem Ordinis, quod dici potest simili modo de Vicarijs Generalibus ac Prouincialibus. Si hoc, inquam, aliquis opponeret, negatur consequentia: quia etsi verum sit, quòd, *qui alterius vices gerunt, omnia possunt, quæ potest, cuius vices gerunt*: cum addito tamen, *Exceptis quibusdam, quæ speciale mandatum requirunt*. Per quod restringuntur, ac certis exceptionibus subijciuntur. Pro exemplo sit iurisdictio Vicarij Generalis Episcopi, hæc adeò est identificata cum iurisdictione ipsiusmet Episcopi, vt, iuxta Doctores, qui de hac materia tractant, *faciat vnum & idem Tribunal cum Episcopo: vnum & idem Consistorium constituat Cap. Romana, versu, Eorum vicef. & verf. Vnum sit Consistorium de Appell. in 6. Sbrozzius de Vicario Episcopi lib. 1. quæst. 23. n. 7. Gloss. antepen. in Clem. 2. de rescriptis, Rota decis. 9. de offic. Vicar. in antiq. Leo in Thesauro Fori Ecclesiast. par. 1. c. 10. nu. 10.* ita, vt à Vicario ad Episcopum non admittatur à Iure Canonico appellatio: *Sbrozzius de Vicario Episcopi lib. 3. quæst. 2. & communiter*: cùm nulla hîc intercedat distinctio Iurisdictionis, sed eadem sit in ambobus: *hinc fit, quòd Vicarius omnia potest facere, quæ pertinent ad Iurisdictionem illius*. ita deducit *Carolus Peregrinus in Praxi Vicarior. par. 1. sect. 1. n. 2.* nihilominus *sect. 2. subsec. 1. n. 3.* limitat, *Non tamen potest facere ea, quæ mandatum exigunt speciale*: eandem limitationem adducit *subsec. 2. n. 1.* vbi ex eo, quòd Vicarius Generalis cum Episcopo constituat idem Tribunal, ac Consistorium, benè infert; *ideò regulariter possunt omnia exercere, si sint legitima facultate constituti, quæ ipsimet Episcopi constituentes facere possunt*: sed annectit exceptionem: *his tamen exceptis, quæ prohibita inueniuntur &c.* Ita idem dici debet de Iurisdictione Patrum Consultorum Theatinorum; quæ cùm sit suprema, atque Ordinaria, *facit vnum Tribunal cum P. Generali*, & hoc verum est: itaque possunt omne id, quod potest P. Generalis, *transeat*; sed excluso eo, quod ipsis prohibitum est, atque speciale mandatum P. Generalis exigit, qui, in quauis etiam absentia sua, & diuturna peregrinatione à Patribus Consultoribus, nunquam (quantum apud nos sciatur) pro vllo casu, permisit, aut voluit, vt isti vnquam concedant Litteras Gratiosas Ordinis; sed ipse solus eas semper subscripsit, ac sub suo proprio nomine tantùm eas dispensauit: quod clarum, atque euidens argumentum est, id prohibitum esse cuilibet alteri absolutè, atq; ad minimũ absq; speciali suo mandato, non posse illius *P. Consultores* eas concedere; imò *Sede sua plena* carere hac potestate, vti reuerà carent.

Et quidem absolutè ea carent, quia 181
Iurisdictio, ac Potestas Patrum Consultorum non se extendit supra Religionem Theatinam, vltra fines ipsis à proprijs Constitutionibus ac Decretis præscriptos, à quibus (Sede plena) in gradu multùm inferiore constituitur, quàm Iurisdictio Patris Generalis, siquidem eam admodùm limitat, atque restringit, vti apparet ex ipsismet decretis, ac Constitutionibus, atque etiam ex Commentarijs *P. Pereg. à ll. cc.* specialiter in *Appendice lit. D. Titulo: facultas A. R. P. Præpositi Generalis Clericorum Regularium*. Ex ea autem parte, qua restricta, inextensa, atque deficiens est, negatur, quòd *faciat vnum, & idem Tribunal ac Consistorium cum P. Generali*: & quòd *vices gerat illius, & possit omnia, quæ potest Generalis*: Idem est de Vicario Episcopi; de quo cæteroquin verificatur quod *faciat vnum Tribunal cum Episcopo; & idem possit ac Episcopus: eius vices gerat in his, quæ mandatum exigunt speciale, & quæ prohibita inueniuntur &c.* nam si insuper deficit eius potestas in ijs, quæ requirunt mandatum speciale (nimirum quæ absque speciali mandato ab ipso fieri non possunt) & in ijs rebus, *quæ prohibitæ inueniuntur*. (*Cap. 2. & 3. de Offic. Vicar. in 6.*) quomodo respectu earum, *vices gerit*? quomodo *facit vnum*, & idem Tribunal? aperta hæc esset contradictio; atq; idem, ac concedere Tribunal absque iurisdictione. At totum hoc magis, ac magis nostram stabilit conclusionem, quod nimirum Patres Consultores Theatini Sede Generalitia vacante, possint indubitanter cócedere Litteras Gratiosas Ordinis; siquidem in tali vacatione, cũ plenissima authoritate ipsis collata à Cõstitutionibus, sustinẽt vices P. Generalis in omnibus negotijs, idemque constituunt Tribunal, ac eandem potestatem dominatiuã participant. Concludo deniq; quòd, quantum

I hîc

hìc definitum est de dictis Patribus Cõsultoribus Theatinis, debeat (regulariter loquendo) etiam dici de Vicarijs Generalibus, ac Prouincialibus, de quibus præcedenti Dubio. Dixi (regulariter loquendo) quia si fortè à suis Constitutionibus, Regulis, ac Statutis, ab vsu & praxi, vel etiam ab ipsismet Prælatis suis Generalibus, aut Prouincialibus obtinent maiorem Iurisdictionem, iuxta hanc posteà etiam decisio regulari debet. Quocirca appositè in rem nostram refert *P. Bonagratia, Cappuccinus in sua Summula quæstionum Regul. verbo Indulg. in Additione ad num.* 235. determinatum fuisse in quodam Capitulo Generali sui Ordinis, quòd in absentia P. Prouincialis, eius Vicarius concedere possit Filiationes Spirituales suæ Religionis: igitur haud dubiè Capitulum Generale hanc ei concesserit facultatem, quod reuera in eius situm sit potestate: *Filiationes* (inquit) *Religionis, posse absente P. Prouinciali, dari à P. Vicario Prouinciæ, decisum est in Capitulo Generali* 1637. Quocirca sit

## DVBIVM DECIMVMSEPTIMVM.

### *An hac potestate gaudeat P. Procurator Generalis Ordinis?*

182 MVnus Procuratoris Generalis totius Ordinis, magnæ est præeminentiæ in Religionibus, vnde de eo tractans *Rodriquez tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 53. *art.* 2. ita loquitur: *Præeminentia ipsius est maxima. Nam ad eum pertinet orare in Cappella Domini Papæ, & eidem Cappellæ debito tempore interesse, vt ibidem repræsentet personam Generalis*. Id quod etiam affirmat *Lezzana in Summ. qq. Regul. tom.* 2. *cap.* 13. *numer.* 25. *Procuratoris Generalis munus magnæ præeminentiæ est in Religionibus, Mendicantibus præsertim, in quibus ad eum pertinet orare in Cappella Domini Papæ, & eidem Cappellæ debito tempore interesse, quasi totius Ordinis, vel Generalis personam repræsentando*. Instituitur autem Procurator Generalis, vt obseruat *Lezzana loc. cit. vel per electionem, vel per nominationem à Generalibus factam*. Et si quidem hoc secundo modo: *oportet, quòd Generalis* (inquit *Rodriq. art.* 2. *cit. in principio.*) *Procuratori Generali conferat in suis patentibus authoritatem*. Quænam porrò officia ei, vt Procuratori Generali incumbant, de hoc tractat *P. Sanctorus de Melfi in Constitut. & Statuta S. Francisci cap.* 8. *statuto* 38. Nos interea remanentes intra fines proprij obiecti, atque tractatus, proponimus hic Dubium, an ipse tanquam Procurator Generalis, virtute eminentis sui Muneris, habeat potestatem concedendi Litteras Gratiosas Ordinis?

Respondetur quòd non: quandoquidem, vt talis, & in se, non habet potestatem dominatiuam *ex vi voti* supra Religiosos Ordinis vniuersaliter; munus quippe ipsius, destinatum est potiùs, ad expedienda negotia grauissima Religionis (vt videre licet apud *P. Sanctorum loc. cit.*) quàm ad imperandam Obedientiam in eadem. Vnde *Rodriqu. loc. cit.* affirmat, quòd *nullo modo Procurator habet authoritatem, ad se ingerendum in pertinentibus ad Prouinciarum regimen*. Et si fortè *aliquando habet adiunctum munus Prælatiæ, vel Superioritatis* (inquit *Lezzana loc. cit.*) hoc solùm est *respectu aliquorum*: Sicque cùm careat Procurator Generalis Ordinis potestate dominatiua, caret consequenter etiam facultate concedendi Litteras Gratiosas. 183

## DVBIVM DECIMVMOCTAVVM.

### *Vtrùm talis potestas inueniatur penes Superiores Religionis, quæ non profitetur Sacerdotium?*

MVltæ reperiuntur in Ecclesia Dei Religiones, quæ non ordinantur ad animarum curam, quæque per se, & vi proprij instituti non profitentur Sacerdotium: si quem autem in suam admittunt Congregationem, id solùm est per accidens, vt videlicet habeant inter se, qui ipsis celebret Missas, ministretq; Sacramenta. Cæterùm Sacerdos iste in huiusmodi Religionibus, non admittitur ad gradum alicuius Regiminis, siue Officij principalis illius Ordinis, sed habetur inter ipsos, vt purus Minister, ac Cappellanus: id obseruauit etiam *Passerinus in* 2. 2. *D. Tho. tom.* 1. *super quæst.* 184

184.

184. *artic. 8. num. 29. in princ. pagina mihi 205. Multæ sunt Religiones, quæ non ordinantur ad salutem animarum, & quæ per se, & ex Instituto, non habent Sacerdotium, sed solùm per accidens, ut videlicet habeant inter se aliquem, qui sibi ministret Sacramenta, & Missas celebret, cùm tamen aliàs huiusmodi Sacerdotes in huiusmodi Religionibus, se habeant tanquam Ministri, & Capellani, nec admittantur ad regimen, & ad præcipua officia Religionis.* Modò quæritur, an Supremi, ac Superiores talium Religionum possint concedere Litteras Gratiosas, & Filiationem Spiritualem, vti cœteræ omnes possunt?

185 Respondeo affirmatiuè; ac probo authoritate Doctorum, qui dicunt, conuenire *de Iure communi* cuilibet Prælato cuiuscunque Congregationis facultatem applicandi alijs opera bona propriorum subditorum, ac elargiendi ipsis Litteras huiuscemodi communicationis: sunt autem *Lezzana tom. 1. c. 18. numer. 67. de iure communi quilibet Prælatus cuiuscunque Congregationis potest applicare bona opera suorum Subditorum, illisque tribuere Litteras talis communicationis. Pellizzar. in Manual. Regul. tom. 2. tract. 9. c. 3. sect. 6. quæst. 4. num. 283. Ex iure communi cuilibet Prælato cuiuscunque Congregationis conceditur applicare bona opera suorum Subditorum personis extraneis, ijsque tribuere Litteras talis communicationis, prout docent D. Thom. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 1. & in Addit. ad 3. par. quæst. 26. art. 1. Nauarr. Miscell. 11. de Psalt. & Rosar. à num. 4. & de Iubilæo Notab. 31.* Et cum istis *Sorbo in Compend. verbo Indulgentia quoad sæculares 4. in Annotat.* & alij. Adiungo authoritati rationem, eaque est, quòd dicti Superiores habeant veram & realem Iurisdictionem, & potestatem dominatiuam supra proprios Subditos Ordinis, quam etiam exercent, vt ipsorum Prælati, quales etiam reuerà sunt, & vt tales agnoscuntur à subditis ipsis, qui alium Superiorem non confitentur; nec alteri obediunt ex vi voti, quàm suis supradictis, & Summo Pontifici, cui (vtpotè exempti) immediatè subiacent: itaque habent veram potestatem communicandi sua bona spiritualia, atque Litteras Gratiosas Ordinis, non minus atque alij Prælati cœterarum Religionum.

Consequentia est certa: antecedens probatur euidenter: Inter alias quippe Religiones, quæ Sacerdotium non admittunt, vna est, quæ vocatur *Beati Ioannis de Deo*, specialiter instituta à prædicto Beato suo Fundatore ad inseruiendum infirmis. Porrò, hæc est vera Religio, declarata talis à Summis Pontificibus, exempta ab Ordinarijs, sicut & cœteræ; immediatè subiecta (haud secùs ac aliæ) ipsismet Summis Pontificibus, vltra proprios Prælatos; & hoc constat ex Priuilegijs huius Religionis, collectis à *Fr. Seraphino Leuisello* eiusdem Ordinis, *impressis Mediolani à Philippo Ghisolfo Anno 1633.* in quibus *par. 1. cap. 3. §......* hæc refert: *Congregatio B. Ioannis Dei, est vera Religio, quoniam habet tria vota substantialia, & quartum de iuuandis infirmis. Ideò inter alias Religiones meritò connumeratur à Sixto V. die 1. Octobr. 1586. Pontificatus sui Anno secundo.* In margine. *Paulus V. constit. 69. Romani Pontificis tom. 3. Bullarij; declarat, quòd est vera Religio, cùm habeat vota substantialia, & quartum seruiendi infirmis &c. die 7. Iulij 1611. Anno 7. Item p. 1. c. 8. §. 1. eiusdem Compendij*, ait etiam idem compilator: *Paulus V. declarauit Congregationem Beati Ioannis Dei esse veram Religionem, & inter alias Ecclesiæ Religiones, esse connumerandam, vt apparet ex Litteris suis, datis sub die 13. Februarij 1617. Pontificatus sui anno XII.* In margine, *In Bullar. tom. 4. Constit. 2. Romanus Pontifex fol. 3. & part. 1. cap. 9. §. 1. eiusdem Compendij. Religio B. Ioannis Dei ab omnimoda Ordinariorum, locorum Iurisdictione perpetuò exempta est: ipsisque Ordinarijs, & eorum cuilibet, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, in his, quæ obseruantiam, Disciplinam, & Instituta Regularia concernunt, quomodolibet se immiscere, aut intromittere ne valeant, seu præsumant, districtè inhibuit ex motu proprio Paulus V. die 16. Martij 1629. Pontificatus sui Anno XIV.* In margine: *In Bullar. tom. 4. Constitut. 15. Roman. Pontifex fol. 32.* Vi cuius postea etiam subiungit *part. 2. cap. 11. sub §. 2. Dictæ Religionis loca, singulæ personæ, res quæcunque, & bona, sunt omnino libera & exempta ab omni Superioritate, Iurisdictione, & Correctione, & Visitatione quorumcunque locorum Ordinariorum, Episcoporum, saluæ tamen Concil. Trid. dispositione. & eadem par 2. c. 5. §. 3.*

Potest Superior excommunicare suos Subditos &c. Vide in Bullar. tom. 2. Constitut. 44. Gregorij XIII. pag. 412. sub die 15. Martij 1577. & cap. 7. (eiusdem par. 2.) cuius Titulus, Confessionalium, Confessores, & Electio Confessoris §. 1. Superior potest concedere Confessionalia, seruato tamen modo Concilij Tridentini, illis membris, Hospitalibus & locis, quæ aggregauerit, instituerit, aut erexerit; sic concessit Clem. VII. Archihospitali Sancti Spiritus die 27. Nouembr. 1578. Pontificatus sui Anno 6. In constitutionibus quoque eiusdem Religionis B. Ioannis de Deo fol. 59. sub titulo, A quo debeant excipi Confessiones secreta Ordinis; ita disponitur: Eligat quilibet Prior in suo Conuentu, pro audiendis Confessionibus, ex quibusuis Sacerdotibus, dignissimos, ratione ætatis, doctrinæ, ac bonitatis; & nemo audeat alteri confiteri, præterquam his; quòd si aliquis à Priore licentiam petierit confitendi alteri Confessario, possit id concedere vna vice in Mense. Denique in eodem Compendio part. 2. cap. 4. §. 3. habentur sequentia: Benefactores participes fiunt in perpetuum Missarum, Orationum, Vigiliarum, & Eleemosynarum, quas elargiuntur. Sic concessit Bonifacius VIII. Archihospitali Sancti Spiritus, & postremo confirmauit die 18. Ianuarij 1399. Pontificatus sui Anno VIII. & cap. 11. sub §. 2. supradictis omnibus, & singulis gratijs, Indultis, facultatibus & Priuilegijs, Hospitalibus Vrbis, directè concessis, gaudet per communicationem Religio B. Ioannis Dei; eiusque Hospitalia erecta, & erigenda, vt apparet in proprijs Priuilegijs eidem Religioni per Summos Pontifices concessis, & pluries confirmatis, & præcipuè per Gregorium XIII. die 19. Aprilis Pontificatus sui Anno primo. Inter alia verò priuilegia, refert etiam Author dicti Compendij eadem part. 2. cap. 10. §. 2. Quòd Superior istius Religionis non solùm habet authoritatem excommunicandi suos Subditos, vt supra relatum est, verum etiam vltra hoc eorum excommunicatio erit semper firma, & stabilis, & sic concessit Iulius III. Archihospitali Sancti Spiritus die 22. Octobris 1552. Pontificatus sui Anno III. Ex quibus omnibus deducitur, ac euincitur quòd etiam Ordo, qui non profitetur Sacerdotium, nihilominus ob tria vota solemnia, ad quæ se obligat, sit vera Religio, ac possit etiam esse exempta ab Ordinarijs, & immediatè subiecta Sanctæ Sedi: insuper, quòd ipsius Prælati, ac superiores habent Iurisdictionem in proprios subditos, & potestatem dominatiuam temporalem ac spiritualem super eorumdem subditorum bona opera: consequenter poterunt ea communicare per Litteras Gratiosas specialibus suis Amicis, ac benefactoribus, haud secus ac Prælati aliarum Religionum. Imò id defacto ab ipsis fit, quòd irrefragabile argumentum pro nobis est, nostramque responsionem euidenter probat, cùm non detur actus absque potentia ad ipsum. In cuius rei testimonium hìc exemplar Litterarum Gratiosarum, ab ipsis collatarum, è proprio Originali excerptum subnectere placuit.

Fr. Ambrosius Gallegus Minimus Seruus Prior Generalis Religionis B. Ioannis de Deo.

CHristiana Charitate tenemur, nostræ Reli- 186
gionis beneuolis, & deuotis, non solum temporalia, sed etiam spiritualia eiusdem Religionis, quæ possumus bona conferre, vt eorum in Deum, & eius Pauperes, charitas, & pietas, magis adaugeatur. Quapropter vestræ deuotionis erga nostrum Hospitalitatis opus memores, de eximia Omnipotentis Dei misericordia, & liberalitate confisi, atque Gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, & B. Patris nostri Ioannis Dei gloriosis meritis, ac intercessione suffulti, omnium, Missarum, & Diuinorum Officiorum, Orationum, Vigiliarum, Ieiuniorum, Abstinentiarum, Disciplinarum, Peregrinationum, Confessionum, & maximè laborum, qui pro subsidio, Gubernio, & cura pauperum infirmorum in nostræ Religionis Hospitalibus, die, ac nocte suscipiuntur, cæterorumque bonorum, quæ per Fratres nostri Ordinis Diuina bonitas in mundo fieri dederit vniuerso, participationem, & communicationem vobis concedimus. Vosq; ad eiusdem Ordinis vniuersa, & singula beneficia, & suffragia, recipimus, & admittimus, in vita pariter & in morte, vt multiplici Sanctorum Suffragiorum præsidio adiuti, hic augmentum Gratiæ, & gloriæ cumulum habeatis in Cœlis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Insuper autem Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi obsecramus, vt concessionem hanc de Cœlo ratam, & firmam habere dignetur, ac de inexhausto eiusdem dilectissimi Filij sui merito-

*ritorum thesauro nostram ipse inopiam supplens. Vos suorum donorum, Cælestiumque charismatum copia in hac vita auctos, æterna tandem gloriæ Corona remuneret. In cuius concessionis testimonium, has vobis concedimus, nostris, nomine, & sigillo roboratas. Dat. Romæ &c.*

187 Opponet hìc fortè aliquis ; prædicti Superiores, qui non profitentur Sacerdotium, sunt puri Laici, adeoque non possunt concedere Gratiosas: Antecedens probo. Quia, cùm non recipiant ordines, certè neque etiam primam tonsuram, ait *P. Pasqualigo* loquens de ijs, licèt in ordine ad aliud propositum q. 40. *Morali Iurid.* vbi hæc habet: *nu. 1. in fine: cùm dicti Religiosi non suscipiant Ordines, neque etiam primam tonsuram*: adeoque sunt puri Laici, siquidem iuxta communem Doctorum sensum, sola prima tonsura efficit personas Ecclesiasticas: *Tonsura dedicat Deo Clericos, & facit personas Ecclesiasticas*, inquit idem *Pasqu. loc. cit. num. 3. in principio*. Si autem puri Laici; igitur (infero ego) non possunt conferre Litteras Gratiosas, quippe vt tales, incapaces sunt Iurisdictionis spiritualis, & Ecclesiasticæ: nec potest illis vllatenus competere potestas dominatiua in proprios Subditos, consequenter carent facultate impertiendi Gratiosas, siquidem talis collatio est effectus solius Authoritatis Ecclesiasticæ, atque potestatis dominatiuæ. Quòd autem, vt puri Laici, non sint capaces Iurisdictionis Spiritualis, nec potestatis Ecclesiasticæ, certum est apud Doctores communiter, qui hanc assignant rationem, quòd nimirum Laici non possint se immiscere rebus Ecclesiasticis, neque eas tractare; & hac ipsa de causa negant ipsimet Laicis potestatem fulminandi censuras; vnde *P. Pasqualigus loc. cit. num. 1. in princip.* ait: *potestas ferendi censuras non potest conuenire Laicis, nec secundùm cursum Regularem Ecclesiæ ijs committi, vt docent communiter Doctores, ex eo, quòd non possunt se immiscere rebus Ecclesiasticis, vt desumitur ex cap. 2. Iudic. & cap. Ecclesia. De Constitut. & cap. Iudicatum distinct. 89. & cap. In noua 16. quæst. 7.* Sicut igitur non potest conuenire Laicis (ita neque dictis Religiosis *ex vi Voti Obedientiæ*) potestas dominatiua, sine qua, certum est, non communicari Litteras Gratiosas, propter ea, quæ superiùs iam pluribus locis dicta sunt. Non potest, inquam, ipsis conuenire hæc potestas, quandoquidem tanquam Laici, non possunt præcipere subditis ex obedientia, *neque in virtute Sanctæ obedientiæ* iuxta doctrinam *Sanchez in Decal. lib. 6. cap. 1. num. 21.* vbi rationem huius rei assignans, inquit: *Ratio est, quia ex Ecclesiæ vsu, præcepta sic imponere, pertinet ad solos Prælatos Ecclesiasticos, potestate spirituali præditos, nunquam enim Principes, & alij Superiores Sæculares sic præcipiunt.* Quod etiam confirmat *Pellizzarius de Monialibus cap. 4. sect. 3. num. 109.* ita loquens: *Ex Ecclesiæ vsu, præcipere in virtute Spiritus Sancti, aut in virtute sanctæ Obedientiæ, & facere præcepta formalia, obligantia sub mortali, pertinet ad solos Prælatos Ecclesiasticos spirituali potestate præditos; vnde constat Principes, & alios sæculares superiores nunquam sic præcipere; præterquam quòd præfata præcepta non possunt imponi, nisi ab habente potestatem spiritualem, ad quam requiritur status Clericalis, & aliqua spiritualis eminentia gradus, qua significatur, ac efficitur per Sacramentum Ordinis, aut saltem per primam Tonsuram.* Quibus omnibus haud obstantibus.

Respondeo, negando omnia assumpta opposita: itaque nego imprimis, quòd prædicti Religiosi sint puri Laici, cùm absolutè (etiam sine prima tonsura) sint personæ Diuino dedicatæ seruitio, atq; Ecclesiasticæ non minus, quàm Clerici; tales autem efficiuntur virtute Professionis Religiosæ, quæ verè personas reddit Ecclesiasticas, dum eas diuino mancipat seruitio, vti testatur *P. Pasqualigus q. cit. n. 3.* vbi apertè asserit: *Sunt personæ Deo dicatæ, & Ecclesiasticæ, non secus, ac sint Clerici*: cuius etiam assignat rationem, quia nimirum, *Sicut tonsura dedicat Deo Clericos, & facit personas Ecclesiasticas: imò meliori modo, quia non possunt recedere à statu Ecclesiastico, & Religioso, sicut possunt recedere Clerici. Et proinde gaudent priuilegijs Clericorum Fori, & Canonis. Vt etiam de Conuersis constat ex cap. Non Dubium, de sentent. Excomm. Et esse personas Ecclesiasticas Religiosos cuiuscunque Religionis, etiam Conuersos, notant, Gloß. in dicto cap. Non dub. Verbo Religionis. Felin. n. 1. Duen. Regul. 99. Ampliat. 3. & Regul. 100. Ampliat. 5.* 188

*Sylvester verbo Clericus numer.* 1. Hactenus *Pater Pasqualigus*, Ex quo euincitur, eos de quibus loquimur, non esse puros Laicos, sed veras personas Ecclesiasticas, realiter & simpliciter Religiosos: vti etiam nomine Religiosorum vocantur à Summis Pontificibus; profitentur enim propriam & certam Regulam, à Sancta Sede Apostolica approbatam, atque confirmatam (iuxta quam tria emittunt Vota in manibus Prælatorum) & vt de veris, ac propriè dictis Religiosis, atque Ecclesiasticis tractant vltra citatos Doctores plures alij, specialiter *Diana par.* 3. *tract.* 2. *resol.* 30. *Bordon, de profess. Regul. c.* 1. *versu. Tertiò diuiditur à num.* 49. *& seqq.* Gaudent propterea priuilegijs Clericorum tam fori, quàm Canonis, prout constat gaudere etiam Conuersos, esseque personas Ecclesiasticas, omnes Religiosos, cuiuscunque tandem sint Ordinis, etiam Conuersos: quandoquidem Religio, prout Religio est status verè Ecclesiasticus, Sacer, ac Spiritualis; Ecclesiasticus, quia gaudet Priuilegijs Ecclesiasticorum; Sacer, quia dedicatus, atque oblatus Deo ter Optimo Maximo; Spiritualis, quia est status ordinatus ad actiones spirituales; ac propterea non potest contractu appretiatiuo æstimari, quod proprium est rebus spiritualibus, inquit *Bordon. loc. cit. cap.* 1. *q.* 7. *n.* 72. Adeoque nego etiam vlteriùs, prædictos Religiosos esse incapaces iurisdictionis Ecclesiasticæ, ac spiritualis; imo ex opposito ita esse capaces, vt Superiores ipsorum, atque Capita, absq; potestate Ecclesiastica ac spirituali esse non possint: proinde *Bordon. cap.* 1. *cit. q.* 26. *n.* 188. *&* 189. ait: quòd sicut in Religionibus potestas Superioritatis, & Iurisdictionis est necessaria, & quidem tantopere, vt *Nulla Religio dari possit sine iurisdictione, quæ est potestas, seu facultas regendi Subditos*: ita postea aduertit quòd *potestas hæc in Religione regendi Subditos, vocatur (& est) potestas Ecclesiastica, & spiritualis*. Porrò vltra ea, quæ superiùs attulimus de Religione *Beati Ioannis de Deo* (quę omnia, vt apparet, huc optimè quadrant) *Stephanus de Aluino*, in suo tractatu *De potestate Episcoporum, Abbatum, & Abbatiss.* loquens de hisce met Superioribus, qui non admittunt Ordines, *c.* 3. *n.* 11. inquit: *Quis neget huiusmodi Superiores habere Iurisdictionem Ecclesiasticam Spiritualem, & temporalem, eamq; talem, vt possint etiam absolutionem certorum casuum occurrentium, certis reseruare sibi subditis Sacerdotibus: & contumaces excommunicare, & ab excommunicatione absoluere, etiam per seipsos, cùm excommunicatio directè ad clauem præsertim Ordinis non pertineat? quæ de re Angelicus Doctor suo more scitè in* 4. *sentent. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 2. *in corp. art.*..... Et *Bordonus resol.* 36. *qu.* 26. *n.* 70. sequens *Sancium disp.* 49. *n.* 10. ait vnà cum eo de huiusmodi Religiosis, quòd *Exempti sunt à Iurisdictione Episcopi, sicut cæteri Regulares*, atq; adeò, *Gaudent priuilegio confitendi non approbatis ab Episcopo*: ac concludit deinde dicens: *Sufficit ergo, quòd confiteantur iuxta decreta suarum Regularum*. Quàuis autem, quantū ad eam propositionem *Aluini*, quòd nimirum prædicti Superiores polleant etiam Iurisdictione excommunicādi proprios subditos, & *in ipsos ferendi censuras* (vti reuerà pollent iuxta superiùs dicta de Religione *B. Ioannis de Deo*) videatur id, quasi duobus tantùm verbis reijcere *Auila de Censuris par.* 1. *dub.* 6. *versu, Secunda Conclusio:* dicens: *Viri merè laici, qui nec primam Tonsuram habent, non possunt ferre censuras iure communi &c.* & adiungit, *Quamuis sint Religiosi professi*: quibus sanè verbis talem ipsis denegat iurisdictionem, atq; facultatem: eam nihilominùs ipsis absolutè concedit *P. Pasqu. q. cit. n.* 2. vbi ait; *Tenendum est, quòd dicti Superiores sunt capaces potestatis ferendi censuras, & proinde ferre possint in proprios subditos*: & *n.* 8. *Itaque concludendum est, quòd habeant facultatem ferendi censuras, sicut habent cæteri Prælati Religionum exemptarum.* Id quod etiam probatur: quia in tantum meri Laici sunt incapaces iure communi, & non nisi ex commissione Papæ, ferendi censuras, in quantum ipsi non possunt tractare res Ecclesiasticas, imò hoc per Canones decretum est: statuiturq; quòd Laici Ecclesiastica negotia tractare non præsumant. *Auila l. c. & omnes, & constat ex testibus.* At Superiores, de quibus loquimur, *de facto tractant res Ecclesiasticas*, inquit *Pasqu. n.* 2. *cit.* siquidem exercent regimen suorum Religiosorum, ac propriorum subditorum; tractant quippe negotia concernentia Religionem, quæ vtique sunt negotia Ecclesiastica: vnde cessat ratio (inquit

quit citatus Author) *quòd non possint se immiscere negotijs Ecclesiasticis, & ob quam sint incapaces potestatis ferendi censuras:* vti etiam cessat exceptio facta *ab Aula Quamuis sint Religiosi professi*, quia licet isti non habeant primam Tonsuram, habent tamen aliquid æquiualens, nimirum professionem Religiosam, quæ *similiter constituit Religiosos in Ordine Ecclesiastico æquipollenter ad Clericatum (Pasqualigo loc. cit. numer. 4.) cùm in ordine ad potestatem ferendi censuras non referat, quòd quis sit capax potius ex Clericatu quàm ex Statu Religioso, cùm quoad hoc æquipolleant l.3. C. de Instit. & Substit. & l. fin. Cod. De Donat. quæ sub modo fiunt. & l. Mulier ff. ad Trebel. & ideo Superiores prædicti, tanquam capaces, fruentur potestate ferendi censuras, sicut fruantur Superiores aliarum Religionum.* Hactenus ille: qui etiam addit *num.5.* esse necessariam in dictis Superioribus hanc potestatem ligandi per censuras proprios Subditos, prout inuenitur apud Superiores aliarum Religionum; aliàs valde debilis, & imperfecta foret eorum vis coercitiua, nisi eis etiam concederetur, posse fulminare per Censuras: atque sic concludit *Vnde necessarium est, quòd habeant congruam potestatem coercitiuam, quæ sine potestate ferendi censuras valde debilis, & imperfecta esset. Cùm ergo sit ipsis concessa iurisdictio in proprios Subditos, & vis etiam coercitiua, debuit etiam concedi potestas ferendi censuras.*

189 Quòd si dicas, hanc potestatem ipsis non concedi; quia tanquam indocti, atque ignari naturæ, qualitatis, atque effectuum censurarum, nec quando possint fulminari, vt plurimùm abuterentur hac potestate, si eis foret concessa. Respondetur, ex hoc solùm inferri, (iuxta *Pasqualigum n.7.*) non quòd tali careant potestate (quam necessariò habent) sed quòd ea vti non debeant, absque consilio docti cuiusdam viri, si non ipsimet sint sufficienter instructi, quomodo legitimè eam in praxim deducant: atque ideò, si absque debita instructione, aut consilio eam adhibuerint, peccabunt mortaliter; quia se periculo exponent abutendi ea, cum graue damno Spirituali propriorum Subditorum. Potiùs obstare posset, si quis opponeret, ex eo, quòd Abbatissæ, quantumuis personæ Ecclesiasticæ, quales sunt omnes Moniales *cap. de Monial. de sentent. Excommunicat.* nihilominùs non possint fulminare censuras in proprias Subditas, vti communiter Doctores cum *Gloss. in cap. Dilecta, verbo Iurisdictionem de Maior. & Obed. & in cap. de Mon. verbo per Episcopum de sentent. Excommunicat.* inde inferri, quòd neque prædicti Superiores eas infligere possint, quantumuis sint personæ Ecclesiasticæ. Attamen respondet huic quoque obiectioni *P. Pasqualig. numer. 6.* esse hic disparitatem, quòd in Abbatissa obstet sexus, quæ ipsam reddit incapacem, &c.

190 Respondeo ego secundò, dato, non verò concesso, quòd supradicti Superiores essent incapaces ad fulminandas censuras in proprios Subditos, exinde non debere deduci (contra nostram conclusionem) quòd etiam remaneant priuati facultate communicandi Filiationem Spiritualem Ordinis per Litteras Gratiosas, quandoquidem nos, hoc non obstante, eandem facultatem concedamus etiam Abbatissæ Monialium, vti breui probabitur ad sufficientiam. Superest solùm, vt admoneamus Lectorem (ad pleniorem eorum, quæ cæpimus, explicationem) quòd sicut sæpe dicti Superiores habent verum Ius, vti dictum est, in suos Religiosos, procedendi contra eos (si necessitas exegerit) per censuras, & Excommunicationes; ita etiam possunt, vti superiùs affirmat *Alunus*, eos absoluere ab iisdem (*in foro tamen exteriori*) vti omnes alij Religiosi Regulares proprios Subditos absoluere possunt. Huius rei fundamentum sit communis illa Canonistarum Regula, quòd *eius est soluere cuius est ligare:* vnde *Nauarrus in Man. cap. 27. numer. 40.* dicit: *Excommunicatum ab homine, ipse solus potest absoluere, aut eius Successor, Superior, aut Delegatus: capit. Pastoralis §. præterea de Offic. Delegato.* Quod etiam confirmat *Corrolanus de casibus reseru. par. 1. sect. 1. art. 6. numer. 2.* sequentibus verbis: *Regula Canonistarum est, quòd quotiescumque quis excommunicatur ab homine, solùm potest absolui ab eo, aut eius Successore, aut Superiore, aut Delegato: Eius est enim soluere, cuius est ligare.* Cùm itaque dicti Superiores possint ligare proprios Sub-

Subditos censuris (vti certè possunt iuxta supradicta; stante prætereà, quòd *potestas ferendi Censuras, non est Ordinis, sed Iurisdictionis: Auila loc. cit. vers. Tertia Conclusio, cum D. Thoma.*) Poterunt consequenter etiam eos absoluere; at solummodo in foro externo: non autem in foro interno, siue conscientiæ, hæc siquidem absolutio fit vnà cum absolutione à peccatis, quæ dari non potest à non Sacerdote: de quo videantur Doctores, apud, & cum *Coriolano loc. cit, n. 5. & 6.*

191 Concludo denique dubium, negando etiam vltimum assumptum nostræ oppositum responsioni; quòd videlicet, præfatis Religiosis non conueniat potestas dominatiua, vtpote qui ratione status Laicalis non possunt præcipere Subditis ex Obedientia, &c. consequenter neque valeant conferre Litteras Gratiosas, quia hæc collatio, iuxta nostra, imò communia principia, effectus est illius potestatis dominatiuæ. Nego, inquam, eos carere tali potestate, vt non possint Subditis suis imperare ex Obedientia; aut quòd isti ex vi Voti non teneantur eis obedire secundùm Regulam; quomodo, quæso, carent potestate dominatiua in proprios Subditos, si isti in eorum manibus professionem emittunt, sicuti Monachi in manibus Abbatis? quomodo sunt incapaces, præcipiendi in virtute Sanctæ Obedientiæ, cùm tale præceptum, *nec ad Ordinem, nec ad Spiritualem facultatem ab Ordine dependentem spectet?* inquit ad aliud quidem propositum, sed valde conuenienter ad nostrum *Sanctorius de Melsi in Constit. & Statuta S. Francisci capit. 11. Statut. VII. pag. mihi 631.* vbi ad nostrum casum congruenter subiungit: *Iurisdictio præceptiua non est vsus Clauium, cùm competat etiam Laicis nostris, quando sunt Guardiani. Et verè durum est intelligere, quòd voueant Regulam, & Obedientiam in manu Superioris, & obligentur & Spiritualiter, & mortaliter ad illius obseruantiam, & nullus sit, qui tale votum immediatè possit exigere;* vti sequeretur in casu nostro, si admitteretur negatum assumptum. *Hieronymus Rodericus in Compend. resol. 2. retract. 1, numer. 25.* confirmat ad litteram quantum hìc affirmamus dum ait; *Votum solemne emissum in manibus Prælati, sufficit ad subyciendum profitentem ipsi Prælato, taliter, quòd Prælatus acquirit super eum potestatem Spiritualem Iurisdictionis, potestque ei imponere præcepta Spiritualia, licèt aliàs sit Religiosus Laicus: solebant enim olim Laici apud nos Minores eligi in Prælatos, & Guardianos, & nunc etiam fit apud aliquas Ordinis Prouincias &c.* (De huiusmodi Laicis Superioribus Religionis Seraphicæ tractat *Miranda in Manual. Prælatorum tom. 2. quæst. 3. art. 2. Didacus Sgrai in sua praxi criminali,* cui Titulus, *Lux Prælatorum, par. 1. Proœmiali cap. 5. num. 43.* in fine, & alij apud eosdem.) Addit denique optimam clausulam huic Dubio *Andreas Mendus in Epit. Opin. Mor. V. Prel. Reg. nu. 7.* Sequentibus verbis: *Certò probabile est, non requiri Statum Clericalem ad imponenda Subditis præcepta Obedientiæ: hincque Abbatissas, seu primas Superiorissas posse ea imponere Monialib. Et quidem in Religione B. Io: De Dios, Prælati non initiati Sacris, ea imponunt: & itidem Magnus Magister Ordinis Militaris S. Ioa. necnon Senatus Regius Hispanus Ordinum, ac Visitatores Militarium Corneio, Lezan. Rodr. Nald. Salas, & alij.*

## DVBIVM DECIMVM NONVM.

### *An eiuscemodi potestas competat Prælatis Regularibus localibus?*

RESpondeo affirmatiuè cum *Corduba in Quæstionario Theologico lib. 5. de Indulg. quæst. 42. dicto 1. Nauar. tom. 4. Miscell. 11. de Rosario, versu sexto quæritur, num. 4. Rodr. to. 1. qq. Reg. qu. 33. art. 2. Miranda in Manual. Prælat. Tom. 2. qu. 50. art. 1. Tamburino de Iure Abbatum tom. 2. disput. 9. quæsito 3. numer. 7. Peyrino tom. 2. de Prælat. q. 3. c. 6. numer. 10. Bordono resol. 84. quæst. 2. numer. 9. Ruteo de Participat. quæst. 4. sect. 1. numer. 4. Lauorio de Indulg. par. 2. cap. 4. numer. 12. versu, Secundò quòd pag. mihi 46.* & alijs. Quia secundùm Ius commune, quilibet Prælatus etiam localis, habens potestatem supra Subditos tam quoad bona temporalia, quàm quoad Spiritualia, potest consequenter disponere 192

de

de ipsis, maximè de Spiritualibus communicando ea, & applicando iuxta beneplacitum suum Amicis, & benefactoribus suæ Congregationis. Præterea, cùm Prælati locales, & vnius solùm Monasterij, non minus ac Prouinciales, & Generales sint capita suorum Membrorum, atque Subditorum, habeantque plenam administrationem bonorum temporalium simul ac Spiritualium suorum Monasteriorum, vti constat ex Decreto *Pelagij Papæ in Cap. Nullam 18. quæst. 2.* qui ait: *tota bonorum Monasterij administratio ad Abbatem pertinet, & est penes ipsum Abbatem:* quæ verba intelligi debent, iuxta *Nauarr. loc. cit. Tamburinum loc. cit. numer. 2. in fine*, & alios, non solùm de bonis temporalibus, sed etiam de Spiritualibus; adeòque vera est nostra responsio: Quapropter citati Doctores, ac indifferenter omnes, ad quæstionem, quinam sint ij Prælati, qui possunt conferre Filiationem Spiritualem per Litteras Gratiosas Ordinis: respondent esse Generales per totum Ordinem, Prouinciales per totam Prouinciam, Superiores locales per eorum Monasteria (comprehensis nomine Superiorum localium etiam eorum Vicarijs, qui Sede locali Vacante cum Iurisdictione ac potestate dominatiua exercent eorum vices, vt supra dictum *Dubio 15. n. 176. & 177.* redduntque rationem iam allegatam, quia nimirum, *Hi omnes, cùm sint Capita Subditorum respectiuè, habent dominium super actiones illorum, & sicut possunt bona temporalia ex charitate permissa, alijs communicare, ita etiam spiritualia.* Ita in specie (vt alios taceam) *P. Bonagratia Cappuccinus in sua Summula qq. Regularium, verbo Indulg. numer. 235. in fine:* vbi ait; *Possunt Prælati talem participationem concedere, Generales pro tota Religione, Prouinciales pro sua Prouincia, & locales pro suo Conuentu; cùm omnes isti sint Capita Communitatis, habeantque dominium super actiones suorum Subditorum, non minus quàm bonorum temporalium, vt ea ex charitate ijs communicent.*

193 Sciendum tamen hic est (id quod etiam aduertit *Ruteus loc. citat. numer. 5.*) quòd facultas, quam habent Prælati locales, communicandi bona spiritualia suorum subditorum, conueniant etiam (si loqui velimus de Iure communi) ipsi Congregationi, seu ipsimet Conuentui, quia sicut Conuentus habet certum Ius, simul cum suo Prælato immediato, vt vnà cum ipso administret bona temporalia, ita etiam Spiritualia, quæ etiam ipsis magis sunt propria. Quamquam verum porrò sit (vti notat *Nauarrus l. cit.*) quòd Capitula, ac Conuentus Regularium, atque Subditorum, parum curantes talem communicationem, ac distributionem Spiritualem, eam reliquerint dispositioni suorum Prælatorum localium. Vnde euenit, vt ad hos solos per consuetudinem, ac præscriptionem deuolutum sit tale munus, atque facultas: *Capitula, & Conuentus, Regularium (Nauarrus loc. cit.) non adeò curant, nec curarunt de administratione bonorum eorum Spiritualium. Et ideò Prælati quæsierunt hanc facultatem sibi solis, consuetudine, & præscriptione ordinaria quadraginta annorum, aut saltem extraordinaria immemoriali, scilicet tanti temporis, cuius initij non est memoria.*

Aduertendum præterea, quòd Communicatio bonorum spiritualium concessa à Prælatis localibus non includat participationem Indulgentiarum Religionis, quia hæc non potest conferri à Prælatis localibus; Indultum siquidem speciale circa hanc facultatem *Vrbani V.* concessum est solis Prælatis Generalibus, & Prouincialibus, vt supra visum est, atque etiam in consequentibus dicetur. Hinc palam deducitur, inter Gratiosas participationes Spirituales, quæ proueniunt à Prælatis Regularibus, vltimum locum tenere illas, quæ conferuntur à Prælatis localibus, vtpote magis restrictas, minorisque fructus, atque effectus. 194

DV-

## DVBIVM VIGESIMVM.

*Vtrùm talem facultatem habeant Prælati Regulares Subalterni, ac inferiores, licèt ea ipsis suspendatur à Capitibus primis, ac Supremis Moderatoribus?*

195 HOc idem est ac quærere, vtrùm Generalis, seu Capitulum Generale possint inhibere Prouincialibus ac Superioribus localibus concessionem Litterarum Gratiosarum; similiter etiã, an Prouinciales, seu Capitula Prouincialia eandem facultatem suspendere possint Superioribus localibus? sub quibus terminis, ac formalitate hoc ipsum Dubium tangit, atque definit *Peyrinus tom. 2. de Prælato quæsito 3. cap. 6. nu. 11.* & cum eo *Tamburinus de iure Abbat. tom. 2. disput. 9. quæsito 3. numer. 8. Ruteus de Particip. quæst. 4. sect. 1. numer. 6.* ac *Bordonus resolut. 84. num. 14.* vbi ita resoluit: *Possunt id simpliciter prohibere*; addit etiam rationem: *quia inferiores in vsu Priuilegiorum dependent à suis Superioribus. Neque id prohibere, est contra charitatem proximi, quia inferioribus petentibus, Prælatus maior si illis fauorabilem ostendit.*

196 Respondeo ego in contrarium, ac dico: Prælatos Regulares subalternos, ac inferiores non posse impediri à suis supremis, atque Superioribus in casu nostro à concessione Gratiosarum: adeòque poterunt eas conferre, etiamsi ab his contra illos opponeretur, aut conderetur generalis aliqua prohibitio, siue suspensio. Certam existimo hanc responsionem, quandoquidem Prælati Regulares, etiam subalterni, & inferiores concedunt Litteras Gratiosas ex sua natura, Iure proprio, & ex officio, tanquam Capita, & Administratores, quales reapse sunt, bonorum Spiritualium suorum Subditorum, adeoque valent ea communicare iuxta suum beneplacitum per Litteras Gratiosas; nec quoad hoc impediri aut suspendi possunt à suis primis Capitibus, aut Supremis Moderatoribus; neque per legem vniuersalem restringi; sed ad summum in casu tantùm aliquo particulari, sed graui, magnæ necessitatis, ac valdè rationabili; atque his conformiter videtur etiam nostræ responsioni subscribere *Peyrinus loc. cit.* (tenent tamen hanc sententiam *Tamburinus* quoque, ac *Ruteus* superius citati) dum ait, graue esse propositum dubium, quia prædicti Superiores habent ex Officio & ex Priuilegio Apostolico facultatem concedendi Gratiosas, quapropter à primis suis Capitibus, tanquam inferioribus Summo Pontifice, non possunt quoad hoc nec coarctari, nec restringi, saltem generaliter loquendo: solùm autem in casu aliquo particulari, atque ob causam rationabilem poterit Generalis prohibere Prouinciali, & iste Superiori locali concessionem Gratiosarũ: verùm supra hoc non poterit statuere legem vniuersalem. Neque pro bono regimine expediens foret, eam statuere, quia quælibet Prouincia, ac Conuentus proprios habet Amicos, ac Benefactores, quibus conuenienter debentur Gratiosæ, quas ipsis denegare, nec bonum, nec honestum foret; Generalis autem non semper est præsens: ita *Peyrinus*: quibus cum nostra coincidit responsione. Addimus tamen nos, Priuilegium Apostolicum ab ipso citatum, esse illud *Vrbani V.* quod etiam indulget (vti passim notum est) facultatem communicandi Benefactoribus vltra Gratiosas, Indulgentias quoque Ordinis: idque à prædicto Pontifice conceditur æqualiter tam Generalibus, quàm Prouincialibus; iam si verum habetur, vti certè verissimum est; *quod per Superiorem conceditur, per inferiorem coarctari non posse, Cap. Inferior. distinct. 21.* quomodo poterit Generalis restringere Prouincialem quoad priuilegium ipsi immediatè concessum à Summo Pontifice, Capite, ac Supremo Superiore, non solùm vtriusque, verùm etiam totius Ecclesiæ?

Opponet hìc subitò *Bordonus* (vti supra) ad sustinendam suam responsionem contra nostrã, Prælatos inferiores, ac subditos dependere quantum ad vsum priuilegiorum à suis Superioribus altioribus (idque ipse supponit *resol. 52. numer. 3.16.*) verùm hoc gratis dicitur, vniuersaliter loquendo; verificatur 197

enim

enim solùm de ijs Priuilegijs, quæ à Summo Pontifice concessa sunt alicui Ordini, cum hac conditione, quòd eius subditi non possint illis vti absque licentia, ac dependentia à superioribus suis Generalibus, ac maioribus, vti reipsa per expressum Decretum *Gregorij XIII.* dependent Patres Societatis IESV, quoad vsum omnium suorum priuilegiorum à Patre Generali, qui solus potest (*Pellizar. in Man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 1. sect. 3. numer. 50.*) Virtute prædicti Decreti, concedere, inhibere, vel etiam moderari vsum Priuilegiorum Pontificiorum iuxta suum beneplacitum. Extra hunc casum non dependent subditi Regulares à suis Superioribus circa vsum Priuilegiorum ipsis concessorum à Summis Pontificibus: ita pari modo, neque etiam dependent (vniuersaliter loquendo) in casu nostro quantum ad Litteras Gratiosas, Prælati Prouinciales, à Generalibus, aut à Capitulis Generalibus, siquidem isti, tanquam inferiores, non possunt sese immiscere concessionibus, quas fecere Summi Pontifices proprijs Subditis *c. Clem. Ne Romani de Elect.* cui etiam consentit *Peyrinus de Prælato quæst. 1. cap. 4. §. 4. numer. 79.* vbi pro hac opinione citat *Cordubam, Raffarellum*, & alios, quibus accedit noster *P. Pasqualigo Centur. 4. qu. 331.* vbi hoc ipsum dubium ventilat, an Regulares particulares possint vti Priuilegijs ipsis concessis à Summis Pontificibus, independenter à suis proprijs Superioribus, tenetque sententiam affirmatiuam ob eandem à me adductam rationem, ac refert pro se *Orat. Mandos. de Priuilegijs ad instar. Gloss. 7. numer. 38. & Merollam tom. 3. Theolog. Moral. disp. 6. cap. 3. dub. 11. numer. 157.* Ad stabiliendam porrò hanc opinionem, addit, quòd, sicuti nec Prouincialis, nec Superior localis possunt impedire, quo minus eorum Subditi gaudeant gratijs ipsis concessis à P. Generali, seu à Capitulo Generali, siquidem, tanquam inferiores, non possunt præualere contra voluntatem atque ordinationem Maiorum suorum Superiorum: ita neque Prælati Regulares, cùm tantopere sint inferiores Summo Pontifice, possunt prohibere, quo minus eorum Subditi gaudeant gratijs, ac Priuilegijs à sua Sanctitate ipsis concessis: quia inferior non potest modificare facta sui Superioris, vti notant *Federicus de Senis cons. 12. num. 2. vers. Item videtur. Oldrad. cons. 159. numer. 6. vers. Tamen ad Iura. Tusch. lit. I. concl. 119. numer. 10. Surd. cons. 558. numer. 3. Giurb. ad Consuet. Messanen. cap. 2. Gloss. 1. numer. 20.* Hactenus *P. Pasqualigo quæst. cit. numer. 30.* qui etiam ait, aut potius ex sua doctrina deducit *num. 6.* Quòd si aliqua Religio etiam in Capitulo Generali, renuntiaret certis Priuilegijs, à Summis Pontificibus ipsi concessis, nihilominùs possent Subditi illius, ipsis gaudere, atque in praxi vti, talia siquidem priuilegia omnibus Religiosis, & cuique in particulari fuere concessa. Neque subsisteret, aut quidquam valeret prædicta renuntiatio Capituli Generalis: quia vi talis concessionis, factæ omnibus Religiosis, vnusquisque eorum in particulari acquirit Ius ad vsum priuilegiorum, quod Ius subiectum non est Superioribus Religionis, vtpote concessum à Summo Pontifice, & ab illius voluntate adhuc conseruatum, cui sicut non contraire, neque incontrarium quidquam ordinare potest Capitulum Generale, itaque neque tale ius ab ipsis Subditis auferre potest. Et quamuis quilibet possit cedere, aut renuntiare proprijs suis fauoribus, ac Priuilegijs, non tamen valet renuntiatio, quando non est facta ab omnibus, & ab vnoquoque in particulari, iuxta Regulam *Capitis, Quòd omnes, de Regulis Iuris in 6. & L. si per fundum ff. de seruitut. præd. & l. 1. & l. fin. C. de Auct. præst. & l. Nam ita Diuus ff. de adopt.* quia nimirum *quod nostrum est, sine facto nostro auferri non potest leg. id quod nostrum ff. de re iudic.*

198 Hinc est, quòd nec Superiores Religionis, nec Capitulum Generale possit limitare, aut restringere vsum Priuilegiorum, quando hæc concessa fuere, vt suprà indicatum, omnibus Religiosis, & cuilibet in particulari (ita adhuc prosequitur *P. Pasqualigo quæst. cit. num. 8.*) contra id, quod docent *Miranda in Man. tom. 2. quæst. 43. Lezzana tom. 1. Summ. cap. 18. numer. 56. Portel in dubio Regul. verbo Priuileg. n. 78. Rodriquez tom. 1. qq. Regul. quæst. 17. art. 5. & Bordonus* Superiùs

periùs: quorum fundamentum oppositum (quia nimirum, non debet præsumi, Summum Pontificem, vtpote Zelatorem Regularis Obseruantiæ, velle, vt Religiosus Subditus vtatur Priuilegijs contra voluntatem suorum Superiorum) non valet, neque subsistit, quia cùm veritati præsumptio reuera cedere debeat *l. Nuptura ff. de iure dot. & l. cum indebito ff. de probat.* atque etiam constet in casu nostro de expressa voluntate Summi Pontificis, vt Religiosi Subditi habeant Ius proprium ad vsum Priuilegiorum Pontificiorum, quę concessa fuerunt ipsis omnibus, & cuilibet personaliter, induci non debet in Pontifice præsumpta voluntas contraria: specialiter posteà etiam, quia non est contra obseruantiam Regularem, quòd subditi vtantur gratijs ac fauoribus Maiorum suorum Superiorum, independenter, ac contra voluntatem Superiorum minorum, quandoquidem hi conformare se debent illis, nihilominus, ac ipsimet Subditi Superioribus suis immediatis: ita *P. Pasqualigo*, cuius doctrina, nostra responsio non solùm probatur, sed & stat benè stabilitur: cum ea ergo Dubio isti terminum imponamus.

## DVBIVM VIGESIMVM I.

### *Vtrùm hac etiam potestate gaudeat Abbatissa, seu Superiorissa Monialium?*

199 Dubium istud à nemine alio, quantum sciam, propositum video, quàm à solo *Pellizario de Monial. capit. 10. sect. 2. subsec. 2. num. 143.* qui tamen illud potiùs attigit tantùm, quàm resoluit; & quidem per sequentia præcisa verba. *Quæres 16. An Abbatissa iure suo, possit applicare bona opera Monialium Subditarum, personis extraneis, ijs tribuendo Litteras communicationis (vt vocant) Resp. Posse, & probatur, quia eo ipso, quòd habet curam Congregationis, habet auctoritatem dispensatiuam bonorum communium eiusdem Congregationis.* Nos maiori cum industria illud resoluemus; cùm hoc, & occasio, & materia, quam ex professo tractamus, à nobis requirat: tantò magis, quia, licèt conueniamus cum isto Authore, quantum ad conclusionem, discrepamus tamen aliquantum quoad principia, & fundamenta eiusdem.

Respondeo itaque cum eodem affirmatiuè. (Exclusa tamen Communicatione Indulgentiarum, vti etiam dictum est *Dub. 19. num. 194.* de omnibus Superioribus localibus.) Probo iam, quia Abbatissa seu Superiorissa, aut quocunque denique nomine appelletur, siue Priora, siue Præfecta, seu Præposita, aut Mater, quod tantùm accidentale quid est, habet potestatem dominatiuam supra proprias Moniales Subditas ex vi voti, ac supra illarum bona spiritualia, residetque penes ipsam libera administratio, cura, & authoritas ordinaria dispensatiua bonorum spiritualium sub ipsius regimine, propriaque Congregatione contentorum; non minus ac penes Abbatem, quantum ad ipsius propriam Congregationem; prętereà tenentur etiam ipsi obedire Moniales Subditæ ex vi Voti: igitur vera est nostra responsio; quandoquidem in hoc nostro Tractatu, iam satis notum, certum, atque indubitatum est, concessionem Litterarum Gratiosarum, (tanquam effectum à suo immediato principio) prouenire à potestate dominatiua ex vi Voti: vt habetur ex doctrinis, atque authoritatibus Doctorum sparsim & diffusè in hoc opere allatis. 200

Antecedens probatur, Moniales enim In manus Abbatissę Professionem emittunt, vti concedunt Doctores, in specie *Sanchez in Decal. lib. 6. capit. 1. numer. 21. & Pelliz. de Monial. cap. 4. sect. 3. quæst. 14. numer. 110. in princip.* ex quo actu proinde Doctores, specialiter *Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 55. sect. 5. nu. 10. & Peyrinus de Subdito q. 1. cap. 6. §. vnico.* Desumunt etiam in Prælatis Regularibus potestatem dominatiuam ex vi Voti supra proprios Subditos, & dominium spirituale supra illorum bona opera. Vnde *Ruteus de Particip. quæst. 5. sect. 1. numer. 1.* ait, & quidem satis accommodè: *Licet fructus bonorum operum sit res spiritualis, est tamen materia voti Obedientiæ, eiusque applicationem faciendam præcipere potest Prælatus:* concludit deinde numerum his verbis; *Et in hac re, est*

*eſt ſpecialis aliqua ratio in Superioribus Religionum reſpectu Subditorum, quæ non eſt in Prælatis Eccleſiæ; hi enim habent ſolam poteſtatem Iuriſdictionis in Subditos; Superiores autem Religionum, vltra poteſtatem Iuriſdictionis, habent etiam dominatiuam, vt rectè Arragonius 2. 2. qu. 88. art. 8. virtute cuius habent quoddam dominium, & liberam diſpenſationem voluntatis Subditorum*. Idem prorsùs Dominium liberamque diſpoſitionem, non minùs, ac alij Prælati Regulares, habet etiam Abbatiſsa, ſeu Superioriſsa Monialium in proprias Moniales Subditas ratione voti Obedientiæ ab ipſis præſtiti in manu eius, quocircà *Panormitanus in Cap. continebatur, & de his, quæ ſiunt à Prælato ſine conſ. Cap. num. 4.* inquit: *Abbatiſsa habet liberam adminiſtrationem ſui Monaſterij, ſicut Abbas*. Quòd autem adminiſtratio hęc ſit non ſolùm temporalis, verùm etiam Spiritualis in proprias Moniales Subditas, bonaque earum Spiritualia, habetur ex *Gloſsa verbo Iuriſdictionem in c. Dilecta de Maiorit. & Obed.* vbi ſic: *Habet enim Abbatiſsa adminiſtrationem temporalium, & ſpiritualium:* atque taliter ſe intelligere hæc verba, profitetur ipſemet *Panormitanus in eod. Cap. Dilecta*. Imò affirmat, ſe id ex ipſomet textu deducere: *Et ex textu, nota, quòd Abbatiſſa eſt capax Iuriſdictionis Spiritualis, & quòd Iuriſdictionem ipſam poteſt exercere in ſuas Moniales; ita loc. cit. nu. 3.* Quo ſuppoſito neceſſaria ſequitur conſequentia, quòd Abbatiſſa, ſeu Superioriſſa Monialium habeat facultatem concedendi Filiationem Spiritualem, ac Litteras Grarioſas Monaſterij ſibi ſubiecti: ſi enim illa habet poteſtatem temporalem, & Spiritualem ſupra bona temporalia, & ſpiritualia proprij Monaſterij, ſuarumq; Subditarum (vnde etiam habet, quod ipſis poſſit ex vi Voti præcipere in virtute Sanctę Obedientię) non minus, ac id poſſint alij Prælati Regulares; ſiquidem iſti ratione eiuſdemmet poteſtatis dominatiuę concedunt Litteras Gratioſas; poterit vtique eas etiam conferre Abbatiſſa, ſeu Superioriſſa quælibet Monialium, quocunque deinde nomine appelletur, cùm vtrobique par currat ratio. Totum hoc auctoritate ſua corroborant Doctores Claſſici ſuperiùs laudati *Dub. 18. n. 161.* atque etiam alij, qui vnàcum ipſis vnanimes ſentiunt, quòd *De iure eo ipſo, quòd quis eſt Caput alicuius Congregationis: eo ipſo, quòd habet curam illius, habet etiam authoritatem diſpenſatiuam Communium omnium bonorum ipſorum de Congregatione:* cùm hoc cuilibet Republicæ, ſeu Congregationi commune atque vſitatum ſit, quòd vel ipſamet, vel illius Princeps, Caput, aut Superior poſſit diſponere de bonis communibus eiuſdem Reipublicæ, Communitatis, ſeu Congregationis; Cùm igitur Abbatiſsa ſeu Mater Monialium, Caput ſit, & Superioriſſa earundem, poterit abſque dubio imperare ipſis, earumque communibus bonis operibus ex vi Voti etiam in virtute Sanctæ Obedientiæ; gaudet conſequenter de Iure, vti quilibet alius Prælatus Regularis poteſtate dominatiua, ac diſpenſatiua communium (etiam Spiritualium) bonorum Monaſterij ſibi crediti, quod prorſus idem eſt, (vt ex terminis patet) ac habere facultatem compartiendi, ac communicandi Litteras Gratioſas eiuſdem ſui Monaſterij.

201 Negant verò (non obſtantibus his omnibus, quę hactenus à nobis dicta sũt) communiter Theologi (quos bono numero citat & ſequitur *P. Paſqualigo Cent. 4. quæſt. 324.*) quòd Abbatiſſa ſeu Superioriſſa Monialium, poſſit ipſis imperare in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub peccato mortali, iuriſdictionali modo, ſeu exercendo in ipſas iuriſdictionem Spiritualem: quandoquidem ipſa non habeat vllam Iuriſdictionem Spiritualem in ſuas Subditas, nec eam poſſit habere: de Iure ordinario ſaltem, cùm illius incapax ſit *Cap. Noua, De Pœnit. & Remiſſ. Quia fœmineus Sexus, naturaliter poſcit ſtatum ſubiectionis*, inquit *Henriq. lib. 6. de Pœnit. c. 2. nu. 3. Vtpote ex ipſa qualitate ſexus habens ſtatum ſubiectionis*, ait *Pellizzarius de Monial. c. 4. ſect. 3. q. 14. n. 109.* vbi etiam ipſe huic communi ſententiæ ſubſcribit (non obſtante, quòd ipſe quoque tueatur in Abbatiſſa facultatem communicandi Gratioſas, atque admittat vnàcum cæteris Doctoribus, ſpecialiter cum *Sanchez*, quòd Moniales in manu eius emittant Profeſſionem.) Concedens eidem cum communi *l. c. n. 112.* non aliam poteſtatem, quàm Maternam, domeſticam, atq; Ciuilem, qualem nempe habet Materfamilias in proprios filios. Adeò qui-

dem, vt etiam neget *c. 10. sect. 2. subsec. 2. n. 119.* cum *Tamburino de iure Abbatissar. disp. 32. q. 1. num. 2.* eam propriè vocari posse Prælatam: asserunt enim, in Prælato, qui propriè talis est, ex sua propria natura supponi Iurisdictionem Ordinariam Spiritualem, vti docent communiter Doctores cum *S. Thoma in 4. distin. 19. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 4.* quæ Ordinaria Iurisdictio, cùm in Abbatissa, seu Superiorissa Monialium non inueniatur consequenter neque poterit vocari propriè Prælata; sed solùm impropriè; *& quatenus in Moniales Subditas ipsi competit potestas domestica, & ciuilis,* inquit *Pellizzarius nu. 119. cit.* qui in subsequentibus etiam affirmat *Cap. 4. sect. 3. nu. 112. cum Tamburino:* hanc potestatem ciuilem, atque domesticam sufficientem esse, ad obligandum Subditas ad peccatum mortale, in materia graui ipsis iniuncta: eodem prorsus modo, ac peccarent mortaliter filij, transgrediendo præcepta Matris, spectantia ad domesticam gubernationem, in materia graui: *Cum Abbatissæ* (sunt ipsius verba, atque aliorum ante ipsum) *erga Moniales Subditas, competat potestas Ciuilis, ac domestica; non minus, quàm competat Matrifamilias erga Filios; sicut Materfamilias potest ex sua potestate iniungere Filijs præcepta obligantia etiam sub mortali pro grauitate rei præceptæ: sic & Abbatissa, similia præcepta imponere poterit Monialibus Subditis; ita vt si hæ illa non impleant, mortaliter peccent, non secus, ac peccent mortaliter filij non exequendo præcepta Matrisfamilias, spectantia ad domesticam Gubernationem: dummodo interueniat materiæ grauitas, ac intentio obligandi ad illa sub mortali; est communis Doctorum apud Tambur. &c.* Ex quibus infert *numer. 113.* Quòd, licèt Abbatissa non possit Monialibus præcipere in virtute Sanctæ Obedientiæ, ex defectu, & incapacitate Iurisdictionis Spiritualis: nihilominus, si ipsæ non obediant ei in re graui, pertinente ad gubernationem domesticam, possint peccare mortaliter, & contra votum: *non secus* (inquit ille) *ac contra votum simplex Obedientiæ peccaret ille, qui emisso voto obediendi Confessario, postea renueret exequi eius præcepta; siquidem etiam Moniales emittant Votum obediendi Abbatissæ, vt iam vidimus.* Hinc est, quòd, ad hoc, vt dicatur aliquis transgredi votum obedientiæ, non sit necesse (subiungit *Pellizzarius*) quòd simpliciter recuset exequi præcepta imposita ipsi in virtute sanctæ Obedientiæ, aut sub alia simili forma: sed sufficit, quòd intermittat obedire illi, cui fecit Votum, & cui ex vi Voti tenetur obedire: additque huius rei rationem: quia nimirum *Præceptum factum in virtute Sanctæ Obedientiæ, solùm deseruit ad indicandam grauitatem obligationis; quæ tamen aliter potest declarari, etiam ab eo, qui est incapax iurisdictionis Spiritualis:*

Imò in tantum incapax Iurisdictionis 202
Spiritualis ab aliquibus pronunciatur Abbatissa, siue Superiorissa Monialium; vt etiã controuertant, an vel Iurisdictionis Spiritualis delegatæ, & ex commissione, ipsa capax sit: circa quod *Layman in qq. Canon. q. 235. Henriq. l. 6. de Pœnit. c. 7. num. 3. Soto in 4. distinct. 20. q. 1. art. 4.* & alijs quos refert *Sanchez lib. 6. Moral. cap. 1. nu. 23.* apud *Tamburinum de iure Abbatissarum disp. 32. quæst. 4.* & apud *Pellizzarium cap. 10. sect. 2. subsect. 2. numer. 118.* licèt concedant, capacem esse Iurisdictionis Spiritualis delegatæ, ac commissæ, non tamen commissæ ab Ordinario, siue à Prælato Regulari, cui respectiuè subiecta sit, sed à solo Papa. Ratio, quam pro hoc afferunt, est, quia Mulier incapax est iurisdictionis Spiritualis, non Iure Diuino, sed humano, videlicet iure Canonico; in quo inferiores Papa dispensare non possunt, sed ipse solus; potestque committere Abbatissæ Iurisdictionem aliquam Spiritualem, dispensando hac ratione in iure communi: id quod facere nequeunt, tam Ordinarius, quàm Prælatus Regularis, qui nihil operari prçualent aduersùs Ius Canonicum atque communem Ecclesiæ vsum. At ecce! *Bartholomæus de Ledesma* relatus à *Sanchez* apud *Pellizz. n. 118. cit.* negat etiam, ipsummet Papam posse facere talem delegationem, quia nimirùm fæmina de Iure Diuino incapax sit Iurisdictionis Spiritualis, in quo Iure non potest (vt constat) dispensare Summus Pontifex.

Obstat tamen doctrinæ, ac sententiæ 203
*Ledesmæ*, ipsum factum; siquidè celebris Abbatissa Monasterij Cisterciensis *de las Huelgas* in Hispania, propè Ciuitatem *Burgos* (vti refert *Andreas Mendo in Epitome opinionum Moralium Verbo Abbatissa, pag.* mihi

*mihi 4.)* ex concessione, priuilegio, ac dispensatione Summi Pontificis habet Iurisdictionem Spiritualem, & quidem in toto suo territorio, quod nullius est Diœcesis, ac supra duodecim Monasteria Monialium ipsi subiectarum: porrò in virtute Iurisdictionis suæ Spiritualis, ipsa tantum potest, inquit citatus Author (excepta facultate consecrandi, benedicendi, & ordinandi, quia hi actus supponunt, atque requirunt Ordinem, cuius fæmina incapax est) quantum ipsemet Abbas, qui pariter proprium habet territorium, & Iurisdictionem quasi Episcopalem: En ipsamet eius verba: *Celebris est in Hispania Abbatissa Monasterij Cisterciensis de las Huelgas propè vrbem Burgos, quæ contra, vel supra omnem Ecclesiæ morem, ex concessione, ac Priuilegio Papæ, potentis* (Nota) *dispensare in iure communi in his, quorum ex iure Diuino, aut naturali, non fuerint incapaces fæminæ, atque etiam ex concessione Capituli Generalis Cistercij, in his, quæ ad ipsam attinent, habet Iurisdictionem Spiritualem in suo Territorio, quod non est in Diœcesi, sed est nullius Diœcesis, atque in duodecim Monasterijs Monialium ipsi subiectis. Hinc omnia quæ diximus Verbo Abbas, posse præstare Abbatem, iurisdictione quasi Episcopali gaudentem, in suo Territorio nullius Diœcesis (præter facultatem consecrandi, benedicendi, & ordinandi, qui actus Ordinem requirūt) potest præstare hæc Abbatissa, vel per se, vel respectiuè per viros Ecclesiasticos à se electos: ita vt quidquid sit casus, solius Iurisdictionis Spiritualis, & non Ordinis, exequi valeat. Designatque præterea suis Monasterijs Confessarios approbatos à viris Doctis, quos ad id destinat. Quod pariter præstant Prælati Regulares respectu Monialium sibi subditarum. Et Bulla Gregorij XV. iniungens, Confessarios Monialium debere esse approbatos ab Episcopo non agit de Monialibus, quæ subiacēt Prælatis Iurisdictione quasi Episcopali gaudētibus Territorio nullius Diœcesis.* Hactenus Mendo directè contrarius, vt patet, *Ledesmæ*) & prosequitur vlteriùs, dicens *n.6. & aliquas præterea esse Abbatissas in Italia, iurisdictione Spirituali gaudentes refertur. Nec non in Republica Lucensi est Abbatissa, quæ ob amplam iurisdictionem, qua potitur, solet vocari Episcopa. Et in Gallia Abbatissa Fontis Ebrardi ea Iurisdictione Spirituali gaudet, vt sit Caput, ac Prælata vniuѕ Congregationis Monasteriorum, Gibalinus de clausura Monialium d.4. §. 4. n.16. Demum Abbatissa Bubrigensis aut Lumbergensis in Clericos sibi subiectos Spirituali Iurisdictione potiebatur c. dilecta de maior. & Obed. Pax Iordan. Quibus omnibus Abbatissis* (concludit deinde numerum ipsemet Author) *ex speciali priuilegio, ac dispensatione Pontificia, hæc Iurisdictio competit.* Conclusio ista, pro suo fundamento afferens ipsummet factum (quæ probatio conuincentissima, atque euidens est) ipso facto sese opponit doctrinæ citati *de Ledesma*. Contra quem pariter vti etiam contra eos, quos ante ipsum, præcedenti numero citauimus, Authores, *Imolam in Clem. Frequens de excess. Prælator. Floron. de Men.* sentit *Panormit. in c. Dilecta de Maiorit. & Obed.* & defendit vnà cum alijs Canonistis, quòd sicut fæmina ratione dignitatis, aut muneris capax est Iurisdictionis temporalis, atque Ciuilis, quandoquidem potest esse Regina, Ducissa, Gubernatrix Prouinciæ, & habere vti etiam habet, talem iurisdictionem, non solùm delegatam, sed Ordinariam; ita etiam Abbatissa, ac Superiorissa Monialium ratione sui publici muneris, & officij, & ratione Prælaturæ habeat iurisdictionem Ecclesiasticam, & Spiritualem, vi cuius, iure non tãtum delegato, & commisso, sed ordinario possit exercere actiones Spirituales, maximè in proprias Subditas; *At verò alter sentiunt Canonistæ* (ita refert *Stephanus de Aluino de potest. Episc. Abbatum, & Abbatissar. c.2. n.3.*) *volunt enim, vt Prælatura, officiorumq; præstantia, fæminis Ecclesiasticis, Iurisdictionem Spiritualem, & Ecclesiasticam Ordinariam tribuat, qua iure non tãtum delegato, & cōmisso, sed ordinario fungantur, & vti valeant in suas Moniales*: atque hanc ipsam opinionem præclarè defendit *Aluinus cit. c.2.3. & 4.* Approbatur præterea etiam à *Hieronym. Roderico in compend. ref. 2. retract. 1. n.5. in ijs, quorum non sunt incapaces fæminæ*, ab alijs itidem apud ipsum, & ab *Azor. tom. 1. Institut. Moral. l.13. c.10. q.5.* Quòd Abbatissa, ratione sui publici muneris, & officij, habeat iurisdictionem Spiritualem Ordinariam, non solùm cum *Panormitano*, & alijs ab ipso citatis, sed apertè, ac absolutè, dum ait: *& hæc sententia vera esse videtur*.

At, quidquid sit, vera sit, nec ne, indecisum hìc relinquo. Assero autem ego, 204
& vt consequenter loquar, absolutè dico; Abbatissam seu Superiorissam

Monialium habere veram Superioritatem supra ipsas, ac potestatem dominatiuam; vi cuius potest regere Monasterium, & ordinare ea omnia, quæ secundùm Regulam pertinent ad bonum, etiam spirituale suæ Congregationis, atque etiam præcipere Monialibus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub peccato mortali, quotiescunque id ei videatur expediens. Pari etiam ratione concedere eadem sua potestate dominatiua Litteras Gratiosas sui Monasterij, ac communicare Filiationem Spiritualem externis, vti faciunt Prælati Regulares. Hæc secunda pars assertionis nostræ vlteriori probatione non indiget, vtpote sufficienter superiùs stabilita, maximè supra fundamentum inconcussum, positum à principio huius Tractatus; quod nimirum concessio Gratiosarum Spiritualium proueniat à sola potestate dominatiua. Quòd autem hæc inueniatur in Abbatissa (quæ est prima pars nostræ assertionis) *est sententia vera, & omnino tenenda*; inquit *P. Pasqualigo qu. cit. 324. n. 4.* prout eam etiam tenent *Rodriq. tom. 3. addit. Summ. c. 3. n. 10.* vbi mutat sententiam, quam priùs approbauerat *tom. 1. q. 12. art. 2. & qu. 25. art. 1. Hieronym, Roderic. in Compend. l. cit. Sanctorius de Melfi in Constit. & Statut. S. Francisci cap. 11. Statut. VII. pag. mihi 631. Castro Palao Operis Moralis par. 3. disp. 4. punct. 2. n. 3.* & ij omnes, qui concedunt Abbatissæ Iurisdictionem Spiritualem; atque etiam aliqui ex illis, qui admittunt, eam posse præcipere in virtute Sanctæ Obedientiæ.

205 Probatur hæc sententia, atque assertum nostrum; quia Moniales, absque controuersia promittunt obedientiam Superiori, atque Abbatissæ; non tanquam Matri (ait *Rodriquez & Compend. l. c.*) sed tanquam earum Prælatæ, cuius Officium approbatum est à Sede Apostolica, iuxta Regulam, quam profitentur, & ad Regimen Spirituale, &c. adeoque ipsæ, per votum Obedientiæ Abbatissæ præstitum, in ijs, quæ conuenientia fuerint, iuxta Constitutiones Religionis earum Spirituali profectui, subiecerunt propriam voluntatem voluntati Abbatissæ, seu Superioris, transtuleruntque Ius propriæ voluntatis in voluntatem ipsiusmet Superioris; ita vt Subditis non remaneat amplius velle, aut nolle proprium. *Cap. Non dicatis 12. Quæst. 7. & c. 2. de testam. in 6. & Cap. Religiosus De elect. in 6.* Ex quo sequitur, quòd sicut Monialis virtute voti Obedientiæ debet dependere à Superiore, ipsi esse subiecta atque ad obediendum constricta; ita Superior, ratione eiusdem Voti sibi præstiti, acquirit Ius, potestatem, atque dominium, ad exigendam à Subdita sua Obedientiam sibi promissam secundùm Regulam. Nam votum solemne (inquit *P. Nicolaus Vitalis* in suo Doctissimo opusculo *de speciali voto Discussione prima, numer. 10. in fine, pag. mihi 17.*) *& si fiat soli Deo, includit tamen promissionem externam Prælato Regulari in facie Ecclesiæ præstitam, quæ proinde dat Religioni, & eius Prælato vim coactiuam in Subditum, vt possit illum cogere ad standum promissis, & numer. 17. in fine. Obligatio, quæ consurgit ex Voto solemni, ponit in Religioso vouente subiectionem, & in Prælato, verum ius, & potestatem super illum.* Et hoc est habere potestatem dominatiuam. Legantur circa hoc citati Doctores, specialiter, *P. Pasqualigo quæst. cit.* qui nec melius, nec subtilius scribere posset. Videatur etiam, quantum ad potestatem dominatiuam *P. Fr. Illuminatus Moronius* in suo Opusculo, intitulato, *Biga duas vehens Controuersias*, in quo *Responso primo pag. 26. num. 60. & 61.* attingens vtramque, nimirum dominatiuam, & Iurisdictionis; postquam dixit, quòd *Vtramque potestatem habent Prælati Religionum, dominatiuam videlicet, & Iurisdictionis*: assignat quatuor differentias inter vtrãq; ex obiecto nimirum, ex fine; ex origine, & ex modo cogendi ijsdem, & compellendi Subditos. Cæterùm casu quo Abbatissæ Monialium negaretur potestas Iurisdictionis Spiritualis, tanquam illius incapaci: nihilominus per solam dominatiuam (vt in nostra sententia asseruimus) potest præcipere in virtute Sanctę Obedientię, & sub peccato mortali: atque iniungere mandata proprijs Subditis, in ijs, quæ Regulam concernunt, quando ita expedire censuerit: idque confirmant *P. Pasqualigo quæst. cit. numer. 7. Suarez* (ibidem citatus) *to. 3. de Religione lib. 10. c. 8. n. 1.* & plures alij, quia ipsa ratione Voti, habet Ius speciale,

ad

ad exigendam obedientiam à Monialibus, & eo modo, quo sibi debita est: cùm habeat sibi alligatas voluntates Subditarum: supra quas verum contraxit dominium, & potestatem imponendi ipsis præcepta, eisque ipsas ligandi (quando sic ei videtur expedire) in omnibus illis rebus, in quibus ei sunt subditæ. Neque ad hoc faciendum requiritur in Abbatissa Iurisdictio spiritualis (vti etiam affirmant *P. Pasqualigo loco citat. numer.* 11. *Castro Palao loco citat. & Pellizzarius in Manual. Regul. tractat.* 4. *sect.* 4. *sub numer.* 143. *vers. Resp. Quòd quamuis*: vbi reuocat sententiam negatiuam, quam defenderat Tractatu de *Monialibus cap.* 4. *numer.* 109. quam superiùs retulimus. Et ratio in promptu est, quia præcipere in virtute Sanctæ Obedientię, vel sub alia simili forma, non est actus Iurisdictionis Spiritualis, sed vsus illius vinculi (ait *P. Pasqualigo numer. cit.*) quo Monialis sese adstrinxit voluntati Abbatissæ, in ordine ad ea omnia, quæ Regulam concernunt, eiusque obseruationem pro acquirenda perfectione; quod aliud non est, quàm iuxta exigentiam proprij Officij, exercere nudum ministerium circa præexistentem obligationem, contractam à Moniali, per ipsius solemne votum Obedientiæ, quod ipsa liberè emisit, atque exigere ab ea (ratione sui voti) omne id, ad quod per illud obligatur. Sit pro exemplo Iudex inferior; hic non potest imponere Leges, neque quoad hoc habet Iurisdictionem vllam, nihilominus potest exigere à subditis, vt exequantur, ad quantum virtute legum tenentur. Ita Monialis tenetur obedire Abbatissæ vi Obedientiæ, qua se obligauit secundùm legem, id est, secundùm Regulam, quam professa est: vnde in tantum est obligata, in quantum sese liberè adstrinxit: adeoque, quia obligauit se ad obtemperandum per votum Obedientiæ, siquidem promisit, ac fecit Votum Deo, obediendi Abbatissæ secundùm Regulam, ideò tenetur id præstare virtute eiusdem Voti Obedientiæ. Si itaque tenetur, ergo poterit Abbatissa illi præcipere in Virtute Sanctæ Obedientiæ, exigendo Obedientiam eodem prorsus titulo, quo subdita tenetur obedire: obedire namque, & præcipere *correlatiua sunt* (inquit *P. Pasqualigo l. c. n.* 12.) *& de correlatiuis est idem iudicium, & quod disponitur de vno, trahitur ad alterum l. si. ff. de acceptilat. & l. si quis seruo: C. de furt. & l. fin. C. de indict. viduit. tollen.* Quapropter ad imponendum præcepta in virtute S. Obedientiæ non requiritur Iurisdictio Spiritualis, neq; hæc confertur præcisè, & simciter à Voto ipso Obedientię: *Votum Obedientiæ simpliciter* (inquit *Roder. in Compend. l. c.*) *non sufficit ad dandam Iurisdictionem spiritualem: si quis enim promittit Obedientiam Laico, non propterea Laicus poterit illi Præceptum spirituale imponere*. Id quod etiam confirmat *Palaus n.* 3. *cit. Negari non potest* (ait ille) *te posse voto simplici obligari fæminæ, vel Laico obedire in ijs, quæ ipsi iudicauerint ad tuum spiritualem profectum conuenire, tametsi ex hoc voto nullam spiritualem Iurisdictionem obtineant.* Idem asserit *Pellizzarius in Man. Reg. l. c.* Sequentibus verbis: *Potest quis se voto simplici obligare fæminæ, aut Laico obedire in ijs, quæ ipsi iudicauerint expedire ad bonum spirituale vouentis, si ex hoc Voto in ipsum nullam illi iurisdictionem acquirant; quæ enim in hoc repugnantia, aut indecentia est?* Quod totum eo fine dictum sit, vt firmiter, & absque vlla hæsitatione stabilitum maneat, quòd Abbatissa seu Superiorissa Monialium, reuerà habeat supra ipsas veram ac realem potestatem dominatiuam (quidquid deinde sit de potestate spiritualis Iurisdictionis) ex qua consequenter inferatur (vti & infertur) resolutio affirmatiua propositi dubij, quòd ipsa nimirum possit absolutè (prout certè potest, ac etiam probatum est) concedere Litteras Gratiosas sui Monasterij.

## DVBIVM XXII.

### *An id possint Prælati Regulares, casu quo ipsorum Subditi ipsimet bonis suis spiritualibus pro se opus habeant?*

Dvbium istud haud parum ponderis affert huic Tractatui; quare pro ejus adequata resolutione, hic imprimis supponi debet cōmunis doctrina Theo- 206

logorum, quòd nimirum, sicut in peccato duæ distinguuntur formalitates, quoad eius effectum: *Macula*, quam illud relinquit in Anima, videlicet priuatio non tantùm Diuinæ Gratiæ, quæ eam venustabat, verùm etiam Cælestis Gloriæ, quæ correspondenter eidem Gratiæ (tanquam semini Gloriæ) in altera vita illi competebat: *&* *reatus pœna*, hoc est, debitum pœnę, cõtractum à peccatore per ipsum peccatum, & irremissibiliter exsoluendum, siue in hac, siue in altera Vita. Ita pariter in opere bono duæ aliæ inueniuntur proprietates, quæ ponderantur ex opposito ad illas duas malas in peccato consideratas, & à culpa ipsa, tanquam proprius effectus, causatas. Vna est meritum; & hæc est recompensatio, siue reacquisitio pulchritudinis Animæ videlicet Gratiæ, & Gloriæ, quibus deletur *Macula*, quæ prima fuerat formalitas peccati. Altera est satisfactio; & hæc compensat reatum siue debitum pœnæ, per peccatum seu culpam commissam contractæ. Si proinde peccatum maculat, atque contaminat Animam, priuando illam Diuina Gratia (quæ vera eius pulchritudo est) atque Cœlesti Gloria (vera sua hæreditate) si eam quoque pęnæ ream constituit coram æterno Tribunali rigorosæ Iustitiæ: Opus bonum è contrario, in quantum meritorium recuperat illi gratiam, qua expellitur macula ab Anima, eaque pristinæ restituitur pulchritudini: in quantum autem satisfactorium tollit etiam ab ipsa, vel totaliter, vel saltem ex parte reatum pœnæ, peccato debitum.

207 Prima ratio seu formalitas (siue deinde vocetur fructus, siue effectus boni Operis) videlicet meritum, est proprium operantis, atque personale; & quidem ita proprium, vt nec alius quisquam, neque persona ipsa operans, possit eam à se transferre, alterine communicare: siquidem *Meritum semper est solius merentis* (inquiunt communiter Theologi) redduntque rationem, quia meritum *de condigno* (quod nimirum Titulo Iustitiæ debetur) respicit acquisitionem Gratiæ, & Gloriæ, quæ semper ad maiores & maiores gradus atque incrementa cumulari possunt in infinitum, & acquiri à persona merente; consequenter neque ipsa, neque vlla alia Creatura infra Deum, potest vllo vnquam modo promereri Gratiam Diuinam, & Gloriam æternam in gradu superefluente, vt possit participari alijs. Vnde pro primo ac certo principio habetur in Theologia, quòd mereri *de condigno* augmentum Gratiæ, & Gloriæ, est ita proprium eius, qui Opera meritoria facit, vt ipse solus, & vnicus, nec quisquam alius inde participet; imò etiamsi alijs vellet inde communicare, non potest (saltem de lege Ordinaria) cùm semper debeat esse (ex Dei Voluntate, vt innuit *S. Th. part. 2. q. 114. artic. 6. in corpore*) totum meritum, solius operantis, atque merentis; quapropter nullus vnquam Sanctus, nec purus homo; neque etiam ipsamet Sacrosancta Virgo Maria, donauit vnquam alijs aut communicauit vel vnicam particulam; aut stillam de proprio essentiali merito, neque id facere potuit, cum Deus sibi reseruauerit, remunerari illum in Cęlo totaliter & ex integro; vti probatur ex ipsa Sacra Scriptura, in qua pluribus locis significatur, debere quemlibet iudicari iuxta propria merita, aut demerita: ita loquitur *S. Paulus ad Rom. capit. 2. 6. Reddet vnicuique secundùm opera eius: & S. Ioannes Apoc. cap. 22. 12. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.* Ex quo antecedente, ac supposito Theologi, in specie *P. Pasq. tom. 2. Theol. disp. 42. sect. 5. n. 39.* & doctissimus noster *P. Morandus* (Pręceptor olim meus) *tom. 2. Theol. Tract. 4. de Gratia q. 35. n. 277. versu, Quarta conclusio*: deducunt infallibilem consequentiã, quòd fidelis mereri non possit absolutè pro alio (in sensu quo hic loquimur) meritum Gratiæ, & de condigno: *Pluribus in locis Sacra Scriptura* (ita præfatus *P. Morandus*) *significatur, hominem esse iudicandum secundùm propria merita, vel demerita; ergo signum est, vnum non posse mereri pro altero, loquendo de Condigno.* Mereri si quidem pro alijs, prærogatiua est solius Christi Domini Nostri, tanquam Capitis totius Ecclesiæ: vnde benè subiungit idem *P. Morandus loc. cit. Quia solus*

Chri-

*Christus Dominus erat Caput totius Ecclesiæ; ipsius tantùm debebat esse, pro alijs posse mereri.* Quod totum (tanquam certissimum) supponit etiam *Ruseus de Participationib. quæst. 6. sect. 3. num.* 11. Sequentibus verbis: *Quis enim, qui tantisper Theologia principia delibauit, ignorat, totum meritum Gratiæ, & Gloriæ, esse solius merentis, nec vnquam purum hominem, neque D. Virginem alteri quippiam sui meriti communicasse? ea enim solius Christi prærogatiua est, qui omnia sua merita, & satisfactiones hominibus communicauit.* Cùm itaque in proposito dubio quæritur, an Prælati Regulares possint, in concessione Litterarum Gratiosarum, communicare vnà cum ipsis fructum bonorum operum suorum Subditorum, si ipsimet pro se opus habeant, non cadit, nec cadere potest status quæstionis supra præfatum primum fructum, nempe meritum Gratiæ & Gloriæ Operibus bonis *de Condigno* & ex Iustitia debitum: hoc enim personale est, & proprium adeò merentis, & operantis, vt de lege ordinaria, sicut dictum est, sit incommunicabile & imparticipabile. Quando ergo vulgariter dicitur, quòd Prælati Regulares, per Litteras suas Gratiosas, ad Filiationem Spiritualem, recipiant Amicos, & Benefactores, quibus eas largiuntur, ad Consortium, Participationemque meritorum Ordinis: sensus non est, quòd ipsi recipiantur taliter ad Consortium meritorum Religionis, vt ipsis communicetur pars aliqua meritorum Gratiæ, & Gloriæ, quæ ex Iustitia debetur, & correspondet operibus bonis, tanquam fructus eorum primarius, & meritum *de Condigno*. Sed solùm sensus est, de receptione ad Consortium, ac participationem meritorum bonorum operum Religionis *de Congruo*; prout satis benè hoc etiam indicat *Rodriquez to. 1. qq. Regul. quæst. 33. artic. 3.* ita loquens: *Participium ad merita, non valet ad hoc, vt ipsi participãtes ex hoc immediatè, sine vllo bono opere, & dispositione habeant gratiam gratum facientem, seu charitatem; sicut neque ad meritum, aut præmium Gloriæ. Quia loquendo de lege Ordinaria, nullus potest alteri de Condigno mereri Gratiam, & Gloriam, sed tantùm de Congruo.* Non potest itaque (ait hic Author, vti & nos superiùs) quisquam de Condigno mereri Gratiam, & Gloriam pro altero; loquor autem hìc *de lege Ordinaria*: siquidem *de lege, & de potentia absoluta*, hoc non esset absurdum, vti benè aduertit *P. Morand. l. c.* vbi sic: *Hoc tamen est intelligendum de potentia ordinaria, nam de absoluta, nullum video absurdum, quòd quis possit pro altero mereri; etenim vt S. Th. ar. 6. in Corp. Ratio, cur vnus nequeat pro altero mereri, est præcipuè voluntas Diuina, ergo de potentia absoluta posset Deus facere, vt vnus pro altero mereatur.*

Iam autem, cùm sermo huc nos tu- 208
lerit, vt tetigerimus meritum *de Condigno*, & *de Congruo*, qui termini scitu necessarij sunt, non tantùm pro meliori captu resolutionis præsentis Dubij, verùm etiam pro integra & adæquata notitia huiusce Tractatus, pro maiori eorumdem intelligentia, sciat pius Lector, qui fortè eorum vim exactè hactenus non comprehendit, meritum, de quo hìc loquimur, & Theologi in Tractatu *de Gratia* disputant, aliud non esse, quàm proprietatem aliquam Operis moraliter boni, in ordine ad retributionem eiusdemmet boni operis. *Meritum* (inquit *P. Pasqualigo loc. cit. sect. 1. num. 2.*) *sumitur in præsenti in bonam partem, prout est proprietas quædam operationis moralis in ordine ad retributionem.* Iam istud meritum, vel respicit retributionem, vt retributionem, & sub ratione retributionis, & si hoc; fundat illud in operante certum Ius ad ipsam retributionem, quòd propterea vocatur meritum ex Iustitia, seu meritum *de Condigno*; vel non fundat tale Ius ad retributionem, sed solùm importat per decentiam, & congruentiam, aliquam retributionem, & hoc est meritum, quod Theologi vocant meritum *de Congruo*; hoc est, tale meritum, cui non ex iustitia, sed sola via condecentis æquitatis, ac congruentiæ conceditur aliqua retributio. Quare, sicut totum hoc meritum innititur liberalitati præmiantis, ita pariter ab eiusdem liberalitate dependet illius exauditio, ex certa solùm decentia, ac congruentia, atque ita sentiunt Theologi communiter: quapropter *Ouiedo in p. 2. D. Thomæ de Merit. tract. 9. Controu. 1. punct. 5. num. 82. in fine*, ait: *sicut rei petitæ impetratio, tota innititur libertati exaudientis petitionem: sic præmium respondens merito de congruo, magis innititur liber-*

*libertati præmiantis*, quàm honestati operis. *Ob quam rationem, meritum de congruo, absolutè non solet dici meritum, sed cum addito.* Ideoque hac de causa meritum *de Congruo* à Doctoribus vocatur meritum imperfectum, illud autem *de Condigno* perfectum: *præter meritum perfectum Filiorum Dei, quod de condigno vocatur: datur aliud meritum minus perfectum, quod de Congruo Theologi appellant, iuxta mentem SS. Patrum ac præcipuè Augustini, & D. Thomæ: Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea par. 1. cap. 13. num. 68. versu, Secundò aduertendum.* Quod autem deinde sit illud opus, siue actio, cui proprium est afferre secum meritum ex Iustitia, siue *de Condigno*, ac quodnam illud, quod id solùm *de Congruo* exigit, explicant Theologi in Tractatu de Gratia; vbi etiam exponunt conditiones requisitas tam ad meritum *de Condigno*, quàm ad illud *de Congruo*. Sunt autem conditiones ad meritum *de Condigno*, vti habetur, inter alios, ex *P. Pasqualigo disp. 42. cit. à sect. 2.* & ex *P. Marando tract. cit. de Gratia q. 33.*

209 Primò: quòd merens in vita existat, vti clarè deducitur ex sacra Scriptura pluribus in locis, specialiter *Ioan. 9. Venit nox, quando nemo potest operari. Galat. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum. Et S. Hieronymus ad 1. Corinth. 6.* inquit apertè: *Tempus sementis est præsens vita, quam currimus, cùm ista verò transierit, operandi tempus aufertur.* Accedit etiam ratio; quia post mortem iam sumus in termino, vita iam est terminata; itaque congruentia exigit, vt excludatur facultas, seu potentia operandi meritoriè; atque ita defacto est ex communi sensu Theologorum, & de Lege Ordinaria; siquidem *de potentia absoluta* (inquiunt *Arriaga, Ouiedo, Suarez*, atque alij apud *P. Marandum*, cum quibus & ipse his verbis sentit *quæst. cit. versu, Tertia Conclusio num. 271.*) *nulla est implicantia, quòd homo etiam post mortem possit merens, cùm tantum ex Ordinatione Diuina sit status meriti designatus, non ex natura sua.*

210 Secundò: vt actio seu operatio sit libera, videlicet vt à merente *in actu primo* (vt loquuntur Doctores) possit fieri, & non fieri; atque ab ipsomet *in actu secundo* liberè exerceatur; in hoc enim consistit libertas, iuxta doctrinam communem; quapropter noster *P. Bagatta* in sua Philosophia *de Anima Ration. disp. 4. sect. 9. versu: Quar. 2. n. 36.* ait: *Libertas voluntatis in actu primo, consistit in hoc, quòd voluntas positis omnibus ad operandum requisitis, possit operari, & non operari, hoc, vel oppositum agere; In actu verò secundo, in actuali exercitio libertatis prioris, seu in ipsa actione, quam voluntas elicit.* Hæc quoque conditio ad rationem meriti *de Condigno* requiritur à Sacra Scriptura pluribus in locis; à *S. Paulo 1. Corinth. cap. 9. 17.* vbi apertè ait: *Si volens ago, mercedem habeo:* & *ab Ecclesiastico cap. 15. 14. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit in manu consilij sui;* & *cap. 31. v. 10. potuit transgredi, & non est transgressus, ideò stabilita sunt bona ipsius.* Nec minus concordant SS. Patres; Sanctus quippe *Bernardus serm. 81. in Cant.* ita fatetur, *vbi non est libertas, neque meritum;* quod etiam expressè asseruit *Aristoteles ipse 3. Ethic. cap. 5.* vbi (loquens tanquam Philosophus Moralis, cùm ipsius scientia, atque lumen, vlteriùs non se extenderit) ita scripsit: *Per ea, quæ nobis insunt à natura, nec mereri, nec demereri.* Probatur denique ratione, quia (vti dictum) meritum est passio ac proprietas operationis bonæ moralis, quæ in esse suo morali constituitur per ipsam libertatem, & modum procedendi liberè, qui modus proprius est naturæ rationali, adeoque essentialiter & necessariò requisitus ad meritum, & actionem meritoriam, vt talis sit; quomodo enim potest esse talis, scilicet meritoria, si non est libera, nec liberè exercita? quomodo prœmiari, qui effectus est Iustitiæ, cùm hæc non possit exerceri, nisi supra actus liberos à libero arbitrio productos, & supra ipsos prout tales tantummodo (& non aliter) tam eum prœmio afficit, quàm cum pœna plectit? proinde Philosophus supracitatus ait, quòd *per ea, quæ nobis insunt à natura, nec meremur, nec demeremur:* Theologi quoque vnanimiter asserunt quòd *vt opus sit meritorium de condigno (& etiam de Congruo) requiritur, vt opus sit liberum omnimoda libertate, scilicet, & coactionis, & contradictionis, vt videlicet possit fieri, & non fieri:* ita communiter apud *P. Marandum loc. cit. vers. Quarta conclusio.*

Tertiò: ad meritum *de Condigno*, requiri- 211

quiritur, vt actus meritorius sit bonus, ita vt nullam habeat admixtam malitiam, meritum enim dari non potest, vbi non inuenitur bonitas; neque ipse actus esse potest moraliter simul bonus & malus, vt habetur ex Theologis in Tractatu *de Actibus humanis*: adeoque, si alicui actui admixta fuerit malitia quędam, non poterit esse meritorius, benè autem malus & demeritorius, quod confirmatur ex eo, quod nobis præcipitur *Matt. 6. v. 1. Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Requiritur proinde ad meritum, quòd actio seu operatio sit totaliter bona in se. Dico *in se*, quia (prout etiam aduertit *P. Morandus quæst. cit. sub num. 272. vers. aduert. est*) ea malitia vitiosum ac malum reddit actum, quæ ipsum ingreditur, eique miscetur; non illa, quæ eum sequitur: hæc siquidem efficere non potest, vt actus, si in seipso fuit, & est meritorius, non remaneat talis, & non sit bonus: quamuis postea aliunde tantundem demeriti fortassis generet, & causa sit subsequentis malitiæ, quantum meriti fuerat in Opere bono, vti eueniret, si quis eleemosynam largiretur ex amore Dei; postmodum autem ex vana gloria sibi complaceret, quòd ab alijs visus, laudatus, &c. fuerit.

212 Quartò; quòd actus meritorius fiat mediante auxilio atque concursu Diuinæ Gratiæ, ab hac siquidem, & ab eius influxu prouenire debet omne opus bonum, ordinatum ad salutem, & ad finem supernaturalem, vbi habetur *ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 16.* meritum autem certè ordinatur ad beatitudinem supernaturalem, igitur necesse est, illud etiam constitutum esse aliquo modo in statu supernaturalitatis, videlicet per adiutorium, & concursum Diuinę gratiæ, sine qua *bona opera* (ait *Concil. Trid. l. c.*) *nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possunt*. Confirmatur porrò; Opera meritoria sunt media ad obtinēdum finem vltimum supernaturalem, nimirum Beatitudinem æternam; igitur necesse est, illa esse aliquo modo supernaturalia, vt medium proportionetur suo fini. Insuper meritum *de Condigno* respicit, non solùm libertatem dantis seu retribuentis, verùm etiam condignitatem operis; naturale autem non est condignum supernaturali: ergo Opus meritorium, cùm debeat esse condignum & proportionatum suo præmio, debebit esse supernaturale, ad promerendam gratiam, & gloriam, quæ supernaturale quid sunt.

Vtrùm deinde Opera bona, præterquam quòd procedere debeant ex auxilio gratiæ, vt sint meritoria de condigno, debeant etiam ab operante referri ad Deum actualiter, aut virtualiter, ex motiuo, & ab habitu charitatis? controuersum est. Id affirmat *P. Pasqu. cit. disp. 42. sect. 5.* negat verò *P. Morandus quæst. cit. sub num. 273.* sufficit enim (ait ipse, & benè) ad promerendum de condigno (supposito, hominem esse iustum, existentem in gratia, & amicum Dei, vt mox dicemus) quòd opera bona sint aliquo modo supernaturalia, & habeant exinde in se condignitatem aliquam ad vitam æternam, redundentque in Gloriam suæ Diuinæ Maiestatis, sine alia relatione, aut directione charitatis in Deum. Huic quoque sententiæ adstipulatur *Concil. Trident. de Iustific. Can. 26.* vbi decernit: *Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerunt facta, exspectare, & sperare æternam retributionem, anathema sit*. At seclusa omni relatione & directione habitus charitatis in Deum, opera bona iustorum sunt facta in Deo, adeoque meritoria gratiæ & vitæ æternæ. Adde, quòd ipsum *Concilium Trid. sess. 14. cap. 6.* significet, quomodo cum iisdem operibus, quibuscum meremur, simul etiam satisfaciamus pœnis peccatis nostris debitis: at verò sufficienter certò nos satisfacimus operibus pœnalibus, absq; prædicta relatione Charitatis in Deum; cœteroquin in quantas angustias, in qualem deueniremus labyrinthum? ita exclusa etiam ista relatione, & directione, meremur; cùm vtrobique eadem currat difficultas, nec maior ratio sit de merito, quàm de satisfactione. Si autem approbare vellemus sententiam *Patris Pasqualigo* (quæ etiam aliorum est) in quales angustias & refractus deduceremus Iustos, maximè debiles, & scrupulosos?

Sic

Sic enim illi argumentarentur : Ergone infinita prope bona, & sancta opera Iustorum,ac Seruorum Dei pessumibunt, inania erunt; & merito carebunt? & quanam de causa grauissimum hoc derrimentum? probatur ista sequela, & consequentia, quia etiam ex Iustis nonnulli opera bona paucis tantùm vicibus, & raro,actualiter & virtualiter referunt ad Deum : potissimùm autem habitualiter tantùm; in quantum nimirum id facere parati sunt, dummodo in mentem eis veniret; quod ramen iuxta Aduersarios non sufficit. Imò quod plus est, dari posset casus quòd aliquis totam suam vitam sanctè transigeret,& tamen nihil mereretur, si nunquam formaliter, neque virtualiter in Deum referret opera sua bona, sed solùm à principio septimanæ, aut diei, omnia in ipsum dirigeret, quæ directio, secundùm suos Authores, solùm est habitualis, atque adeò insufficiens: quæ omnia, proh quantum dura sunt, ait eruditè dictus *P. Morand*. Et si quandoque à Sacra Scriptura, vel à Sanctis Patribus, aut Concilijs ad actum meritorium requiritur habitus charitatis, istud intelligi non deber in sensu Aduersariorum, quòd nimirum actus meritorius, vt talis sit de Condigno, debeat actualiter, aut saltem virtualiter dirigi in Deum ab habitu charitatis; nequaquam : sed solùm intelligendum est,quòd loquantur, vel de concursu actuali Gratiæ cum actu, ad reddendum eum meritorium de condigno (vt supra intimatum est), & in statu ordinis supernaturalis :aut de directione charitatis,sed habituali, quòd nimirum operans promptus sir, ac debeat esse pararus (casu quo talis cogitatio menti illius occurrerit) referendi in Deum omnia opera sua : vel denique, quòd ad meritum de Condigno necessarium sit (vti certum est, & paulò pòst videbitur) quòd homo sit in statu charitatis, iuxta dictum *Pauli Corinth. 1. c. 3. si linguis hominum loquar, & Angelorum &t. charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest :* non vult hìc dicere Apostolus, requiri ad meritum, quòd omnia bona opera Charitatis referantur in Deum, prout contendunt Aduersarij : sed sensus ipsius est,quòd,vt quis operetur cum merito, debeat existere in Gratia & Charitate apud Deum, aut etiam versus proximum.

Quintò igitur,requiritur ad meritum 214
*de Condigno*, quòd operans sit in statu gratiæ (vti insinuatum est) & quòd sit Iustus : ita omnes Theologi : habeturque ex pluribus locis Sacræ Scripturæ : Vnde *Prouerb. cap. 15. v.8.* dicitur : *Victimæ impiorum abominabiles Domino : Ioan. cap. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei. ad Rom. cap.6. 23. Gratia autem Dei, vita æterna in Christo Iesu D. N. & Concil. Trident. sess.6. cap.16.* docet, debere Iustis proponi vitam æternam, tanquam mercedem operum bonorum. Neque deest ratio : exclusa siquidem ab homine Gratia habituali sanctificante, ipse remanet inimicus Dei, adeoque absque ea non potest mereri *de Condigno*,quia opera inimici, quamuis in se cœteroquin aliquid valerent, non possunt ratione status inimicitiæ esse grata, vel accepta, neque meritoria *de Condigno*, maximè apud Deum, qui ea nec etiam respicit: *Dona iniquorum, non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, Ecclesiastici cap.* 34. 23. Et autem status gratiæ tantopere necessarius ad meritum de condigno, vt neque de potentia absoluta (inquiunt Doctores Classici, in specie *P. Pasqualigo q. cit.42. sect. 2. num.14.*) possit homo habere meritum apud Deum *de Condigno*, quamdiu versatur in statu peccati mortalis, implicat enim contradictionem, quòd homo pro vno eodemque tempore habeat Ius ad vitam æternam, & simul non habeat; imò illa sit indignus : hoc autem eueniret, si existens in statu peccati mortalis, posset mereri *de Condigno*, ac remanere in eodem statu; siquidem merendo, haberet Ius, absque dubio, vi meriti *de Condigno* ad vitam æternam; sed etiam non haberet, quia ea esset indignus, tanquam peccator; ergo haberet, & non haberet Ius ad vitam æternam, quæ aperta est implicantia, adeoque impossibile, quòd verificetur.

Requiritur itaque (vt omnia in com- 215
pendium contrahamus) ad meritum *de Condigno*; quòd merens sit viator; quòd actio & operatio ipsius sit meritoria, sit libera, & liberè exercita; quòd sit bona,

absque

absque admixtione vllius malitiæ: quòd sit supernaturalis, hoc est, facta ex Gratia, cum concursu nimirum, & adiutorio eiusdem: & denique, quòd prædictus merens non sit in statu peccati mortalis, sed iustus, amicus Dei, & in statu Gratiæ habitualis sanctificantis. In hoc porrò statu ipse meretur semper *de condigno* in omnibus operibus suis liberis, bonis, & supernaturalibus, nullo excepto, siue hæc deinde sint de præcepto, siue de consilio, aut ex supererogatione; atque ita sentiunt, ac docent communiter Doctores, tam resoluta assertione, ac certitudine, vt sentire contrarium (sicut Dionysius Cisterciensis, qui excludit meritum bonorum operum, ad quæ tenemur ex præcepto) meritò iudicetur erroneum apud *P. Morandum q. cit. 33. nu. 272. vers. Sexta conclusio*. Et tanto magis erroneum debet hoc æstimari; quandoquidem etiam ipsimet *Concilio Tridentino* opponatur *sess. 6. cap. 16.* vbi sic habet (loquitur autem, de omnibus bonis operibus Iustorum) *Iustificatis hominibus, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri &c.* & paulò pòst: *Nihil ipsis iustificatis ampliùs deesse credendum est, quò minus plane illis operibus, quæ in Deo sunt facta, Diuinæ Legi, pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam verè promeruisse censeantur*. In promptu quoq; est huius rei ratio; quia nimirum indifferenter vnumquodque opus bonum supernaturale, factum ab homine iusto, existente in gratia, & amico Dei, habet condignitatem ad vitam æternam, siue deinde sit ex obligatione aliqua, & de præcepto; siue ex supererogatione, & de Consilio; igitur quodlibet est meritorium Gratiæ, & vitæ æternæ. Confirmatur ex verbis Christi: *Matt. cap. 10. 42.* dicentis, quòd *nec perdet mercedem suam, qui dederit calicem aquæ frigidæ*: & *Luc. cap. 21. 18. Capillus de capite vestro non peribit, &, in patientia nostra possidebimus animas nostras*: quod intelligitur de retributione, & præmio, quod promittitur à Deo pro quolibet etiam minimo bono opere, suis fidelibus & Iustis: quapropter asserit *Concil. Trident. cit. cap. 16. Merces ex ipsius Dei promissione bonis operibus, & meritis fideliter reddenda*. Omnibus ergo bonis operibus, cuiuscunque conditionis sint, factis ab homine in gratia existente, cum conditionibus enumeratis, debetur certè à Deo præmium & merces. Si enim ob quemlibet actum peccaminosum mortalem, commissum contra aliquod præceptum, amittitur gratia, & amicitia Dei; ratio certè exigit, quòd ex opposito quis mereatur *de condigno* augmentum Gratiæ, & Gloriæ, per quamlibet actionem purè bonam, si hęc exerceatur ab homine Iusto, cum conditionibus ad dictum meritum *de condigno* requisitis.

Porrò conditiones hæ omnes (excepta vltima de statu Gratiæ) requiruntur etiam ad meritum *de congruo*, & imperfectum, vti docent communiter Theologi: vnde etiam ad merendum *de congruo* debet merens esse Viator, & actus meritorius liber, bonus, & supernaturalis, factus nimirum ex auxilio Gratiæ. Et licèt, quantum ad primam conditionem *Viatoris*, aliqui ex Theologis antiquis apud *Suarezium lib. 12. de Merito cap. 34.* & nonnulli alij ex modernis, inter quos *Vasquez part. 1. disp. 216. cap. 4.* senserint, posse Beatos sibimetipsis, atq; etiam alijs promereri *de congruo aliqua dona Gratiæ, vel accidentalis Gloriæ*. Nihilominus *S. Thomas*, & cum ipso quasi omnes Theologi tenent oppositum, quod scilicet Beati in Cœlo, siue sint Angeli, siue homines, non possint absolutè mereri, neque *de congruo*. Cæterùm ad præfatum meritum imperfectum, non requiritur status Gratiæ sanctificantis, neque quòd merens sit iustus, & amicus Dei; quia etiam peccator potest mereri *de congruo*, & de facto, exercendo actus bonos, cum adiutorio Gratiæ potest sibi mereri (inquiunt Doctores, in particulari *P. Morandus Tract. cit. quæst. 44. sub num. 284. vers. Secunda conclusio*) omne id, quod pertinet ad ipsius salutem spiritualem, seclusa prima gratia actuali, cùm hæc non possit cadere sub meritum, quia ipsa est primum principium, fundamentum, & ratio, quòd opera sint meritoria, hoc est, supernaturalia: quę conditio necessaria est ad meritum, vt diximus: pari etiam modo potest sibi peccator mereri *de congruo* bona temporalia,

216

ralia, maximè si hæc conducunt ad salutem Animæ &c. *Peccator de congruo* (verba sunt P. Morandi) *sibi mereri potest omnia, quæ spectant ad salutem præter primam gratiam, bona etiam temporalia &c. cùm eadem decentia & congruitas cernatur respectu omnium, inter benignitatem Diuinam, & opera à peccatore facta auxilio gratiæ.* Et *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui aurea part. 1. cap. 11. sub num. 64. vers. Confirmatur secundò:* pariter inquit: *Status Gratiæ non est simpliciter necessarius ad impetrandum. Omnis enim qui petit, accipit Matt. 7. id est, sine peccator, vt optimè declarat Sanctus Ioannes Chrysost. Et ratio fauet, nam vis Orationis in impetrando, non desumitur ex dignitate personæ orantis, sed ex Misericordia Diuina. Vnde indignitas peccatoris non potest obstare, quæ minus is etiam infallibiliter quod postulat, impetret, vt egregiè S. Doctor 2. 2. quæst. 83. artic. 16. & quæst. 178. art. 2. ad 1. Sicque peccator ea, quæ sunt suæ salutis, impetrat pro se, & orando consequitur ex misericordia Dei, quod petit, concurrentibus ad bonam Orationem requisitis conditionibus.* Et non solùm sibi, sed etiam alijs, potest impetrare, ac mereri *de congruo* tam Iustus, quàm peccator, vti benè asserit *Arriaga disp. 57. sect. 2. n. 14.* apud & cum *P. Morando loc. cit. vers. Tertia conclus.* vbi apertè ait: *Potest peccator de congruo mereri etiam alijs;* redditque rationem, quia nimirum inter opus meritorium supernaturale, factum à peccatore (cum conditionibus assignatis necessarijs ad meritum *de congruo*) & benignitatem seu liberalitatem Dei, eadem currit decentia, & congruitas ad retributionem, & ad meritum, quando peccator operatur pro se, ac quando operatur pro alijs: & sicut pro se potest impetrare, ita etiam pro alijs. *Quia* (ait *P. Morandus*) *eadem congruitas cernitur inter opus, & liberalitatem Dei, si sit respectu sui ipsius, ac respectu alterius: tum quia, vt fatetur Suarez, potest etiam pro alijs impetrare:* concludit deinde; *potest autem mereri pro alijs, quidquid pro seipso; & insuper primam gratiam, operibus scilicet supernaturalibus:* quia licet is, qui recipit primam gratiam actualem, non possit absolutè habere meritum ad eam, potest illud tamen habere respectu alterius; vnde ait prædictus Author: *potest dari meritum de congruo non in recipiente gratiam, sed in alio;* cui etiam suffragatur *Caspensis tom. 1. tract. de Gratia disput. 6. sect. 12. num. 82. Benè potest alteri de congruo mereri primam gratiam, hoc est, auxilia, quibus ad iustificationem disponatur:* idque pro certo asserit, dicens: *Et hæc conclusio mihi videtur certa, ex praxi totius Ecclesiæ:* in qua nimirum vnus orare solet pro alio. Ex quo pro certo infertur, quòd vnus apud Deum possit impetrare pro alio; & omne id, quod quis meretur pro alio apud Diuinam Suam Maiestatem, cadit sub meritum *de congruo*, inter quod, & inter impetrationem, non inueniri distinctionem vllam, docent apud *Ouiedum in p. 1. D. Thomæ de Merit. tract. 9. controu. 1. punct. 5. n. 81. Vasq. p. 2. disput. 216. cap. 4. & Torres Opusc. 8. de Gratia disp. 6. dub. 6.* Quamuis è contra *Paulus ab Omn. SS. in Claui Aurea p. 1. c. 13. num. 68. vers. Secundò aduertendum,* asserat, quòd distinguantur: *Meritum de congruo* (ita ille) *probabiliter distinguitur ab impetratione; meritum enim de congruo præcisè sumptum, fundatur in dignitate, & bonitate operis, quatenus in obsequium, & honorem Dei cedit; impetratio verò in bonitate & liberalitate Dei exaudientis, qui proinde preces exaudiendo vt sic solùm donare, non autem retribuere, vel remunerare dicitur.* Tertia incedit via *Suarez lib. 12. de Gratia, cap. 3. num. 8.* qui vult, soli Orationi competere impetrationem; meritum autem commune esse omnibus alijs bonis operibus. Nihilominus, licèt considerata specialiter impetratione, impetrare adhuc magis proprium esset Orationis, quàm vllius alterius operationis; inquantum nimirum Oratio est humilis petitio expressiua, & manifestatiua propriæ indigentiæ; certum tamen est, quòd impetratio confundatur cum merito *de congruo*, & frequenter cum hoc ipsa sumatur, tanquam vna & eadem res, vti etiam testatur *Ouiedo lo. cit. n. 82.* hisce verbis: *Frequenter impetratio iuxta modum loquendi Scholasticorum, Patrum, & Conciliorum sumitur pro merito de congruo.* Et quamuis *S. Thom. 2. 2. quæst. 83. artic. 12.* dicat, quòd *Effectus Orationis proprius, est impetratio:* nihilominùs hoc potest etiam conuenire omnibus alijs bonis operibus, quando Deo offeruntur pro impetranda ab ipso re aliqua, vt dicunt Theologi

Sua-

*Suarez de Gratia lib.* 12. *c.* 34. Docet etiam ipsemet *Ouiedo num.* 86. non distingui absolutè impetrationem à merito intrinsecè; quamuis hoc ab illa possit extrinsecè, & ratione alicuius extrinseci separari; vti accidit in Beatis, quorum Orationes, sunt impetratoriæ tantùm, non meritoriæ: hoc tamen non *ex defectu* (inquit ille, & benè) *proportionis intrinsecæ sufficientis ad meritum; sed ex defectu extrinsecæ ordinationis ad hoc requisitæ, seu ex defectu Viatoris status*. quandoquidem meritum terminetur per Ordinationem Diuinã, cũ terminatione viæ huius nostræ vitæ.

217 Ex hactenus dictis deducitur, hominem iustum, & Dei Amicum, posse mereri *de condigno*, & *de congruo*; peccatorem solùm *de congruo*. Iustum *de condigno* solùm pro se: *de congruo* autem tam Iustum, quàm peccatorem, & pro se, & pro alijs; dummodo vtrobique reperiantur (vti semper supponitur) conditiones necessariæ ad vtrumq; meritum. *De condigno* quis meretur (sed solùm sibi) per quamlibet operationem supernaturalem, & Gratiam & Gloriam: *De congruo* quis meretur alijs quoque, gratiam etiam primam, maximè Iusti, & perfecti: *Certum est Viros Iustos, & perfectos in terris primam gratiam, etiam auxiliantem, alijs impetrare. Vide S. Augustinus: Si Stephanus, inquit, non orasset, Ecclesia Paulum non haberet*: ita *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea part.* 1. *cap.* 11. *num.* 64. *vers. Confirmatur hoc*. Qui etiam *cap.* 13. *sub n.* 68. *vers. Tertiò obseruandum* innuit, necessarium esse, ad merendum (directè intelligo) pro alijs *de congruo*, quòd referantur ad illos opera propria, quibus intendimus pro ipsis mereri: *Ad merendum alteri de congruo* (sunt ipsius verba) *necessaria est quædam operantis relatio, opus suum referentis in commodum alterius; nam opus bonum ex se non refertur in commodum alterius, sed solùm in commodum, & bonum ipsius operantis. Cum hoc tamen stat, merita quæ Sancti habuerunt in hac vita, nunc posse nos adiuuare de congruo, etiam si illi opera sua ad illos effectus promerendos peculiari affectu non obtulerint; quia ad merendum hoc modo, satis est generalis affectus charitatis, quo cupiunt Iusti suis meritis prodesse omnibus, quantum in ipsis est; vt patet ex illo Genes.* 18. *cap. Si inuenero in Sodomis quinquaginta iustos in medio Ciuitatis, dimittam omni loco propter eos: vbi specialem illos iustos in operibus suis relationem sui hunt effectum habuisse, credibile non est.* Hinc infertur; quòd licet meritum *de congruo* certam habeat latitudinem, itaut, quantumuis magnum, atque excellens sit; non possit vnquam attingere meritum *de condigno*, nec peruenire ad meram, perfectionemque illius, vti etiam docet citatus *Paulus ab Omnibus Sanctis p.* 3. *c.* 2. *sub num.* 190. *vers. Relicto itaque*: Attamen sicut illud *de condigno* habet gradus maioris, & minoris meriti, ita etiam illud *de congruo*, adeoque vnum meritum *de congruo* potest excedere aliud in perfectione, vel ratione personæ, loci, modi, temporis, aut ob alias circumstantias: Hoc ferè modo præfatus Author; qui suam mentem vlteriùs declarat sequenti similitudine: *Explicatur hoc: apud aliquem Principem v. g. efficaciùs meretur, & faciliùs obtinet aliquis pro altero gratiam, qui maioris est apud eundem Principem amicitiæ; qui pro vno solo petit, quàm pro multis: qui pro multis determinatè, quàm qui in confuso: qui feruentèr, & obnixè rogat, quàm qui tepidè, aut frigidè: Ita apud Deum efficaciùs meretur in hoc mundo pro altero quodcumque donum, siue temporale, siue spirituale, ille qui est maioris Sanctitatis, & apud Deum amicitiæ, & gratiæ; ille qui pro vno solo, vel pro pluribus determinatè petit: ille, qui perseueranter die, ac nocte pulsat, quàm qui interruptè; & ita de alijs circumstantijs. Et ratio est, vt ex S. Thom. par.* 2. *quæst.* 114. *artic.* 6. *innuimus: quia meritum de congruo, & secundùm amicitiæ proportionem, in qua varij gradus, & differentiæ reperiuntur; vt per se patet, & constat.*

Vlteriùs deducitur ex dictis, quòd 218
quamuis meritum *de congruo* sit applicabile alijs, non autem illud *de condigno*; attamen applicatio actualis eiusdem nihil demit operanti, aut merenti: non enim minuitur huic exinde, neque aufertur vllus gradus meriti: non *de condigno*, quia hoc est inseparabile & inapplicabile (vt diximus) sed neque etiam *de congruo*, quia potiùs per applicationem ad plures, crescit hoc in perfectione, ipsa siquidem applicatio adauget meritum supplicanti, vt docent Authores. Ratio in promptu est, deducta ex prædictis: quia nimirũ meritum *de congruo* totũ innititur (vt dictum) Dei infinitę Misericordiæ, ac

L libe-

liberalitati, qui eò ampliùs honoratur, quantò magis ipsi supplicatur, & pro quanto pluribus ipsi sumus importuni: qui autem sic Deo supplicat, maius acquirit meritum, ac fructum apud Diuinam ipsius Maiestatem. Ita sentit, inter alios *Peyrinus tom. 2. de Prælato qu. 3. cap. 6. num. 4. Per participationem meritoriam* (inquit ipse) *non minuitur meritum, sed augetur, quia Deus, cuius Misericordia, & liberalitate (quæ infinitæ sunt) tales fructus innititur, magis ex hoc honoratur, ex quo benè operans, maiores potest fructus sperare, & maius augmentum præmij in Vita æterna*. Participatio itaque alienorum bonorum operum, quæ de congruo sunt meritoria, non diminuitur ex multitudine, ac numero participantium, imò eò magis crescit, & augetur, quò plus distribuitur, & quò pluribus applicatur. Et si ita est, propositio ab initio facta, *An*, nimirùm, *Prælati Regulares possint concedere Litteras Gratiosas, & communicare per eas fructum bonorum operum suorum Subditorum, casu quo hi pro seipsis ijs opus habeant*, sicut non cadit, nec cadere potest supra primum ac specialissimum fructum bonorum operum, videlicet meritum *de condigno*, cùm iste sit inapplicabilis; ita, quia per applicationem alterius *de congruo*, adaugetur meritum ipsimet operanti, & eo magis crescit, quò pluribus applicatur; clarè constat, quòd, cùm applicatio hęc non noceat ei, qui opera communicat, neque Subditis, qui ea exhibent, absque dubio possint eorum Prælati pro suo beneplacito ea communicare per Litteras Gratiosas, cùm potiùs ipsilmet Subditis per hoc subueniatur, dum sic eorum merita augentur, adiunguntúrque Religioni Fratres extranei, à quibus reciprocè accipiunt alios fructus spirituales, iuxta commune adagium: *Incipit communicare, qui incipit participare*. Non deest huic deductioni fideiussor; ecce paratus ad hoc munus sustinendum *Peyrinus de Subdito quæst. 1. §. unico. Vers. Respondeo probabilius*, dum ibidem sic ait: *Quantum attinet ad vim meritoriam de congruo, omnia bona cuiuscumque Subditi, & Congregationis tam in particulari, quàm in communi facta, possunt Prælati, quibus voluerint, applicare; quia in hoc nullum fit præiudicium Subditis. Imò ex hoc fit melior conditio operantis, ex multitudine participantium*. Quo nec magis adæquatum aliquid, nec congruentius proposito nostro dici posset: Quapropter tota difficultas propositi Dubij modò reducitur ad solam secundam formalitatem operis boni, nimirùm ad fructum specialem satisfactionis, quæ acquiritur ex ipso opere bono, si nimirum Religiosi Subditi pro seipsis, & propria satisfactione, vel hic, vel in Purgatorio, ea opus habeant, an in tali casu eorum Prelati nihilominus talem fructum satisfactionis distribuere alijs possint, per communicationem Gratiosarum. Pro cuius Dubij resolutione [illegible] ad

Præmitto imprimis, quòd sicuti vnus 219
Fidelis per opera sua bona potest mereri pro altero (vt superiùs visum est) ita etiam satisfacere per eadem. Quamuis autem homini post peccatum mortale actuale in sua Iustificatione remittatur vnà cum culpa, etiam pęna æterna; nihilominus remanet, vt plurimùm, reatus quidam, seu debitum pęnæ temporalis, exsoluendum (vt definitum est in *Concil. Trid.*) vel in hoc sæculo, vti fecit Dauid; aut in altero (& tunc multò acerbiùs) in igne videlicet Purgatorij. Pro hoc itaque reatu pęnæ temporalis, possunt Fideles per propria bona opera Deo satisfacere, non solùm pro se, hoc est pro proprijs peccatis, sed etiam pro alienis (quæ est doctrina communis apud omnes Fideles *in Catechis. Rom. ad calcem tract. de Pœnit. Sacram. n. 6.*) ad participandum autem legitimum fructum, ex aliorum satisfactionibus, necesse est, ipsa bona opera esse pęnalia (& si talia non sunt, per ea non fit satisfactio) facta scilicet debent esse cũ defatigatione aliqua corporis, seu aliquo eius incommodo; cuius generis sunt Asperitates Vitæ; Abstinentiæ, Ieiunia, Disciplinæ, Cilicia, Vigiliæ in longum tẽpus protractæ, Cameuniæ; Oratio frequens, non tantùm vocalis, sed etiam mentalis, quę absq; corporis pugna non fit, neq; sine sensuum repugnantia, *frequens enim meditatio, carnis afflictio est. Eccles. 12.* & similia: quia non qualecunque opus nostrum, *eò ipso, quòd opus bonum & sanctum est, posset vi satisfactoria propriè, & pressè dicta: quæ scilicet expungendo pęnæ reatui sit accommodata* (inquit *Paulus ab Omn. SS. in claui aur. p. 3. c. 2. n. 192.*) *sed ei tantũ est fructus*

*operis*

*operis prout laboriosi, atque pęnalis*. Quamuis talia (videlicet opera laboriosa, atque pęnalia, & consequenter satisfactoria) etiam sint actus interni, & non tantùm externi, ac sensibiles, vt benè aduertit *Suarez tom. 4. in 3. part. disput. 37. sect. 5. num. 2.* vbi ait; *actus interiores sunt optimi, & maximè liberi, & valde difficiles, hominique mortali laboriosi, & pęnales; quid ergo illis deesse potest, quo minus ad satisfaciendum valeant?* affert deinde exemplum de contritione, quæ, quamuis sit actus internus, ac insensibilis, nihilominus est opus maximè meritorium; & de Oratione, quæ (vt ait ipse) *ab omnibus nominatur inter opera maximè ad satisfaciendum accommodata, non quidem propter solam vocem, sed potissimùm propter mentis attentionem, in qua eius maxima difficultas, & perfectio consistit*. Imò hanc generalem ibi format propositionem, dum vniuersaliter ait: *Opus internum vel per se solum, vel coniunctum cum externo valere potest ad satisfaciendum pro pęna temporali*. Rationem huius reddit *P. Raymundus Capisuccus Controuersia 4. Theologica, de Communione pro mortuis §.2. in princip.* quia videlicet, *Operis satisfactorij difficultas, desumenda est, non ex dorso, sed ex difficultate ipsius operis, etiamsi sit per actum dumtaxat internum præstandum. Imò difficultas, quæ spiritualis est, præstantior est, ac nobilior, quàm difficultas materialis, ac sensibilis, sicut spiritus præstantior est corpore, vnde maius est Deo Spiritum subdere, quàm corpus*. Hinc verificatur, quod etiam opus externum (vt benè deducit *Suarez loc. cit. n. 3. vna cum Soto in 4. dist. 19. qu. 2. artic. 1.* ac cum eo *Capisuccus §. cit.* cum communi Doctorum sententia) in quantum procedit ab actu interno, valeat ad satisfaciendum, & tantum valeat, vt etiam addat satisfactionem actui interno; satisfactio enim oritur ex pęna voluntariè assumpta: pęna autem actus externi distincta est, atque diuersa à pęna actus interni: quocirca vt ait *Suarez num. cit. in fine: In actu externo coniuncto cum interno, maior est pęna & vltio, quàm in solo interno; augetur ergo satisfactio, ratione externi actus, non solùm quasi per accidens, quia actus interior fit intensior, efficacior, vel diuturnior, sed etiam per se, quia ipsamet pęnalitas actus externi auget satisfactionem*. Hæc *Suarez*, & ante ipsum *Soto art. 1. cit.* his verbis; *actus exterior, licet non addat essentialem bonitatem interiori, addit nihilominus accidentalem effectum, qualis est satisfactio, quia vbi maior pęna assumitur, maiori tolerantia opus est*. *Per hac tamen* (concludit deinde *Capisuccus l. c.*) *non tollitur, quod secundùm se, & ex propria ratione, actus boni interni, ritè, ac rectè peracti, aptiores sint ad satisfaciendum, quàm actus externi: omnes enim actus interni boni, aliquam afflictionem inferunt in corpore: nam vt benè obseruat Syluius in Supplem. 3. p. q. 15. art. 1. homini carnali, & terrenis assueto, vt tali, languorem, lassitudinem, & afflictionem affert omne opus, quo Deo seruitur, & ad Cęlestia erigitur*. His, quamuis consentiat *Soto art. cit.* dum ait, *actus interior, generali ratione est satisfactorius*: addit tamen, quòd *specialiter; & per antonomasiam, solum opus exterius est satisfactiuum*, vtpote sensibile, magisq; pęnale, & consequenter magis etiam satisfactorium, quandoquidem *opus humanum & honestum, propriè satisfactorium est*, (ait *Suarez disp. cit. sect. 6. n. 5. in princ.* cum *S. Thoma*, & alijs) *quatenus pęnale est*. Vnde ab ipsa pęnalitate, & defatigatione, maiore aut minore, quam quis in exercitio operis boni experitur, desumitur etiam maior, vel minor virtus, ac vigor ipsiusmet satisfactionis, tanquam deriuantis ab ipso opere: quare præfatus Author *in fine citati n.* prosequitur quòd *si opus sit valde pęnale, erit valde satisfactorium si autem sit parcè, ac modicè pęnale, nullo modo erit satisfactorium, quæ est receptissima Theologorum doctrina, vt videre est apud Torrem to. 1. in 2. 2. disp. 70. dub. 5. Vt ergo* (concludit postea) *actio nostra sit satisfactoria, & alijs cum fructu queat applicari, necesse est eam esse pęnalem*. Vti porrò necessarium etiam est, quòd specialiter, & in particulari applicetur, vel ab intentione ipsius operantis, qui eam communicat, vel ab eo, qui alterum admittit ad participationem operum bonorum totius Communitatis, qui est Prælatus Regularis in casu nostro. Ratio huius in promptu est; quia nimirum supponi non debet, aliquem priuaturum seipsum fructu boni operis sui satisfactorij, sibi tantopere proficui, ac conducibilis, per translationem eiusdem ad alios, absque

propria sua voluntate, & intentione; quam si non habuerit, semper proficuum erit operanti, iuxta mensuram suæ capacitatis, si eo opus habuerit; si non, transfertur ad communem Thesaurum Ecclesiæ; prout communiter dicunt Theologi; saltem nisi talis fructus communicetur alijs ab eo, qui potestatem illius dominatiuam habet, videlicet Prælato, vt superiùs dictum. *conditio ex parte suffragium ferentis est* (ait ad nostrum etiam propositum *Gabriel à Sancto Vincentio Tractat. de Sacrament. part. 3. de Sacrament. Pœnitent. disput. 11. quæst. 6.*) *Quòd veram habeat intentionem illud applicandi; & ratio est, quòd nullus censetur, opus, quod sibi valde vtile, in alium transferre, absque propria voluntate, & intentione; quam si non habeat, ipsi prodest operanti, si indigeat; & si non indiget, ad Thesaurum transit Ecclesiæ. Videatur D. Thom. in 4. dist. 25. quæst. 2. artic. 4. quæstiunc. 1.* Idque confirmat *Paulus ab Omnibus Sanctis num. cit. vers. Secundùm quod* (per hæc verba) *Requiritur ad debitam pro alio satisfactionem, specialis intentio, seu particularis applicatio illius, qui communicat opera sua satisfactoria alteri; ita, vt nisi illi applicetur specialiter talis satisfactio; vel nisi recipiatur ad participandum de satisfactionibus, certæ alicuius personæ, seu Communitatis, siue Congregationis, non proderunt ei talia opera satisfactoria ipso iure, & infallibiliter pro suis peccatis. Ita Nauarr. Miscell. 11. de Rosario, asserens hanc esse doctrinam S. Thom. ab Omnibus communiter receptam. Si enim* (inquit *Paulus ab Omnibus Sanctis*) *sola applicatio generalis, & quæ procedit ex radice Charitatis sufficeret ad satisfaciendum ipso iure, & facto pro altero, sequeretur* (vt ait *Paludanus in 4. dist. 45. quæst. 2. artic. 1. quæst. 4.*) *quòd omnis peccator, eo ipso quòd fieret iustus, esset absolutus ab omni pœna, suis peccatis quoad culpam condonatis debita.* Reddit deinde rationem huius rei euidentem, *Quia videlicet, ad soluendas huiusmodi pœnas, infinitus meritorum thesaurus est in Ecclesia, cùm in ea sit repositus etiam valor meritorum Christi, quæ fuerunt infinita, vt habet extrauagans Clem. VI. Vnigenitus de Pœnitent. & Remiss. & ita si ipso facto applicaretur ad soluendas pœnas, quas iusti debent, ipso facto etiam ipsi absoluerentur ab eis, quod est falsum, & hæreticum.*

Præmitto secundò, quòd sicuti per 220
opera nostra bona meremur *de Iustitia, & de Condigno* (nobis tamen solis tantùm) *& de Congruo*, & nobis & alijs: ita etiam per opera nostra pœnalia satisfacimus non solùm pro nobis, sed etiam pro alijs: & hoc non solùm *de congruo*, sed etiam *de condigno, & ex iustitia* (& quidem certò & infallibiliter) etiam pro alijs: vti docet *Nauarr. Miscell. 11. de Rosario B. Virg. num. 2. vers. Sed contra:* Vbi ait: *Quoad valorem satisfactoriam communicatio fit de Iustitia, & de condigno.* Allegatque pro hac doctrina *S. Thom. in 4. distinct. 45. quæst. 2. artic. 1. quæstiunc. 4.* & alios. Idem affirmant *Suarez in 3. part. tom. 4. d. 48. sect. 3. numer. 10. Valentia 3. part. disput. 7. quæst. 14. punct. 3.* & *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea part. 3. cap. 2. sub numer. 191. vers. Supponendum quartò:* Vbi ait: *Viri igitur Iusti, siue in gratia constituti, possunt per sua bona opera etiam satisfacere Deo pro pœna illa temporali, quæ remanet post peccatum remissum, non solùm pro se, verùm etiam pro alijs, non quomodocunque, sed ita, vt certò, & infallibiliter illa opera bona prosint ijs, pro quibus satisfaciunt; probabilius quippe est, satisfactionem huiusmodi, non tantùm esse per modum impetrationis, & meriti de congruo, sed etiam de condigno, & de Iustitia.* Neque conditio illa, quam requirit *Richardus in 4. distinct. 20. artic. 1. quæst. 3.* (citatus ab eodem *Paulo ab Omnibus Sanctis numer. citat. in fine*) potest admitti vt vera, quòd nimirum satisfactio pro alio, tunc solùm iusta sit, & valida, quando is, pro quo satisfit, ex se absolutè non potest id præstare. Falsum siquidem est, quòd qui ex se potest satisfacere pro semetipso, incapax sit, vt alij pro ipso satisfaciant: *Vnde enim id haberi potest?* (inquit hic Author) *Quamuis enim vnusquisque sit onus suum portaturus, si spectetur præcisè debitum, quod contraxit delinquendo: tamen si aliena subuentio suffragetur, æquè liberabitur onere, quo se grauauerat, ac si ipsemet satisfecisset: dummodo enim æqualis satisfactio offeratur, perinde est, à quocunque offeratur: quia Deus, vt Charitatem foueret, sanxit,*

vt

*vt satisfactio vnius pro alio admitteretur, nec se arctauit ad impotentes pro se ipsis satisfacere*. Pariter etiam falsum est id, quod supponit idem *Richardus* apud eundem Authorem *num. cit.* 191. *in fine*, quòd nimirum, quando aliquis potest satisfacere per semetipsum, & non satisfacit, talis absolutè sit impœnitens: falsum, inquam, hoc est; nam voluntas detestatiua peccati commissi, & voluntas assumendi pœnam pro expiatione reatus pro eo debiti, non sunt necessariò connexæ; cùm vna esse possit absque altera, vti per se notum est, atque clarum. Neque præterea admitti potest id, quod affirmat *Nauarrus de Psalt. & Rosar. Beat. Virgin. Miscell.* 11. *quæst.* 10. *num.* 9. *vers. Tertiò certum*. Quòd nimirum vnus Fidelis solùm in tantum satisfacere possit pro alio, in quantum ipse non indiget, quare de cetero fructus illius satisfactorius deuolueretur ad Thesaurum Ecclesiæ, casu quo alijs in particulari non applicaretur: en ipsius verba: refert ille imprimis sequentem *S. Thomæ* sententiam: *Vnus potest satisfacere pro alio, sicut patet in beneficijs, ad quæ plures Congregationes admittunt aliquos*: subiungit deinde immediatè: *non sunt similia, mereri de condigno, & satisfacere de condigno: quoniam illud non potest alius pro alio facere, hoc autem sic, vt dictum est supra post S. Thomam, & alios*: concludit postea: *Arbitror autem, communicationem hanc, quoad valorem satisfaciendi de condigno, non extendi ad illum valorem, quo eget is, qui facit illa; sed tantùm ad illum, qui reponendus esset in Ecclesiæ Thesauro, si alij non communicaretur*. Huic conclusioni refragatur etiam *Paulus ab Omnibus Sanctis num. cit.* 191. *vers. Quod verò*. Quia licèt is, qui satisfacit pro alio, reus ipsemet esset alicuius pœnæ, & consequenter teneretur ad illam soluendam, non tamen seipsum priuat in æternum tali suffragio, sed quantum hic sibiipsi demit, semet priuando, atque alijs adeò charitatiuè communicando, ei compensatur (vti communiter asserunt Doctores cum *Angelico in supplem. quæst.* 13. *art.* 2. *ad* 3.) in alio altiori genere, cum fructu nimirum excellentiori, Gratiæ, & Gloriæ, nam *qui pro alio satisfacit* (ait *S. Thom. lo. c.*) *non etiam pro se satisfacit, quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad vtrumque peccatum; tamen satisfaciendo pro alio, sibi meretur aliquid maius, quàm sit dimissio pœnæ, scilicet vitam æternam*. Præterquam quòd neque etiam propter hoc se totaliter priuat suffragio quantum ad reatum proprium; quia licèt sententia absoluta dari non possit, quæ asserat, Iustum aliquem opere suo pœnali satisfacere vno ac æquali modo proprio simul, ac alieno reatui; quod nouum quid foret in Theologia, idque expresse negat *Suarez de Pœnitent. disp.* 48. *sect.* 2. *numer.* 4. inquiens: *Hanc sententiam censeo esse falsam, & valde nouam in Theologia; ideoque omnino vitandam in materia tam graui; nam omnes Theologi contrarium sentiunt*. Tamen hinc non euincitur (vti proximè parebit) quòd absolutè loquendo, qui satisfacit pro alio, non etiam pro seipso, & proprio suo reatu satisfaciat; id quod innuit etiam *Paulus ab Omnibus Sanctis num. cit.* sequentibus verbis: *Vnus pro altero satisfacere potest, suorum bonorum operum satisfactionem, prout satisfactio est, in alterum transferendo, vt communis fert sensus Fidelium: non modò si satisfaciens non eo egeat fructu (vt sanè plerique Sancti non egent) verùm etiam (quod minus bene negat Nauarrus) quamuis ipse satisfaciens eo egeret: quia carentia reatus, ad quam per suam satisfactionem sibi seruatam posset pertingere, non est bonum aliquod, quo homo in æternum fraudandus sit: imò quantum ipsi videtur decedere communicando alteri pretium, quo posset à se amoliri illud debitum, tantum sibi proficit, quoad meritum gratiæ, & gloriæ, quod est longè pretiosius, Atque ita eximitur labe prodigalitatis, & inconsulta charitatis, qua notandus videretur, iuxta nonnullorum sententiam, ex eo, quòd in simili suo incommodo, potius alteri, quàm sibi prospiciat. Non enim propterea omittit sibi prospicere, cùm sic operando consulat commodis suis in alio genere, & quidem pretiosiore. Quid quod non se prorsus spoliat fructu illo tollendi reatum: Nam volitio reflexa, qua vult operationem suam alteri prodesse, est meritoria alicuius remissionis pœnæ: proindeque homo in alium transfundens suam satisfactionem, non se prorsus spoliat fructu abstersionis reatus. Et ex alia parte magnum specimen charita-*

*tis edit, praestans se pro alijs fideiussorem, quod est exemplum D. Thom. in 4. dist. 20. qu. 1. art. 2.*

221 Dixi ab initio praecedentis numeri, quòd per opera nostra pœnalia satisfaciamus pro alijs etiam *de Iustitia, & de Condigno*, certè, & infallibiliter. Admoneo tamen hìc Lectorem, quòd vt hoc fiat, necessaria sit conditio, in eo qui satisfacit (requisita communiter, aut saltem supposita à Doctoribus) quod ipse sit in statu Gratiæ. *Conditio ex parte illius, qui debet satisfacere, est, quòd sit in statu Gratiæ*; *Gabriel à S. Vincentio tract. de Sacram. par. 3. de Sacram. Pœnit. disp. 11. q. 6.* Ratio est euidens, quia is, qui est in statu peccati mortalis, sicut in tali statu non potest facere vllum opus viuum, quod sit alicuius valoris, ad satisfaciendum pro seipso *de Iustitia, & de Condigno* (excipiatur autem satisfactio Sacramentalis in opinione *P. Pasqualigo disp. 86. sect. 10. Theol. Moral.* & aliorum apud ipsum; quibus adde etiam *Petrum à S. Ioseph in Idea Theol. Sacram. lib. 3. cap. 4. de Pœnit. res. 6. pag. mihi* 303. quia hæc *est opus viuum Sacramentale, & in radice Sacramenti*, vnde est remissiua pœnæ etiam adimpleta in statu peccati mortalis, sed *ex opere operato*) ita neque facere tale opus potest pro altero, hoc enim facere, aliud non est, quàm applicare opus suum pœnale satisfactorium; si autem hoc realiter & in se non est satisfactorium *de Condigno*, quomodo tale erit pro alijs? daretur hoc modo effectus absque causa, quod non potest esse; Adeoque *hæc doctrina certa est de suffragijs*, inquit idem Author *loc. cit.* sed cum hac limitatione, *de suffragijs* nimirum, *quæ fiunt ab ipso peccatore, nomine proprio*. cuiusmodi sunt omnia opera priuata pœnalia, quæ à Fidelibus priuatim fiunt, videlicet priuata ieiunia, mortificationes, Orationes priuatæ, & similia, quæ fiunt *nomine proprio*. Quia si velimus tractare de peccatore, quantum ad opera ipsius pœnalia, & satisfactoria, quæ ille exhibet *nomine publico*, nimirum *nomine Ecclesiæ*; veluti, quando in Missali recitat Orationes quando in Choro cantat Missam, quando celebrat exequias pro aliquo defuncto, & similia, quæ exercentur nomine Ecclesiæ, & qui illa exhibet, tanquam minister Ecclesiæ facit, aliter definiendum est. Porrò *Suarez de Pœnitent. disput. 84. sect. 8.* & post ipsum *Lugo de Pœnitent. disp. 27. sect. 3. numer. 27.* sentiunt, quòd nec ista opera sint satisfactoria absolutè, sed ad summum impetratoria tantùm: quocirca ait *Lugo*: *Hæ Orationes dictæ à Ministro peccatore, habebunt impetrationem nomine Ecclesiæ; non tamen habebunt satisfactionem: quia Minister ipse non potest satisfacere, cùm sit in statu peccati: Ecclesia autem non satisfacit per illas Orationes, cùm non sit opus pœnale ipsius Ecclesiæ, nec actus ab ea elicitus, sed solùm imperatus. Restat ergo sola efficacia impetrandi, quatenus Ecclesia per os illius Ministri repræsentat Deo suas preces, & Vota.* Nihilominùs communis Thomistarum Sententia in contrariam partem vergit: affirmans opera pœnalia facta nomine Ecclesiæ esse satisfactoria, etiam exhibita à ministro existente in peccato mortali: idque docent tanquam expressam sententiam, atque doctrinam Angelici sui Doctoris *in 4. distinct. 45. quæst. 2. artic. 1. quæstiunc. 3.* vbi sic habet: *Operatio peccatoris suffragia facientis potest vno modo considerari, vt est eius, & sic nullo modo meritoria esse potest, nec sibi, nec alijs. Alio modo in quantum est alterius; quod dupliciter contingit: Vno modo in quantum peccator suffragia faciens, gerit personam totius Ecclesiæ; sicut Sacerdos, cùm dicit in Ecclesia exequias mortuorum: & quia ille intelligitur facere, cuius nomine, vel vice fit, vt per Dionys. in 13. c. Cœlest. Hier. inde est, quòd suffragia talis Sacerdotis, quamuis sit peccator, pro Defunctis prosunt.* Huic sententiæ etiam adhæret *P. Pasqualigo de Sacrific. Missæ tom. 1. tractat. 1. quæst. 116. numer. 1.* eamque defendit *Gabriel à Sancto Vincentio quæst. cit.* vbi ait, communem esse Thomistarum, & pro ea refert *Sotum, & Nugnum quæst. 25. art. 1. diffic. 3.* cui & ego subscribo, eamque approbo cum prædicto *Gabriele à S. Vincentio*. Quia quando aliquis operatur nomine alterius, non operans consideratur, sed is, cuius nomine ille operatur: adeoque quando aliquis v. g. nomine Ecclesiæ cantat in

in choro, non is, qui cantat debet considerari, sed Ecclesia, cuius nomine ille cantat: quare, licet huiusmodi cantus in quantum procedit à tali Cantante, non esset satisfactorius, esset tamen, quatenus procedit ab Ecclesia, quæ est Sponsa sine macula, & sine ruga. Antecedens probat Doctor Angelicus ex *D. Dionys.* & conceditur ab omnibus; imò consuetudo ipsa & praxis Principum id persuadet: nam omne id, quod eorum Nuntij, Legati ac Procuratores nomine Principis faciunt, id censetur tanquam ab ipso factum, & non aliter: vnde iniuriam quoq; factam Ministro, magis sentit Princeps, & magis sibi factam iudicat, quàm Ministro: qui Minister, si gratia illius Domini, apud quem Legati munere fungitur, excidat, necquidquam sperat, impetrare ab eo gratias & fauores, si tanquam persona priuata illas requirat: vbi si eas expetierit, tanquam Persona repræsentans suum Regem, aut Principem, facilè, & absque mora ei conceduntur: Pari modo, si aliquis extra Dei gratiam constitutus, priuatum opus bonum, ac pœnale exercet, frustra sperat mercedem *de Condigno* tam pro se, quàm pro alio: si verò publicam repræsentat Personam, suumque opus nomine totius Ecclesiæ exhibeat, absque dubio per illud facit *nomine Ecclesiæ*: quæ est gratissima Deo, etiamsi operans, qui illud exhibet, prout talis, & vt persona priuata, sit inimicus illius.

Præterea, quia Fideles (vt argumentatur *Nugnus apud cit. Gabrielem à S. Vincentio*) nonnunquam petunt, sibi applicari communia Diuina Officia, cantum v. gr. Vesperarum, Matutini &c. ad cuius recitationem Communitas obligatur, signum euidens est, aliquem fructum satisfactionis eidem Communitati correspondere pro Chorali Psalmodia absque eo, quòd Ministri remaneant defraudati propria satisfactione; orrespondet igitur publicæ recitationi Diuinorum Officiorum, factæ nomine cclesiæ, sua satisfactio, quæ à Prælato, vel abeo, qui curam Communitis gerit, alijs potest applicari. *Et, si n applicetur* (inquit *Gabriel à S. Vicentio*) *er ipsos Ministros, qui sunt in Gratia, distribuitur, & si omnes essent in peccato mortali, ad Ecclesiæ Thesaurum reuocaretur*. Confirmatur, quia, vti concedunt omnes Doctores apud citatum Authorem, Communitas est capax peccati, ergo etiam debet esse capax satisfactionis. Probatur antecedens, Communitas namque est capax transgressionis alicuius Præcepti, Voti, aut obligationis &c. adeòque etiam capax peccati; quod peccatum, *cùm non possit subijci Ecclesiæ Clausibus ab ipsa Communitate* (inquit *citat. Gabriel à S. Vincentio*) *debet subijci ab illis Subditis, qui illud commiserunt, & sunt illi, qui in causa fuerunt, quòd Communitas præceptum v.g. transgrederetur. Vnde illud peccatum primariò est Communitatis, secundariò illorum, qui in causa sunt, quòd Communitas præceptum transgrediatur*.

Nec valet oppositio *Suarezij*, ac *Lugonis*, quòd opus in tantum sit satisfactorium, in quantum est pœnale; sed non est reuera pœnale respectu communitatis, aut vt proueniens ab Ecclesia: ergo tanquam ab Ecclesia non est satisfactorium; maior est ipsa nostra propositio, minor verò demonstratur, quia pœna est indiuidua, & personalis, non autem Communitatis, de qua nunquam dictum est, nec dici potest, quòd illa sustineat pœnam, quòd sufferat, quòd patiatur, sicuti neque etiam Ecclesia; aliàs dici posset, quòd Communitas repræsentans Ecclesiam, & Ecclesia ipsa patiatur per flagellationem, per ieiunia &c. Non valet, inquam, hæc oppositio: in promptu enim est, eius resolutio, per solam distinctionem maioris; Opus in tantum est satisfactorium, in quantum pœnale, respectu illius, respectu cuius est satisfactorium, negatur: in quantum est pœnale, respectu saltem illius, qui opus ipsum ponit, atq; exhibet, conceditur. *Vt igitur opus aliquod sit satisfactorium respectu communitatis, non est necessarium, quòd eidem sit pœnale, sed sufficit, quòd pœnale supponatur* (inquit *Gabriel à S. Vincentio qu. cit.*) Pœnalitas enim est quidem conditio ad satisfactionem, non est autem ratio formalis satisfactoria, aliàs vbicunque inueniretur pœnalitas, ibi esset satisfactio. Satisfactio ergo desumitur ab ipsa operis bonitate, non quidem absolutè, sed cum relatione ad 223

ad pęnalitatem, ad quam refertur, aut eam connotat, tanquam conditionem indispensabilem. Maneat itaque stabilitum, opera Communitatis esse satisfactoria, quando fiunt nomine Ecclesiæ; aliàs Fideles sæpiùs remanerent defraudati, si, quando maiorem ac largiorem exhibent elemosynam pro Missa cantata, quàm pro priuata, eo fine, vt vltra satisfactionem Missæ ex opere operato, etiam potiantur satisfactione prouenienti ab ipso cantu; si, inquam, toties ista deberent carere, quoties Cantores non essent in gratia, ita vt in tali casu, cantui chorali non corresponderet vlla satisfactio, neque etiam prout est à tota Communitate, quæ Ecclesiam ipsam repræsentat; quod admitti non debet. Addo, præfatum *Gabrielem à S. Vincentio. tract. cit. de Pœnit. disp. 13. quæst. 7.* non negare, quòd opus pęnale, non sit etiam pęnale, prout est à Communitate; sed concedere, quod Communitas ipsa patiatur: en propria ipsius verba: *loc. cit. quæsito 5. Nota, quòd Religiosi dupliciter possunt sua opera exercere, vel vt singuli, vel vt communitatem componentes: v.g. Religiosi dum in Choro cantant, possunt vt singuli considerari, seu separatim: & tunc si debito modo cantent, & merentur, & satisfaciunt, cùm illud opus sit pœnale: & si ipsi satisfactione egeant, ipsis applicabitur, nisi fortè voluntariè alijs talem applicent satisfactionem: Si verò considerentur vt communitatem componentes, etiam satisfaciunt, nam illud opus etiam prout à Communitate est pœnale, cùm certè ipsa Religiosorum Communitas tunc patiatur; non est enim parua pœna Communitatem in Choro manere; si enim Communitas est capax obligationis, & peccati, vt docet Caramuel in Regul. D. Benedict. num. 1335. erit etiam capax meriti, & satisfactionis, & hoc tale meritum diuiditur inter Communitatem componentes: item satisfactio, si illi egeant, vel ad hoc intentionem habeant: quæ etiam est sub potestate Prælati, Communitatis curam habentis. Vnde Prior respectu suæ Communitatis: & Prouincialis respectu suæ Prouinciæ, & Generalis respectu suæ Religionis, poterunt tales satisfactiones, quibus voluerint applicare. Ob hoc. P. Cassina in suo Missag. tit. 13. num. 24. & 25. docet, quòd pro vna Missa cantata plus stipendij accipi potest, quàm pro priuata, & quanto plures sunt Religiosi in Choro cantantes, tanto plus stipendij accipi poterit; & sic pro Missa cantata à quatuor Religiosis duplex stipendium accipi potest, & si cantetur à decem, vel duodecim &c. semper plus stipendij accipi poterit, cùm crescat valor Communitatis ex maiori Religiosorum numero per se loquendo, & hoc non potest prouenire à Religiosis vt singulis, quia hoc modo non locant opera sua, sed prouenit ex Religiosorum numero Communitatem componentes, seu ab actu ipso primo Communitatis.*

Ex parte porrò illius, cui applicatur 224
fructus satisfactionis, prouenientis ex opere bono pœnali, requiritur imprimis, quòd ille quoque sit in gratia: ille enim, qui in peccato mortali est, secundùm præsentem iustitiam, damnatus est ad pœnas æternas, adeòque indignus remissione pęnæ, vti communiter Doctores, in specie *Gabriel à S. Vincentio de Pœnit. disp. 11. quæst. 6.* vbi sic ait: *Ex parte illius, cui satisfactio applicatur, requiritur, quòd sit in gratia; qui enim in peccato mortali est, non est dignus, vt ei pœna remittatur. Tum quia satisfactio vnius pro alio in charitatis vnione fundatur, atque adeò qui charitatem non habet, non est capax satisfactionem illam recipiendi. Tum etiam, quia satisfactio vnius pro alio in Diuina fundatur promissione de illa acceptanda, seu Diuinam supponit acceptationem: Diuina autem acceptatio cùm amicabilis sit, & gratiosa, in Gratia, & charitate fundatur.* Videatur circa hoc *Suarez de Pœnit. disp. 48. sect. 3.* Secundò requiritur in eodem participante acceptatio aliqua, saltem virtualis, *quam censentur habere omnes existentes in gratia, & satisfactione indigentes* (inquit prædictus Author *loc. cit.*) & ante ipsum *Suarez sect. cit. num. 11. in fine:* vbi ait, *quòd vnusquisque, generali saltem vel implicita voluntate acceptat huiusmodi donationem, & vult liberari à pœna, quacunque iusta ratione sibi possibili.* Quando igitur vnus, qui est in Gratia, facit opus aliquod pęnale, illudque applicat alteri, satisfacit pro eo (dummodo & ipse sit in Gratia, talisque satisfactionis capax) soluitque pro eo, ac delet tantum pęnæ in Purgatorio ipsi debitæ, quantum correspondet valori fructus satisfactorij ipsiusmet operis pęnalis, quod pro eo exercet: *Suarez sect. cit. num. 3. 5. & 10.* Et hoc quidem, absque eo, quòd ille,

pro quo fit satisfactio, de hoc cogitet, aut aliam actualem dispositionem habeat, cùm sufficiat (vt dictum est) sola virtualis, & implicita generalis acceptatio, quæ semper in omnibus supponitur.

125 Colligitur itaque ex hactenus dictis, quòd omnia opera bona, facta à Fidelibus in gratia, habeant tres fructus siue effectus: merentur videlicet, satisfaciunt, atque impetrant; merentur quidem de Congruo; confunditur autem hoc meritum cum impetratione, & accipitur hìc impetratio, in quantum significat idem ac mereri de congruo. Merentur ergo augmentum Gratiæ, quod statim in hac vita recipitur, & augmentum Gloriæ, quod in altera acquiritur. Satisfaciunt deinde pro pœna temporali, quæ sustineri deberet in Purgatorio pro peccatis, quantum ad culpam, iam remissis. Impetrant denique varias à Deo gratias, vt nimirum ille nos liberet à diuersis malis &c. Primus effectus, scilicet meritum augmenti Gratiæ, & Gloriæ, est adeò proprius operantis, vt omninò sit incommunicabilis, imparticipabilis, & inapplicabilis alijs, vt dictum est. Satisfactio, quæ secundus effectus est, siue fructus, pro pœnis, quæ in Purgatorio sustineri deberent pro peccatis remissis, potest quidem applicari alijs, vt dictum est, sed tamen cum particulari applicatione operantis, non alio modo; vt asserunt communiter Doctores cum *S. Thoma in 4. dist. 45. quæst. vnica art. 2.* nam aliàs sequeretur, quòd vnusquisque quamprimum se conuertit ad Deum, remissaque sunt illi peccata quantum ad culpam, statim etiam liber foret ab omni pœna temporali; quod falsum est, vt nuper dixi, ac contra communem omnium sententiam, atque etiam contra determinationem *Concilij Tridentini sess. 14. Canon. 12. & sess. 25. in Decreto de Indulgentijs*. Tertius deinde fructus, seu effectus, videlicet imperratio, est vniuersalis, & iuuat omnes Fideles, absque vlla particulari applicatione operantis. Vnde hæc vniuersalis impetratio, est illa pars operis boni, quæ absque applicatione participatur à Fidelibus, solùm quia sunt membra viua Mystici Corporis Ecclesiæ. Et hæc est ipsa communio, siue Communicatio Sanctorum, virtute cuius variæ à Deo recipiuntur Gratiæ, modò naturales, modò supernaturales, intuitu bonorum operum, quæ exercentur à diuersis Fidelibus, & Ecclesiæ membris; & sic acquirimus à Deo per impetrationē vniuersalem (absque vlla particulari applicatione) iam fauores supernaturales, vt sunt Gratia actualis, vel proueniens, vel concomitans, aut subsequens, à qua adiuti, facimus actus meritorios vitæ æternæ; iam gratias naturales, quales sunt, Sanitas corporis, bona temporalia, & similia; iam etiam liberationem à varijs malis, & periculis Animæ, & corporis, videlicet infirmitatibus, morte subitanea &c. Quando posteà etiam additur particularis applicatio operantis multò plus participant illi, pro quibus tale opus applicatur, absque eo tamen, quòd vel minimum de fructu vniuersali, ac communi aliorum diminuatur; nam hæc particularis applicatio nihil tollit, sed adiungit particularem influxum pro illo, pro quo oratur, aut bonum opus perficitur. Cæterùm licèt iste effectus impetrationis particularis, non sit semper infallibilis, vel quia id, quod petitur, non est vtile ei, cui petitur, & pro quo bonum opus applicatur; vel quia is, ex parte sua ponit impedimētum aliquod; nihilominùs vt plurimùm etiam quoad hoc exaudiuntur Iusti, si non iuxta vtilitatem eorum, pro quibus orant, aut opus bonum applicant, maximè si etiam isti sint in Gratia: quòd si possint ac soleant Iusti verique serui Dei impetrare ipsismet peccatoribus eorum conuersionem etiam, & primam gratiam, vti fecit *S. Stephanus S. Paulo*; vnde ait *S. Iacobus cap. 5. 16. Orate pro inuicem, vt saluemini*. Vltra impetrationem bonorum temporalium, & liberationem à varijs malis temporalibus, tam Animæ, quàm Corporis, vti clarè apparet ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, multò magis poterunt impetrare pro existentibus in Gratia; placet siquidem Diuinæ Bonitati, exaudire seruos suos, vt sibi promittebat *David Psal. 144. 19.* dicens; *voluntatem timentium se faciet, &*

*depre-*

*deprecationem eorum exaudiet*. Diſtinxit optimè hoſce tres fructus ſiue effectus cuiuſcunq; operis boni in gratia facti ſubtiliſſimus *Scotus quodlib. 20. art. 1.* in fructum ſpecialiſſimum, ſpecialem, & Generaliſſimum. Fructus ſpecialiſſimus (videlicet meritum Gratiæ & Gloriæ) dicitur talis, quia adeò proprius eſt operantis, vt alteri donari nequeat. Fructus ſpecialis eſt etiam proprius operantis, nimitum propria ſatisfactio, ita tamen, vt etiam alijs donari poſſit. Generaliſſimus denique dicitur talis, quia non eſt proprius ſolius operantis, ſed communis tam ipſi, quàm omnibus membris viuis Eccleſiæ, ſiue Fidelibus Chriſtianis, qui omnes, abſque alia applicatione, aut donatione de eo participant, ſicut ait Propheta: *Particeps ego ſum omnium timentium te. Pſalm. 118. 63.* ac ſi dicat: Domine, particeps ego ſum omnium bonorum operum, quæ fiunt ab omnibus illis, qui te timent, hoc eſt, Iuſtis; particeps, nimirum, tertij fructus generaliſſimi impetrationis, & meriti de congruo, communis omnibus abſque alia particulati applicatione. Ex his igitur tribus fructibus, ſolus ſecundus ſeu ſpecialis ſatisfactionis, poteſt donari alijs cum detrimento exſolutionis proprij reatus pœnæ, cuius eſt debitor; & conſequenter ſolus iſte (vt iam dictum ſuperius *num. 87. in fine*) poteſt cadere ſub propoſitum Dubium; quandoquidem primus fructus ſpecialiſſimus eſt incommunicabilis: & tertius non ſolùm vt fructus Generalis, ſed etiam vt ſpecialiter applicatus, nunquam diminuitur, imò per hoc magis adaugetur ipſi operanti. Quibus omnibus neceſſariò præmiſſis modò ad ipſam progredior Dubij deciſionem.

126 Præmitto tamen adhuc tertiò & vltimò; Quòd ſicut duplicis generis ſunt opera bona, quæ à Fidelibus fiunt; alia nimirum priuata, v. g. priuata ieiunia, mortificationes, & generaliter omnia illa opera, quæ iſti nomine proprio faciunt; alia publica, facta videlicet ab ipſis, vel nomine Eccleſiæ, de quibus ſuprà diximus; ita pariter dicendum de Operibus Religioſorum Subditorum, quæ etiam duobus modis ab ipſis exercentur; Vno, in communi, & ex inſtituto Religionis, ad quæ ſe obligarunt in ſua Profeſſione, qualia ſunt, publica quotidiana Pſalmodia, & recitatio Diuinorum Officiorum in Eccleſia; aliæ etiam Orationes tam vocales, quàm mentales, quæ fiunt ab omnibus Religioſis in communi, & ex communi obſeruantia in loco ad hoc deputato; Diſciplinæ quoq; ex inſtitutione Regulæ, Ieiunia, Prædicationes, Adminiſtrationes Sacramentorum, & omnia illa ſpiritualia opera, quæ exercentur à Religioſis ex vi Regulæ, & Conſtitutionis. Alter modus faciendi bona opera eſt, priuatim ea exercere, ex propria ſcilicet, ac ſpeciali deuotione (aut ex alio titulo) ſecluſa omni obligatione Regulæ, & omni Præcepto Superiorum, ex ſola ſpontanea libertate, & priuata libera electione. Porrò Prælati Regulares non communicant alijs fructum ſpecialem, nimirum ſatisfactionis, horum operum priuatorum, & ſecundi generis in ſuis Litteris Gratioſis; vnde ſupra iſta conſequenter non cadit propoſitum Dubium, quia hæc (prout talia) ſubſunt dominio, diſpoſitioni, & applicationi ſolius operantis, qui de ijs, tanquam de re propria diſponit pro ſuo beneplacito, ex ſe, & ſponraneè: non verò Prælatus, qui hoc facere nequit, ſaltem abſq; conſenſu Subditi, iuxta communem ſenſum Doctorum, apud, & cum *Rodriqu. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 33. artic. 4. cum ſuo Compend. reſol. 14. nu. 8. & Corduba lib. 5. de Indulgent. quæſt. 42. dict. 2. Miranda to. 2. q. 50. art. 3. concluſ. 1. Tambur. de Iure Abbat. tom. 2. diſp. 9. quæſito 3. num. 5. Peyrin. de Prælato q. 3. cap. 6. num. 3. Bordon. reſolut. 84. qu. 5. n. 13.* & alijs. Ratio huius eſt euidens, quia videlicet talia opera ſpontaneè & priuatim facta, cùm non ſint ex inſtituto Regulæ, non pertinent ad Communitatem, ſed ſunt propria Subditorum, quare ſupra ea, alius dominium non habet, niſi ipſe operans, ſeu Subditus; adeoq; ſi is conſenſum non præſtet, non poterit Prælatus ea applicare, neque communicare alijs, vbi de facto cernitur, quòd ea non communicet, ſed ſolùm illa, quæ ſunt Communitatis, & ex inſtituto Regulæ; qua de cauſa, quidam P. Miniſter Generalis Minorum Sancti Franciſci Conuentualium, communicatio-

cationem bonorum spiritualium Ordinis, atque operum bonorum suorum Subditorum in Litteris suis Gratiosis, limitat sequenti modo. *Quidquid ieiunant; quidquid orant; quidquid meditantur & psallunt vobis impartientes; quacumque Fratres ex Votorum, Regulaeque Obseruantia promorentur, Apostolica facultate donamus. Vocantes in sortem Vigiliarum, Macerationum, Praedicationum, omniumq; bonorum operum, quibus Deum habere propitium tota incumbit Religio.* Quòd autem priuata opera sint propria Subditorum, est res certa, neque tali proprietati renuntiarunt in sua professione, ait *Nauarr. Miscell. 71. de Psalt. & Rosar. n. 9. vers. Tertiò quòd:* ita resolutè affirmans: *Nullo iure naturali, Diuino, nec humano, videntur Monachi ab hac facultate seclusi.:* hoc est: professio solemnis non tollit Religiosis dominium proprium suarum bonarum actionum, vt non possint ijs pro se vti, aut etiam alijs applicare secundùm suũ beneplacitum, à nullo siquidem iure, nec naturali, nec Diuino, nec humano, à tali potestate aut dominio excluduntur. (Ex quo etiam sequitur, quòd si Religiosus promittat alijs applicationem, & fructum alicuius sui boni operis, vt Rosarij, ieiunij &c. teneatur, secundùm sententiam etiam *Rutei de Particip. quaest. 5. sect. 1. num. 4.* implere promissionem, tanquam rei propriae. *Eamque promissionem tenetur exequi Religiosus.*) Reddit deinde rationem doctrinae huius, atque assertionis *Nauarrus l. c. Quoniam*, inquiens, *licet Religiosi sint incapaces dominij, & possessionis bonorum pecuniariorum, capaces tamen sunt bonorum spiritualium, qualia sunt, virtutes, scientia, imò & beneficia sibi canonicè collata: imo etiam bonorum temporalium honorariorum, qualia sunt Honor, Fama, Gloria, Magisterium, Doctoratus, & similia.* Vt solidè quoque docet noster *P. Ficarra* in suo doctissimo Tractatu *de Fama par. 1. colloquio 12. n. 5.* vbi sic; *Votum paupertatis, quod Religiosus emittit, non excludit omne dominium, tam scilicet naturale, & innatum, quàm ab hominibus introductum, sed solùm excludit posterius, hoc est, bonorum externorum, quae diuitiarum nomine comprehenduntur, cuiusmodi est dominium pecuniarum, aliarumque rerum, vel iutium, aut alicuius vsus illi aequiualentis, vel illud participantis, pecunia aestimabilium: quocircà materia voti paupertatis, sunt praedicta tantùm bona extrinseca, quae sub diuitiarum nomine veniunt: ideoque paupertas consummatur in carentia horum bonorum, quorum est inopia.* Itaque per votum paupertatis, in Professione solemni emissum, non perdit Religiosus verum Ius, & dominium operum suorum bonorum specialium ac priuatorum: Sed neque amittit tale dominium ratione Voti Obedientiae, quandoquidem hoc cadit solummodo super opera bona primi modi, ac generis, nimirum supra ea, quae fiunt ex instituto Religionis: proinde istae, non verò illae communicantur à Praelatis Regularibus in suis Litteris Gratiosis, vt dictum est. Quod tamen cum aliqua limitatione intelligendum est, vt suprà dictum, quòd nimirum à Praelatis Regularibus non communicetur in eorum Gratiosis (prout neque fieri potest) fructus ille specialis satisfactionis operum bonorum priuatorum, quae Subditi faciunt; quantum autem ad fructum impetrationis, siue etiam sit meritum de congruo correspondens ipsismet operibus priuatis; potest hoc optimè à Praelatis absolutè applicari, quia per talem applicationem ipsi non praeiudicant Subditis, sicut praeiudicarent, si etiam illum fructum, nempe satisfactionis applicarent, & hoc ipsum sentiunt Doctores; inter quos *Bordonus loc. cit.* inquiens: *Quae Religiosus sponte sua facit, Superior alijs applicare non potest, nisi de illius expresso consensu, quia haec sunt ipsi propria, & eorum dominium habet: unde super ipsis superior non potest, quoad actum satisfactionis: quoad impetrationem verò, & actum meritorium, quaecumque bona, etiam particulariter facta, Praelatus applicare potest, quia Subditis non praeiudicat.* Quam sententiam non solùm confirmat *Peyrinus loc. cit. n. 3. & 4.* Sed insuper etiam sequenti ratione munit: *Opera satisfactoria, quae facit Subditus in particulari, non potest Praelatus applicare, quoad vim satisfactoriam, potest quoad meritoriam:* en ipsius rationem: *Per participationem enim meritoriam non minuitur meritum, sed augetur, quia Deus, cuius misericordia, & liberalitati (quae infinita sunt) innititur talis fructus, magis ex hoc honoratur; ex quo benè operans, maiores potest fructus sperare, & maius augmentum praemij in vita aeterna. Per participationem verò satisfactoriam, quo*

plures

*plures sunt, eo plus minuitur satisfactio singulorum; saltem si satisfactio proueniat ex opere operantis; cùm talis virtus satisfactoria ex opere operantis, sit finita, tempore, quo nititur perfectione operatio, quæ mediante Dei gratia ab humana fuit Creatura, certum est autem, quòd quò plures partes de quantitate finita fiunt, illæ minores euadunt*. Huic sententiæ adstipulatur *Tamburinus loc. cit.* vbi ait; *Inter participantes opera satisfactoria, & meritoria differentia est, quia per satisfactoria participantes, quo plures sunt participantes, eò minus est satisfactio singulorum, maximè si proueniat satisfactio ex opere operantis, quasi illa est; per participationem autem meritoriam non diminuitur meritum, imò augetur. Vnde ad participandum per modum meriti, non requiritur specialis intentio, nec scientia operantis necessaria est, sed poterit Prælatus, cui voluerit, applicare, quia nullum fit præiudicium Subdito; imò sit melior conditio operantis ex participantium multitudine, incipientes enim participare, incipiunt etiam de suo proprio alijs communicare*: Limitant autem hanc ipsam doctrinam tam *Peyrinus*, quàm *Tamburinus* cum hac restrictione, quòd nimirum Prælatus non possit absq; consensu subditi communicare fructum satisfactorium operum illius bonorum priuatorum, ac spontaneorum, si Subditus ipse ea applicauerit vel sibi, vel alijs in satisfactionem, & remissionem peccatorum. At si Subditus opera sua bona priuata non specialiter in particulari, & personaliter applicauerit, aiunt, posse ea applicare Prælatum, quantum ad fructum satisfactorium. Hoc apertè dicit *Peyrinus loc. cit.* limitando suam, & nostram assertionem, sequentibus verbis; *Quod tamen videtur solùm intelligendum de bonis operibus, quæ facit subditus in particulari, ea applicando sibi vel alijs in remissionem peccatorum: Nam opera satisfactoria, quæ facit etiam particulariter, absque speciali applicatione; sed pro tota Ecclesia generaliter, aut pro indigentibus in Purgatorio, aut in hac vita pro Benefactoribus, seu pro his, quibus Deus vult valere, & huiusmodi: & similiter bona, quæ facit in communi, vt Disciplinas, Ieiunia, Orationes, Vigilias huiusmodi, quæ in Communitate facit cum alijs Religiosis simul, seu per se ex statuto Regulæ aut Constitutionum, aut ex præcepto Prælati, cùm hæc bona sint communia Religioni, quamuis Subditus ijs egeat, potest Prælatus, eo inuito, & inscio, alijs specialiter communicare etiam quoad eum satisfactorium, quia super bonis communitatis videtur Prælatus habere plenariam potestatem, & similiter super bonis particularibus, vel superabundantibus, vel nemini applicatis Cap. Nullum. 18. q. 2. Ita Cordoba, Rodriquez, Sorbo*. Hactenus Peyrinus, & quasi ijsdem etiam verbis *Tamburinus loc. cit.* Ex quo clarè apparet, posse Prælatos Regulares applicare etiam fructum satisfactorium operum priuatorum suorum Subditorum, quando id ipsimet non faciunt; quòd si fecerint, *actum est; & nil amplius iuris* (in tali casu) *in illud opus Prælato suppetit*: inquit *Gobat de Indulgentijs par. 1. cap. 9. qu. 30. n. 105.* redditque rationem conuenienter ad propositum nostrum, quia videlicet Religiosus, *suarum est actionum dominus*: quæ ratio verificatur etiam circa applicationem eorum operum, quæ Subditus facit *ex statuto Regulæ*, si ea ipsemet operans voluerit applicare juxta suum beneplacitum vel pro se, vel pro alijs: id insinuat *Gobat. cit. loc.* dum ait: *nil amplius iuris in illud opus Prælato suppetit, est quippe suarum actionum dominus, quamuis preces offerendo pro alio, quàm Prælatus præscripserit; sicut tradunt DD. communiter in materia de applicatione Sacrificij*: ipsa etiam veritate istud stabilitur, cùm certum sit, Religiosum, non obstante Voto Obedientiæ, habere dominium intrinsecum supra omnia sua opera bona, etiam facta ex obligatione Regulæ, tam meritoria, quàm satisfactoria, & hæc est communis doctrina Theologorum, in specie *Suarez in 3. par. tom. 4. disp. 55. n. 10.* vbi ait: *Quòd opus Subditi absolutè manet sub dominio subditi, & quamuis Prælatus præcipiat satisfacere pro aliquo, si subditus non vult pro illo satisfacere, tamen reuera non satisfacit pro illo, etiam si opus ex se satisfactorium faciat; quia valor moralis talis operis ad satisfaciendum pro hoc, vel illo, pendet intrinsecè ex intentione ipsius operantis, quam non potest Superior supplere*. *Suarezio* subscribit *Rutens de Particip. qu. 5. sect. 1. à num. 3.* vbi constanter affirmat, probatque Religiosum per solemnem Professionem, non se priuare dominio suorum bonorum operum. His etiam adiungatur *Bonacina*, siquidem & ipse *Tom. 1. disp. 6. de Indulg. qu. 1. punct. 3. num. 20.* ait: *Subditus applicet suam sa-*

tis-

*tisfactionem vni, & Prælatus alteri, satisfactio prodest illi, cui Subditus applicat: nam Subditus in hac parte videtur primum locum obtinere, quia Prælatus non videtur Dominus actus merè interni, principaliter dependentis à voluntate subditi applicantis suffragium.* Quomodo autem hæc doctrina, & principium communiter admissum non obstet potestati, quàm asseruntur habere Prælati Regulares, communicandi in suis Gratiosis opera bona suorum Subditorum, non solùm independenter ab ipsis & modo despotico; verùm etiam ipsis inscijs, & inuitis; resoluetur sequenti dubio.

227 Admonetur tamen hìc Lector, quòd quamuis fuerit præmissum, ac numero antecedente pro certo præsuppositum, non esse in potestate Prælatorum Regularium, disponere de operibus bonis priuatis satisfactorijs suorum Subditorum, regulariter saltem loquendo, & ordinariè; nam in casibus extraordinarijs, facere id iustè possunt; & iuxta quod eis necessarium visum fuerit, de ijs præcipere, ac disponere; in sententia etiam *Nauarri Miscell. 11. de Psalter. & Rosar. num. 9. versu, Quartò quòd*, vbi id expressè affirmat sequentibus verbis: *Si occurrerit aliqua grandis causa succurrendi alicui de Monasterio, meritò per applicationem omnium bonorum spiritualium, alteri communicabilium, quæ singulares Monachi possunt alijs communicare, potest Prælatus iustè iubere, vt omnes Religiosi applicarent omnia opera bona, vno, vel altero die, aut alio tempore, illi magna necessitate oppresso: quia huiusmodi iussio esset ædificatio, & non destructio, argumento multorum iurium, quibus probatur, voluntatem Monachi, à iusto arbitrio Prælati pendere.* In hanc quoque sententiam concedunt *Corduba lib. 5. de Indulg. quæst. 42. punct. 3. dicto 3.* ita concludens: *potest Prælatus subditis egentibus pro seipsis iniungere pro tunc aliqua opera satisfactoria, ad quæ ipsi non tenentur aliàs, puta Orationem, Disciplinam, & huiusmodi pro alijs ex causa, vt patet. Multa enim non possunt fieri regulariter, quæ possunt & debent fieri in casu particulari, ex causa rationabili, in omnibus ferè materijs. Miranda in Manual. Prælat. to. 2. quæst. 50. art. 3. conclus. 2.* (ita definiens, *Nam certum est in omni opinione, quòd possunt Prælati præcipere, & iniungere sibi subditis aliquando, vt faciant aliqua supererogationis satisfactoria opera, ad quæ ipsi aliàs non tenebantur, vt puta peculiarem Orationem, Disciplinam, & huiusmodi, illaque pro alijs applicare etiam subditis egentibus: ergo similiter in speciali casu, atque ex rationabili causa, per Fraternitatis Litteras, poterunt suorum subditorum bona, & satisfactoria opera, non solùm, quæ sibi supersunt, verùm etiam, & quibus indigent, ipsisque nolentibus, benefactoribus communicare, & applicare.*) *Sotus in 4. distinct. 21. quæst. 1. artic. 4. vers. Et est enim, in fine. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. quæst. 33. artic. 4. & Suarez disput. 55. sect. 5. num. 8.* vbi in huius rei probationem, principaliter adducit, nullam hìc cognosci oppositionem conuincentem: *Cur enim*, inquit ille, *non poterit præcipere superior id, quod subditus facere potest sine graui nocumento suo in vtilitatem alterius, si grauis ratio, seu causa occurrat?* Tanto magis, subiungit deinde, quia hoc ipsum *non solum in Prælatis Religionum, sed etiam in Pontifice, vel Episcopo, respectu suorum subditorum habere potest locum, si causa publica, vel proportionata subsit; vt si præcipiat ieiunium v. g. offerre pro defunctis in bello, pertinente ad causam Religionis, vel aliquid huiusmodi.* Si igitur hoc locum habet in Summo Pontifice, & in Episcopo, respectu ipsorum Subditorum, maiori certè ratione, valebit in Prælatis Regularibus ait *Suarez*, quia nimirum *in Religiosis intercedit specialis ratio, propter quam, & frequentius, & ex minori causa hoc fit; nimirum quod Prælatus propter votum Obedientiæ habet speciale ius, & dominium in voluntatem subditi, & ideo faciliùs potest de operibus eius disponere.* Hac etiam ratione, vtpote conuincente, & efficaci, vtitur quamuis ad aliud propositum, *Ruteus de Participat. quæst. 5. sect. 1. in fine:* ita loquens: *Hæc in re est specialis aliqua ratio in Superioribus Religionum, quæ non est in Prælatis Ecclesiæ: hi enim habent solam potestatem Iurisdictionis in Subditos; Superiores autem Religionum, vltra potestatem iurisdictionis, habent etiam dominatiuam, vt rectè Arragonius 2. 2. quæst. 88. artic. 8. virtute cuius habent quoddam dominium & liberam dispositionem voluntatis Subditorum.* Et volunt inferre, tam *Suarez*, quàm *Ruteus*, quòd si à Summo Pontifice in tota Ecclesiæ, & ab Episcopis in eorum Diœcesibus,

potest id, quod diximus, præcipi, vt ex ipso facto constat, quod non rarò accidit, in causis vniuersalibus, & magnæ necessitatis; multò magis ergo potest id imperari à Prælatis Regularibus suis Subditis, cùm isti supra hos habeant non solùm potestatem Iurisdictionis, sicut Pontifex & Episcopus in proprios Subditos, sed vltra hoc etiam potestatem dominatiuam: *virtute cuius* (inquit *Ruteus*) *habent quoddam dominium, & liberam dispositionem voluntatis Subditorum*. Scitur autem ex Doctoribus, quantum valeat, ac ponderet potestas dominatiua in proprios Subditos, & eorum voluntates; maior namque potestas subinde in eos exercetur per dominatiuam, quàm per Iurisdictionalem. Huius rei probatio euidens est, quòd omnes Theologi *in 4. distinct.* 38. *cum S. Th.* 2.2. *quæst.*88. *art.*12. *ad* 2. Omnesque Doctores Iuris Pontificij cum *Gloss. cap. non est. Verbo adimplere de Voto*: apud & cum *Sanchez de Matrim. tom.*3. *lib.*8. *disp.*17. *n.*3. teneant pro certissimo, & constanter affirment potestatem spiritualem Iurisdictionalem cuiuscunque Prælati, etiam ipsiusmet Summi Pontificis, non sufficere ad dispensandum cum aliquo in Iure Diuino naturali, vt in votis, vel iuramentis; & tamen concedunt, id posse potestatem dominatiuam. *Tanquam certissimum tenendum est* (inquit *Sanchez l.c.*) *dispensationem cuiuscumque, etiam Pontificis, in Iure Diuino naturali, vt in Voto, vel Iuramento, concessam absque causa esse irritam: potestas enim Spiritualis Prælatorum, nequit ad libitum, iustam inferiorum voluntatem reuocare, eorum vota dissoluendo. At Pater, Dominus, ac Vir, potestate dominatiua, liberè possunt tanquam Domini, voluntatem filij, serui, vxoris infringere, eorum vota ad libitum irritando.*

228 Videtur in contrariam abire sententiam *Bonacina tom.* 1. *de Indulg. disput.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 3. *numer.* 21. dum ibidem ait: *Obserua cum Nugno contra Sotum, Prælatum non posse satisfactionem Subdito necessariam applicare alteri; nam Prælatus non videtur posse damnum subdito inferre in Spiritualibus, nisi Subditus consentiat.* Dico, videri contrarium, potest enim conciliari, si intelligatur, & exponatur, loqui in eo sensu, vt nos superiùs, quòd nimirum non possit Prælatus regulariter, & ordinariè, applicare alijs satisfactiones priuatas subditi: non autem absolutè, excludendo etiam casus particulares, vti diximus superiùs, grauis causæ & necessitatis. At *Peyrinus* est omnino & absolutè contrariæ opinionis *de subdito quæst.* 1. §. *vnico, vers. Respondeo probabilius*, etiam in quocunque casu particulari causæ grauis, vnde ibidem dissertè ait: *Probabilius videtur, & rationi conformius, quòd me indigente, nullo casu possit Prælatus contra meam voluntatem, opera mea pro alijs in satisfactionem offerre*. Quod etiam probat: Primò quia opus satisfactorium mihi ipsi necessarium est ad ingressum Vitæ æternæ, adeòque, si ego ipse illo indigeo, nec debeo, nec possum tanto me bono priuare. Secundò, quia charitas incipit à semetipso: *& crudelitas est* (*l.* 2. *Cod. de seru. & aqua*) *vt aqua nata in vno agro, sitiente illo rigeretur alius*. Tertiò, quia quis mihi vnquam dicet, si ego sim alicui debitor centum aureorum, habeamque illos in promptu ad exsoluendum debitum meum, me posse obligari ad donandum eos amico? & si ego retinear clausus in carcere, possimque me inde liberare, iustam exhibendo satisfactionem, possit aliquis me obligare, vt maneam in carcere, eo fine, vt mediante mea pecunia, ac satisfactione, inde liberetur amicus? Quartò, quia pœna peccatis meis debita necessariò vel hîc, vel in Purgatorio exsolui debet; quis autem me poterit obligare, ad sustinendas pœnas illas adeò acerbas, & terribiles, si eas hîc absque graui labore redimere possum? Ita argumentatur *Peyrinus* qui tamen eosdem Subditos exhortatur, vt sint faciles ac prompti ad obediendum Prælatis suis, si quando tale quid eis præciperent: *Faciles tamen* (sunt ipsius verba) *debent esse Subditi in talibus satisfactionibus ad præceptum Prælati concedendis, & applicandis, cùm necessitas præsertim alterius Confratris, vel deuoti alicuius particularis Ordinis id postulare cognouerint, quia tunc acquirunt meritum charitatis, & eleemosynæ.*

Attamen pace *Peyrini* dictum sit; 229
sufficit mihi vltima hæc eius ad subditos admonitio: at verò opinio illius

(Deus

( Deus bone ) nimiùm quàm partialis est respectu Subditorum, eosque nimiùm facit delicatos, charitate parcos, nimisque auaros. Aliter sentit *Nauarrus*, vt supra relatum est, nam *huiusmodi iussio*, inquit, *est ædificatio, non destructio*. Aliter etiam *Miranda* ibidem, *multa*, inquiens, *non possunt fieri regulariter, quæ possunt, & debent fieri in casu particulari, ex causa rationabili in omnibus ferè materijs*. Aliter *Angelicus Doctor in Supplem. quæst. 13. artic. 2. ad 3. quamuis enim*, ait ille, *qui pro alio satisfacit, non etiam pro se satisfacit, quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad vtrumque peccatum; tamen satisfaciendo pro alio, meretur aliquid maius; quàm sit dimissio pœnæ, scilicet vitam æternam*. Imò ipsemet *Peyrinus tom. 2. de Prælato quæst. 3. capit. 6. numer. 4.* ( ad hominem tamen sibi opponens ) ait: *operanti sic ex alia parte, nimirum ex charitate, augetur meritum, quod valet etiam ad remissionem suarum pœnarum*. Præterea omnes *Peyrini* difficultates satis benè enodat *Suarez disput. 55. sect. 5. numer. 8.* vbi sic ait: *Cur enim non poterit præcipere superior id, quod Subditus facere potest sine graui suo nocumento, in vtilitatem alterius, si grauis ratio, seu causa occurrat? & probatur: quia imprimis hinc augetur essentiale meritum, & præmium talis operis tum propter obedientiam, tum propter charitatem, quæ magis relucet sustinendo aliquam temporalem pœnam propter bonum alterius; id autem maioris commodi est ipsi subdito, quàm sit detrimentum in carentia remissionis pœnæ temporalis. Deinde non statim imminet periculum sustinendi hac de causa aliquas pœnas Purgatorij: quia in potestate ipsius est, & alia satisfactoria opera pro se facere, & minuere peccata, quibus illas meretur. Atque hæc ratio non solùm in Prælatis Religionum, sed etiam in Pontifice, vel Episcopo respectu suorum subditorum habere potest locum. In Religiosis autem intercedit specialis ratio, propter quam, & frequentiùs, & ex minori causa hoc fit, nimirum quòd Prælatus Religionis propter Votum Obedientiæ habet speciale ius, & dominium in voluntatem Subditi, & ideò faciliùs potest de operibus eius disponere. Iuuat etiam, quòd Religiosi ratione status, debent pauciora habere delicta, & pluribus satisfactionibus abundare, & ideo faciliùs etiam possunt alijs subuenire. Quia verò hoc dominium talium Prælatorum, non est absolutum, sed quasi paternum, & principaliter in bonum subditorum, ideò non debent hac potestate vti, nimiùm grauando Subditos, sed moderatè, & ex iustis causis*. Hactenus *Suarez*, cui etiam suffragatur *Palaus part. 4. tract. 24. disput. vnica puncto 6. num. 14. in fine*, dum ait: *Vrgente causa graui, præcipua publica, & communi, posse Prælatum præcipere subditis, non solùm vt satisfactiones superabundantes applicent; sed etiam eas, quibus alioquin indigent; mihi putatur, admisso, posse Prælatum applicationem absolutè præcipere: quia detrimentum, quod inde subditis prouenire potest, leuis momenti est, contemnendumque videtur ob publicam necessitatem, præcipuè cùm aliunde facile compensari possit, & sufficienter videatur compensatum merito illius applicationis prouenientis à charitate, pietate, & obedientia*. Quod totum eatenus dictum sit, quatenus clarè constet, quòd Prælatus Regularis, quamuis ( vt supponimus ) non habeat absolutam potestatem dominatiuam, neque dominium absolutum super opera bona particularia, ac priuata propriorum subditorum; cùm hæc ei subiecta non sint, eò quòd à Regula non præcipiantur; potest nihilominùs in casu aliquo particulari disponere iuxta suum beneplacitum de fructu satisfactorio, etiam istorum; non obstante quòd ipsimet Subditi pro seipsis, & propria satisfactione eo indigeant. Dicitur deinde cum limitatione, in casu aliquo particulari etiam de fructu satisfactorio eorundem: de impetratorio enim, siue etiam sit meritum de congruo, præmissum est superiùs, tanquam res certa *numer. 226.* cum *Bordone*, *Peyrino*, & *Tamburino*; quòd licèt Superior, absque consensu subditi, non possit applicare, quæ Religiosus sponte sua facit, quoad actum satisfactorium: possit tamen quoad impetratorium, & meritorium de congruo; imò hoc facere potest quoad omnia opera subditorum; tam communia, scilicet, & quæ præscribuntur à Regula, quàm priuata, & spontanea, quia per hoc, non solùm non præiudicat subditis, sed insuper eos iuuat: *Quoad impetrationem verò* ( dicunt supracitati Authores ) *& actum meritorium, quæcunque bona etiam particulariter facta, Prælatus applica-*

*re potest, quia Subditis non præiudicat.* Ita *Bordonus*, concludit deinde *Tamburinus*: *Vnde ad participandum per modum meriti, non requiritur specialis intentio; nec scientia operantis necessaria est, sed poterit Prælatus, cui voluerit applicare, quia nullum fit præiudicium subdito, imò fit melior conditio operantis ex participantium multitudine: incipientes enim participare, incipiunt etiam de suo proprio alijs communicare.* Itaque modò tantùm restat decidendum de fructu satisfactorio operum bonorum, quę Religiosi faciunt in communi, & secundùm Regulam: an videlicet iste communicetur à Prælatis Regularibus per Litteras Gratiosas; & an hoc etiam præstare valeant, etiamsi Religiosi Subditi pro semetipsis opus illis habeant, quòd est ipsummet Dubium ab initio propositum, ad quod

230 Respondeo affirmatiuè; huic affirmationi suo etiam calculo adstipulatur *Rodriquez* ita definiens: *Bona, quæ fiunt in communitate secundùm eius instituta, aut ex dispositione, & præcepto Prælati, bona dicuntur communia, quamuis ipse Subditus ipsis egeat; & talia bona potest Prælatus inuito Subdito communicare alijs quoad vim satisfactoriam &c.* ita *tom.* 1. *qq. Canon. qu.* 33. *art.* 4. in suo etiam *compend. resol.* 14. *numer.* 4. Tuentur eandem sententiam. *Peyrinus de Prælato quæst.* 3. *cap.* 6. *numer.* 3. *Tamburinus de Iure Abbatum tom.* 2. *disp.* 9. *quæst.* 3. *numer.* 5. *Bordonus resol.* 84. *quæst.* 5. *numer.* 13. *& Gabriel à Sancto Vincentio in Tract. de Sacram. par.* 3. *de Sacram. Pœnitent. disput.* 13. *quæst.* 7. Hæc conclusio deducitur imprimis ab ijs, quæ hactenus præmisimus (quæ quidem maiori aliqua diligentia paulò fusiùs exposita sunt; non tam vt necessaria pro bona intelligentia præsentis Dubij, sucque responsionis, quàm vt maius lumen toti huic Tractatui præferant.) Probatur insuper clarè, quia eiuscemodi opera, quæ fiunt à Religiosis in communi ex præcepto Regulæ, & instituto Religionis, sunt bona Communitatis; supra quæ Abbas, ac Prælatus habet veram potestatem, per decretum etiam *Pelagij Papæ, Tota bonorum Monasterij administratio ad Abbatem pertinet*; & subsunt dominio superioris, cui Subditus *secundùm Regulam*, obligauit seipsum, suam voluntatem, atque opera sua, ad faciendum in communi vnà cum alijs Religiosis; itaque poterit ea Prælatus applicare alijs ad suum beneplacitum, communicando per Litteras Gratiosas eorum fructum satisfactorium, quamuis eo Subditus pro se indigeret; ita pariter concludit *Gabriel à S. Vincentio loc. cit. quæsito* 5. vt sequitur: *Prior respectu suæ Communitatis, & Prouincialis respectu suæ Prouinciæ, & Generalis respectu suæ Religionis, possunt tales satisfactiones, quibus voluerint, applicare.* Loquitur autem hic Author de satisfactione proueniente ab opere bono Communitatis, ac etiamsi Religiosus operans ipsismet indigeret. Porrò hoc facere posse Prelatum (inquit *Tamburinus l.c.*) contradicente etiam ipsomet Subdito, audiantur ipsius verba: *Omnia opera bona, quæ facit Subditus in communi cum alijs Religiosis, siue ex præceptis Regulæ, vel Superioris, potest Prælatus inuito eo, alijs communicare, etiam quoad vim satisfactoriam, cùm super bonis Communitatis habeat Abbas, & Prælatus, potestatem:* quod coincidit cum eo, quod superiùs adduximus ex *Rodrigo*. Pro confirmatione addi potest, quòd Prælati Regulares in suis Litteris Gratiosis communicent procul dubio (vt ex earum formulis constat) opera bona Ordinis: sed non communicant eorū meritum *de condigno*, siue fructum specialissimum; quia hic (vt notum est) est personalis, & incommunicabilis: neque etiam communicant fructum specialem, siue satisfactionis, prouenientem ex operibus bonis particularibus, ac priuatis Religiosorum, vti suppositum, ac præmissum est superiùs; ergo communicant saltem illum qui prouenit ex Operibus communibus, & ex instituto Regulæ, tanquam qui subiectus est vnàcum ipsis operibus dispositioni Prælati; aliàs (excepto fructu impetrationis, quem in ijs conferri à nemine negari potest, siquidem *de fructu qui est per impetrationem, res est certissima*, inquit *Lezzana tom.* 3. *verbo Bona Regularium n.* 5.) quidnam certi per huiusmodi Litteras conferretur?

Respondet *Lugo* apud *Gabrielem à S. Vincentio quæst.* 7. *quæs.* 4. *pag. mihi* 569. per 231
tales litteras contineri, non quidem fructum satisfactionis Religiosorum, quan-

quandoquidem hoc à solis operantibus fieri potest; sed quandam tantùm impetrationem indirectam, in quantum nimirum Deus mouetur *de congruo* per opera bona vnius Iusti, aut plurium, ad benefaciendum illis, qui cum eo maiorem habent coniunctionem, aut vnionem. Addit, prodesse etiam istis, vi illarum litterarum Suffragia, quæ in Communi fiunt per totum ordinem, atque ab omnibus eiusdem membris. *Quid concedant Regularium Prælati* (inquit *Gabriel à S. Vincentio loco cit.*) *quando sæculares admittunt ad communicationem, seu participationem bonorum sui Ordinis, quam concessionem vocant Filiationem? Respondet Lugo, quòd illa Filiatio, seu bonorum communicatio, non transferat Religiosorum satisfactiones, quia hæc nonnisi ab operantibus communicantur, sed quandam confert impetrationem indirectam, quatenus Deus mouetur de congruo, per opera alicuius iusti, vel plurium, ad benefaciendum illis, qui cum illis maiorem habent coniunctionem, vt Filijs, Fratribus, Amicis &c. & sic cùm Sæculares recipiuntur in Fratres, mouetur Deus ad benefaciendum illis, intuitu bonorum operum Religiosorum: Adde (inquit) prodesse suffragia, quæ fiunt in communi pro toto Ordine, & membris eius &c.* Eandem rationem assignat etiam *Pellizzarius in Manuali Regul. tom. 2. tractat. 9. capit. 3. sect. 6. quæst. 4. numer. 234.* cuius hìc verba recenseo: *An Prælati Regulares possint applicare bona opera suorum subditorum personis extraneis, ijsque tribuere litteras talis communicationis? Resp. posse, & quidem eiusmodi fructum non esse quòd ijs satisfactiones suorum subditorum directè, & immediatè applicentur: sed esse præcipuè per modum impetrationis de congruo. Ita Layman lib. 5. tract. 7. capit. 4. numer. 5. & 6. aliique penes ipsum: & quidem quòd satisfactiones Religiosorum Subditorum non applicentur, constat, quia cuiusque hominis etiam Religiosi opera bona, & fructus ipsorum antequam fiant, vel dum fiunt, subiacent particulari dominio ipsius operantis, ideoque non debent censeri bona communia, quæ à Prælato communitatis applicari possint, cui ipse velit, & hoc, non obstante quod dicitur in c. non dicatur 12. quæst. 1. Religiosos non tantùm proprys facultatibus, sed etiam voluntatibus renuntiasse: non enim sensus est, quòd sicut terrenarum substantiarum, ita & suorum actuum desinant esse domini: sed quòd per obedientiæ votum, ita voluntatem propriam imperio Superioris subiecerint, vt cõtra eius iustum imperium, nihil, licitè etiam velle possint.* Eandem responsionem, atque doctrinam inuenio apud *Ruteum de Particip. q. 6. sect. 2.* & quoniam hìc agitur de puncto essentiali præsentis Tractatus, afferam totum, qua latè patet, ipsius textum, certus, id Lectori gratum fore, tantò magis, quando paulò pòst eundem à nobis benè resolutum, atque elucidatum viderit; ait igitur *c. l. Quo sensu illi quibus dantur participationes, dicuntur admitti ad participationem omnium Sacrificiorum, Orationum, Vigiliarum, Peregrinationum, Ieiuniorum, Abstinentiarum, Prædicationum, Disciplinarum, & omnium bonorum operum. Dico primò, cùm quis ad participium bonorum operum Religionis receptus, dicitur fieri particeps omnium bonorum, quæ à singulis totius Religionis Fratribus fiunt; non est sensus, quòd recipiant portionem aliquam fructus respondentis singulis illis bonis operibus, eo modo, quo illi, quibus ex intentione speciali applicantur. Ratio est, quia nullus hoc sensu participat in fructu bonorum operum, nisi per specialem operantis intentionem illi applicetur: constat autem omnia, & singula bona opera non fieri à Religiosis ea intentione, vt omnes admissi ad communionem bonorum operum recipiant portionem aliquam de fructu singulorum. Deinde non reperitur similis participatio in ipsa Communione Sanctorum, quæ est in tota Ecclesia, in qua omnes dicuntur etiam participare in bonis operibus aliorum; ergo neque in hac communione bonorum operũ alicuius Congregationis; nec vllus hactenus hoc modo participationes has interpretatus est.*

*Dico secundò, omnia opera singulorum Fratrum Ordinis, concurrunt obiectiuè ad impetrandum varia dona ijs, qui ad participium bonorum operum recipiuntur, & eatenus dicuntur reddi participes omnium bonorum Ordinis: Deus enim attendens sanctitatem corporis Mystici Religionis, & omnia singulorum membrorum bona opera, eorum intuitu varias benedictiones impertit omnibus; qui speciali charitatis vinculo in vnitatem illius corporis adunantur: inter quos illi, qui recipi dicuntur ad participium bonorũ operum Ordinis; id enim non solùm verum est in communione Sanctorum respectu totius Ecclesiæ, sed etiam in speciali cõmunione bonorum operũ,*

*quæ est in singulis Congregationibus, in quibus, quia omnes componunt speciale aliquod Corpus Mysticum, reperitur etiam mutua singulorum influentia. Vnde qui recipiuntur ad participium bonorum operum Ordinis, duplici titulo participant in singulis bonis operibus illius, sicut & omnes Religiosi; primò, per Communionem Sanctorum tanquam membrum Ecclesiæ. Secundò, per specialem hanc Communionem, velut membrum Religionis. Neque ad hoc requiritur specialis aliqua intentio operantium, sed id ex natura rei oritur, quòd vnum membrum participet suo modo in bonis alterius. Generaliter igitur cùm dicitur inter omnes alicuius Congregationis, sicut & inter omnes Fideles, omnia esse communia; bonum vnius alteri communicari; reperiri societatem spiritualem inter illos &c. Sensus est, bonum vnius, ita ob vnionem charitatis alteri imputari, vt Deus illius intuitu vt obiecto excitante permotus, soleat alteri varia dona largiri, tanquam effectus impetrationis illius boni operis, quod ob dictam vnionem charitatis, suo modo illi pertinere dicitur. Hinc patet, non communicari alijs singula bona opera Religionis quoad effectum meriti, & satisfactionis, sed solùm impetrationis, modo explicato; cùm fructus meriti, & satisfactionis sic respondeat bonis operibus, vt ipsum operantem respiciat, & eius intentionem, & applicationem sequatur, nec alteri, sine eius intentione expressa, vel implicita applicetur.* Hactenus *Ruteus* qui eandem doctrinam repetit sectione subsequenti: & vult absolutè, vt ex recitatis eius verbis apparet, vti etiam *Lugo*, ac *Pellizzarius*, vnà cum alijs ab isto citatis, Prælatos Regulares per Litteras suas Gratiosas aliud non communicare, quàm fructum impetrationis generalis, nec aliud participari ab eo, qui mediantibus eiusmodi Litteris in consortium bonorum spiritualium Ordinis admittitur, quàm communicationem huiusce fructus, qui omninò idem est cum eo, qui habetur per communionem Sanctorum; ad cuius participationem non requiritur intentio, aut applicatio specialis ex parte operantis, vt suprà præmisimus.

232 Sed hæc doctrina, quam nos certè non admittimus, reprobatur insuper apertè vt falsa à citato *Gabriele à S. Vincentio loc. cit.* vbi ait: *Sed hæc doctrina mihi falsa videtur:* reddit etiam rationem, quæ nostræ conclusioni authoritatem adijcit: *nam,* inquit, *Fideles, qui ad bonorum Ordinis admittuntur participationem, non solùm gaudent impetratione illa Augenis, sed etiam fruuntur totius Ordinis satisfactionibus; licèt enim Religiosi vt tales, suas non applicent satisfactiones; applicantur tamen Communes, seu quæ Communitatis actibus correspondent;* Quomodo autem deinde applicentur communes istæ satisfactiones (quandoquidem in hoc cardo totius difficultatis, atque oppositionis aduersariorum vertitur) resoluetur fundamentaliter & adæquatè sequenti Dubio: intereà admittimus hìc cum ipsis, & specialiter cum *Ruteo*, quòd *nullus participet in fructu satisfactionis bonorum operum, absque intentione operantis.* Quod nos adeò rotundè admittimus, vt propterea approbare non possimus, id quod docet idem *Ruteus qu. 5. sect. 1. nu. 9.* Quòd nimirum *si Prælatus præcipiat subdito applicationem quorundam bonorum operum ad satisfaciendum promissioni factæ benefactoribus, qui pro elemosyna temporali, spiritualem rogarunt; sicut & ad satisfaciendum alijs oneribus spiritualibus Religionis, ita tenetur Subditus parere voluntati Prælati, vt si contrà illum alteri applicet, iuxta Prælati intentionem, & applicationem proderunt, non subditi:* non potest, inquam, istud à nobis approbari: imò rationem (quæ Theologica, ac germana est) nobis subministrat contra semetipsum *Ruteus loc. cit. n. 7.* quia nimirum *Valor operis boni* (inquit ille) *quoad applicationem huic, vel illi faciendam, pendet intrinsecè ex intentione operantis, eamque quoad effectum sequitur: nec Superioris applicatio contraria prævalere potest, cùm sit solùm extrinseca; vnde si subditus alicui, contra obedientiam, fructum boni operis applicet, valida erit applicatio. Nec obstat, quòd omnes actus Religiosi ita sint subordinati, vt licèt habeat dominium fructus bonorum operum suorum, ratione illius subordinationis, dominium illud, ita videatur ligari, & restringi, vt non possit non modò licitè, sed nec validè illum alijs applicare contra voluntatem Prælati; eo modo, quo in Religiosis Societatis Iesu post emissa vota simplicia, remanet adhuc dominium rerum temporalium, sic tamen ligatum, & subordinatum Prælato, vt nec licitè; nec validè de illis disponere possint: non obstat, inquam, quia est magna ratio diuersitatis inter illa duo: dominium enim temporale Religiosorum Societatis, est omninò ligatum, sic, vt eorum dispositio*

ab

*ab eis sublata sit, sicut ab ijs, qui votum solemne paupertatis emiserunt, ideòque non est mirum, si non possunt de temporalibus validè disponere, cùm ab eis ea potestas sublata sit: at verò in bonis Spiritualibus, ita Religiosus habet dominium: vt solùm dicatur ligatum, quatenus tenetur obedire Prælato præcipienti applicationem eorum alteri: cùm igitur hæc restrictio solùm sit ad præstandum Prælato obedientiam, non impedit quo minus validè, licèt illicitè, alijs fructus suorum operum applicet contra voluntatem Prælati. Deinde quòd invalidè fiant donationes rerum temporalium contra voluntatem Prælati à subditis habentibus earum dominium, est ratione paupertatis: quod non habet locum in applicatione bonorum operum, quæ tantùm cadunt sub votum obedientiæ:* Ita *Ruteus*, & hoc loco benè, quibus coincidit cum doctrina *Suarezij 3. part. tom. 4. disp. 55. sect. 5. num. 10. in fine.* Vbi ait: *Existimo, quòd licèt subditus nulli applicaret suum opus ex inaduertentia, vel culpabili negligentia, sola intentio Superioris non sufficeret ad applicandum illud; quia non habet potestatem immediatam in illud opus, sed solùm in voluntatem à qua prodit, obligando illam. Vnde quantumuis conetur, nunquam refert opus illud, vt humanum est, ad talem finem, seu effectum. Nec fortaße Soto, vel Corduba aliud senserunt, sed præceptum, aut voluntatem Prælati, quâ vult subditum satisfacere pro alio, vocarunt applicationem.* Concordat pariter cum bona doctrina *Zanardi de Pænit. cap. 21. quæsito* 46. vt sequitur: *An Prælati Religionum possint applicare bona opera suorum subditorum in satisfactionem alicuius? Dico, quòd quando Prælatus applicat bona opera pro benefactoribus amicis, vel consanguineis suorum subditorum. Primò, est opus, vt Prælatus hoc intendat facere; Secundò, vt etiam ille Subditus priuatus intendat hoc exequi, quia si subditus nollet sua opera bona esse impetrationes, vel satisfactiones pro alijs, sed pro seipso, vel pro alio sibi commendato, applicatio Superioris non teneret effectum, quia hæc applicatio est opus internum, quod in vsu non subditur imperio Prælati, etsi quoad directionem subdatur ei. Vnde etiam dato, quòd rectus vsus voluntatis subditi Prælato subdatur, non tamen absolutus vsus; quoniam potest subditus non obedire; sed sicut subditus tunc malè faceret, ita si Prælatus vellet omnes satisfactiones suorum subditorum alijs applicare, onus durissimum suis subditis imponeret.*

Neque verum dicit *Ruteus*, dum superiùs affirmat, quòd *nec vllus hactenus hoc modo participationes has interpretatus est*: 2.
quòd nimirum participatio per Litteras Gratiosas se extendat etiam ad fructum satisfactorium operum bonorum Ordinis; at, qua ratione hoc affirmare potest, cùm contrarium euidenter, ac apertè constet? Nam hoc modo participationes has interpretati sunt *Rodriguez, Tamburinus, Peyrinus, Bordonus, Gabriel à S. Vincentio, & Zanardus* suprà relati, quibus adiungo nostrum *P. Caracciolum in Notis ad constitutiones Theatinas pa. 2. cap. 1. vers. de Nostrorum.* Dum ibidem ait, quòd Prelati Regulares debeant esse potiùs parci, quàm liberales in concedendis Filiationibus, ac participationibus Spiritualibus, redditque duas huius rei rationes: prima est, quia *facilè contemnitur, quòd facilè obtinetur.* Secunda (quæ proximiùs casum nostrum respicit) quia, cùm per illas inter alia tot bona, etiam fructus satisfactionis communicetur, isque sit valoris limitati, vtpote innixus personæ operantis, consequenter, *eò minus ad satisfactionem valet, quò pluribus, ad hunc finem applicatur.* Hoc ipso etiam modo eas interpretatus est noster *P. Quartus in suo Tract. de Iubileo Anni Sancti cap. 1. punct. 3. sub dub. 5.* his verbis: *Si quis scire desideraret, quæ bona, & fructus recipiantur ex Filiatione Spirituali, quam concedunt Prælati Regulares. Respondeo breuiter, quòd tres species bonorum, seu suffragiorum acquirantur. Primum est per viam meriti, quod vocant de congruo, siue impetrationis indirectæ: Deus enim per opera pia totius Religionis, mouetur ad conferendum beneficia, ac fauores omnibus illius membris, nec non & alijs spectantibus ad eandem Religionem, quales sunt, iam dicti Aggregati. Dixi meritum de congruo, quia meritum proprium gratiæ de condigno, alijs communicari non potest. Secundum suffragium, est per viam impetrationis propria & directa, in quantum nimirum opera bona omnium Religiosorum offeruntur Deo tam à Prælatis, quàm à Religiosis priuatis, cum intentione speciali pro ipsorum Benefactoribus, ac prædictis Aggregatis. Tertium suffragium, est satisfactorium, videlicet satisfactiones, ac remissiones pœnarum resultantes ex mortificationibus, pœnitentijs,*

*& aspe-*

*& asperitatibus toleratis ab ipsis Religiosis, maximè superabundantibus*. Eidem interpretationi subscribit etiam *Raynaudus p. 1. Scapularis Partheno-Carmelitici c. 4.* vbi loquens de participatione meritorum Ordinum Religiosorum; quæ communicantur virtute Filiationis Spiritualis per Litteras Gratiosas, postquam tractauerat de participatione meriti *de congruo*, magnaque eius prærogatiua in beneficium Aggregatorum; vbi deinde descendit ad fructum satisfactionis, ait, & quidem satis conuenienter in fauorem nostræ assertionis, ac contra opinionem *Rutei: Nec est prætereundus fructus satisfactorius multorum operum pœnalium, qui est abdicabilis ab operante, & potest in alium transferri. Et quidem iuxta sententiam valde probabilem, satisfactio vnius Iusti pro alio valet de condigno: & acceptatur à Deo ex pacto, adeoque ex Iustitia. Quamuis autem aliud sit satisfactio, aliud sit meritum, tamen hæc satisfactionum applicatio inuoluitur in beneficio participationis meritorum Cœtus Religiosi; quia ea est mens, & potestas concedentium huiusmodi beneficium. Intendunt enim prodesse, quantum possunt ijs; quibus eam gratiam præstant.*

234 Hæc vltima clausula *Raynaudi*, quòd nimirum *Intendant Prælati prodesse quantum possunt; ijs; quibus Filiationis gratiam præstant*: affirmatur quoque à *Corduba de Indulgentijs quæst. 42. punct. 3. dicto 8. in fine*. Ex qua pro maiori corroboratione nostræ responsionis, ac sententiæ tale argumentum deduci potest: Prælati Regulares, distribuendo suis Amicis Filiationes Gratiosas, intendunt absque dubio reddere eos participes per hoc (vt ex earum tenore constat) omnium bonorum spiritualium sui Ordinis, & communicare ipsis quanto magis possunt; aut saltem in tantum, quantum possunt, fructum spiritualem operum bonorum ex præscripto regulæ, ac communium; suorum subditorum: sed possunt certè (vt superiùs probatum est) communicare ipsis fructum satisfactorium; itaque hunc eis communicant; hæc consequentia certa est: quia *Prælati Regulares intendunt prodesse, quantum possunt, ijs, quibus Filiationis gratiam præstant*. Neque dicat hìc *Ruteus* (vti supra) nouam esse hanc consequentiam, atque assertionem: *quia nullus hoc sensu participat in fructu bonorum operum*: imò, *nec vllus hactenus hoc modo participationes has interpretatus est*. Hoc enim oppositum eius assumptum superiùs euidenter reprobatum est, vt falsum. Vt autem clariùs appareat eius falsitas, en & alios Doctores, vltra superius iam relatos, qui ad nostrum modum *Participationes has interpretati sunt*, quorum omnium verba, ex proprijs eorum libris hausta; hìc fideliter adduco: sunt autem *Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 20. punct. 3.* vbi sic habet: *Religiosorum Prælati possunt alijs accommodare bona opera, & satisfactiones suorum subditorum: vtcùm faciunt participes omnium bonorum operum ordinis eos, qui de Ordine sunt benemeriti: Propositio est apud Orthodoxos certissima, eamque asserit D. Thomas in dicta quæst. 26. artic. 1. & confirmat doctè etiam Thomas VValdensis in libr. de Sacramental. tit. 10. cap. 94. & 95. contra VVicleffum; qui eiusmodi communicationes bonorum operum, quæ à Religiosis fiunt, impiè irridebat; sed facile ea communicatio probatur: Nam quæ opera subditorum Religiosorum prodesse possunt alijs, si ea illis speciali intentione, ac voluntate, ad aliorum vtilitatem referant: eadem alijs similiter prodesse possunt, si ad vtilitatem aliorum per voluntatem Superiorum Ordinis referantur. At omnia opera subditorum Religiosorum possunt alijs prodesse ad satisfactionem pro pœna; si per eorum voluntatem ad vtilitatem aliorum referantur, vt patet &c. Ergo etiam si referantur per voluntatem Superiorum Ordinis: Maior propositio probatur, quoniam Religiosi Subditi, voluntates suas, suaque omnia per Obedientiæ Votum subiecerunt Superiorum voluntati: Cùm certè subiectionis ea vis est, vt possint Superiores sua voluntate, non minus quàm ipsi subditi, de rebus omnibus statuere, quæ subsunt subditorum eorundem voluntati*. Noster *Pater Alphonsus de Leone de Iubilæo part. 1. num. 232.* vbi proponens: *An communicatio bonorum Religionis facta à Prælatis Regularibus, veniat appellatione Indulgentiæ plenariæ: Cùm ibi* (ait ipse pro elucidatione sui Dubij) *communicentur satisfactiones, quæ conferunt remissionem pœnarum, non solùm partialiter, sed etiam totaliter aliquando: respondeo non venire, appellatione Indulgentiæ*: assignatque hanc rationem, *quia per dictam communicationem non applicantur satisfactiones alienæ ex*

the-

*thesauro communi Ecclesiæ, sed ex cumulo determinato satisfactionum alicuius Religionis*, Hieronymus Gratianus *tract. de Iubil. Anni Sancti part. 1. cap.* 4. vbi ait: *Pœna temporalis, quam pœnitentia non omninò tollit, tria habet remedia, quibus condonatur, ac pro ea satisfit. Primum sunt opera bona, quæ fideles quotidie faciunt, qualia sunt, Oratio, Ieiunium, Eleemosyna, quæ numerantur inter opera satisfactoria pro pœna. Secundum sunt opera aliena, quæ alij fideles nobis communicant, possunt enim eorum vim satisfactoriam nobis applicare, & in hoc fundantur Litteræ Confraternitatis. Tertium, est indulgentia, &c.* Paucis interiectis iterùm prosequitur, dicens; *Secundum remedium ad tollendam hanc pœnam, est participatio, suffragium, eleemosyna, ac communicatio bonorum operum, quæ fratres nostri homines iusti nobis applicant. Nam sicuti viua membra eiusdem corporis sese inuicem adiuuant, communicando sibi mutuò propriam virtutem, vti nonnunquam videmus, quòd manus sese opponat gladio, recipiatque in se ictum, ac vulnus, tantum vt caput illæsum seruetur. Ita, quia omnes Iusti membra sunt, vt ait Apostolus, eiusdem corporis Mystici: Multi enim vnum corpus sumus in Christo: Vnus Dei seruus ex bona voluntate exsoluit pœnam Purgatorij, quam ille cæteroquin pro semetipso deleret, per flagellationem sibi in hoc mundo inflictam, vt prædicta pœna remittatur alicui suo fratri. Quæ in re ille nihil perdit; quamuis enim alteri participet satisfactionem pœnæ, nihilominus tamen per illam disciplinam sibi inflictam, sibi adauget meritum Gloriæ, ob eleemosynam tali opere factam. Si quis enim dando calicem aquæ frigidæ, aut frustum panis ad leuandam proximo suo famem; non perdet mercedem suam, vt dixit Saluator: quam eleemosynam illius futuram existimabimus, qui satisfactionem suorum bonorum operum exhibet, vt per eam diminuantur, atque exsoluantur tam graues pœnæ Purgatorij pro alio? Dico hoc ex industria, vt nos miseri peccatores non simus desides ac socordes, in rogando, atque supplicando seruis Dei, vt nobis opera sua communicent, & in procuratione Litterarum Gratiosarum, ac Religiosis Ordinibus, atque alijs Confraternitatibus, à quibus fructus iste deriuat. Notandum autem hic est, quòd non solùm quilibet Dei seruus communicare possit satisfactionem suorum bonorum operum fratri suo; sed quòd Superior etiam, qui potestatem habet, & iurisdictionem in illum Iustum, tantundem facere possit. Atque hinc est, quòd Religionum Generales communicent satisfactionem bonorum operum omnium suorum subditorum ijs, quibus concedunt Litteras Confraternitatis.* Gabriel à S. Vincentio *in tract. de Sacram. part. 3. de Sacrament. Pœnitent. disp. 13. quæst.* 7. vltra id, quod ex eo superiùs attulimus, etiam his nobis verbis suffragatur: *Satisfactio*, inquiens, *communis, sub potestate & dispositione Prælati est, quamque idem Prælatus per Filiationes concedere, seu communicare potest*: addit porrò ibidem: *Regularium Prælati dum, vel subditis, vel extraneis concedunt communes satisfactiones, non faciunt Indulgentias, sed simplices largitiones, quia si satisfactionum concessio, quam ex communibus bonis faciunt Regularium Prælati, non esset solùm simplex quædam spiritualis largitio, sed vera, & iuridica absolutio, deberet fieri, per Clauium potestatem; atqui hoc non est, ergo.* Cyprianus à S. Maria superiùs iam citatus *in Thesauro Carmelitarum part. 1. cap.* 20. ita scribit: *Nostri Confratres, omnium meritorum, & bonorum operum spiritualium participes redduntur Ordinis Beatissimæ Virginis è Monte Carmelo. Et præterquam quòd ita sit à Summis Pontificibus declaratum, etiam ab Ordinis nostri Superioribus est volitum &c. & cap.* 21. *Nec dictu facile est, quot gratijs & beneficijs ratione huius communicationis afficiantur, satisfaciunt enim pro pœnis temporalibus, & in Purgatorio luendis de condigno, vt aiunt, sicut ac si ipsimet illa opera bona exercerent. Rursus si Diaboli suggestiones, & tentationes prauæ ingruant, per hanc communicationem impetratur subsidium, quo aduersus tela nequissimi ignea præmuniantur. Si infirmi, si imbecilles, si tepidi, aliorum benefacta eos ita Deo commendant ratione huius communicationis, vt in viros perfectos, & Sanctos sæpissimè euadant: licèt verum sit, quòd hoc non sequatur infallibiliter, vel ob aliquam rationem Diuinæ Prouidentiæ, vel propter obstinationem alterius, cui meritum hoc applicatur.* Denique *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea part. 3. cap. 5. sub numer. 206. pag.* 294. hanc ipsam materiam tractans, ita loquitur: *Communicant Confratres nostri in operibus satisfactorys nostrorum Religiosorum communibus totius Ordinis: licèt enim Religiosi particulares vt tales,*

*tales, ſuas non applicent ſatisfactiones, applicantur tamen communes, ſeu quæ Communitatis actibus correſpondent. Quòd autem dentur hæ communes ſatisfactiones, quæ Ordinis Aggregatis, & Benefactoribus à Prælatis applicari, & communicari valent, docet Pater Gabriel à S. Vincentio par. 3. de Sacram. Pænit. diſput. 11. qu. 6. & diſp. 13. qu. 7. vbi etiam citat Lezanam tom. 3. qq. Regularium. Verbo: Bona, & V. Indulgentia. Idem docet Peyrinus loc. cit. num. 3.* his verbis: *Similiter bona quæ facit in communi, vt Diſciplinas, Ieiunia, Orationes, & huiuſmodi, quæ in communitate facit cum alijs Religioſis ſimul, ſeu per ſe ex ſtatuto Regulæ aut Conſtitutionum, aut ex Præcepto Prælati, cùm hæc bona ſint communia Religioni, quamuis Subditus eis egeat, poteſt Prælatus eo inuito, & inſcio, alijs ſpecialiter communicare; etiam quoad vim ſatisfactoriam, quia ſuper bonis Communitatis videtur Prælatus habere plenariam poteſtatem, &c.*

Quid ad hæc *Ruteus?* dicat iam, ſi poteſt, quòd *nullus hoc modo participationes has interpretatus eſt:* Quandoquidem (vt euidenter conſtat) tot ante ipſum, tot etiam eius coætanei, ac tot poſt ipſum, *hoc ipſo modo participationes has interpretati ſunt*.

Verum quidem eſt, quòd non omnes citati Authores interpretentur Participationes Gratioſas adeò amplè, vti nos ſuperiùs in noſtra reſponſione, quòd nimirum à Prælatis Regularibus communicetur per illas, fructus ſatisfactorius operum bonorum communium ſubditorum, etiamſi hi tali fructu pro ſemetipſis indigerent: interpretantur ſiquidem aliqui ex ipſis, imò potior eorum pars, communicari ſolùm fructum ſuperabundantem ſatisfactorium prædictorum bonorum operum, factorum ex inſtituto Regulæ, illum nimirum, qui particulariter non applicatus, deuolueretur ad Theſaurum S. Eccleſię, atque in eo reponeretur; & hunc ſolum fructum participari vi illarum, non autem eum, quo Religioſi ſubditi pro ſe opus habent, ita eas inter alios interpretantur *Valentia punct. 3. cit. verſ. Ac notat:* dum ibidem ait: *Omnia, quæ ſunt ſubditorum, ſunt, vt antè diximus, per votum Obedientiæ ſubdita Superiorum voluntati: & quemadmodum non eſt contra charitatem, vt quis propria ſua intentione accommodet alteri, ex graui cauſa, ſatisfactionem ſuam, qua fortaſſis ipſemet indiget, ita neque vt voluntate Superiorum eiuſmodi applicatio fiat. Communiter tamen, ſolùm ſatisfactiones, quæ ſubditis ſuperſunt, per Superiores Ordinum alijs communicari exiſtimandum eſt.* Et *Andreas Mendus in Epitome Opinionum Moralium, verbo participatio num. 2. pag. mihi* 518. ita ſcribens: *Quamuis abſolutè poſſit Prælatus diſponere mediatè de ſatisfactionibus adhuc neceſſarijs operanti, vtpote præſtitis ab eo, qui voluntatem propriam non habet, ſed per obedientiam in Superiore collocatam; at id nunquam præſtatur, vtpote æquitati minus conforme: & forſan præceptum iniunctum ſubdito, quòd applicet alij ſatisfactiones ſibi neceſſarias, iniuſtum iudicabitur; nec etenim videtur, id iuſtè poſſe præcipi.* Quamuis etiam iuuet, in opinione dicti *Valentiæ*, & quotquot (nimirum timidi ac tenaces) eamdem ſuſtinent interpretationem (quorum magna eſt multitudo, inter quos etiam *Nauarrus Miſcell. 11. de Roſar. num. 9.*) id quod ſuggerit *Suarez in 3. part. tom. 4. diſp. 55. ſect. 5. num.* 8. quòd videlicet Religioſi ratione ſui ſtatus, pauciora habeant peccata, abundentque maioribus ſatisfactionibus: *Iuuat, quòd Religioſi ratione ſtatus, debent habere pauciora delicta, & pluribus ſatisfactionibus abundare, & ideò faciliùs etiam poſſunt alijs ſubuenire.* Quod conuenienter dicitur, ac verum eſt: at verum etiam eſſe, aſſero ego, quòd nimio timore, ſcrupulo, ac tenacitate, hac interpretatione fructus ſatisfactorius Participationum Gratioſarum limitetur, ac reſtringatur. Vnde ego ipſe, ad Dei Gloriam, ſpiritu magis generoſo, ac nequaquam parco, abſque timore aut ſcrupulo eas amplè, largeq; interpretor, atque defendo iuxta reſponſionem noſtram ſuperiùs datam, quòd ſicuti Prælati Regulares in earum conceſſione *intendunt prodeſſe, quantum poſſunt ijs, quibus gratiam præſtant;* ita conſequenter communicent per illas non tantùm fructum ſatisfactorium ſuperabundantem ſubditorum, prouenientem à præfatis operibus ex inſtituto Regulæ factis; ſed etiam illum, quo ipſimet ad exſolutionem propriarum culparum opus haberent. Proinde, quando non

con-

constat (in casu aliquo particulari) de intentione contraria Prælati, *communiter loquendo, existimandum est* (dico ego) *per Superiores Ordinum, alijs communicari per Filiationis Gratiam, non solùm satisfactiones, quæ subditis supersunt, sed etiam quibus ipsimet egent.* Hæc autem generosa interpretatio, quemadmodum Gratiosas nostras Filiationes Spirituales excellentiores reddit, atque desiderabiliores, ita non debet causare scrupulum, aut formidinem vllam apud Subditos Religiosos, dum cernunt ab eorum Superioribus alijs destinari, atque applicari proprias satisfactiones, quibus ipsimet egent; iste enim timor reuera vanus est, inquit *Elias à S. Teresia in legatione Ecclesiæ Triumphantis ad Militantem tom. 1. lib. 2. cap. 40. nu. 8.* agens de hoc eodem casu nostro, ac de ijs, qui timent priuare sese proprijs satisfactionibus (quibus suas pœnas delere possent) ac donare eas alijs, specialiter Animabus in Purgatorio: *fortassis* (ait ipse) *scrupulum cuipiam mouere posset & timorem incutere, ne si mortuis quis, impetrationes, & satisfactiones suas transcribat, eas sibimet subtrahat, ideoque dum mori eum contigerit, meritis & bonis operibus planè nudus reperiatur, adeoque grauiores in Purgatorio pœnas luere oporteat. Verùm enim verò vana est hæc formido.* Huius ego formidinis, nimiumque scrupulosi timoris vanitatem modò demonstrabo, in confirmationem assertionis nostræ, atq; ad consolationem tam eorum, qui ad consequendum iam dictum fructum Religionibus aggregantur, quàm etiam ipsorummet Religiosorum, qui illum per opera sua ex instituto Regulæ facta subministrant.

136 Vt igitur ipsi hoc constanter, & absq; hæsitatione faciant, atque etiam Prælati pariter hunc fructum communicent (vti reuerà possunt) in Litteris suis Gratiosis absque scrupulo præiudicandi per hoc proprijs subditis, imò certi, quòd eos potiùs adiuuent: sit primus lapis fundamentalis, ipsum singularissimum beneficium, quod præstant Prælati suis subditis, dum eos priuant prædictis satisfactionibus, quibus etiam ipsi egent, ad hoc, vt eas applicent generosa quadam, ac summa charitate alterius spirituali commodo, atque emolumento: de quo singulari beneficio loquens, iuxta suum propositum, supracitatus *Elias à S. Teresia*, reddensque sui asserti rationem, format hoc solidum, argumentum; ita *loc. cit.* discurrens: *Etsi enim sua sodalibus communicauerit, suum commodum augeri deprehendet.* Quod ego probo in assumpti nostri demonstrationem: Primò, quia est doctrina certa, quòd quis applicando propriam satisfactionem alteri, adaugeat sibi meritum Gloriæ, & vitæ æternæ, quod multò plus est, quàm persoluere proprias pœnas, & hoc docet *Angelicus Doctor in supplem. quæst. 13. artic. 2. ad 3.* sequentibus verbis: *Qui pro alio satisfacit, non etiam pro se satisfacit, quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad vtrumque peccatum: tamen satisfaciendo pro alio, sibi meretur aliquid maius, quàm sit dimissio pœnæ, scilicet vitam æternam.* Idem affirmat *Rodriquez Tom. 1. qq. Reg. quæst. 33. art. 2. in fine*: dum ibidem ait: *Licèt per applicationem bonorum operum, subditis aliquid minuatur de ipsis bonis, in quantum satisfactoria sunt: ratione meriti aliquid ipsis augetur.* Præterea *Peyrinus Tom. 2. de Prælato quæst. 3. cap. 6. num. 4.* vbi hæc habet: *Per Participationem satisfactoriam quo plures sunt participantes, eò plus minuitur satisfactio singulorum, saltem si satisfactio proueniat ex opere operantis: cùm talis virtus satisfactoria ex opere operantis sit finita, vtpote, quæ nititur perfectione operum, quæ mediante gratia Dei, ab humana fiant creatura. Certum est autem, quòd quo plures partes de quantitate finita fiunt, illæ minores euadunt. Operanti verò sic ex alia parte, nimirum ex charitate, augetur meritum. Hinc augetur essentiale meritum, & præmium talis operis* (infert *Suarez disp. 55. sect. 5. numer. 8.*) *tum propter obedientiam, tum propter charitatem, quæ magis relucet sustinendo aliquam temporalem pœnam propter bonum alterius: id autem maioris commodi est* (nota) *ipsi subdito quàm sit detrimentum in carentia remissionis pœnæ temporalis.* Istud commodum igitur, siue augmentum meriti est prima, atque præclarissima vtilitas, quam reportant Subditi Religiosi in remunerationem, ac præmium præfatarum satisfactionum à suis Prælatis applicatarum in Litteris Gratiosis; quæ applicatio facit, *vt satisfactio in meritum transeat*, inquit *Ioannes Eusebius, de modo bene exponendi opera bona*,

*bona*, loquens de ijs, qui priuantes semetipsos satisfactionibus, eas ex speciali charitate, vt casus noster habet, transcribunt alijs, maximè Animabus in Purgatorio: affirmat quoque hunc esse actum summæ virtutis, cui proinde correspondet augmentum summi meriti, hancq; esse primam vtilitatem, quæ secum affert bonum absque comparatione maius, quàm sit ipsa exsolutio, siue remissio pœnæ peccatis proprijs debitæ: en propria illius verba, recitata ab *Elia à S. Theresia cap. 40. cit. num. 11.* quæ singulariter casui nostro quadrant; *Prima ergo vtilitas* (inquit) *est immensum meritorum augmentum, quod inibi reperire licet: è tribus enim, quæ iustorum bona opera secum vehunt (quæ sunt meritum, impetratio, & satisfactio) præcipuum omnium est meritum, per quod nos Deo reddimur acceptiores, & amiciores, maiorem accipientes gratiam, & nouum ad ampliorem gloriam ius acquirentes. Nec est dubium, quin si quis satisfactionem in nouum opus bonum conuertere possit, hoc est si efficere possit, vt ex parte satisfactionis, maius ei accederet meritum præter id, quod ex sua natura habebat ipsum opus bonum, hoc facere conueniat. Ratio est, quia sicut Beatorum Gloria, sine comparatione maius bonum est, quàm malum pœna Purgatorij, ita etiam amplius quid est, ius, & actionem habere ad maiorem possidendam Gloriam, quod non excusat, quò minus quis pœnas illas sustinere debeat. Ille igitur, qui satisfactionem suam pro Animabus Purgatorij offert, facit vt satisfactio in meritum transeat: illa enim charitas summa virtutis, actus est heroicus, per quem cum satisfactione acquiret gloriam æternam (quæ ad hoc ei nihil profutura erat) conuertens illud per quod satisfacere debebat, in magnum suum meritum, & simul aliorum commodum. Quod vtique magni æstimari debet; præterquam enim, quòd Gloria maius bonum sit, quàm malum pœna Purgatorij, aduertendum est, vtilitatem, & augmentum Gloriæ æternum esse: pœnam verò Purgatorij solummodo temporalem: vbi magna intercedit differentia, & distantia infinita; & ad perfruendum bonis sempiternis, etiamsi vltimi gradus fuerint, maxima incommoda temporalia perferenda erant.* Quibus certè melius probari non posset assumptum nostrum. Quamuis autem videatur hic deuotus Author loqui de suffragio Animabus in Purgatorio impenso, nihilominus eius doctrina (vti clarè apparet) se extendit ad omnes illos, qui charitatiuè (prout in casu nostro) satisfaciunt pro alienis culpis, posthabita solutione propriarum. Præterquam, quòd satisfactiones prouenientes à Gratiosis Regularibus, se quoque extendant ad subueniendum Personis secum Ordini Aggregatis, etiam post mortem, existentibus earum Animabus in Purgatorio (vti probabimus in alio Capitulo) licèt in ipsis Gratiosis de tali suffragio nulla penitùs fieret mentio, ita pariter sentit citatus *Elias à S. Theresia in cap. cit. 40. n. 3. in fine:* vbi loquens de Litteris Gratiosis, ait: *Tametsi non fiat* (in ipsis) *expressa mentio participationis meritorum, seu satisfactionum post mortem, ea tamen certè subintelliguntur.*

Prosequitur idem Author (*Ioannes Eusebius*) suum argumentum; & quia per illud magis ac magis suam nostramque assertionem confirmat, non graue accidat Lectori, si oculis illius subijciamus ipsummet eius textum, à quo tantopere stabilitur, maximè cùm tam facile opus illius ad manum non habebit: prosequitur ergo hoc modo: *Accedit; quod in quibuscumque actionibus nostris, id desiderare, & intendere debeamus, quod oculis Dei est acceptius, nullum aliud commodum pro nobis proponentes, vel vtilitatem, quàm beneplacitum Dei. Et potius est Deo placere, quàm pati desinere. Qui verò satisfactionem suam sibi reseruat; vt pati desinat, intendit; qui verò eam pro Sanctis illis animabus offert, Diuinæ Maiestati est acceptior, actum quippe facit magnæ charitatis, & misericordiæ. Imitatur in hoc S. Paulum, aliosque Sanctos, qui ex charitate, qua erga fratres suos flagrabant, anathema à Deo pro eis esse cupiebant; hoc est desiderabant, vt minimùm temporaliter, à fruitione Dei separari. Idem etiam facit, qui ex amore Christi Iesu, vt Fratres sui, & dilectæ Spiritus Sancti Sponsa citiùs eo perfruantur, semetipsum exposuit dilationi propriæ suæ Gloriæ, & Visionis Beatificæ; idque nedum in quiete, & otio, sed adhuc insuper pœnas illas sufferens, quas illæ perferre debebant, eo fine, vt quanto vsus conditorem suum glorificent: quod vtique actus est admodum generosus cùm non solùm interim æternis se gaudijs priuet, sed etiam ad tantorum tormentorum sufferentiam se quasi prostituat. Si enim res foret eximiæ charitatis panem ori proprio subtrahere, vt indigenti detur: vel vestibus se exuere, vt nudus* 237

pau-

*propter eis induatur; quid putas, vbi sit, sanctis se tormentis exponere, ne ea patiatur Filia Dei, & Sponsa Christi? Charitatis specimen est vitam pro fratribus ponere: quid erit plus quàm vitam exponere? dubio namque procul amplius est, pati in Purgatorio, quàm tolerare mortem, & adhuc amplius differre æternum illud quod sperat gaudium. Et si pro haustu aquæ ex charitate datæ, promittitur æterna gloria, quid promerebitur, qui tanto præstantiorem elargitus fuerit eleemosynam? expendatur quæso quod tantopere à Sacra commendetur Scriptura, & quòd tantis encomijs deprædicetur eleemosyna corpori exhibita: amplioribus enim laudibus digna erit hæc, quæ animabus præstatur eleemosyna. Et si qui eleemosinam facit ex bonis proprio labore, & sudore partis, plus meretur, quàm qui eam facit ex bonis hæreditate acquisitis, aut quæ nullo labore aduenerunt: quanto merebitur amplius, qui bona tribuit ampliora, & quæ multo sudore, labore, & sanguine steterunt; multis scilicet pœnitentijs, vigilijs, afflictionibus, ieiunijs, & mortificationibus exantlatis!* Hucusque hic Author, & quidem excellenter, nam melius certè (vti constat) probare non posset beneficium essentiale, quod Religiosis Subditis resultat ex eo quod ab eorum Prælatis per Litteras Gratiosas alijs applicetur fructus satisfactorius etiã ipsis Religiosis necessarius ad delendum proprias pęnas. Quod totum etiam præclarè confirmat *Hyeronimus Gratianus Tr. de Iubil. Anni Sancti p. 1. c. 4.* vbi differit de hoc ipso fructu satisfactorio, qui à Prælatis Regularibus communicatur vi Gratiosarum, ipsosque adhortatur: (*vt non sint parci in illis concedendis, quia si elargiuntur eleemosynam satisfactionis, recipiunt ipsi maius præmium gloriæ, faciuntque vnum de maioribus, & Deo gratioribus misericordiæ operibus, ac fieri potest. Si enim aliquis Dei seruus exsoluit pœnam Purgatorij, quam ille cætero quin pro semetipso deleret per disciplinam sibi in hoc mundo inflictam, vt prædicta pœna remittatur alicui suo fratri, ipse nihil omninò perdit; quamuis enim alteri participet satisfactionem pœnæ, nihilominus tamen per illam disciplinam sibi inflictam sibi adauget meritum Gloriæ, ob eleemosynam tali opere factam. Si enim dando quis calicem aquæ frigidæ, aut frustum panis, ad leuandam proximo suo famem, non perdet mercedem suam, vt dixit Saluator; quam eleemosynam illius fore existimabimus, qui satisfactionem suorum honorum operum exhibet, vt per eam diminuatur, atque exsoluantur tam graues pœnæ Purgatorij pro alios?*) & hoc pro prima probatione sufficiat.

Secundò, probatur vlteriùs nostrum 238
assumptum; quia non solùm augetur Religiosis meritum essentiale gratiæ & Gloriæ, in prœmium præfati fructus satisfactionis, quem ipsi communicant vi Litterarum Gratiosarum à suis Prælatis concessarum: sed neque remanent ipsimet per tale charitatiuum opus omnino destituti omni remissione proprij reatus pęnæ, vt docet *Paulus ab Omnibus Sanctis*, his verbis: *Carentia reatus, ad quam per suam satisfactionem sibi seruatam posset pertingere, non est bonum aliquod, quo homo in æternum fraudandus sit: imò quantum ipsi videtur decedere communicando alteri pretium, quo posset à se amoliri illud debitum, tantum sibi proficit quoad meritum gratiæ, & gloriæ, quod est longè pretiosius, & non præterea omittit sibi prospicere, cùm sic operando consulet commodis suis in alio genere, & quidem pretiosiore: Quid quod non se prorsus spoliat fructu illo tollendi reatum? Nam volitio reflexa, qua vult operationem suam alteri prodesse, est meritoria alicuius remissionis pœnæ; proindeque homo in alium transfundens suam satisfactionem, non se prorsus spoliat fructu abstersionis reatus*, sic ille *in Claui aurea par. 3. capit. 21 sub numer. 191. vers. Quod verò.* Idipsum asserit *Peyrinus tom. 2. de Prælato quæst. 3. cap. 6. num. 4.* confirmatque particulari quodam exemplo: cuius verba hæc sunt: *Operanti verò sic* (hoc est satisfaciendi pro alijs, absque respectu ad remissionem propriæ pęnæ) *ex alia parte, nimirum ex charitate, augetur meritum, quod valet etiam ad remissionem suarum pœnarum. Vnde de quadam sancta fœmina* (sequitur exemplum) *quæ omnia opera sua satisfactoria pro peccatis aliorum offerebat, legitur, quòd in fine vitæ audiuerit, charitas tua purgauit peccata tua, & sic rectà in Paradisum introibis.* Et de *S. Gertrude*, scribit etiam *Dionysius Carthusianus in vita S. Gertr. l. 4. c. 39. lib. 5. c. 2.* vt refert *Ioan. Bapt. Manni Discursu 29. de Purgatorion.* eam adeò fuisse propensam ad benefaciendũ Animabus in Purgatorio detentis, tamq; tenero eis compassam esse affectu, vt summa charitate, sui ipsius in hoc totaliter oblita; omnes suas satisfactiones in adiutorium, subleuamen, ac liberationem earundem Deo obtulerit: Hæc autem tam generosa charitas, non

solùm accepta erat Christo Domino, ab eoque approbata, verùm etiam eidem demandata. Porrò cùm Sanctæ huic Christi Sponsæ vicina Virginalis sui Tabernaculi immineret depositio, niteretur que infernalis inimicus sanctam eius animi tranquillitatem conturbare, anxia hac immissa suggestione, quòd cùm iamiam in fine vitæ, atque in æternitatis limine esset constituta, tamen pro culpis suis adhuc nullam Deo exhibuisset satisfactionem, quandoquidè ea omni sese priuauerit, & Animabus in Purgatorio degentibus donauerit. Has tamen inter angustias Diuinus illius Sponsus eam consolatus est, dixitque: eijce, Filia, omnem ex corde tuo timorem: gratissima mihi extitit tuarum satisfactionum in subsidium Animarum oblatio, quare in eiusdem recompensationem, aperio manus misericordiæ meæ, tibique confirmo antiquæ meæ promissa, reddendi centum pro vno; neque solùm tibi remitto omnem pœnam, cuius posses esse debitrix, verùm etiam tibi adaugebo gradus Cœlestis Beatitudinis; imò ad plenam tuam consolationem, faciam, vt omnes illæ Animæ, quas tuis bonis operibus è Purgatorio liberasti, in hora mortis tibi assistant, teque in Paradisum comitentur. Exempla hæc animata sunt nostræ conclusionis, huiusque argumenti: quòd porro animatur vlteriùs ab eo, quod recenset *D. Parfazola Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Veronensis in suo libro, cui Titulus: Tuba Prædicatorum cap. 5. fol. 18.* vbi narrat, (*confessum fuisse cuidam Sancto Patri hominem aliquem moribundum, ac simul grauem peccatorem, qui magno timore, ac mæstitia oppressus iacebat ob scelerum suorum grauitatem; ac penè iam desperans, eò quòd tempus agendi pœnitentiam ei omninò deficeret: dixit illi Sanctus ad confirmandum eius animum: fili, ego per tot annos pœnitentiam egissem, ac ego quamuis haberes confidentiam in Domino, respondit ægrotus: Pergo igitur lætus ad alterum mundum, subiunxit Sanctus Pater, en ego tibi dono omnia mea merita, & omnia mea opera pœnitentiæ, quæ accipiens moribundus, magna cum consolatione defunctus est. Regressus autem hunc senem ad suã Cellam, cogitansque, quod se spoliauerit fructu tantorum laborum, ac pœnitentiarum: dum hac cogitatione multùm affligebatur, ac tristis esset; apparuit ei gloriosa illius anima, cui omnia sua donauerat merita, ipsique gratias egit pro tanto dono, virtute cuius ipsa modò pergeret ad gaudia Paradisi, quibus dictis consolatus vir ille Sanctus, nihilominus tamen non diu esse solicitus de se, atque anxietate premi; interrogauit proinde animam illam, quid de se fieret, qui se priuasset thesauris suis spiritualibus; responsumque illi est, quòd non solùm illas non amisisset, sed quòd insuper ei duplicata fuerint, ob excellentissimum illum actum charitatis, quem exercuerat.*) Iam tantundem dico ego illis Religiosis, qui superuacaneo scrupulo, timore, ac tenacitate spirituali, formidarent remanere expertes remissionis pœnæ, proprijs peccatis debitæ, & fructus satisfactorij, quo ipsimet indigent; eò quòd hic applicentur alij ab eorum Prælatis per Litteras Gratiosas: non remanent, inquam, expertes, cùm hoc infinita Misericordia ac liberalitas Dei admittere nolit. Neq; ego solus hoc assero, audiant etiam sententiam aliorum, eorumque probationes, quas sub ipsismet præcisis eorum, atque intemeratis verbis huc transtuli, vt maiori polleant authoritate, atque energia; doctusque Lector eò lubentiùs eas amplectatur, quas ego proposito nostro admodùm conuenientes existimo. *An putas* (inquit *Elias à S. Teresia in Legatione Ecclesiæ Triumphantis ad Militantem tom. 1. lib. 2. cap. 40. num. 8.*) *Deum permissurum, vt hæc charitas heroica, & in summo dilectionis gradu constituta, tibi cedat in tormentum? Non sanè id Diuina Maiestas patietur, prout abundè apparet ex libris S. Gertrudis de Saxonia lib. 5. Insinuationum cap. 11.* vbi sic legitur; (relatum etiam sub ijsdem verbis; à *Ioanne Landspergio in vita eiusdem S. Gertrudis l. 5. c. 11. in fine.*) *Alia die, cùm ista Gertrudis recoleret, quòd omne meritò, quod lucrari posset per Dei Misericordiam in exercitatione bonorum, se omnino abdicasset in meritum defunctorum, moribunda dixit ad Dominum: Spero, Domine, quòd amans Misericordia tua frequentiùs respiciet me nudam, & egenam. Ad quod Dominus: quid illi, qui se ex charitate nudatus est, facere possum, quàm vt proprio vellere illum tegens, cum ipso instantiùs operer, vt eò celeriùs recuperet erogata per charitatem! Tunc illa, quamuis tu inquit, mecum opereris, tamen oportet me nudam ad te venire, quia tam adipiscendis, quàm*

*adeptis renuntiaui. Ad quod Dominus; Cùm Mater vestitas filias secus pedes suos sinit sedere, nudum paruulum in gremio proprijs vestibus fouens circumplectitur vlnis. Et adiunxit; Et quid tunc minus sedens ad abyssum maris, quàm alij qui ad exitus riuulorum? Ad riuulorum exitus sedet, qui proprijs operibus aliqualiter inhæret; sed qui ex charitate, & humilitate, omnia à se abdicat, habet Deum, qui totius Beatitudinis est abyssus. Alia ex ijsdem D. Gertrudis Insinuationibus habemus similia, sed ea locis alijs referenda sunt. Vnum hic exemplum adiungemus, quod refertur in vitis Fratrum Prædicatorum, ex quo ad oculum pateat nihilominus ei discedere qui merita sua, siue satisfactiones in alium transfert: est hoc sanè in materia præsenti eximium, & ibidem refertur in hæc verba: (In Anglia Rector cuiusdam Ecclesiæ peccaminosus, & vitiosus, infirmatus grauiter, timore mortis habitum Fratrum Prædicatorum suscepit, & cùm aliquantulum conualuisset, reiecit. Et cùm se multis exposuisset criminibus, à pio Patre correctus est huiusmodi visione. Videbatur enim sibi sopito in quadam hora matutinali, quòd videret Christum in aere Sedere ad iudicandum, & omnia peccata sua super caput suum esse descripta, & infernum subter hiantem ad recipiendum. Cumque territus ad Christum respiciens clamaret, faciem eius vidit terribilem, & sibi plus intolerabilem, quàm ipsum infernum. Post hæc apparuit ei quidam in habitu Fratris Prædicatoris dicens Christo: Domine quid vis de isto? Et Dominus; Vt soluat pretium pro peccatis, aut in infernū cadat. Euigilans ergo, & hæc secū reuoluens peccata sua cum multis lachrymis confessus est Fratri Martino Lectori Fratrum de Noreataria, & habitum cum multa deuotione resumpsit, & post mensem iterum infirmatus est. (Diligenter notet Lector, quod subiungitur) Frater autem Martinus Confessor eius, cùm videret eum morti propinquum turbari propter peccata sua, dixit: Noli timere charissime, sed audacter de Misericordia Dei præsume: & ego quidquid boni in ordine feci, tibi do, dummodo firmiter speres. Et infirmus hæc audiens, confortatus, gratias egit, & perceptis Sacramentis cum multa compunctione migrauit. Post eius obitum videbat dictus Frater Martinus visionem, quòd dictus Rector sordidissimis vestibus spoliabatur, & candidissimis vestiebatur. Et rogauit eum Frater Martinus, vt vestes sibi consimiles impetraret à Christo. Tunc respondebat defunctus: Charissime Pater, istæ sufficiunt mihi, & tibi. Hoc autem dixit, quia sibi concesserat bona sua, quæ data non minuuntur, sed magis accrescunt) sic ibi. Et sanè vt ostendatur, quàm & inconsideratè faciant, qui in meritis satisfactionibusque suis in alios deriuandis, vel parci sunt, vel auari.* Hactenus præfatus *Elias à S. Theresia*, qui præclarè, vt manifestè apparet, concludit argumentum nostrum, atque assertionem, vt certè addi amplius nihil possit: quare

Tertiò denique id probatur alio mo- 239
tiuo, quòd nimirum Religiosi, & ij, qui ab eorum Prælatis recipiuntur per Litteras Gratiosas ad consortium operum bonorum communium Ordinis, fiat mutua, ac reciproca communicatio: *Cùm quis accipitur ad participium bonorum operum Ordinis* (inquit *Ruteus de Participat. quæst. 6. sect. 4. numer. 12. in princip.*) *ita participat in aliorum bonis operibus, vt alij etiam in ipsius; communicatio enim mutua est, nam vt inquit Adrianus quodlib. 8. artic. 3. qui incipit participare, incipit communicare. Vnde rectè Anselmus libr. 1. Epist. 36. quæ est ad Frodelinam, sic ait: Mitto vobis Litteras meas per confidentiam mutuæ dilectionis; & quidem Domina charissima, ego scio in me nihil, vel minimum aliquid esse, quod dignum sit ad augmentum vestræ sanctitatis exspectari; quoniam tamen vestris maioribus bonis desidero participare, nescio qua fronte possim vobis participationem meorum bonorum, qualiacunque sint, cùm eam desideretis, negare.* Ratio huius mutuæ ac reciprocæ communicationis clara est, quia nimirum, sicut Generalis communio Sanctorum, quæ inter omnes Ecclesiæ Fideles est, comparatur contractui Societatis 1. *Io. 1. Vt & vos Societatem habeatis nobiscum*; ita pariter magis speciali, atque strictiori contractui Societatis Spiritualis assimilatur particularis communicatio Religionum, quæ & ipsæ vnum Corpus Mysticum inter membra constituunt, quibus per talem Societatem bona Spiritualia redduntur communia; in eam etiam Societatem annumerantur illi, qui vi Litterarum Gratiosarum ad consortium bonorum Spiritualium Ordinis recepti

sunt, non solùm vt de his participent, verùm etiam vt & de proprijs communicent alijs, inquit *Ruteus loc. cit.* cuius hæc sunt verba: *Communio Sanctorum, quæ est inter fideles, assimilatur contractui societatis 1. Ioann. 1. Et et vos societatem habeatis nobiscum. Quod etiam docet Palud. in 4. d. 45. qu. 1. art. 1. cùm ait: (Vna est omnium fidelium Vniuersalis Ecclesia charitate coniuncta, quæ est societas, & amicitia spiritualis: vnde sicut quando est contracta Societas omnium bonorum inter aliquos, quidquid vnus lucratur, omnibus est commune; sic & hic spiritualiter.) Eodem etiam modo reperitur specialis quædam societas spiritualis in Ordinibus Religiosis, qui subalternum quoddam Corpus Mysticum constituunt, inter cuius membra ob illam societatem, omnia suo modo sunt communia; in quam societatem, veniunt etiam illi, qui ad consortium bonorum spiritualium recepti sunt, non solùm vt de alijs participent, sed etiam, vt de suo communicent.* Hactenus *Ruteus*, & ante ipsum præter *Paludanum* ab eo citatum etiam *Hieronymus Plattus de bono status Relig. lib. 1. cap. 29. versu, Eadem igitur ratione, in fine*. Sequentibus verbis: *Quemadmodum in bene morata domo, quidquid frater acquirit non sibi soli, sed omnibus fratribus acquirit: vt in mercatura, si qui societatem inierunt, eorum lucrum in commune cadit, & si quæ fiat rei accessio, ea omnes æqualiter augentur, ita & multò magis inter eos socios, & inter eos fratres, qui spirituali nexu colligantur hi quæstus, ad omnium quæstum pertinebunt*. Concludit autem paulò ante, *versu: Atque hoc ipsum, in fine: Cùm enim suos quisque labores in communi exponit, vnius hominis exponit, vicissim autem tot hominum laboribus fruitur, quot sunt in eadem Religione*. Si ergo talis mutua societas, ac reciproca communicatio bonorum spiritualium interuenit inter Religiosos, & non solùm inter semetipsos, sed etiam eos, qui per Litteras Gratiosas admissi sunt ad participationem eorumdem, etiam fructus spiritualis satisfactorij, quo operans ipse pro se egeret; cur, quæso, Religiosus sit timidus, scrupulosus, parcus, atque recusans participare, & applicare suam satisfactionem, prout in dictis Litteris Gratiosis à suis Prælatis dispensatur, dubius & anxius de proprio detrimento; cùm potius per hoc opera sua det ad vsuram, certusque fit, ac securus de lucro, non solùm illo, quem in antecedentibus duabus probationibus demonstrauimus, verùm etiam insuper, quia (vt in hac tertia prætendimus, & argumentamur) ipse quoque per talem charitatiuam satisfactoriam communicationem, acquirit Ius ad participandum mutuò & reciprocè de satisfactorijs bonis operibus Aggregatorum Religioni, titulo contractus societatis, quæ omnia sua communia facit, vt suprà dictum. Vnde, si ipse ponit (vt benè ait *Plattus*) suos labores in commune, ponit solùm illos qui sunt vnius hominis, at fruitur vicissim tot hominum laboribus, quot ipsi sunt associati; in quo reuerà, etiam ex sententia infrascriptorum Doctorum, plus recipitur, quàm datur, maius est lucrum, quàm expensa: *satisfactio enim propria (ait Io. Eusebius*, reddens eandem huius rei rationem) *non est nisi vna, & quas alij fortè applicabunt, multæ erunt, poteritque euenisse, vt propria cuiuspiam satisfactio à diuturno Purgatorio eum liberet, & per eas, quas alij assignabunt, breue admodum habiturus sit; Ideoque multò amplius lucrabitur, quàm si satisfactiones sibi seruauerit*: ita præfatus Author, & quidem apprimè conuenienter ad nostrum propositum, apud *Eliam à S. Teresia cap. 20. est. sub numer. 15.* qui *Elias* reflectens etiam *capit. cit. num.* 8. ad scrupulum atque formidinem, quem aliquis habere fortassis posset, in priuando se proprijs, ac sibi necessarijs satisfactionibus, ac dando eas alijs, quòd nimirum *dum mori eum contigerit, meritis & bonis operibus planè nudus reperiatur:* explodit ille, ac reprobat tamquam vanum hunc timorem: imprimis dum absolutè ait: *Vana est hæc formido*; deinde animat formidolosum, ac consolatur sequentibus verbis, quæ ad Litteram huic nostro argumento optimè quadrant: *Etsi enim (inquit) sua sodalibus communicauerit, suum commodum inde non minui, sed vel immensum augeri deprehendet. Cùm vbi antea*(ecce ipsum nostræ probationis argumētū) *cū vbi antea ipse pro suis culpis satisfacere debuisset, nec fortè potuisset; tunc*

nunc

*nunc habeat obsides, ac debitores, quot sodales; qui cùm multi sint, & quotidie pro eo soluere conentur, & verè soluant, dubium non est, quin sit quamprimùm liberandus*. Quo melius aliquid, ac proposito nostro conuenientius dici non posset.

140 Confirmatur hæc ipsa ratio, imò & validiore corroboratur argumento. Quemadmodum enim temporalis contractus Societatis stipulari potest, vt complectatur omnia bona in communi, & etiam strictiùs contrahi, si videlicet limitetur ad certas aliquas personas, iuxta dictum *Vlpiani l. Societas ff. pro socio: Societas potest contrahi, & omnium bonorum, vel vnius tantùm*: quod etiam colligitur ex *l. coiri ff. pro socio*, vbi dicitur, non venire in contractum Societatis, nisi bona in ipso contractu expressa. Idem accidit in Societate spirituali, in qua etiam non minus, ac in temporali *non veniunt nisi bona expressa*, etiam iuxta sententiam *Nauarri Miscell. 11. de Psalt. & Rosar. num. 1. vers. Secundò quæritur*: vbi recenset, quòd in Fraternitate aliqua videlicet *B. Luciæ*, & *B. Sebastiani: Confratres non communicant sibi mutuò omnia bona spiritualia, sed solùm illa, ad quæ se ex statutis obligauerunt*. In nostra autem Societate, & participatione per Litteras Gratiosas, veniunt in contractum (vt ex earum formulis authenticis patet) omnia bona communia spiritualia Ordinis: *In Societate, de qua hic agimus, quæ fit per chartas Filiationis* (ait *Ruteus loc. cit. prope fin. numer. 12.*) *fit communicatio, & societas omnium bonorum spiritualium, in illis enim dicitur: Vos ad omnium Sacrificiorum, Orationum, Vigiliarum, Ieiuniorum reliquorum; bonorum operum, quæ in Ordine fient, participationem admittimus*. Iam supposito hoc, quod certum est; ac supposito prætereà etiam (vt supra dictum) quòd *qui participat, etiam de suo communicat; quandoquidem qui incipit participare, incipit communicare*: considerata quoque natura contractus Societatis, formo, atque contraho argumentum hoc modo: In contractu Societatis, totum lucrum, quod acquiritur, debet esse commune, diuidique in omnes Consodales, iuxta proportionem sortis ab ipsis collocatæ in Monte seu Capitali: Sed quilibet Religiosus posuit, ponitque quotidie in hoc Capitali (vti clarum est ex Litteris Gratiosis) omnia sua bona spiritualia, spectantia ad communitatem Ordinis, etiam fructum satisfactorium, quantumuis eo ipsemet egeret; igitur si vnà cum alijs bonis, iste fructus taliter applicatur, atque diuiditur inter admissos à Prælatis ad consortium &c. diuidetur etiam proportionaliter in fauorem Religiosorum ille fructus, qui prouenit ab operibus bonis prædictorum Aggregatorum. Hæc consequentia nascitur ex ipsa natura contractus Societatis, & ab hoc eam etiam, vti nos hìc, deducit *Ruteus in fine cit. num. 12.* sic argumentans: *Sicut in contractu Societatis, lucrum omnibus debet esse commune, diuidendum in singulos secundùm proportionem sortis ab ipso collatæ; ita in proposito nil lucri spiritualis fit ab aliquo, quin in commune suo modo diuidatur, & omnes de eo participent, idque eo amplius, quo plus per frequentia bona opera in communem societatem contulerunt*. Hoc ipsum est, quod inferre voluit *Cyprianus à Sancta Maria* quando scripsit *in Thesauro Carmelitarum par. 1. c. 21.* Quòd *sicut in bene morata domo, vel familia, quilibet frater, quidquid acquirit, & diuitiarum cumulat non sibi soli, sed omnibus fratribus acquirit: aut in mercatura, qui societatem quandam ineunt, non vni, sed omnibus lucrum cedit: ita dicendum nobis venit de Confratribus; cùm enim sub vnica Matre filij sint, & speciali vinculo Confratres nostri, quidquid nos diuitiarum spiritualium conquirimus, non nobis solis, sed ipsis etiam acquirimus*. Ita pariter ratione eiusdem Confraternitatis spiritualis, quam cum Religiosis ipsis habent ij, qui à Prælatis vi Gratiosarum assumuntur in Filios Ordinis, debent de ipsis posse dicere Religiosi (vti reuerà in effectu ipso ita est, aliàs argumentum non procederet, neq; contractus Societatis stare posset) quòd *sicut ipsi sub vnica Matre nostra filij sunt, & speciali vinculo Confratres nostri, quidquid diuitiarum spiritualium conquirunt, non sibimet solis, sed nobis etiam acquirunt: quod cùm ita sit* (concludit idem *Cyprianus*) *aduertendum est, quàm amplas, quàm ingentes, necesse sit, huiusmodi esse diuitias*. Procul procul igitur absit à corde Religiosorum (si hoc est) præfatus scrupulus ac formido, quòd nimirum compartiendo, ac donando alijs,

iuxta tenorem Gratiosarum; etiam illum fructum satisfactionis, qui ad propria debita soluenda seruire posset, remaneant ipsis consequenter in hora mortis suæ, atque in altera vita, expertes remissionis pœnæ &c. *Vana, Vana est hæc formido*, non vti supra dictum, quia *satisfactio propria non est nisi vna* (ait citatus *Ioannes Eusebius*) *& quas alij applicabunt, multæ. Ideoque multo amplius lucrabitur, quàm si satisfactiones sibi seruauerit*. Erit autem lucrum istud adeò magnum (ait *Elias à Sancta Teresia cap. cit. 40. n. 5. pag. 696.*) vt pro exiguo fructu satisfactionis, quem Religiosus in contractu fraternæ Societatis positurus est, vicissim recipiat non solùm centuplum, sed millesimum ac millesimum fructum. *Vt quilibet* (verba sunt præfati Authoris) *tum se, tum alios efficaciter iuuare possit, optima ratio erit, si certus modus, certaue praxis adinueniatur, qua quilibet de suo contribuat, vnde fiat integra quadam massa, & copiosa veluti strues spiritualis, è qua cuilibet subueniri possit*. (Ecce hic casum nostrum, contractum videlicet Gratiosæ Confraternitatis, qui, vt supra dictum est, *est societas & communicatio omnium bonorum spiritualium.*) *Hanc massam* (prosequitur Author) *vocare possumus Sacrum Montem Pietatis, è quo subministretur abundè vnicuique, qui ad eius erectionem operam suam contulerit: vbi quisque exiguum illud, quod contulerit, videbit, & experietur, fecisse lucrum pro vno, non solùm centuplum, sed millecuplum; pro paruo enim, quod ad massam illam adiecerit particeps erit omnium, quæ alij contulerint.*

241 Exaggeret modò *Nauarrus Miscell. 11. de Rosar. num. 9.* posse quidem Prælatum communicare opera bona suorum subditorum, & applicare eorum satisfactiones, sed solùm *quoad eam partem, qua ipsi non indigent, & quæ reponenda esset in Thesauro Ecclesiæ, si Prælatus eam non communicaret alijs*, non autem, *si ipsi indigent suorum meritorum valore*: & hoc ideo quia nimirum, *Prælati habent potestatem in ædificationem, non in destructionem secundùm Apostolum. Destruere autem, & non ædificare videretur, communicare benemerita vnius Monachi eis egente: siquidem charitas debet esse bene ordinata, iuxta illud Canticorum, ordinauit in me Charitatem. Et charitas bene ordinata incipit à seipso, iuxta illud Imperatoris Crudelitas quædam est, vt aqua nata in vno agro, sitiente illo, rigetur alius*. Non est, inquam, *in destructionem* talis communicatio, & applicatio, vt patet ex dictis: neq; *contra charitatem*, cùm potiùs è contrario (vt probatum est) adaugeat operanti meritum essentiale Gratiæ, & Gloriæ in perpetuum duraturæ: quod bonum est absque comparatione maius malo pœnæ temporalis, quæ tamen etiam per hoc remittitur, saltem ex parte. Quapropter tantum hinc abest omnis vmbra crudelitatis, atq; exiguæ charitatis, vt, transferri ab aliquo proprias satisfactiones pœnales in alium, licèt ipsemet reatu pœnæ grauatus sit, (præter proprium fructum, quem hinc consequitur) potiùs æstimetur à Classicis Doctoribus (maximè supra laudatis) & celebretur pro actu summæ, atq; excellentissimæ charitatis; sit approbatus in praxi à Sanctis Dei seruis, & insinuatus in pluribus Sacræ Scripturæ locis: vnde non potest taxari tanquam actus prodigalitatis, & profusionis propriorum bonorum, quasi per illum certo modo peruertatur Ordo charitatis propriæ personalis, & sibimetipsi crudeliter noceatur, vt beneficium alijs præstetur, vti prætendit *Nauarrus loc. cit. Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea par. 3. cap. 5. num. 210.* Promouet iste hoc ipsum dubium: an nimirum ille, qui propriæ pœnæ reus est apud Deum, possit communicare alijs fructum satisfactorium suorum bonorum operum? Respondetque affirmatiuè, cum hac tamen limitatione, vt talis non transferat in alios omnes suas, etiam futuras satisfactiones. *Respondeo*, inquit, *si non agatur de omnium planè etiam futurarum omnium satisfactionum translatione, licita, & valida, ac vtique fructuosa erit translatio; etiam si persona transferens egeat illis in præsenti, ita vt si moreretur, esset trudenda in Purgatorium, idque ipsi non sit incompertum. Hoc est contra Nauarrum Miscell. 11. de Rosar. quæst. 10. vbi censet &c.* paucis postea interiectis subiungit: *Verùm si agatur de translatione satisfactionum in tempore summa necessitatis propriæ, quale est, cùm quis multo reatu temporaneo grauatus, videt sibi imminere mortem: nec dubitat, quin se spoliando suis*

*fuis satisfactionibus, trudendus sit in Purgatorium; tunc ea translatio videtur illicita, quia est contrà charitatem sibi debitam, atque ideò expers erit meriti. Ita censet, qui hoc fusius probat, Raynaudus To. 1. Heteroclit. Spiritu. par. 2. sect. 1. punct.* 11. Quamuis autem velit prædictus *Ab Omnibus Sanctis*, illicitam esse huiusmodi translationem, eam tamen concedit esse validam sub certa conditione, quam ille determinat sequentibus verbis: *Non videtur tamen translationem fore inualidam, si actus satisfactorius concomitetur tantum actum translationis, ita vt ab ea non vitietur.* Ac denique concludit hoc modo: *Si autem non timeatur illud periculum, sed homo speret suppetiturum posteà tempus, quo sibi consulere, & suo reatu per alia opera satisfactoria, vel per Indulgentias liberari possit, sic non esset contra rectum Charitatis Ordinem cedere huic fructui sui operis; in fauorem alterius; imò meritum quod à translatione pararetur, compensaret in nobiliori genere dispendium illud boni despicatioris. Nam perderetur remissio reatus temporarij, finitè tantùm duraturi, & acquireretur gloria duratura in æternum.* Etiam hic Auctor (pace ipsius dictum sit) nimium habet formidolositatis, quamuis adhuc generosior sit *Nauarro*. Et cur, obsecro, non possit quis licitè, morti iam proximus, exercere actum summæ charitatis (qui pro illo statu ob maiorem propriam necessitatem, eò est insignior) transferendo tali tempore, ad benefaciendum alteri, Ius suarum pœnalium satisfactionum atque acceptare intrepidè pœnas Purgatorij, subijciendo se illis voluntariè ad præstandum alteri beneficium, actu generoso, Deoque tantopere grato, vt suprà visum, & consequenter etiam adeò meritorio? Similem omnino actum exercuit, cum maxima ædificatione totius meæ Religionis, noster *P. D. Carolus de Tomasio Panormitanus*: Ducali gloria in sæculo clarus atq; subiectum singulare non tam ob familiæ splendorem, quàm ob raras suas qualitates, ac Religiosissimam, quam inter nos duxit, vitam, quæ nulla vmquam apud posteros Theatinos delebitur obliuione, ad excitandum in eis stimulos præclaræ imitationis, atque ad venerandam semper tam boni Patris memoriam. Erat in Litteris excultissimus, prout varia, atque doctissima ipsius edita opera authentico comprobant testimonio; quorum etiam (præter quamplura alia ipsius spiritualissima, ac deuotissima, quæ & ipsa cum fructu spirituali Animarum publicam viderunt lucem) debitam facit mentionem, vti etiam ipsiusmet Authoris in Cathalogo nostrorum scriptorum *P. Sylos Tom. 3. Histor. Theatinarum.* Dedit is vltimum vale præsenti vitæ, vocatus ad aliam meliorem à sua Diuina Maiestate, prima die huiuscemet Anni 1675. mortuusque est venerabilis Dei seruus Romæ in nostro Monasterio Sancti Syluestri in Monte Quirinali, quod ordinarium ipsius per multos iam annos erat domicilium. Expirauit autem præfato die, quo Sancta Ecclesia celebrat Festiuitatem Circumcisionis Christi, die ipsi singulariter propitio ac glorioso, quo nimirum recolitur Anniuersarius Martyrij Sancti Almachij, qui omnium vltimus Martyrium subijt in Amphitheatro Flauij, vulgò dicto Collisæo, quod ipse adiutorio, atque facultatibus modò regnantis Pontificis commutauit in theatrum pietatis, & Sacræ clausuræ: ante eius obitum venerunt ad ipsum (potiùs ad venerandam eius deuotionem, quàm officij gratia) numerus frequens Dominorum Cardinalium, Prælatorum, Titulatorum, Nobilium, ac Religiosorum, quibus omnibus vltima suæ charitatis signa dedit, videlicet cuique propria, ac maximè illi conuenientia spiritualia Documenta. Aderat inter alios Eminentissimus Cardinalis Carpegna Datarius, ac Vicarius Papæ. Vix bonus Dei seruus humili cum admiratione Vicarium Summi Pontificis veneratus fuerat, tum subitò, dictis feruidis aliquot, atque ardentibus ad Crucifixum suum Amorem Orationibus, deinceps sese silentio ad emigrandum composuit, ac Animam eius præfatus Dominus Cardinalis consuetis Ecclesiæ precibus Deo commendauit, quam ille paulò pòst suaui cum suspirio meritis plenam Creatori suo reddidit, ætatis suæ anno 60. atque duobus mensibus, illo ipso die,

quem

quem vitæ suæ vltimum fore, multis anteà prædixerat. Iam iste, postquam vitam suam in continuo exercitio benefaciendi proximo consumpsisset, voluit sese, actu insigni, priuare in morte sua, communibus etiam suffragijs, quæ vi nostrarum Constitutionum, ac Decretorum, tota mea Religio post mortem cuilibet nostrum exhibet; obsecrans Patres, ac Fratres, vt ea offerrent Deo pro conuersione peccatorum; ipse interim contentissimus (vt expressis verbis coram prædictis Patribus protestatus est) remanere pro ijsdem peccatoribus, ac proprijs culpis in Purgatorio, vsque ad extremum diem Iudicij; atque ita etiam, ad satisfaciendum Zelantibus eius desiderijs, à maioribus nostris Superioribus, impetrata est per totam Religionem Litteris encyclicis, executio tam heroicæ, atque exemplarissimæ donationis. Quæ certè donatio fuit maximi pretij, quandoquidem pro vnoquoque ex nostris Professis defuncto indifferenter, siue ille sit Sacerdos, siue Clericus, seu etiam Laicus Conuersus, in Monasterio, in quo moritur, præter totum Officium duplex Mortuorum, quod communiter in Choro pro eius Anima recitatur, cantatur quoque Missa solemnis: tres insuper priuatæ celebrantur à quolibet Sacerdote eiusdem Monasterij, & ab vno ex ipsis triginta consequenter, ad complendum trigesimum *S. Gregorij*. Quilibet Clericus ter dicit Vesperas Mortuorum priuatim, & vnus ex ipsis trigegesies; similiter etiam à quocunque Laico Conuerso tres pro eo recitantur Coronæ Beatissimæ Virginis per sex decades, & ab vno particulari triginta. Extra dictum Monasterium, pro omnibus alijs ex tota Religione, quando communibus circularibus litteris denuntiantur (prout in cuiusque morte fit) quilibet Sacerdos, nullo excepto, pro cuiusque denuntiati anima celebrat duas Missas: Clerici recitant bis Vesperas Mortuorum, ac Laici duo Rosaria (vt supra) Beatissimæ Virginis. Tot igitur, ac tam pretiosa suffragia, ad quæ Ius proprium habebat omnia destinata pro Anima sua, & pro exsolutione culparum suarum (si ijs indiguisset) donauit alijs voluntariè, atque intrepidè, hic Dei seruus; cum exhibitione remanendi in flammis Purgantibus vsque ad ipsum diem extremi Iudicij; quibus ille reuerà Animam suam posuit pro Amicis suis, qua *maiorem charitatem nemo habet*: iam verò, istene actus excellentissimæ charitatis, adeò heroicus, atque insignis, eo quod fuerit exercitus tempore mortis, ad benefaciendum alijs, subijciendo se etiam pro ipsis præfatis tam diuturnis pœnis, poterit dici actus illicitus, inordinatus, donatio inualida, meritique expers, tanquam exercita contra propriam charitatem, sibi ipsi debitam? non quæso, non asseratur hoc (maximè in ipso mortis limine) tam bonus, tamque doctus Pater; multò minùs eum approbasset (tanquam actum heroicum exemplarissimæ donationis) tota mea Theatina Religio. Dicatur potiùs oppositum, nimirum translatio licitissima, maximique meriti: præcipuè quando fit tempore mortis, & summæ necessitatis propriæ; eo enim tempore specialiter elucet ipsum *non plus vltra*, atque summus gradus charitatis in donatore; quandoquidem, *maiorem charitatem nemo habet, quàm qui animam suam dat* (vti fit tali tempore) *pro amicis suis*: siquidem tempore mortis, ipse donans, vtpote ab amore proprio fortiter retentus maiorem experitur difficultatem, scit autem benè Theologus, quòd *difficultas operis auget meritum*. Etsi vna stilla meriti, seu augmenti gratiæ, & Gloriæ est infallibiliter, bonum absque vlla comparatione maius, quàm sit delerio seu remissio pœnæ temporalis, etiam Purgatorij: qua ratione erit contra propriam charitatem, atque illicitus ille actus (etiam exercitus tempore mortis, & summæ necessitatis propriæ) quo quis generosiori animo cedit minori suo bono, ac temporali tantùm: vt acquirat bonum, adeò præclarum, & æternum? Huc pariter spectat ingeniosa charitas Venerabilis Serui Dei *Hernandi Monsoy* Sacerdotis è Societate Iesu; priuauit sese hic sub mortem

tem actu consimili, generoso, atque heroico proprijs suffragijs, donauitque intrepidè Animabus in Purgatorio luentibus, excellentissimo charitatis actu omnia sacrificia, omnesque preces ac suffragia, quæ pro sua Anima persoluenda forent, posteaquam ex hac vita migrasset: Nam, vt refert *Ioannes Rhò variar. virtut. Histor. libr. 1. cap. 4. §. 3. pagina mihi 70.* feruidus hic Dei amicus, *secum reputans, post fata non sibi amplius integrum fore, in egentissimas humanæ opis animas, opportuna conferre beneficia, nouo ausu, pioque ingenio, legi fraudem facere conatus est. Nam quidquid sibi vita functo, siue in precibus, siue in Sacrificijs, siue in quocunque genere piamentorum obuenturum erat, proprio chirographo, in pœnarum socios, eorum nominibus soluendis, vt illis bene esset, sui planè iniuriosus, totum ex asse transtulit, inuenitque homo acutè pius, quo steriles meritorum flammas sibi faceret esse frugiferas. Nulla tam cariosa tellus est, qua optimus charitati fundus esse non possit.* Hunc porrò eminentissimæ charitatis actum, pretiosissimumque spirituale donum, dignum æterno certè encomio, *P. Io. Baptista Mannius* eiusdem Societatis Presbyter *in suo Sacro Trigesimo Purgatorij, Discursu 29. numer. 2.* non modò non vituperat, sed insuper tanquam ingentis Thesauri donationem celebrat, vti nos paulò ante Patris nostri *Caroli* heroicum commendauimus facinus, his ille verbis condignis hunc actum insignem effert elogijs: *Non est equidem hæc, exigua cuiusdam rei, imò ingentis Thesauri donatio, quamuis solùm respiciamus suffragia, quæ Societas nostra ex antiqua institutione pro filijs suis defunctis Deo offert. Mandant etenim nostræ Regulæ, vt pro quolibet defuncto celebrentur à Sacerdotibus illius Domus, vbi moritur, tres Missæ, à non Sacerdotibus tria Rosaria recitentur: duæ quoque Missæ à Sacerdotibus, duo Rosaria persoluantur à non Sacerdotibus per totam Prouinciam, in qua degebat, vbi quandoque in aliqua Prouincia sexcenti, aut septingenti numerabuntur Religiosi. Neque his ad filios suos transmissis subsidijs contenta misericors Mater, iubet insuper, vt quilibet Sacerdos totius Religionis, quauis septimana celebret vnam Missam, non Sacerdos dicat Rosarium pro Omnibus ex Ordine in quacunque Mundi parte defunctis. Si iam supponamus in Societate viuere sedecim millia Religiosorum, quorum dimidia pars sint Sacerdotes, altera Clerici ac Laici, obtingent defunctis nostris qualibet septimana octies millenæ Missæ, totidemque Coronæ. Porrò, si quatuor circiter quauis hebdomade ex hac vita excedere computemus, alienæ opis indigos; sequitur cuiuis nostrorum defunctorum obuenire bis mille Sacrificia, ac totidem Coronas. Huic ditissimo suffragiorum thesauro imperterrito animo renunciauit generosus Monsoius, eumque in ipso mortis limine Animabus in flammis purgantibus retentis donauit;* hucusque præfatus *P. Mannius*, qui & ipse congruè ad nostrum intentum ex heroico hoc exemplo concludit: maioris eum præstare charitatis actum, maiorique sibi emolumento cessurum, qui alijs proprias donat satisfactiones (intellige specialiter in articulo mortis) quàm si eas sibi retineret; atque reapse ita se res habet.

Adde, quòd actus iste charitatis, vt dictum supra, ipsemet sit remissiuus alicuius pœnæ, & satisfactorius pro proprio reatu. Præterquam quòd credi non debeat, eum, qui cedit ac donat proprias satisfactiones ad delendum aliena peccata, & ad remissionem alienarum pœnarum in Purgatorio, ipsemet remaneat omni expers, ac destitutus remedio, non potest sufferre Diuina Bonitas, vti ex superiùs allatis rationibus, authoritatibus, ac exemplis constat: *Nec verò arbitrandum est,* (inquit *Io. Eusebius* loquens iuxta casum nostrum de ijs, qui in fauorem aliorum, maximè Animarum in Purgatorio cedunt omnes suas satisfactiones: citatus ab *Elia à Sancta Teresia cap. cit. 40. numer. 15.*) *eum, qui omnem satisfactionem suam Animabus Purgatorij dederit, omni remedio destituendum esse.* Probatque hanc suam assertionem: *Primò, quia hic ipse virtutis, & insignis charitatis actus, nouam & eximiam satisfactionem adfert. Si enim eleemosyna, quæ corpori curando exhibetur, opus est vel maximè satisfactorium; quis non videt, etiam neque spiritualem hanc eleemosynam sua satisfactione carituram? Deinde Deus Optimus Maximus sua solicitudini reseruauit* 242

*& dis-*

*& dispositioni, ne si qui tantum Iesu Christi Sponsi charitatem exhibuerit, sua amittat; sed vt minus Purgatorium experiatur, quàm si omnem satisfactionem sibi retinuisset. Vel etiam Maiestas Diuina, sua eum gratia praeueniet, vt parum quod expiandum sit in eo remaneat, à peccatis eum praeseruando, vel alijs inspirando, vt pro ipso intercedant, suasque ei satisfactiones applicent: quæ in re multum omnino situm est: satisfactio enim propria non est nisi vna, & quas alij fortè ei applicabunt, multa erunt; poteritque euenisse, vt propria cuiuspiam satisfactio à diuturno Purgatorio eum liberet, & per eas, quas alij ei assignabunt, breue admodum habiturus sit. Ideoque multo amplius lucrabitur, quàm si satisfactiones suas sibi reseruauerit. Cui accedit, quòd animæ, quæ ipsius adiutorio ad Cœlum peruenerint, benefactorem suum in Purgatorio videntes, Deum suis intercessionibus sint permoturi, vt citiùs ei aliquod remedium afferat. Hinc sequitur non aduersari charitati benè ordinatæ, abdicare à se omnem operum suorum satisfactionem; vt applicetur &c. hac namque ratione plus lucratur quis, quam si eam sibi recondißet: ideoque eximij famuli Dei ita fecerunt:* Notet benè hanc conclusionem, imò totum discursum hujus deuotissimi Authoris, atque omnia illa, quæ hactenus diximus, quisquis, nimio pressus timore, minùs generosè interpretatur fructum satisfactorium spiritualis nostræ Filiationis. Huc etiam oculos, animumque conuertat, quisquis Religiosorum; simili obrutus formidine, prodigalitatis accusare vellet, atque minus benè ordinatæ charitatis Prælatos suos, eò quòd hi in Litteris suis Gratiosis, etiam de satisfactionibus quibus subditi, ipsimet indigent, disponant: *Vana, vana est hæc formido; nec aduersatur charitati benè ordinatæ, abdicare à se omnem operum suorum satisfactionem, vt applicetur alijs: quandoquidem hac ratione plus lucratur quis, quàm si eam sibi recondißet:* Cuius rei clarum nobis exhibet testimonium *Sancta Gertrudis*, aut potiùs ipsemet Christus Dominus huic suæ Sponsæ, cuius scribens vitam *Ioannes Landspergius lib. 4. cap. 23.* refert: obtulisse hanc Sanctam Virginem quadam vice, pro anima defunctæ cuiusdam personæ, omnia illa sua bona opera, quibus misericors Dominus vti voluisset in beneficium illius Animæ; qua oblatione facta, vidit, prædictam animam, mediantibus suis precibus, ante Thronum Diuinæ Maiestatis præsentari venusta quadam forma, & cum ea diuersa dona: quapropter non solùm Dominus, sed omnes etiam Sancti, magnam exinde visi sunt ostentasse lætitiam; & ipsemet Dominus multa cum benignitate huic Sanctæ Virgini sese monstrauit, quasi lætabundum, eò quòd aliquid ab ipsa haberet, quo benefacere posset indigentibus, qui proprijs bonis operibus eius Diuina beneficia non mererentur. Posthæc vidit, quòd benignissimus Dominus, ex liberalissima sua pietate, cuilibet illorum bonorum operum, quæ obtulerat, aliquid adiungeret, atque ita omnia simul ei restitueret, vt ea, ratione illius suæ bonæ voluntatis, duplicata reciperet, & ad æternam remunerationem conseruaret. Ex hoc effectu ipsa intellexit, hominem non perdere quidquam de suo, imò plurimùm lucrari, si proximis ex charitate subuenerit. Et hac ratione reuerà multò plus, vt suprà dictum est, quis lucrabitur, imò duplicatum reportat lucrum: Et si non plus saltem æqualiter ex Diuina dispositione, iuxta sententiam *Lucæ Tudensis lib. 2. contra Albigens. cap.* 17. (citati à *Paulo ab Omnibus Sanctis cap. 5. citat. in fine*) cuius hæc sunt verba: *Qui pro alijs orat, pro semetipso laborat, & charitate qua extenditur, vt oret pro alio, semetipsum Deo commendat. O Sanctissima opera charitatis, quæ ad illos integrè perueniunt, pro quibus fiunt: & integra atque illibata sine diminutione aliqua permanent operanti. Vnde dicit Propheta, Oratio mea in sinu meo conuertetur. Et quia non cessat orare qui non cessat benè agere, atque omne opus bonum oratio esse dicitur, vt est illud, Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro vobis Dominum. Quicunque boni operis exercitium pro alio geßerit, ad illum procul dubio secundùm vocem Dominicam reuertetur pax eius.* Atque hæc sit denique conclusio præsentis Dubij sat diffusè, atque debita cum

dili-

diligentia elucidati, cùm ita res exegerit; punctum enim hoc essentialissimum est in materia Spiritualis Filiationis; cuius decisio, quemadmodum Prælatos animabit ad concedendum eam non restrictam ad solam communicationem fructus satisfactorij superabundatis subditorum; ita his omnem auferet scrupulum atque timorem, quem alioquin habere possent, videntes donari alijs ab eorum Prælatis virtute Gratiosarum etiam illum satisfactionis fructum, qui ipsismet ad remissionem proprij reatus pœnæ vtilis, ac necessarius esset. Præterea summam generabit consolationem ijs, qui Litteras Gratiosas à prædictis Prælatis obtinebunt, siquidem per has eis conferatur tanta satisfactorij fructus abundantia, vti hactenus stabilitum est. Quamuis autem & ipsi de suo quoad hoc etiam contribuant, cùm incipiat communicare, qui incipit participare; attamen hac ipsa sua contributione, & communicatione ita bona sua opera principali summæ, ac monti huic spirituali vniuersorum meritorum omnium aliorum Confratrum per Litteras Gratiosas adiungunt, vt inde centuplum, imò millecuplum fructum, vt dictum est, reportent. Aduertendum tamen est, opera bona satisfactoria eius, qui Religioni aggregatur, seu in Confratrem assumitur per Litteras Gratiosas non deponi in Monte hoc spirituali, neque censeri aggregata cumulo meritorum Ordinis ad bonum totius Confraternitatis, absque applicatione formali, aut saltem virtuali eiusdemmet Aggregati. Verum quidem est, quòd ad hanc applicationem, vnus solus actus mentalis sufficiat (quem quilibet pro suo proprio lucro ac commodo facere deberet in principio receptionis suæ, quo & ipse reciprocè omnes Confratres participes reddere intenderet omnium suarum pœnalium satisfactionum, easque cum illorum coniungere satisfactionibus, in maius augmentum fructuum, &c. Quòd autem hic actus solus, à principio factus, sufficiat (quousque saltem non reuocetur) certum est: *sic enim etiam Superior per vnicum actum suæ voluntatis, rem-*

tem

*piendi benefactricem ad compensationem bonorum operum, quæ in Religione, vel Conuentu fiunt, valetne applicare Orationes, quas sui Religiosi facturi sunt*, inquit *Raymundus Caffana in Catechesi Mystagogica Regular. verbo, Missa, num. 40.* Qui hæc ipsa verba ad litteram desumpsit *ex Bordono resol. 26. qu. 5. n. 32. vers. Resp. Dicta in fine.*

Priusquam autem ad nouum transgrediamur Dubium, ne quidquam desit præsenti, quod haud leuis momenti esse cernitur, resoluenda remanet grauis quædam difficultas, quæ contra ea, quæ superiùs *num. 226.* definiuimus, opponi posset; quòd videlicet Prælati Regulares, mediante Gratiosa Filiatione, communicent Aggregatis, præter alia, etiam fructum spiritualem suorum Subditorum, prouenientem à quotidiana publica Psalmodia Diuinorum Officiorum, quæ ab ipsis in communi, seu Ecclesiæ Ministris, eiusdem nomine, in Choro vel cantantur, vel recitantur. Speculatiuus quispiam negabit, Prælatis Regularibus talem esse potestatem, vt valeant offerre Deo, pro suis Amicis, ac Benefactoribus præfatam publicam recitationem, seu Psalmodiam Diuinorum Officiorum, ac Horarum Canonicarum; idque haud absque fundamento, saltem apparente. Siquidem, neque ipsismet Subditis, ne dicam Superioribus, licitum est, applicare sibi vel alijs, totam publicam Psalmodiam, atque recitationem Diuinorum Officiorum; vti affirmans *Gobat in Tergemina Horaria disp. 3. à num. 769. Et Patritius Sporer, in Tractatu de Horis Canonicis (qui est Appendix primæ partis Tyrocinij Sacramentalis) sect. 1. §. 4. à num. 63.* vbi sequenti verborum tenore discurrit: *Qui ex instituto, & ordinatione Ecclesiæ in Choro peragunt Diuinum Officium, peragunt illud nomine Ecclesiæ, pro Ecclesia, seu toto fideli populo. Ita communiter cum Diuo Thoma, 2. 2. qu. 83. artic. 12. in Corpore. Ratio est, quia Officium Diuinum, saltem in Choro recitatum, est Oratio publica, & communis, quæ per Ministros Ecclesiæ, in persona totius populi fidelis Deo offertur, ait Sanctus Thomas loco citato, vnde quiuis Christianus non excommunicatus, fit particeps omnium talium precum Ecclesiæ, publicè fusarum: atque*

Ec-

*Ecclesia, & fidelis populus; offerens preces Deo per suos Ministros, vtique habet primario, & potissimum rationem sui ipsius, cum charitas incipiat à seipsa. Ergo tenentur tales Ministri, offerre Deo Diuinum Officium pro ipsa Ecclesia, & populo fideli, & non possunt pro libitu offerre pro seipsis, aut pro aliquo alio particulari homine tantum. Si enim es legatus Ecclesiæ, & populi fidelis tamquam sui Principalis, debes huius, non autem tuam tantum, vel alterius causam agere apud Deum, cum præiudicio tui principalis. Si enim totum Officium applicas tibi ipsi, aut alicui alteri, nullus fructus redundabit in Cæteros Christianos, totamque Ecclesiam, cum tamen ad eos pertineat illud emolumentum spirituale diuidere in omnes.* Ita *Sporer n. 63. cit. cum Gobat lo.* & ex eiusdem doctrina. Si igitur Subditi Regulares ad Chorum obligati, vti Ecclesiæ Ministri, tenentur offerre Deo Diuinum Officium pro ipsa Ecclesia, & populo fideli, & non possunt pro libitu offerre pro seipsis, aut pro alio aliquo particulari homine; quomodo deinde, & quo fundamento Prælati ipsorum contrarium faciunt (vti apparet ex ipsa formula plerarumque Litterarum Gratiosarum) dum per eas applicant particularibus Amicis, & Benefactoribus, emolumentum ac spiritualem fructum Subditorum, prouenientem ex publica ipsorum Psalmodia, & Canonicarum Horarum recitatione? Quomodo, inquam, & quo id fundamento agunt, si illicitum est?

Atque adeò illicitum; vt iuxta *Sporerum num. 64. ex doctrina etiam præfati Gobat deprompta,* difficultas hæc vel exinde summopere augeatur; quòd *certum sit, non posse à peccato excusari eum, qui totum Officium Diuinum, quoad omnem fructum, etiam impetratorium, Orationum communium Ecclesiæ propriè dictarum, applicaret sibi, aut alteri particulari personæ vel causæ, ob rationem iam indicatam. Et certè in communi sententia, peccaret mortaliter Sacerdos, qui in Sacrificio Missæ fructum Generalem Ecclesiæ, & fidelium omnium, applicaret sibi ipsi, aut alteri priuato. Certè enim grauissimè malè tandem esset Legatus, qui à Republica obligatus ad Principem pro causa communi, ageret solùm suam priuatam, aut alterius. Et grauiter videtur de psallente nomine totius Ecclesiæ* ... [illegible]

Grauis, apparenter & speculatiuè, est præsens difficultas, valetque in nostro casu opponi participationi, quam faciunt Prælati per suas Gratiosas, quoad Sacrificia, quæ celebrantur ab eorum Subditis. Facilis nihilominus euadit eiusdem resolutio; eruitur quippe ex ipsissimet visceribus oppositionis, & subministratur ab eo, quod superiùs tanquam primum principium circa Filiationem Spiritualem supposuimus cum *Corduba, & Raynaudo n. n. 114. 115.* quòd nimirum intendant Prælati prodesse (solùm) quantum possunt, iis, quibus filiationis gratiam præstant. Idipsum omninò, & non plus sequitur ex communicatione spiritualis fructus, & emolumenti, quod prouenit à publica celebratione Diuinorum Officiorum, & Missæ Sacrificij. Vera est, neque negatur, doctrina præfati *Gobat, & Sporeri;* non licere videlicet Ministris Ecclesiæ applicare sibimet, vel alicui alteri totum Officium Diuinum quoad omnem fructum etiam impetratorium. Conceditur quoque paritas, quam circa Sacrificium Missæ introducit *Sporerus num. 64. cit.* qui *part. 2. Tyrocinij Sacramentalis cap. 4. quæst. 5. §. 1. numer. 248. pagina mihi* 265. idem assumptum prosequitur, eiusque rationem reddit in hæc verba: *Fructum generalem totius Ecclesiæ non potest Sacerdos aliter applicare, immutare, aut pro libitu disponere, suspendere, uni vel aliquibus tantùm applicare, aliquem, vel aliquos ab eo excludere; saltem licitè secundùm communem Doctorum, & secundùm multos neque validè. Ratio est, quia fructus generalis prouenit non ex intentione priuata Ministri, sed ex intentione communi totius Ecclesiæ. Sacerdos enim semper tenetur Sacrificium offerre, prout Christus instituit, & Ecclesia intendit; nimirum tanquam Minister publicus Christi, & Ecclesiæ totius. Atqui Christus instituit, & Ecclesia semper intendit Sacrificium offerre pro tota Ecclesia, seu omnibus fidelibus, sic, vt fructu generali omnibus prosit membris, viuis, & defunctis, prout significant omnes Orationes in Missa, præsertim in Canone recitatæ, & clarè docet Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 6. declarans: (Missas priuatas verè communes censeri debere, quia à publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus,*

qui

*qui ad Christi Corpus pertinent, celebrantur.) Hæc Concilium. Quare Sacerdos, verè, & debitè celebrare intendens, fructum illum generalem Ecclesiæ, non potest, saltem licitè, suspendere, limitare, aliter applicare in toto, vel in parte. Et proinde Sacerdos ab hoc generali Ecclesiæ fructu, aliquem positiuè excludens (prout inimicum suum exclusisse impius quidam Sacerdos refertur apud Tamburinum Opusc. de Sacrific. lib. 2. cap. 2. §. 13.) peccaret grauissimè; & dupliciter, primò, contra obedientiam, & institutionem Ecclesiæ, cuius in offerendo minister est Sacerdos, vt dictum est: Secundò, contra charitatem, dum vtique aliquo odio, vel inimicitia graui stimulatus proximum tentet excludere ab eo, & Suffragijs communibus Ecclesiæ. Caterùm: quia Sacerdos principaliter, vt Minister Christi, eiusque authoritate habet potestatem applicandi fructum Sacrificij, si totum fructum Sacrificij sui, etiam generalem Ecclesiæ debitum, vellet alicui applicare, vel aliter disponere, quantumuis illicitè, validè tamen facturum, post alios, docet etiam Henriquez hic disput. 8. quæst. 7. numer. 78. & ipse Gobat hic Casu V. numer. 13.* Hucusque *Sporerus*, cui omnia, tam ab ipso, quàm ab alijs circa applicationem fructus spiritualis Diuinorum Officiorum hactenus dicta, liberaliter concedimus, atque ad difficultatem cum facilitate, & claritate respondebimus.

Absolutè igitur dico: quòd Prælati Regulares, sicut aliter non possunt, ita non intendant prodesse, nisi quantum in ipsis est (vt dictum) ijs, quibus Filiationis gratiam præstant; quod ipsum confirmat *Ruteus De Participationibus quæst. 6. sect. 9. numer. 31. in principio; Prælati*, inquit, *concedentes alijs Litteras Filiationis, intendunt eos reddere participes omnium bonorum spiritualium, quantum in ipsis est, & fieri potest.* Proinde sicut neque totum fructum Psalmodiæ, neque generalem Sacrificiorum, suorum Subditorum licitè alijs communicare valent; sic per Litteras suas nullatenus id præsumunt. Hoc tamen earum veritati ac sinceritati nullatenus obstat: licèt enim per eas non communicetur (quia illicitum est) fructus generalis publicæ Psalmodiæ, aut Sacrificiorum Missæ, vtpote debitus omnibus vniuersim fidelibus; communicantur tamen per huiusmodi Litteras ei, ad quem diriguntur, aliqui fructus tam Diuinorum Officiorum, quàm Sacrificiorum Missæ. Ratio clara est: Quia illicitum quidem est, communicare alijs fructum generalem Diuinorum Officiorum pro libitu; non autem fructus particulares eorundem: & hi sunt illi fructus, qui communicantur per Litteras Gratiosas; de his illæ loquuntur, explicantur, ac verificantur; quorum nonnullos recenset, atque admittit tanquam communicabiles, præter alios, etiam ipse *Sporerus De Horis Canonicis loc. cit. numer. 65.* vbi videtur ipsemet resoluere difficultatem, & in nostram concedere sententiam hisce formalibus: *Dixi numero antecedenti: Qui totum Officium &c. nimirum quoad omnes suas partes substantiales, omnemque fructum satisfactorium; & impetratorium, præsertim ipsarum Orationum communium Ecclesiæ, sic sibi vel alteri applicaret. Caterùm, certum videtur, posse te licitè, & laudabiliter tibi, vel alteri applicare, vel donare fructus accidentales ex speciali tua deuotione, vel difficultate habita in Diuino Officio, vtpote molestias corporis, & animi accidentales, quas persentiscis in Diuino Officio, tolerantiam verbi gr. frigoris, stationem difficilem, genuflexiones, priuationem recreationis, libertatis &c. Secundò omnem extraordinarium feruorem ac deuotionem, quam vltra debitum adhibes. Tertiò illum fructum spiritualem, qui in te redundat, quatenus exerces actum formalis obedientiæ, vel iustitiæ, fungendo fideliter Officio legati. Quartò, addit Gobat disput. 1. cit. numer. 776. etiam fructum satisfactorium totius Officij: etsi contrasentiat Azorius l. 9. c. 32. q. 2. in fine. Ratio est; quia concessum est, quidquid prohibitum non reperitur, secundùm iura: talis autem donatio, vel applicatio, nullibi reperitur prohibita; & cùm talia non spectent ad substantiam tuæ legationis, erunt integrè tua, tuæque dispositionis: nam & Respublica permittit suo Legato liberum dominium honorarij, quo à Principe, ad quem*

O de-

*aestimatus est, donatus domum rediyt. Quare licitè & laudabiliter dices ( Domine Deus hanc recitationem Officij offero, quoad possum, pro hoc particulari homine: pro hac anima &c.) qua oblatione tanto plus tua recitatio proderit illi particulari homini, vel animæ, quantò deuotiùs, & accuratiùs Diuinum pensum persolueris. Dictum hactenus de recitantibus in Choro præsertim.* Hæc *Sporerus*. Ex quibus euidenter constat, vltra fructum spiritualem, resultantem è Diuinis Officijs in publico Choro recitatis, quem non licet particulari personæ applicare, dari alios, qui applicari possint: atque hos intendunt Prælati Regulares in suis Litteris Gratiosis, eosque applicant quantum possunt; continent igitur Litteræ istæ veritatem. Idem suo modo dicendum, absq; hæsitatione, de Sacrificio Missæ; nam præter fructum generalem, de quo superiùs, pluribus alijs spiritualibus fructibus communicabilibus refertum est, de quibus agunt Doctores, qui tractant de Sacrificio Missæ. Hos fructus communicant Prælati Regulares per suas Litteras Gratiosas solùm quoad possunt, & quantum est in eorum potestate. Sic denique affatim resoluitur opposita difficultas.

Quoniam verò hactenus sermo nobis fuit solùm de publica Officij Diuini recitatione, non de priuata: quæri potest, an de ista idem dicendum sit, quod de illa: an videlicet fructus spiritualis totius Diuini Officij priuatim recitati sit communicabilis alijs, & possit consequenter censeri comprehensus iste fructus in participatione Litterarum Gratiosarum? Respondeo ad quæsitum verbis *Suarezij*, qui *to. 2. de Relig. li. 4. tit. De Horis Canon. c. 16. n. 17.* ait: *Est eadem ratio de recitatione priuata eiusdem Officij: nam ex eadem obligatione, & intentione nascitur; vnde eadem forma orandi in ea obseruatur, vt clariùs apparet in Collecta oratione, in qua nomine totius Ecclesiæ præmittitur, Oremus, ad significandum, fundi Orationem nomine omnium.* Hæc tamen responsio non omnimodè satisfacit, cùm aduersùs eam replicari valeat: doctrinam *Suarezij*, procedere quidem de recitatione priuata Diuini Officij, eorum, qui obligati sunt illud recitare in persona Ecclesiæ, vt eius Ministri: non autem de ijs, qui illud recitant priuatim absque obligatione; supra hos enim non cadit Doctrina *Suarezia*, quare possunt illud applicare pro suo beneplacito. Distinctionem hanc amplectitur etiam *Sporerus loc. cit. De Horis Canonicis numer. 66.* & quia eam exactè, & ad propositum nostrum appositè tractat, doctrinam ipsius verbotenus hìc accensebo. *Dictum est* ( inquit ) *de recitantibus in Choro. Iam quoad extra Chorum, & priuatim recitantes idipsum vniuersim affirmat cum alijs Suarez lib. 4. de Horis cap. 26. numer. 17. Sed iuuat breuiter distinguere. Primò certum videtur, Clericos beneficiatos priuatim recitantes debere dicto modo dicere in persona Ecclesiæ, & pro Ecclesia, nec gaudere libertate, offerendi pro libitu: cùm illi propriè sint Ministri publici Ecclesiæ, & proinde per se obligati ad Chorum, Clement. de Celebrat. Missar. Secundò: Idem dicendum videtur de Clericis Regularibus Choro adstrictis, saltem in Maioribus constitutis; ex eadem Clement. Tertiò, Dubium magis est de Regularibus Choristis nondum promotis ad sacros. Ordines, sicut & vicissim de Monialibus: cùm non constet ex iure, illos esse Ministros, & has ministrare Ecclesiæ, atque adeò etiam an teneantur extra Chorum priuatim Officium Diuinum recitare, vt vidimus cap. 1. §. 2. Affirmant Nauarrus de Horis Canonicis c. 19. n. 59. loquens etiam de Ministris, & Monialibus; & Suarez l. c. Ego rem dubiam relinquo, tutiora consulo. Quartò, Probabilius est, illos, qui nullo modo adstricti sunt Choro, vt Clerici Societatis, & si qui alij; dum priuatim persoluunt debitum obligationis Ecclesiæ, non facere id nomine Ecclesiæ, adeoque gaudere libertate applicandi officium Diuinum pro libitu, sibi, vel alijs. Gobat cit. n. 789. Et insinuat Diuus Thomas 2. 2. quæst. 83. artic. 12. dicens: Orationem, quæ fit in persona Ecclesiæ debere innotescere toti populo, pro quo offertur: atqui istorum oratio, nec innotescit, nec innotescere debet populo toti, pro quo offertur, cùm nunquam debeant dicere publicè in Choro; ergo &c. Et vlterior ratio est, quia non debemus restringere libertatem hominis, nisi grauis ratio*

*tis ad id adigat; siquidem libertas est res inæstimabilis, & rebus omnibus fauorabilior: L. 106. 117. ff. de Reg. Iur. at per oppositam sententiam restringitur; imò aufertur libertas applicandi liberè totum fructum orationis Canonicæ cuius capaci; ergo &c. Denique fieri hanc applicationem à plurimis Viris pijs, & doctis, sine metu vllius peccati, vel imperfectionis, ait Gobat loc. cit.* Ex his concludatur; idipsum suo modo fieri à Prælatis Regularibus per Litteras Gratiosas, cùm ipsi intendant prodesse quantum possunt, ijs, quibus Filiationis gratiam præstant.

## DVBIVM XXIII.

### *Vtrùm hoc facere possint Prælati Regulares, absque consensu suorum subditorum; & an isti ad hoc teneantur consentire?*

243 Resolutio huius Dubij non minus necessaria est præsenti Tractatui, quàm fuerit præcedentis: quare non minore quoque diligentia excutietur, ac decidetur, quàm illud: ac specialiter hìc proponentur omnes difficultates, quæ responsioni nostræ opponi possunt, quæ quidem satis multæ sunt, neque intermittemus eas conuenienter dissoluere & adæquatè dilucidare: Supposito igitur, quòd propositio Dubij restricta sit ad communicationem bonorum operum, solùm quantum ad fructum eorum meritorium *de congruo*, seu impetratorium: & etiam ad satisfactorium; excluso semper meritorio *de condigno*, qui est incommunicabilis.

Respondeo affirmatiuè. Ratio in promptu est, quia Prælati ex sua natura (supposito Voto Obedientiæ eis à subditis præstito) habent potestatem dominatiuam super opera eorum bona, vt probarum est primo Dubio huius Capitis, habentque *de Iure communi*, vt in secundo demonstrauimus: atque etiam omnes, nullo excepto; vt in alijs subsequentibus ostensum est, ad quæ breuitatis gratia Lectorem remitto: igitur omnes iuxta suum beneplacitum, etiam absque omni consensu eorumdem Subditorum, poterunt concedere Litteras Gratiosas, dispensando ac communicando per eas opera bona, ac merita suorum Subditorum, qui adhuc consentire tenentur, nec sese opponere possunt, cùm quoad prædicta opera, maximè facta ex præscripto Regulæ; Religiosi non sint sui Iuris, sed toti sunt, & esse debent sub dominio & potestate Prælati: & quia iuxta declarationem, & decretum *Pelagij Pontificis, tota bonorum Monasterij administratio ad Prælatum pertinet*, quod intelligitur de administratione, non solùm bonorum temporalium, sed etiam spiritualium, vti explicant Doctores, ij specialiter, quos superiùs dubio secundo huius Capitis super hoc adduximus, circa finem, *num.* 123.

Huic rationi (quæ certa est, suppositis doctrinis superiùs tanquam primis principijs huius Tractatus discussis, atque stabilitis) addo Authoritatem Doctorum, qui cum nostra responsione ac conclusione coincidunt: & sunt sequentes *Corduba de Indulgentijs lib. 5. quæst. 42. dicto* 4. vbi sic: *Bona satisfactoria subditorum quibus ipsi facientes non indigent pro seipsis, benè possunt tam ipsi, quàm eorum Prælati applicare alijs, quibus voluerint, & in hoc est locus prætentioni &c. quod ideò dico, quia si ipse Prælatus superior, inuito suo subdito, applicaret aliquibus aliqua bona sua satisfactoria superabundantia, quæ subditus facit: valeret talis applicatio Superioris, & non posset Subditus talis, ea applicare alijs contra applicationem Superioris, &c. Nauarrus Miscell.* 11. *de Rosar. num.* 9. *Quæritur*, inquit, *an Prælatus possit Orationes, & benemerita singulorum suæ Congregationis applicare alijs, nolentibus ipsis?* resoluitque Dubium tribus responsionibus, quarum tertia, ipsa nostra conclusio est, vnà cum eadem sua probatione: *Respondeo tertiò, quòd potest, quoad eam partem, qua ipsi non indigent, & quæ reponenda* 244

*esset in Thesauro Ecclesiæ, si Prælatus eam non communicaret alijs. Tum ob eas rationes, quibus diximus, Prælatos posse merita suæ Congregationis alijs applicare. Tum quia ipsi Religiosi possent illa communicare alijs, si Prælatus non iuberet, vt alijs communicarentur.* Supponunt autem tam *Nauarrus* quàm *Cordaba*, vt apparet, Prælatos Regulares posse applicare solas superabundantes satisfactiones subditorum; non verò illas, quibus pro se, ac remissione pœnarum suarum indigent, quod tamen sufficienter discussum, ac reiectum est Dubio præcedenti. Liberaliùs tamen, & absq; tali restrictione nostram quoque tenent sententiam *Peyrinus de Prælato q.3. c.6. n.3.* vbi ait: *Bona, quæ facit subditus in communi, vt Disciplinas, Ieiunia, Orationes, Vigilias huiusmodi, quæ in Communitate facit cum alijs Religiosis simul, seu per se ex statuto Regulæ, aut Constitutionum, aut ex præcepto Prælati, cùm hæc bona sint communia Religioni, quamuis subditus ijs egeat, potest eo inuito, & inscio, alijs specialiter communicare, etiam quoad vim satisfactoriam, quia super bonis Communitatis videtur Prælatus habere plenariam potestatem, & similiter super bonis particularibus, vel superabundantibus, vel nemini applicatis: Cap. Nullam 18. q.2.5.* Et *Tamburinus de Iure Abbatum tom. 2. disp. 9. quæs. 3. n. 5. versu, Triplex est, in fine,* qui idem asserit sequentibus verbis: *Omnia opera bona, quæ facit subditus in communi cum alijs Religiosis, siue ex præceptis Regulæ, vel Superioris, potest Prælatus eo inuito, alijs communicare etiam quoad vim satisfactoriam, cùm super bonis Communitatis habeat Abbas, & Prælatus potestatem, sicut etiam habet super bonis particularibus, vel superabundantibus, vel nemini applicatis: Cap. Nullam 18. quæst. 2.* His adiungantur *Rodriquez Tom. 1. qq. Regular. quæst. 33. art. 4. cum suo Compendio res. 14. numer. 4.* Et *Gabriel à Sancto Vincentio Tractat. de Sacrament. part. 3. de Sacram. Pænit. disp. 13. quæst. 7.* qui & ipsi docent, opera bona subditorum facta vi Regulæ, aut ex præcepto suorum Prælatorum, posse ab his communicari alijs secundùm illorum beneplacitum, & quantum ad fructum satisfactorium non superabundantem, & absque ipsorum operantium notitia, & consensu: vno verbo, ipsis etiam inscijs, & inuitis. Huc etiam facit, omne id, quod præcedente Dubio à *num. 198.* hucusque stabilitum est, vbi probauimus Prælatos Regulares posse disponere etiam de fructu satisfactorio, quo subditi ipsimet indigent. Præterea ad huius rei confirmationem, sat quoque conferre videtur ipsamet praxis, quòd omnes Ordinum Prælati defacto dispensent, ac compartiantur Litteras suas Gratiosas, communicando per eas merita, & opera bona suorum subditorum, absque eorum minima de hac re notitia: quod reuerà argumentum euidens est, posse eos id facere, ipsis subditis inscijs, & inuitis: atque ita est, adeò quidem, vt *Ruteus de Particip. qu. 5. sect. 1. n.9.* audacter dicat, quòd si Prælatus præceperit subdito applicationem alicuius boni operis, ad satisfaciendum promissioni factæ benefactori cuidam, qui temporalem tribuit eleemosynam, ac rogauit pro eleemosyna spirituali, adeò teneri subditum obedire tali præcepto, ac iubentis voluntati, vt si contrarium fecerit, taleque opus alteri applicauerit, non sit valitura ipsius intentio & applicatio, sed altera, Prælati videlicet, ac Superioris.

At non assentior ego huic assertioni, 245
vti neque *Suarez in 3. p. tom. 4. disput. 35. sect. 5. num.* 10. vbi ait, non posse Prælatum immediatè applicare operationem subditi, absque eiusdem intentione, & cooperatione; Prælatus enim potest quidem opus aliquod imperare, facere autem illud, aut non facere, in potestate subditi est. *Opus Subditi*, ait *Suarez*, *absolutè manet sub dominio subditi, & quamuis Prælatus præcipiat satisfacere pro alio, si subditus non vult pro illo satisfacere, tamen reuerà non satisfacit pro illo, etiamsi opus ex se satisfactorium faciat; quia valor moralis talis operis ad satisfaciendum pro hoc, vel illo: pendet intrinsecè ex intentione ipsius operantis: quam non potest Superior supplere:* ita *Suarez n. 10. cit. in princip.* concludit denique, ac ait: *Existimo, quòd licèt subditus nulli applicaret suum opus, ex inaduertentia, vel culpabili negligentia, sola intentio Superioris non sufficeret ad applicandum illud.* Neque assentitur *Bonacina*, cùm & ipse *Tom. 1. disput. 6. de Indulgent. qu. 1. punct. 3. n.20.* dicat: *Si subditus applicet suam satisfactionem vni, & Prælatus alteri, satisfactio prodest illi,*

*illi, cui subditus applicat: nam subditus in hac parte videtur primum locum obtinere; quia Prælatus non videtur dominus actus merè interni, principaliter dependentis à voluntate subditi applicantis.* Aequè parum *Ruteo* suffragatur *Zanardus par. 1. Directorij, de Sacram. Pæn. cap. 21. quæsito 46.* vbi totum contrarium affirmat: *Dico, quòd quando Prælatus applicat bona opera pro benefactoribus, amicis, vel consanguineis suorum subditorum. Primò est opus, vt Prælatus hoc intendat facere. Secundò, vt etiam ille subditus priuatus intendat hoc exequi, quia si subditus nollet bona opera sua esse impetrationes, vel satisfactiones pro alijs, sed pro seipso, vel pro alio sibi commendato, applicatio Superioris non haberet effectum, quia hæc applicatio est opus internum, quod in vsu non subditur imperio Prælati:* dissentit denique etiam *Tambur. de Iure Abbatum Tom. 2. disp. 9. quæst. 3. numer. 5. in princip.* dicens: *Prælatus non valet sine voluntate subditi operantis, opera eius satisfactoria applicare alteri, propter directum dominium, quod manet apud subditum.*

246 Ratio, quòd non consentiatur *Ruteo*, est intrinseca ac Theologica: imò primum principium in Tractatu de actibus humanis, vbi sparsim (prout videre licet, specialiter apud *P. Pasqualigo tom. 2. Theolog. à disp. 14.* & *Morandum to. 2. Theol. Tract. 2. de Actibus Humanis*) tanquam certissimum & irrefragabile principium supponitur, quòd valor moralis nostrorum bonorum operum, quantum ad applicationem, huic vel illi faciendam, dependeat intrinsecè ab intentione operantis; vti etiam effectus ipse eandem sequitur intentionem: quo supposito, non potest certè applicatio contraria Superioris, tanquam quæ extrinseca est, prævalere applicationi subditi seu operantis, quæ est intrinseca: quare si subditus fructum sui operis applicauerit vni, Superior autem alteri, valida erit sola applicatio subditi: ratio huius clarissima est, desumpta ex communi doctrina Theologorum *de Actibus Humanis*; quia nimirum opus bonum Religiosi subditi, est actus humanus & moralis, ac prout talis, sicut intrinsecam habet relationem, & ordinem intrinsecum & essentialem ad ipsum operantem liberum, ita eundem pariter essentialem ordinem habet ad operantem quoque ex intentione, hoc est ad operantem liberum cum tali, vel alia intentione. Porrò sicut libertas alterius suppositi, & agentis liberi, à me distincti, non potest reddere actum meum liberum, sed necesse est, vt procedat à principio in me ipso libero, mihique intrinseco; ita neque intentio mea potest attingere actum alterius; sed hoc potest solummodo facere mea intentio, siue personæ operantis, quæ ipsum actum intrinsecè respicit. Alienæ deinde intentiones extrinsecæ sunt, & accidentales, quapropter actum meum siue personæ operantis, modificare nequeūt: Atque hoc adeò verum est, vt si subditus exempli gratia non haberet vllam intentionem, applicandi fructum sui operis, is tamen à Prælato applicaretur, hæc Prælati applicatio nunquam suum effectum consequeretur; ad participandum quippe huiusmodi fructum, non sufficit applicatio Prælati, sed solius operantis, tanquam qui solus potestatem immediatam habet in opus suum. Cùm ergo Religiosus Subditus solus sit dominus fructus suorum bonorum operum, nemo alius absque illius immediato consensu eum applicare potest. Aliàs ipse nunquam esset certus de effectu, ac fructu suorum bonorum operum, siue ea sibi, siue alijs applicaret: sed toties, quoties ea iuxta suum beneplacitum applicare vellet, semper necessariò præsupponere, ac subintelligere deberet tacitam hanc dependentiam ac conditionem: *si quidem Prælatus ipsius hoc opus alteri non applicauerit.* Quod reuerà onus foret Subditis intolerabile: cùm potiùs è contrario secundùm intrinsecam rei naturam procedēdum sit, ita videlicet, vt intentio, & applicatio Prælati depēdeat ab applicatione subditi, nec possit ille applicare fructū bonorum operum huius, si iste ad hoc non consentit aliqua sua intentione siue actuali, siue virtuali saltem: quod etiam concordat doctrinæ *Suar. n. 10. cit.* Quibus omnibus contradicere certè non potest ipsemet *Ruteus*, cùm & ipse (non obstante illius superiùs allata sententia) nostram, communemque à nobis hactenus traditam doctrinam sequentibus approbet verbis: *quæst. 5. sect. 1. à num. 6. Si Prælatus præcipiat Subdito, vt applicet alicui fructum bonorum operum, & subditus contra-*

*obedientiam pro sua voluntate applicat alteri, applicatio subditi praualebit, & habebit effectum, licèt Prælatus non solùm præceperit applicationem, sed & actu fructum illum applicauerit. Probatur quia subditus habet dominium fructus suorum bonorum operum; licèt igitur teneatur obedire Prælato, validè tamen applicat, cùm donet alteri, quod est verè suum, & id quod est in eius potestate positum. Præterea, valor moralis operis boni, quoad applicationem huic, vel illi faciendam, pendet intrinsecè ex intentione operantis, eamque quoad effectum sequitur: nec Superioris applicatio contraria, praualere potest, cùm sit solùm extrinseca, unde si subditus alicui, contra obedientiam, fructum boni operis applicet, valida erit applicatio.* Quibus sanè verbis nostra superiùs data doctrina, ita (vt clarè apparet) approbatur, vt nihil in contrarium dici possit

247 Quod si ita est, vti reuera est, deducitur euidenter, ac legitimà consequentià ex hac ipsa doctrina non tantùm defectus potestatis dominatiuæ penes Prælatos Regulares in opera bona suorum subditorum (quibus simul etiam deijcitur, quidquid per totum hunc nostrum Tractatum hactenus ædificauimus) verùm etiam infertur, falsam esse responsionem nostram ad præsens dubium. Ex qua, obsecro, ratione poterunt Prælati Regulares, etiam absque consensu Subditorum, ipsis inscijs, & inuitis in suis Gratiosis disponere de illorum bonis operibus, si illorum applicatio immediata dependet essentialiter, atque intrinsecè ab ipsismet Subditis, seu ab operante, tanquam à proprio, & immediato principio, ita vt propterea Superioris applicatio præualere non possit? Addo, ad constringendam magis hanc difficultatem, quòd ipsa concessio Gratiosarum reipsa aliud non sit, quàm actualis exercitatio potestatis dominatiuæ, quam Prælati Regulares habent in merita, ac bona opera suorum Subditorum; quæ opera (tanquam ipsi subiecta) illi secundùm suum beneplacitum per Litteras Gratiosas dispensant: quapropter, quidquid circa hoc possunt Prælati, totum est in ordine ad exercendam hanc potestatem, qua ab ipsis exclusa, ij, quantum ad hoc non minus inhabiles erunt, ac si nequaquam Superiores essent, ergo &c.

Quantum ad apparentiam videtur 248 hæc nobis opposita difficultas satis robusta, at eius solutio nouum nostro assumpto adijciet robur, ac stabilimentum. Respondetur igitur faciliter, ac clarè. Concedimus ob Theologicas, ac efficacissimas allatas rationes, quæque communiter admittuntur, non habere superiorem immediatam authoritatem, & dominium in opera bona moralia sui subditi, sed hunc solùm esse intrinsecè dominum suarum operationum, vti superiùs quoque testantur *Suarez, Bonacina, Zanardus, & Tamburinus: quo dominio certè non se priuauit Religiosus per Professionem* (inquit *Ruteus qu. 5. sect. 1. n. 3. in princ.*) imò addit *Nauarr. Miscell. 11. de Rosar. n. 9.* quòd à tali dominio, *nullo iure naturali, diuino, nec humano videntur Monachi seclusi*: vt supra annotauimus Dubio præcedente *n.* 195. Dicimus ergo, Superiorem habere tale immediatum dominium, ac potestatem immediatam in voluntatem subditi, à qua deinde prouenit omne opus illius morale, omnisque actus liber meritorius, ac satisfactorius, vt possit eam obligare ad faciendam ipsam operationē secundùm Regulam, & hoc ob Votum Obedientiæ ab ipso solemniter præstitum, per quod propriam suam voluntatem deposuit in manus Superioris, vt ab eo dirigatur in præfatis suis operationibus secundùm Regulam: idem prorsus vult insinuare *Zanardus loc. cit.* dum ait: *Applicatio est opus internum, quod in vsu non subditur imperio Prælati, etsi quoad directionem subdatur ei.* Hoc idem clariùs ante ipsum docuit *Suarez num. 10. cit.* quòd nimirum *sola intentio Superioris non sufficiat ad applicandum opus, quia non habet potestatem immediatam in illud opus, sed solùm in voluntatem, à qua prodit, obligando illam.* Deinde concludit: *Nec fortasse Soto, vel Corduba aliud senserunt, sed præceptum aut voluntatem Prælati, vocarunt applicationem*; qui nec melius certè nec clariùs pro nostro casu loqui potuisset: quibus proinde opposita nobis difficultas adæquatè resoluitur, atque explanatur. Quamuis enim Prælatus non habeat immediatam potestatem, ac dominium in opus, tamen habet in voluntatem, à qua prodit opus, obligan-

gando illam; atque ab hac vera potestate dominatiua, ab hoc legitimo & reali iure, quod habent Prælati Regulares in voluntatem suorum subditorum prouenit tanquam à proprio ac legitimo fonte concessio Litterarum Gratiosarum. Quare licèt Superior non habeat immediatam potestatem in opera bona suorum subditorum, habet tamen in eorum voluntates, quas exinde obligare potest ad opera, ipsis à Regula, quam professi sunt, præscripta. Virtute autem talis obligationis, ligatæ ipsorum voluntates, atque obligatæ ad ea, quæ præcipiuntur à Superiore secundùm Regulam, dicimus, quòd hic contradicente etiam Subdito & eo inuito (cùm non valeat iste se eximere ab obedientia Regulæ) possit applicare extrinsecè, ac præcipere sub limitata intentione opera ipsius bona, quę fiunt in communi, & ex præscripto Regulæ. Idem omninò volunt *Soto in 4. dist. 21. q. 1. art. 4. circa finem. Corduba de Indulg. lib. 5. qu. 42. punct. 3. Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 33. art. 2. Valent. t. 4. disp. 7. qu. 20. circa med. Layman. lib. 5. Summ. Tract. 7. cap. 4. vers. Accedit, circa finem. Bonac. de Indulg. disp. 6. q. 1. punct. 3. nu. 19.* dum asserunt (apud *Castro Palaum par. 4. tr. 25. disp. unica, punct. 6. sub nu. 14. vers. Et in primis*) Prælatum Regularem posse mediatè applicare opera bona suorum subditorum, mediante nimirum horum voluntate; cùm ille immediatum habeat dominiũ in eorum voluntates, ratione Voti Obedientiæ ei à subditis præstito. Intelligitur autem hic cum *Suarez* per applicationem Prælati, ipsius Præceptum, voluntas, ac iussio, qua vult, vt subditus applicet præfata communia sua bona opera ad ipsius intentionem, ad quod etiam tenetur subditus, adeoque, cùm nos dicimus, quòd etiam absque consensu subditorum possit Prælatus concedere Litteras Gratiosas, & applicare eorum bona opera, per hoc non excludimus applicationem eiusdemmet subditi, seu operantis, qua ille applicet bona opera sua, iuxta intentionem, ac dispositionem Prælati, vt sortiantur suum effectum iuxta mentem, & præceptum Superioris; applicatio, siquidem subditi semper necessaria est, & vel formalis, vel saltem virtualis necessariò adesse debet.

Porrò tam parum etiam per hoc asserimus, Superiorem ipsum posse independenter à Subditis, applicare immediatè eorum bona opera, vt potiùs contrariũ affirmemus, talemque ei potestatem denegemus, ob rationes superiùs adductas. Sed hoc solùm dicimus, nimirum superiorem, cùm sibi immediatè subiectam, subordinatamque habeat suorum subditorum voluntatem, præcipere illis (independenter ab ipsorum assensu) vt operentur cum tali, aut tali intentione, quæ deinde operatio dependet immediatè, & absolutè, etiam quantum ad intentionem, à solo subdito, siue operante quoad executionem. Vnde hic contingit, quod ex Doctrina *P. Pasqualigo de Sacrif. Missæ tom. 1. tract. 1. qu. 183. n. 14.* accidit in applicatione, qua superior applicat Missam sui subditi. Cùm enim superior subiectam sibi, ac subordinatam habeat voluntatem subditi, applicat ipse Missam, ac Sacrificium istius; per hoc autem non intelligitur, superiorem applicare Sacrificium subditi immediatè, tali quippe potestate ipse caret; nec id facere potest: sed dicitur applicare, in quantum nimirum ille determinatè præcipit talem applicationem, quæ deinde executiuè, & absolutè dependet ab ipsomet subdito, tanquam actio ipsius personalis, quæ vt talis, requirit proprium, & immediatum influxum personæ, à qua procedit: *Non tamen poterit sui subditi Sacrificium Superior applicare: ratio generalis est; quia actiones quæ sunt propriè personales, requirunt influxum proprium personæ, cùm ab ea debeant procedere, & proinde debent esse voluntaria, quod nequit fieri absque actu voluntatis. Sicut autem oblatio Sacrificij, est actio propria personalis Sacerdotis, ita etiam oblatio pro hoc, aut illo determinatè, atq; adeò applicatio; & ideò requiritur voluntas propria Sacerdotis ad determinandum oblationem, vt huic prosit, vel illi.* Ita prædictus *P. Pasqualigo quæst. cit. num. 18.* qui & *num. 14. cit.* ait, quòd *ad validè applicandum Sacrificium subditi, sufficit applicatio Superioris, & quòd subditus non contradicat, seu non applicet ipse diuerso modo. Quia licèt ad applicationem requiratur positiuus influxus subditi, eo ipso tamen quòd non applicat diuerso modo, interuenit saltem interpretatiua voluntas applicandi iuxta mentem Superioris, quæ sufficit. Cùm enim subdi-*

*ſubditus ſit in continua operatione ſecundùm Regulam, atque adeò in continuo exercitio obedientia, omnes actiones ipſius, atque adeò applicatio Miſſa, ſunt ex interpretatiua voluntate obediendi Superioribus, & proinde Sacrificium applicatur interpretatiuè iuxta eorum mentem.*

249 Iam verò hic ipſiſſimus eſt caſus noſter: præcipit Superior eodem prorſus modo celebrationem Miſſæ, ac opera bona communia ſuorum ſubditorum, ea applicat; ac de ipſis diſponit ſecundùm ſuum beneplacitum mediantibus Litteris Gratioſis: & quoniam ſubditi ſunt in continuò exercitio Obedientiæ; idcircò omnia etiam illorum opera communia procedunt à formali, vel virtuali, ſiue interpretatiua voluntate obediendi Superioribus, & operandi iuxta eorum mentem, & applicationem; atque ita denique Filiatio Spiritualis ſuum nanciſcitur effectum in præfatis communibus Religionis operibus: neque enim ſupponitur (ſaltem ordinariè, & vt plurimum) quòd vllus Subditorum contradicat, vti etiam id facere nequit, qua de cauſa toties à nobis, & à Doctoribus ſupracitatis repetiti ſunt hi termini, *eo etiam inuito, & contradicente*. Verùm hoc non ideò, quòd phyſicè loquendo ſi velit vti libertate propria, atque exercere dominium ſuper opera ſua, non poſſit ſubditus contradicere, & applicare illa ſecundùm ſuum beneplacitum, diuerſo modo, ac ea applicauit Superior: ſed quia moraliter, & abſque peccato iſtud facere nequit, quin ſimul amittat bonitatem moralem ſui operis, ac conſequenter etiam valorem ſatisfactorium (ſaltem ex opere operantis) illius operis, ſiquidem illud præceptum fuerit, ſiue alteri applicatum à Prælato per expreſſum illius mandatum: quod etiam limitant *Suarez num. 10. cit. Peyrinus Tom. 1. de ſubdito qu. 1. cap. 6. §. unico, verſu Reſp. non eſſe & Ruteus de Particip. quæſt. 5. ſect. 1. numer. 8. in fine*: ita concludens cum *Peyrino*: *Quia cum applicando fructum ſui operis contra voluntatem Prælati, peccaret mortaliter, nulla ſatisfactio operi reſponderet, cùm non fieret in ſtatu gratia*. Aduertat tamen Lector, ex horum Authorum doctrina, poſſe Prælatum præcipere Subdito applicationem bonorum operum abſque formali præcepto, atque obligatione ſub mortali. Quando applicatio præcipitur, fructus, ſeu valor operis à Subdito non applicatus iuxta mentem Superioris, eſt nullus *ex opere operantis*: vti benè annotauit Suarez *num. 10. cit.* & cum illo *Peyrinus l. c.* ac cum iſto *Ruteus n. 8. cit.* cùm enim in opere ipſo debita deſit obedientia, *per conſequens non fit in gratia* (inquit *Peyrinus*) *propter Superioris præceptum non obſeruatum*: inde eſt, *quòd opus illud nullum habebit valorem*. Subiungit *Suarez*, *ita ut nec illi proſit, cui vult Prælatus, neque ipſi operanti, aut alteri, cui ipſe donat.* Quando verò applicatio non per modum præcepti intimatur, tum neque obligat Subditum ad vllam culpam, atque adeò in tali caſu, *opus aliter factum, non ideò erit peccatum*, ait idem *Suarez l. c.* vbi huius rei etiam aſſignat rationem, quia nimirum in tali caſu, *minùs efficax eſt voluntas Superioris ad applicandum opus Subditi ſine concurſu voluntatis eius*. Admonet porrò ibidem immediatè Superiores, ac Prælatos Regulares, vt applicationem bonorum operum Subditis ipſis expreſſè declarent, ac præcipiant, ita vt ad eorum certam, ac realem notitiam tale præceptum perueniat; aliàs, *nec rectè, nec validè faciunt Prælati Religioſorum* (inquit ipſe) *ſi in ſuis Subditis eorum opera alijs applicant quoad ſatisfactiones: quia moraliter loquendo, ſubditi, qui ignorant Prælati intentionem, aliam diuerſam habebunt, & illa erit quoad factum efficax: nec enim tenentur Subditi quoties alijs applicant opera ſua, ſubintellectam habere conditionem (niſi Superior alteri applicauerint) quia hoc modo nullum ſuffragiũ certum facere poſſent, quod eſſet onus intolerabile: ſatis enim eſt, vt teneantur intentioni Superioris, quando iubentur.* Optima eſt hæc admonitio, quam Prælati Regulares abſolutè practicare debent, ob adductam à *Suarezio* rationem, vti certè credo, ab omnibus, cum in praxi ſeruari; attamen in caſibus tantùm ſpecialibus, in quibus expreſsè præcipiunt ſubditis ſuis applicationem Sacrificiorum, Orationum, Pœnitentiarum &c. pro graui nimirum emergente cauſa, maximè pro extraordinaria quadam neceſſitate inſignis alicuius benefactoris ordinis, aut alio inſolito caſu &c. pro

quibus

quibus eandem admonitionem adfert etiam *Corduba de Indulg. lib. 5. qu. 42. punct. 2. dicto* 4. Sequentibus verbis: *Et si quando Prælatus vellet ex causa, in casu aliquo, applicare bona satisfactoria, contra applicationem particularem subditorum, expediret tunc, quòd hoc notificaret ipsis subditis, seu inferioribus, ne deciperent, aut deciperentur, applicando pluribus; vel sæpius unum, & idem opus, nunc his per Superiorem, nunc alijs per inferiores, &c.*

250 Id tamen non faciunt, quando concedunt Gratiosam Filiationem, quia certè consuetudo non habet, vt particularem Prælati dent notitiam huiusmodi concessionis, & applicationis bonorum operum in suis Gratiosis; quam tamen tot ac tam multis personis communicant, quin vel minimum consciis de hoc Subditis. Cùm ergo vsus iam inueteratus, ac nunquam interruptus obtinuerit, quòd Prælati Regulares omnium Religionum, homines sanctissimi, ac doctissimi & absque numero communicauerint, hodieque adhuc indifferenter communicent Litteras Gratiosas, ac per istas bona opera suorum subditorum, neque id eis notificent, neq; præcipiat expresse, vt opera sua bona applicent ad mentem Prælati, quatenus Gratiosa concessio ab ipso facta sortiatur spiritualem ab eo intentum effectum: signum id est euidentissimum, eos certò, ac infallibiliter supponere, quòd, cùm illorum Subditi versentur in continua operatione secundùm Regulam, vt dictum supra cum *P. Pasqualigo*, & in perpetuo exercitio obedientię; ideò etiam eorum opera, maximè communia, & ex instituto Regulæ facta, procedant à voluntate formali, aut saltem virtuali, & interpretatiua obediendi Superioribus & operandi juxta eorum mentem, & applicationem; & quod proinde opera ipsa ratione voti & exercitij Obedientiæ contineant in se virtualem saltem, ac interpretatiuam intentionem, vt applicentur ad mentem Superioris; idque sufficiat, vt Gratiosæ illorum Participationes effectum ab eis intentum integrè nanciscantur. Aliàs haud dubiè eis notificarent, quotiescunque eiusmodi Litteras conferrent alicui (iuxta monitum *Suarezij*) vt non frustratentur sua intentione vtpotè optimè gnari sapientissimi Prælati, absque præfata intentione, ad applicatione virtuali saltem ac interpretatiua suorum subditorum ad mentem Superioris Litteras Gratiosas suorum Ordinum fore vanas, atque frustraneas: nam *si Litteræ participationum conferunt satisfactiones, erit ex tacito, aut expresso consensu Monachorum*, inquit *Palatius in 4. disp. 20. disput. 3.* citatus à *Ruteo quæst. 6. sect. 9. numer. 32. in fine*, qui *Ruteus*, quamuis ibidem concedat, sufficere in rigore ad consequendum effectum Gratiosarum Participationum, solam virtualem, ac interpretatiuam intentionem, & applicationem Subditorum, (quæ semper supponitur in illis, atque in eorum operibus, maximè communibus ex præscripto Regulæ) consulit ipsis tamen, vt quandoque actualiter renouent generalem suam intentionem, qua Prælato relinquant liberam dispositionem suorum bonorum operum, & satisfactionum, Pariter etiam Prælatis consulit, vt quando ipsi Litteras Gratiosas conferunt, applicent actualiter bona opera suæ Congregationis, ac propriorum Subditorum, vt hoc modo magis certum reddant, omnique dubio exigant effectum, ac fructum earumdem Participationum: en propria ipsius verba: *Licèt intentio virtualis, aut interpretatiua videatur in rigore sufficere, melius tamen, & certius fieret ea applicatio, si subditi quandoque actu renouarent eam intentionem generalem relinquendi Prælatis liberam dispositionem suarum satisfactionum; & si Prælati actu etiam per Chartas participationum intenderent vnà cum alijs Fratribus, applicare alijs satisfactiones futuras suæ Congregationis, & hoc certè Prælatis, & Subditis, consulendum esset; sic enim absque vlla dubitatione satisfactiones, receptis ad participationem bonorum operum prodessent, quo non modicum emolumentum eis proueniret.*

Consilium bonum, ac securum est hoc, quod & ego omni cum reuerentia eisdem præbeo: at non æstimo necessarium, vti reuerà, in rigore loquendo, non est etiam in sensu huiusmet Authoris. Quis enim ex Prælatis, dum concedit actualiter, & actualiter subscribit Litteras suas Gratiosas, non habebit simul actualem intentionem communicandi per eas participationem bonorum ope- 251

operum Ordinis? certè aliter cogitari non potest. Si ergo iste vnicus & solus actus superioris sufficiat ad hoc, vt per illum perseueranter, ac pro semper, bene & debito cum effectu communicatæ remaneant Gratiosæ Participationes, etiam ex doctrina *Bardoni resol. 25. num. 12. vers. Respondetur in fine.* quem sequitur *Caffina in Cathechesi Mystagogica Regularium verbo Missa num. 40. Superior per vnicum actum sua voluntatis, recipiendi benefactorem ad Communionem bonorum operum, quæ in Religione fiunt, eidem applicat Orationes, quas sui Religiosi facturi sunt.* Ita pariter vnicus ac solus actus subditi, quo generaliter intendat applicare opera sua ex instituto Regulæ facta, aut facienda, ad mentem Prælati, sufficiens erit. Siquidem hæc vnica intentio (quamdiu non reuocatur) perseuerat virtualiter, ac interpretatiuè in quocunque illius opere ex obedientia, ex vi Regulæ facto. Paritas certè hìc tenet, cùm inter dictos actus applicationis Subditi, ac Superioris nulla possit assignari disparitas. Quòd autem quilibet talis actus, vt dictum est, sufficiat, æquè certum est ex principijs communibus Actuum Humanorum, ac materiarum moralium, etiam ipsorummet Sacramentorum, in quibus admittitur (specialiter in Sacrificio Missæ) intentio, ac applicatio virtualis: quare *Caffina loc. c. Nec cruciari debet* inquit, *Sacrista pro actuali applicatione singularum Missarum; sufficit enim virtualis, vel habitualis, modo pridie, vel antè præcesserit actualis.* Addit *Bordonus n. 12 cit. sufficit, quòd præcesserit; siue ergo paulò ante, siue multo tempore, parum refert, quia non est maior ratio de vno, quàm pluribus diebus. Tum quia talis actus, ita circumstantionatus, & formatus est, vt dicatur continuò perseuerare non tantum habitualiter, imò etiam virtualiter ex vigore præfatę intentionis, continentis in se huiusmodi perseuerantiam applicationis.* Cæterùm, quòd assertiones istę casui nostro deseruiant, extra dubium est, quandoquidem vterque horum Authorum suam propositionem concludit, ac etiam probat, iisdem prorsus verbis, quæ sunt sequentia: *Sic enim etiam Superior per vnicum actum sua voluntatis recipiendo benefactorem ad communionem bonorum operum, quæ in Religione, vel Conuentu fiunt, eidem applicat Orationes, quas sui Religiosi facturi sunt.* Iam verò quod isti affirmant de Superiore in ordine ad communicationem Gratiosarum, quòd nimirum hoc faciat per vnicum actum, isque sufficiat: idipsum & ego dico proportionabiliter de subdito, quòd scilicet actus illius primus intentionis, seu applicationis suorum operum ad mentem Superioris continuò virtualiter, & interpretatiuè perseueret, & semper, donec ab ipso reuocetur, & si reuocauerit potest reassumere illum denuo, vt duret deinceps pro semper, nisi denouo iterum reuocetur &c. Quis porrò sit iste actus primus, quo Religiosus Subditus intendit applicationem suorum operum ex instituto Regulæ factorum ad mentem Superioris; virtute cuius nos asserimus, sortiri effectum Gratiosas Participationes: Dico hunc esse ipsummet actum solemnis Religiosæ Professionis, in quantum hæc etiam comprehendit Votum Obedientiæ erga Prælatum secundùm Regulam; vi cuius Voti, quamuis non amiserit Religiosus Subditus immediatum dominium suorum operum; ita tamen voluntariè ligatam, ac Prælato subordinatam habet voluntatem propriam: vt licèt hæc intrinsecum habeat dominium fructus suorum bonorum operum; ratione tamen huius subordinationis suo Prælato ipsius dominium adeò ligatur, atque restringitur, vt non possit licitè, quando interuenit præceptum, applicare alijs prædictum fructum, contra voluntatem Prælati. Atque ita ipsummet Votum Obedientiæ, habet rationem primæ actualis applicationis suorum operum Regularium, ac communium iuxta mentem Superioris: ad minimum habet rationem applicationis virtualis, cùm sit implicita abdicatio proprij Iuris, ac potestatis disponendi aliter de suis bonis operibus.

252 Dissentit huic nostro asserto. *Ruteus dum quæst. 5. sect. 1. numer. 10.* vult non Votum Obedientiæ, sed ipsam traditionem, ac donationem, qua Religiosus seipsum Religioni tradit, vi solemnis Professionis, habere rationem applicationis fructus suorum bonorum operum iuxta mentem Prælati: *Ipsa traditio,*

tio, sunt verba ipsius, *quæ Religiosus se tradidit Religioni, habet rationem applicationis virtualis, quæ sufficit, vt fructus boni operis illius applicetur secundùm voluntatem Prælati*; ita *Ruteus*, qui etiam contendit *numer. 6. & 7.* solum Votum Obedientiæ, non obligare Religiosum, vt applicet opera sua ad mentem Prælati, sed obligationem illam, quam contraxit per ipsam Professionem, ac traditionem suimetipsius Religioni. *Dixi* (ait *numer. 7. in fine*) *in conclusione, spectando solam obligationem Voti Obedientiæ; quia si spectetur obligatio, & onus contractum per Professionem, & traditionem Religiosam, aliter loquendum est*. Iam supposita hac traditione, quæ etiam est de essentia status Religiosi, de qua loquitur *Pellizzarius in Manual. Regul. to. 1. tract. 1. cap. 1. nu. 21. & 22.* subditus Religiosus (ait *Ruteus numer. 7.*) per eam sese priuauit Iure disponendi de suis bonis operibus, maximè eo casu, pro Superior ipse illa applicet, ad satisfaciendum promissioni, quam fecit Benefactoribus, prout accidit in casu (addo ego) Litterarum Gratiosarum. Porrò, cùm Religiosus per emissam Professionem sese totum donauerit, ac dedicauerit Religioni, seque constituerit illius membrum, etiam gaudet ac fruitur, prout eius membrum, omnibus illius bonis communibus. Et sicut tanquam membrum Religionis participat in bonis, ita econtra tenetur etiam subiacere oneribus eiusdem, ad quod per Professionem ipsam sese obligauit. Atque ita consequenter per talem Religiosam traditionem, taliter in se suscepit grauamina, atque obligationes spirituales, iuxta superiorum dispositionem, *vt in illis*, inquit *Ruteus num. 9.* iure aliter disponendi se priuauerit; sicque licet aliter contra Superioris præceptum, de bonis operibus disponat, inualida erit dispositio, & irritatur per contrariam voluntatem, in professione, & sui traditione expressam; prior enim voluntas, posteriorem irritam, & inualidam reddit.

253 Quod idem Author vlteriùs confirmat. Primò, quia eo ipso, quòd Religiosus, mediante Professione solemni, sese constituat membrum Religionis, hæc eum reddit participem omnium suorum bonorum: ipse deinde ex parte sua sicut recipit dictam participationem bonorum, ita pariter verè ac voluntariè recipit omnia onera ejusdem Religionis, atque ad ea seipsum obligat. Quando igitur Prælatus præcipit applicationem alicuius boni operis, ab ipso promissi, in recompensationem cuiusdam eleemosynæ, aut alterius obligationis; ita obligatur Subditus ad tale onus atque grauamen, vt si contra voluntatem Prælati opus suum alijs applicauerit, illud nihilominus applicatum remaneat iuxta voluntatē Prælati: & id quidē ob præfatam voluntariam receptionem in sua Professione omnium Religionis grauaminum; quæ receptio rationem habet virtualis applicationis, estque quasi implicita abdicatio proprij Iuris, ac potestatis, disponendi aliter de suis bonis operibus; atque ideò hæc prima virtualis applicatio in casu nostro præualet. Secundò, quia posterior voluntas, & applicatio actualis, facta à subdito contra voluntatem Superioris non potest irritare primam, quamuis generalem voluntatem, ac intentionem, quam in Professione habuit: hæc enim consideratur per modum certi contractus inter Religionem & Religiosum initi: hunc contractum, Religio ex parte sua adimpleuit, quandoquidem Religiosum realiter fecit participem omnium suorum bonorum; adeoque & ipse stare debet contractui: maximè cùm eiusmodi contractus qualis etiam est Professio, sint approbati, ac confirmati ab Ecclesia. Cùm itaque Religiosus, non solùm propria voluntate, sed etiam authoritate Ecclesiæ acceptauerit Ordinis grauamina, seque ad illa obligauerit per dictum contractum, non potest voluntate posteriore retrocedere, cùm iam Religioni sit obligatus, cui obligationi satisfacere quoque debet; *ita vt* (concludit *Ruteus cit. num. 9.*) *bona illius spiritualia necessaria ad exonerationem onerum Religionis, maneant quasi arrestata, & extra liberam dispositionem illius. Hæc tamen sic intellige* (subiungit idem *nu. 10.*) *non quasi velimus solùm præceptum Prælati, aut eius applicationem sufficere, vt bona opera subditi alijs actu prosint, absque applicatione*

tione

*tione actuali, aut saltem virtuali operantis, sed quòd ipsa traditio, qua Religiosus se tradidit Religioni habeat rationem applicationis virtualis, quæ sufficit, vt fructus boni operis illius, applicetur secundùm voluntatem Prælati; vnde sufficit præceptum Prælati, absque eo quòd faciat applicationem, cùm illa non faciat effectum aliquem. Quod intelligendum est* (ita limitat *numer.* 11.) *de veris oneribus, ad quorum exonerationem obligatur Subditus, quia si Prælatus pro sua voluntate promitteret satisfactiones suorum subditorum plurimis Amicis, sine causa legitima, & nimis frequens esset in præcipiendo subditis similes applicationes, tunc illæ non prodessent iuxta intentionem Prælati sed subditi, cùm per Professionem non intenderit, se ad id obligare; quod etiam verum est, etiam si casus esset, in quo obedire teneretur: ratio est, quia conclusio non fundatur in obligatione Voti Obedientiæ, quæ licèt reddat applicationem subditi illicitam, non tamen inualidam: sed inuoluntaria traditione Religiosi, & susceptione onerum Religionis, vt dictum est.* Hactenus *Ruteus*.

254 Cuius doctrinam neque ego totaliter approbare possum: dico totaliter, quia imprimis in ea non approbo, id quod communis doctrina ipsaque intrinseca rei ratio reprobat; quòd nimirum adhoc, vt operatio subditi sortiatur effectiuè applicationem ad mentem Superioris, sufficiat solùm nudum, atque extrinsecum istius præceptum, etiamsi expressa, & actualis intentio atque applicatio eiusdem subditi foret contraria præcepto Superioris: non potest reuerà hoc sufficere, nam Prælatus meus non potest immediatè applicare proprias meas operationes, atque intentiones, cùm hæ essentialiter & intrinsecè à me solo dependeant immediatè: dominium autem, quod in eas habere dicitur Prælatus, sit solùm *in ordine ad debitum vsum* (inquit *Suar. disp.* 55. *sect.* 5. *num.* 10.) *non simpliciter ad vsum*. Quapropter potest quidem Prælatus subdito præcipere aliquod opus, attamen penes liberum arbitrium subditi semper est, illud exequi, aut non exequi, ita vt vsus talis operis semper sit sub dominio subditi qui potest intermittere operationem, non obstante præcepto sui Prælati; vti etiam, licèt operetur, non tamen facere illud iuxta intentionem præcipientis (vt supra dictum est:) ratio clara est, quæ & communiter dari solet, & in specie à *Suarezio* adducitur *l. c.* quia nimirum valor operis moralis intrinsecè dependet ab intentione operantis, quæ non potest vllatenus suppleri à Superiore. Idipsum quoque asserit *Pasterinus de Indulg. quæst.* 88. in qua *n.n.* 645. 646. 647. 648. vnà cum doctrina *Suarezij*, nostram pariter doctrinam, principia, ac responsiones confirmat. Secundò æquè parum admitto, quod vlteriùs supponit idem *Ruteus*, videlicet, quòd cùm Subditus, per hoc, quòd seipsum tradiderit Religioni, in contractu Professionis sese priuauerit Iure disponendi de suis operationibus, aliter ac intendit, & præcipit Prælatus, nec possit retrocedere voluntate ac intentione posteriori à tali contractu, irrita consequenter sit, & absque vllo effectu, quæcunque applicatio sui operis, contraria intentioni ipsius Prælati. Qua irritatione supposita, præualeat deinde semper prima intentio subditi, stipulata ab ipso in contractu, quæ tanquam virtualis applicatio operum illius, atque ex vi contractus iugiter perseuerans, efficit, vt opera sortiantur intentionem Prælati, & ad ipsius mentem remaneant applicata, virtute primæ voluntatis, quæ secundam ac posteriorem irritat, & inualidat, vtpote contrariam præcepto, ac intentioni Superioris. Nullatenus, inquam, hoc admittitur, tum quia inde sequeretur (id quod superiùs fieri posse negauimus) quòd per solam extrinsecam intentionem superioris opus liberum subditi immediatè applicaretur, quod nullus concedit; multò minus deinde, quando istud positiuè applicatur (prout hìc supponit *Ruteus*) ab ipso operante contra præceptum ac intentionem Superioris. Tum etiam, quia verum non est, hanc applicationem subditi operantis irritari, ac inualidari à præfata, inclusa in contractu traditionis sui ipsius per solemnem Professionem; cùm ab illa ad summum possit reddi illicita, non autem nulla, aut inualida. Ex quo infertur, non sufficere certè præceptum Prælati, nec ipsius solam applicationem, vt opera bona subditi prosint ad illius intentionem

nem (*sola intentio superioris, ait Suarez loc. cit. non sufficit ad applicandum opus*) non sufficit, absolutè dico, absque actuali, aut virtuali applicatione ipsius subditi, siue operantis. Vnde autem deriuet, aut à quo habeatur ratio virtualis applicationis, quæ, in defectu actualis, ex se efficere sufficiat, vt fructus bonorum operum Religiosorum applicetur iuxta mentem, & voluntatem Superioris: nos dicimus, vt supra, à Voto Obedientiæ, per quod Religiosus, in Professione solemni, seipsum, ac propriam suam voluntatem obligauit Religioni, ac voluntati, & præceptis Superiorum secundùm Regulam. Aque huic Voto, nos (detractis tamen ijs, quæ reprobauimus) applicamus doctrinam *Rutei* hactenus relatam, qua vult, virtualem hanc applicationem deriuari à præfata traditione, qua Religiosus seipsum Deo, ac obsequio Religionis consecrauit. Quòd verò nos hîc Votum Obedientiæ præferamus traditioni Religiosæ, non est, quia dictum Votum auferat Religioso dominium immediatum in proprios actus (quod reuerà non aufert, etiam in opinione *Rutei*, qui ait, *q. 5. sect. 1. n. 6. subditus habet dominium fructus suorum bonorum operum, & potest sibi, & alijs applicare, cùm applicet, & donet alteri, quod est verè suum.*) vti neque illud etiam aufert dicta traditio, de qua loquens, quamuis in ordine ad aliud propositum noster *P. Clemens Ficara* in suo doctissimo *Tractatu de Fama part. 1. Colloq. 12. numer. 8.* vbi ait, conuenienter ad nostrum intentum: *Dico quòd illa traditio, natura sua non reddit personam incapacem dominij; nam per se, & quantum postulat natura talis status, solùm fit ad Dei famulatum, & obsequium Religionis, vt per Suarez de Religione toma 3. libr. 2. capit. 12. numer. 14. 15. 16. atque in hoc sensu dicitur, quòd Religiosus sit tanquam seruus*. Verùm porrò est, quòd votum præferatur, quia ex sua natura, & explicitè votum istud profectò multò magis obligat Religiosum ad operandum *iuxta mentem Superioris* magisque stringit contractus Obedientiæ quàm contractus traditionis: si autem ita est, vti reuerà est, quomodo poterit hæc, & non illa habere rationem virtualis applicationis? Cæterùm, quòd plus stringat Votum Obedientiæ, quàm ipsa traditio, clarum est, quandoquidem hæc ab illo robur accipit, suamque eleuationem ad spirituale holocaustum oblatum ipsi Deo, etiam iuxta doctrinam citati *P. Ficar. l. 1. num. 9.* vbi ait: *per Obedientiæ votum illa traditio facta Religioni, specialiùs consecratur Deo, ac per idem votum quasi eleuatur, vt sit quasi spirituale holocaustum, ipsi Deo oblatum*. Concludo denique quòd sicut Religiosus ratione solius Voti Obedientiæ (propriè ac formaliter loquendo) tenetur subesse directioni sui Prælati, ipsiusque præceptis, ac dispositioni secundùm Regulam; ita ratione eiusdem Voti dicitur quoad opera Regularia esse in continuo exercitio Obedientiæ: proinde transgressionem tantummodo huius confitentur Religiosi, etiam qui doctiores sunt, non autem, quòd operati fuerint contra contractum Religiosæ traditionis, quando non sunt operati iuxta mentem Superioris: quòd euidens argumentum est, atque aperta deductio, Votum Obedientiæ, non verò præfatam traditionem habere in subdito Religioso rationem Virtualis applicationis; quapropter hoc firmiter nos ita tenemus. Superest modò, vt satisfaciamus aliquibus Obiectionibus, quæ contra nostrum principale assumptum, atque conclusionem inferri possunt, quibus deinde hoc terminabimus Dubium.

Opponet igitur aliquis aduersus no- 255
stram sententiam: intentio, applicatio bonorum operum, Oratio Mentalis, meditatio, ac Sacrificium Missæ sunt mera spiritualia, & interna; ergo non possunt à Prælatis Regularibus præcipi, & applicari per Litteras Gratiosas absque consensu Subditorum; igitur nec vera est nostra responsio. Antecedens opus non habet probatione, cùm certum sit; vnde *Sotus* apud *Suarezium loc. citat. numer. 7.* ait: *Satisfactio, vel applicatio eius, res est valde spiritualis, & interna, quæ non cadit sub præceptum humanum*: sic res spiritualis etiam est meditatio, quæ est actus mentis &c. Prima verò consequentia, est ipsa communis sententia Doctorum, quæ non admit-

admittit vllam potestatem humanam, neque etiam Ecclesiasticam, quæ possit præcipere actus internos, & insensibiles; redditque huius rei rationem, inter alios *Moronus in Opusculo de consuetudine* sub titulo *Biga Responso primo num.* 120. *pagin.* 36. *Quia*, inquit, *vt Prælatus possit præcipere actus merè internos, debet posse iudicare, & cogere ad id quod præcipit; excedit autem omnem humanam potestatem iudicare de internis, & ad illa cogere: D. Th.* 2. 2. *quæst.* 104. *artic.* 5. *in corp. & sic non tenetur subditus obedire Prælato quoad actus merè internos.* Quod si ita est; expertes ergo sunt Prelati potestatis dominatiuæ supra fructum bonorum operum suorum subditorum (tanquam rei spiritualis) supra eorum intentiones, Meditationes, Sacrificia &c. consequenter exigui, aut nullius valoris, eorum Litteræ Gratiosæ, absque consensu eorundem Subditorum; atque ita nostra etiam responsio insubsistens, & exigui ponderis.

256 Respondeo ad obiectionem; ac concesso antecedente, nego absolutè vtramque consequentiam. Ad communem doctrinam, quæ fundatur in hoc, quòd nulla potestas, neque etiam Ecclesiastica possit imperare actus spirituales (quia nimirum cùm isti sint interni, & insensibiles, excedunt potestatem humanam etiam ipsiusmet Ecclesiæ, quæ vtpote externa, & visibilis, non nisi circa visibilia, & sensibus obuia versari debet: & sicut eos non potest præcipere, ita neque iudicare, vnde principium commune est, quòd *nec Ecclesia iudicat de internis, & occultis:*) Dico doctrinam hanc communem, ac commune principium debere intelligi cum propria sua distinctione, & exceptione; aliàs si sumeretur ad litteram, vti sonat, & in rigore, destrueret vniuersim omne præceptum Ecclesiasticum de actibus internis, etiamsi isti necessariam haberent connexionem cum actu externo, quod nequaquam admittendum est. Sunt igitur ex actibus internis, spiritualibus, & occultis, aliqui purè tales, atque adeò occulti, & interni, vt nullum prorsus actum externum sibi adiunctum habeant, neque connexionem cum vllo actu sensibili, quales, exempli gratia, sunt cogitationes cordis atque animi: actus amoris, odij, & similes: quantum ad hos, vtpote purè spirituales, internos, & occultos; concedi potest, quòd nullum præceptum humanum, neque etiam Legis Ecclesiasticæ versari possit aut habere dominium, seu Iurisdictionem, cùm sint sensibus omnino imperceptibiles, adeòque excedant potestatem cuiuscumque legis humanæ, quæ solummodo se extendit ad res sensibiles: vnde non potest consequenter humanus Iudex, aut Superior tales, aut similes actus puræ insensibiles, spirituales & internos præcipere, aut prohibere. Alij deinde actus interni dantur; qui connexi sunt actibus externis: quia nimirum isti ad suum esse, necessariò requirunt actus tales internos, à quibus etiam, tanquam à propria Regula, ac radice proueniunt, vt humano modo fiant: & hos actus certum est posse præcipi, quamuis occulti sint ac interni, imò actualiter præcipiuntur, quia pertinent ad actus externos, cùm isti sine illis in esse suo morali subsistere non possint. Quare licèt vt occulti, & spirituales præcisè, & directè præcipi non possint, possunt tamen indirectè & per accidens, in quantum necessariam habent connexionem cum externis, & hæc doctrina est communis. Aliàs quanta mala insurgerent in Dei Ecclesia? quanta perturbatio in Dei republica, si v. gr. Sacramenta ministrarentur absque debita intentione: si contractus (maximè matrimonij) non liberè, absque actu nimirum interno, sed solùm externè fierent. Quamuis ergo Ecclesia non præcipiat actus merè spirituales, internos, & occultos; id tamen facit, ac facere potest, quando isti sunt circumstantiæ necessariæ actionum humanarum externarum. Prout etiam sub eadem formalitate, ac principio, dicere possumus ac reipsa dicimus, quod disponant Prælati Regulares in suis Litteris Gratiosis de actibus internis suorum subditorum: quod etiam affirmat ipsemet *Ruteus q.* 5. *sect.* 1. *n.* 1. *vers. Nota primò:* dum ibidē ait: *licèt fructus bonorū operū sic res spi-*

*ſpiritualis ; eſt tamen materia Voti Obedientiæ, eiuſque applicationem alijs faciendam præcipere poteſt Prælatus, quia licèt applicatio boni operis ſit actus internus, quem proinde non poteſt directè præcipere, poteſt tamen indirectè, quatenus actui externo coniungitur, & neceſſarius eſt ad rectè diſponendum de actu externo : v. g. celebratio Miſſæ, Communio, ſunt res externæ, quæ cadunt ſub diſpoſitionem, & præceptum Prælati; quia tamen non poteſt Prælatus legitimè de illis diſponere, niſi præcipiat actum internum illis coniunctum, & ad hoc neceſſarium, ideò dicitur ex conſequenti, & indirectè præcipere poſſe applicationem internam bonorum operum, tanquam neceſſariam ad diſpoſitionem boni operis externi : ſic enim Eccleſia præcipit attentionem in Horis Canonicis*. Idipſum confirmat paucioribus verbis *Suarez l. c. n. 9.* ſic : *Neque obſtat, quòd ſatisfactio, vel applicatio eius, quid ſpirituale ſit : nam imprimis poſſunt hæc præcipi, vt circumſtantiæ operis externi*. Addit etiam (quod optimè caſui noſtro quadrat) *Et deinde Religioſi ſpecialiter ex Regula vel voto, poſſunt ſuo modo obligari ad interiores actus ; vt ad Orationem Mentalem, vel quid ſimile*. nam *Superior*, ait idem *Suarez loc. citat. numer. 7. eſt Dominus voluntatis actionum ſubditi, & fructus earum*. Quod *Layman* quoque obſeruauit *in Theol. Morali libr. 4. tract. 5. capit. 9. numer. 4.* Vnde verum eſt, quod communiter aſſeritur, quòd neque Eccleſia ipſa directè & per ſe præcipiat, neque iudicet actus internos. At verò à tali antecedente non bene deducitur, ergo neque etiam Prælati Regulares eos præcipere poſſunt ſuis ſubditis : nego hanc conſequentiam, ob diſparitatem, quæ inuenitur in ordine ad proprios ſubditos, inter Prælatos Eccleſiæ, & Superiores Regulares, nam illi (ait etiam *Ruteus*) in ſuos ſubditos habent ſolam poteſtatem Iuriſdictionis : iſti autem inſuper habent poteſtatem dominatiuam, vi cuius habent dominium ſupra ipſam voluntatem, quapropter poſſunt præcipere ipſis immediatè etiam actus internos : quando hi continentur in Regula : *Hæc in re eſt ſpecialis aliqua ratio in Superioribus Religionum reſpectu Subditorum, quæ non eſt in Prælatis Eccleſiæ : hi enim habent ſolam poteſtatem Iuriſdictionis in ſubditos ; Superiores autem Religionum vltra poteſtatem Iuriſdictionis, habent etiam dominatiuam, vt rectè Arragonius 2. 2. quæſt. 88. artic. 8. virtute cuius habent quoddam dominium, & liberam diſpoſitionem voluntatis Subditorum*. Ita *Ruteus quæſt. 5. sect. 1. numer. 1. in fine*. Cùm igitur Religioſus in ſolemni Profeſſione ſua ſponte per Votum Obedientiæ ſecundùm Regulam ſubiecerit voluntatem propriam ſuo Prælato ; eo ipſo ſupra eandem illi contulit plenam poteſtatem dominatiuam, qua eam poſſit arctare ad actus internos, ſpirituales, & occultos, qui proueniunt à voluntate, tanquam à propria radice, quare eidem imperare poteſt, vt producat actus, exempli gratia, amoris Dei, vt faciat orationem Mentalem (quantum tamen patitur humana fragilitas) & ſimilia ; ſi tamen iſta ſint ſecundùm Regulam, quia ad id, & non ampliùs ſubditus ſeſe obligauit, & hoc eſt, quod inferre voluit *Suarez* ſuperiùs, cùm dixit : *Religioſi ſpecialiter ex Regula, vel Voto, poſſunt ſuo modo obligari ad interiores actus, vt ad mentalem Orationem, vel quid ſimile* ; atque hoc ideò, quia quantum ad hoc *Superior eſt Dominus voluntatis actionum ſubditi, & fructuum earum*. Quia verò Prælati Eccleſiaſtici in ſuos ſubditos non habent talem poteſtatem dominatiuam, ſed ſolùm Iuriſdictionalem, ideò dicitur quòd nec ipſi, nec Eccleſia præcipiant actus merè internos, imò nec poſſint præcipere.

At verò, quantum ad hoc vltimum, 257
quòd nimirum id neque etiam poſſit Eccleſia : dicam hìc obiter, & per parentheſin (ſubmitto tamen totum reuerenter omni cenſuræ, maximè ipſiuſmet Eccleſiæ) quòd ego non videam, cur illa de poſſibili ſaltem hoc facere non poſſit, aut ei conueniat, cùm nullum appareat fundamentum, vnde ei negari debeat talis poteſtas, & quòd à Deo non ſit illi probabiliter conceſſa ; quamuis defacto eam non vſurpet : licèt enim illius poteſtas externa ſit, & viſibilis, radix tamen eiuſdem poteſtatis, eſt interna, ſpiritualis, & inuiſibilis : adeoque ratione talis Spiritualis, & inuiſibilis Iuriſdictionis poterit Eccleſia in foro interno præcipere actum

internum, & inuisibilem. Probatio huius consequentiæ sit hæc eadem doctrina, quam nunc immediatè cum *Suarez*, *Layman*, *& Rutco* tradidimus de Prælatis Regularibus: si istis conceditur talis potestas in proprios subditos, ratione dominij, quod ipsi habent in eorum voluntates; cur negari deberet eadem potestas Supremo Capiti Ecclesiæ, nimirum Romano Pontifici, à quo omnis deriuatur potestas in quoscunque Prælatos Regulares? Neque hoc dico, referendo Summum Pontificem ad solos Religiosos, & Regulares; benè enim scitur, quòd comparatus ad hos, tanquam eorum Generalis Generalissimus, ratione Voti Obedientiæ non minus sibi habeat obligatas secundùm Regulam, subiectas, ac subordinatas eorum voluntates, quàm ipsimet Prælati Regulares. Sed id dico, si consideretur etiam Pontifex vt Caput vniuersale totius Christianitatis, quia etiam vt talis, dico ego probabiliter, quòd possit præcipere actus merè internos, atque obligare voluntatem nostram ad eos immediatè; cùm eam tanquam Summus Pontifex, & Vicarius Christi, sibi subditam, atque subiectam teneat; & radix talis subiectionis interna sit, spiritualis, & inuisibilis, vt dictum est; adeò vt Iurisdictio Ecclesiæ, ac Pontificis cadat immediatè supra voluntatem, & supra actus illius internos: & si imperat actus externos, & humanos, in tantum isti cadunt sub præceptum Pontificium, ac Ecclesiasticum, in quantum sunt subordinati voluntati, atque ab eadem denominantur formaliter liberi, & non aliter. Quòd autem hoc verum sit, patet ex eo, quia si actus externi liberè non procedunt, neque etiam possunt esse materia legis, nec cadere sub eiusdem præceptum; & hoc ideò, quia voluntas nostra est immediatè subdita Legislatoris voluntati, cui, aut per nostram electionem, aut ex Ordinatione Diuina subiecta est: nam ab eadem etiam libertate, ac voluntate prouenit quasi tota ratio meriti, quod ab actibus nostris promanat. Quia verò ista subiectio voluntatis significatur externè: ac Iurisdictio quoque Superioris, etiam externè notificatur, ac promulgatur, nec prout talis nisi per actus visibiles adimpleri potest; inde fortassis originem traxit, ac inualuit opinio, quòd præcepta Legis Ecclesiasticæ, atque Ecclesiæ non versentur nisi circa visibilia, ac sensibilia, quantumuis radix Iurisdictionis eiusdem, vt dictum est, sit absolutè interna, & immediatè cadat supra nostram voluntatem, & illius actus internos. Hinc est, quòd si quis violenter cogatur ad externum aliquem actum à lege prohibitum; aut quocunque modo iste ab eo procedat sine interuentu consensus suæ voluntatis; neque peccat, neque legem absolutè transgreditur; cùm ista præcipiat actum liberum; qui deinde præceptus, non potest esse nisi coniunctus cum interno; adeòque radix Iurisdictionis Ecclesiasticæ certissimè fundatur in actu interno; atque in subiectione nostræ voluntatis; si ergò ita se res habet, vti certè aliter dici non potest, sequitur, non esse improbabile, Ecclesiam posse etiam præcipere actus merè internos.

258 Videtur adhuc obstare, quòd de ijs non possit iudicare, iuxta communem assertionem, quòd Ecclesia non iudicat de internis; si autem Ecclesia non potest iudicare actus internos, nec eos cognoscere; consequenter neque illos præcipere potest, nec legem suam in eos extendere. Tantò plus; quia potestas Legislatiua dicit etiam coactionem; vnde, vt docet *Aristoteles Eth. cap. 5.* coniuncta est cum potestate punitiua: hanc autem non habet Ecclesia, nec Romanus Pontifex super actus internos, cùm eos punire non possit; ergo &c. At reipsa hoc non obstat; siquidem *Aristoteles* (vt ab hoc incipiamus) locutus est de potestate exteriori ac Iudiciali: non de interiori, seu spirituali (quæ solummodo Animam concernit) de qua potestate Philosophus nec lumen, nec notitiam habuit. Prætereà potestati legislatiuæ punitiuam ipse adiunxit, maioris decentiæ, ac congruentiæ causa, non verò vt conditionem essentialem, inseparabiliter debitam ac re-

requisitam. Prout certè, hodie decentius est Pontificem Romanum habere potestatem legislatiuam, ac simul mediantibus armatis suis militibus etiam punitiuam, quàm olim, cùm Sanctitas sua habebat solùm legislatiuam. Insuper, non, inquam, obstat hoc: quia negamus quoque, quòd Ecclesia non possit punire, ac suo modo iudicare actus internos. Quod clarè suadetur hac euidenti ratione; quia potestas punitiua, & coarctatiua sequitur naturã potestatis legislatiuæ; quemadmodum igitur, quando ista respicit actus internos, & circa eos versatur, est purè spiritualis, ita etiam talis est potestas coarctatiua, ac punitio, quæ porrò, si hoc modo considerentur, concedi potest, quòd ad potestatem legislatiuam essentialiter requirantur; coarctatio namque inducit culpam, quam certò incurrit, qui transgreditur legem: punitio autem pœnam, quæ semper culpam sequitur.

259 Solùm ego admitti debet, Ecclesiam non posse cognoscere, nec externè iudicate actus internos, quod certè verum est, quia arcana, ac secreta cordis Soli Deo patent; prout etiam ipse solus ea iudicare potest; Ecclesia autem conditionatè, nimirum casu, quo existant; cùm in ea verum habeat dominium. Potest quoque punire actus internos, sed pœna correspondente, & interna, quemadmodum è contrario, non potest punire actus externos, nisi pęna solùm externa. Quapropter excommunicatus non erit, qui ignoranter & absque concursu suæ voluntatis occideret Clericum, si eum pro tali non cognosceret: subiectus tamen maneret pęnæ externæ à legibus præscriptæ. Addi etiam potest, non esse maiorem rationem, cur Ecclesia, vi potestatis à Christo acceptæ, possit condonare, ac remittere actus internos, non solùm quoad culpam, sed etiam quoad pęnam; vti facit, quando dispensat in Votis, ac elargitur plenariam remissionem peccatorum: & non possit etiam pręcipere actum merè internum, atque ad illum obligare, cùm potestas ad vtrumque sit eadem; ac idem possit remittere legem, qui & condere. Quare non benè, nec consequenter sentiunt illi; qui præfatam potestatem concedunt Ecclesiæ, in relaxatione Votorum, & eandem negant quoad leges, & præcepta; cùm vtrobique pari modo procedendum sit. Potiùs dicendum est, quòd Ecclesia non soleat præcipere actus merè internos, non necessarios ad substantiam actuum moralium externorum: non autem, quòd non possit eos præcipere; iuxta sententiam *Malleti de Iure Ecclesiæ Militantis l.2. Tit. 1. §. 1. num. 5. Ecclesia non solet præcipere interiorem actum non necessarium ad substantiã Moralium actuum:* verum siquidem est, quòd non soleat talem actum pręcipere. Quòd verò neque possit; dico probabiliter esse falsum, contra *Suarez, Valentiam, Sayrum, Azorium*, & alios apud prædictum *Malettum loc. c.* vbi audacter dicit: *Ecclesiastica Lex potest præcipere & prohibere actum internum, vt coniunctum cum externo, tanquam necessarium ad aliquod esse morale actus externi. Quia Ecclesia potest præcipere actum moralem perfectum; sed hoc falsum esset, nisi etiam possit præcipere actum internum, cùm vt plurimum actus internus sit perfectio actus externi. Quando verò actus internus nullo modo est necessarius ad esse Physicum, vel morale exterioris actus, sed solùm potest coniungi ex arbitrio, seu libertate operantis, tunc nullo modo potest per legem Ecclesiasticam præcipi, vel prohiberi; vnde Ecclesia non potest præcipere, vt Ieiunium, vel Oratio fiat cum hac, vel illa intentione &c.* At de hoc vltimo constat oppositum, quandoquidem Summi Pontifices in ipsismet Bullis, quibus concedunt Indulgentias, pręscribunt operibus in eis taxatis maximè orationi, intentionem particularé, ac determinatã: quod totum obiter, & ad ornatum tãtùm præsentis Tractatus, non autem ad necessitaté dictum sit. Quocirca reuertimur ad primum nostrum assumptum, & responsionem proposito dubio datá.

Opponeretur secundò: quòd Religiosi subditi, ratione Voti Obedientiæ, solùm teneantur obedire Prælatis suis in ijs rebus, supra quas ipsi receperunt Iurisdictioné à Summo Pontifice, tãquam primo ac supremo Capite, ac Generale Generalissimo omnium Religionum (ita *Castropalaus p. 4. tr. 25. disp. vnica punct. 6. sub n. 14. vers. Cæterum.*) Atqui Pręlati Regulares nec receperũt, nec recipiũt à S. Sanctitate Iurisdictioné supra actus Subditorũ merè internos, cuiusmodi est applicatio bo- 260

norū operū:cùm hanc nec ipsemet Pontifex habeat, ( *siquidem neque ipse Pontifex eam Iurisdictionem habet*, inquit *Palaus* ) & nemo dat quod non habet: adeòque neque Prælatus Regularis eam habet, aut habere potest. *Ergo* ( concludit idem aduersus nostram responsionem ) *non possunt Prælati præcipere, vt satisfactionem suorum operum alicui applicent, quia hæc applicatio est merè actus internus, & omnino extrinsecus operi satisfactorio, ac proinde neque in se, neque in opere externo iudicari à Prælatis potest, ergo nec præcipi*: quibus omnis vigor, omneque robur Gratiosarum Participationum eneruatur.

261 Respondeo ad hanc oppositionem, distinguendo minorem: non recipiunt Prælati Regulares Iurisdictionem immediatam supra actus internos subditorum, vt iam concessum est superiùs, suppositumque pro certo: imò probationibus, ac authoritatibus stabilitum: & conceditur etiamnum, cum ipsomet *Palao*, ac cum Doctoribus ab ipso citatis *n. 16. versu Contrarium*. Non recipiunt Iurisdictionem immediatam supra voluntatem Subditorum, consequenter mediatam super opera eorum bona, atque actus etiam internos, prouenientes à voluntate iam obligata, ad illos secundùm Regulam exercendos, negatur absolutè iuxta superiùs iam dicta. Sicut etiam negatur, quòd Pontifex, vt primum, ac Supremum Caput Religionum non habeat talem Iurisdictionem: habet eam vel maximè, atque ab eo deriuatur in omnes Prælatos Regulares: isti autem, præterquam quòd eam participent à Summo Pontifice, recipiunt illam quoque à proprijs subditis, vtpote promanantem à Voto Obedientæ, atque à Contractu solemnis Professionis, vti supra dictum est. Cæterùm si iuxta eundem *Palaum cit. versu Cæterum n. 14. circa medium*, Religiosi Subditi obligati sunt ad applicationem Sacrificiorum, & orationum iuxta mentem Superioris; quando ab isto iubentur ea offerre pro Fundatoribus, aut pro alijs, à quibus Religio accepit fundos, stipendia, & eleemosynas, quia ipsimet Subditi simul vnà cum Prælato ad dicta Sacrificia, Orationes sese obligarunt ex contractu, aut ex tacito saltem consensu; ita pariter tenentur iidē Subditi applicare sua bona opera ( saltem ea, quæ ex instituto Regulæ fiunt ) ad mentem Superioris, si ita ipse præceperit, aut etiam disposuerit, vti fit in Litteris Gratiosis, ratione alterius contractus ab ipsis, & eodem Superiore stipulati, atque reciprocè inter ipsos celebrati in Professione solemni, in qua per Votum specialiter Obedientiæ in talem obligationem expressè, aut tacitè & virtualiter consenserunt. Quapropter hac ipsa de causa superiùs stabiliuimus, virtualem applicationem omnium bonorum operum Religiosorum ad mentem Superioris, fundari in solemni Voto Obedientiæ, quo ipsi, virtualiter saltem, & interpretatiuè, intenderunt sese conformare voluntati, ac intentioni suorum Prælatorum, relinquendo liberæ eorum dispositioni fructum suorum operum, etiam satisfactorium; vi cuius intentionis ea deinde virtualiter, & interpretatiuè intelliguntur applicata, ac disposita iuxta mentem Superioris: saltem quamdiu ab ipsomet Subdito actualiter vel virtualiter non applicentur ad aliam intentionem.

Quod totum optimè concordat cum doctrina ( à qua & roboratur magis ) *S. Th. in 4. distinct. 20. q. 1. art. 3.* relata à *Suarez tom. 4. in 3. part. q. 61. sect. 2. n. 12.* vbi tractans Doctor Angelicus de satisfactionibus superabundantibus, Sanctorum, Iustorum atque Fidelium, ab ipsis particulariter non applicatis, quæ proinde reponuntur in Thesauro Ecclesiæ, tamquam bona communia eiusdem Ecclesiæ, reddit ipsemet Sanctus Doctor rationem (quę nobis hìc optimè subseruit) quare tales satisfactiones, in particulari ab operante non applicatæ, remaneant deuolutæ ad Thesaurum Ecclesiæ: atque ait, hanc esse ipsam formalem, aut saltem virtualem intentionem Fidelium, quòd nimirùm velint satisfactiones suas superabundantes, neque à se applicatas, relinquere liberæ dispositioni Ecclesiæ; vt illa conuenienti modo ac tempore, eas in aliorum emolumentum dispenser: en ipsum textum *Suarezij loc. cit. Rationem autem, ob quam huiusmodi satisfactiones superabundantes reponantur in Thesauro Ecclesiæ, reddit statim D. Th. ex intentione ipsorum operantium: nam* 262

*vnus*

*v... potest pro alijs satisfacere iuxta intentionem suam & ideo si alicui suam satisfactionem applicet, illi prodest, si non sit impedimentum: quando verò nemini applicat, & ipse etiam tali satisfactione non indiget, hoc ipso, vel formaliter, vel virtualiter intendit, per illa opera, Ecclesiæ prodesse, quantum potest; ergo donat illa ipsi Ecclesiæ, vt in eius Thesauro custodiantur, conuenienti modo suo tempore dispensanda.* Quòd autem quilibet Fidelis habeat intentionem saltem virtualem, vt opera sua satisfactoria superabundantia, neminique applicata deueniant ad Thesaurum Ecclesiæ, ac virtute talis intentionis virtualis in eo reposita maneant, est sententia communis, vt etiam notat *Ruteus de Partic. qu. 6. sect. 9 n.3.* dicens: *Nota, quod communiter docent Doctores satisfactiones superabundantes, & quæ effectum non habuerunt, prosint alijs, eo modo, quo legitimè fieri potest, iuxta modum à Christo præscriptum.* Ita *Ruteus*, qui etiam addit ex *Soto*, & *Adriano*, sequentem doctrinam: *Scotus quodlibet 20. art. 1. & Adrianus quodlibet 8. art. 3.* (verba sunt *Rutei*) *docent, Fideles intentione habituali, quam alij vocant virtualem, aut interpretatiuam, applicare alijs fructum generalissimum suorum bonorum operum communium; quam intentionem volunt in hoc consistere, quod Fideles suscipiendo Baptismum, & incorporando se Ecclesiæ, censentur suscipere obligationes ab Ecclesia iniunctas, inter quas sunt, vt Sacrificia, & Orationes communes, vt Horæ Canonicæ &c. fiant pro tota Ecclesia. Cùm igitur omnes Fideles sint in ea voluntate, vt velint se in illis, sicut & alijs conformare ordinationi, & intentioni Ecclesiæ, dicuntur intentione interpretatiua virtuali, aut habituali, id velle.* Iam iste in terminis, & ad litteras casus noster est: Professio solemnis, est secundum Baptisma: ita enim vocatur à *S. Hieronymo*, *S. Bernardo*, & alijs, quos refert *Sanchez in Decalog. lib. 5. cap. 5. n.2.* Per eam Religiosus incorporatur Religioni; ac per Votum Obedientiæ virtualiter & interpretatiuè intendit, tota vita sua, sese conformare voluntati ac intentioni sui Prælati (quemadmodum omnes Fideles in Baptismo Ecclesiæ) relinquendo ipsis liberam dispositionem & applicationem operum suorum ex instituto Regulæ factorum &c: ac transferendo Ius proprium ad illa etiam vt satisfactoria in suum Prælatum ac Superiorem. Atque in hoc consistit continua virtualis applicatio, de qua nos superiùs & hìc loquimur; quam sic etiam explicat *Ruteus loc. cit. n.31. in fine* sequentibus verbis: *Subditi incorporando se Religioni per Professionem, virtualiter, aut interpretatiuè intendunt, se conformare voluntati, & intentioni Prælatorum, relinquendo eis liberam dispositionem satisfactionum superfluarum, eo modo quo dictum est, Fideles eadem intentione applicare omnibus Fidelibus fructum generalissimum bonorum operum communium, ob talem voluntatem, & intentionem Ecclesiæ, cui se conformare censentur in Baptismo; proindeq; subditi censentur continuò esse in ea voluntate, vt sibi reseruent suas satisfactiones necessarias, & quandoque alijs actu applicent: quoad superfluas verò, & nulli applicatas, relinquunt dispositioni Prælatorum, & omne Ius suum in eos transferunt.*

Instabit tertiò quisquam aduersus 263 nostram responsionem alio medio termino, mutuato ex *Palao*, qui tamen vlteriùs originem suam habet ex doctrina *Scoti quodlibet. 20.* quam etiam refert *Suarez disp. 55. sect. 5. n. 7.* Si Prælatus Regularis secundùm suum beneplacitum in Litteris Gratiosis posset disponere, ac applicare opera satisfactoria sui Subditi, ad aliorum beneficium, ac id ei præcipere, isque teneretur illi obedire; obligaretur consequenter Subditus non solùm ad executionem operis satisfactorij materialis, sed etiam formalis, nimirum verè satisfactorij, & vt talis; aliàs præciperetur applicatio dubia, ac incerta. At impossibile videtur, quòd præceptum, ac dispositio Prælati sese possit extendere ad applicandum tali modo opera satisfactoria Subditi, vt reipsa, ac in effectu talia sint; cùm hoc dependeat à gratia, & ab alijs circumstantijs, ac conditionibus homini incognitis: adeoque hoc non potest disponi in Litteris Gratiosis, nec cadere sub præcepto; nam modus operandi in gratia, & cum omnibus circumstantijs ad bonitatem operandi requisitis, non cadit sub præceptum humanum; & tamen necessarium est, ad consequendum fructum satisfactionis: proinde si hoc non potest præcipere Prælatus, nec consequenter disponere in Litteris Gratiosis de operibus sa-

satisfactorijs suorum Subditorum. *Quòd si dicas* (concludit suam instantiam *Palaus*) *præcipi posse subditis, vt quantum est ex se, satisfactionum opus exequantur; durum, & difficile opus videtur, & non leuiter scrupulis expositû.*

264 Respondeo huic instantiæ cum *Suarez loc. cit. n. 9. in fine.* Quòd quando Prælatus disponit ordinariè (etiam in Litteris Gratiosis) de applicatione bonorum operum suorum subditorum, solùm vult, & simpliciter iniungit applicationem eorumdem operum, etiam satisfactoriorum, taliter qualiter sunt, pro persona ab ipso determinata; relinquens reliquum obligationi, quam quilibet habet, maximè Religiosi, operandi rectè, & in statu gratiæ: en præcisa ipsius *Suarez* verba *num. cit. Ordinariè solùm iniungitur subdito, vt tale opus ex se satisfactorium faciat pro tali persona: reliquum autem supponitur ex illa obligatione, qualiscunque illa sit, qua vnusquisque præsertim Religiosus tenetur, & rectè operari, & esse in statu gratiæ:* neque hoc durum esse potest, aut expositum scrupulis, vti prætendit *Palaus*, nec reuerà, quo id fundamento dici posset, scirem. Imò addit idem *Suarez l. c.* posse Prælatum, graui vrgente necessitate præcipere Subditis, vt sese disponant ad opera satisfactoria per conditiones ac circumstantias necessarias, quæ requiruntur ad fructum satisfactionis, & vt faciant quãtum possunt, vt grata sint, atque accepta Diuinæ Maiestati; neq; tale præceptum repugnare, neque adeò difficile esse executioni mandare, & quamuis esset difficile, nihilominùs ob grauissimam caussam imperari posse. *Dico tamen* (inquit ille) *si grauitas causæ postulet, posse Prælatum præcipere Subditis, vt quantum in ipsis est, se disponant ad illud opus faciendum, ita, vt sit gratum & acceptum Deo ad talem effectum; quia neque repugnat ex se talem modum operandi cadere sub præcepto, neque est onus valde difficile; & quamuis tale esset* (concludit ipse) *propter grauissimam causam præcipi posset:* cui clausulæ etiam subscribit *Palaus versu, Cæterùm cit. in fin.* admissa tamen, ait, nostra conclusione ac doctrina (ne videlicet sibi ipsi contradicat:) *Quod verò subiungunt* (sunt ipsius verba) *Sotus, Valent. Rodrig. Suarez, locis allegatis, vrgente causa graui, præcipue publica, & communi; posse Prælatum præcipere Subditis, non solum vt satisfactiones superabundantes applicent, sed etiam eas, quibus alioquin indigent; mihi probatur, admisso posse Prælatum applicationem absolutè præcipere.*

265 Opponet denuò alius cum eodem *Scoto quodlib. 20. cit.* quem *Suarez l. c. n. 7.* refert. Satisfactio, quæ prouenit ab operibus Religiosorum, est bonum, quod suo modo pertinet ad internam eorumdem animæ salutem; estque moraliter loquendo necessarium, ad tollenda impedimenta quæ obsistunt consecutioni Beatitudinis; adeoque de tali bono non potest disponere Prælatus in Litteris Gratiosis, neque de eo aliter præcipere.

Respondeo negando consequentiam: ad antecedens dico cum *Suarez loc. cit. n. 8.* neque sciri à Superiore; neque ab ipso Subdito subinde posse præsumi, eum opus habere satisfactionum à suis operibus pœnalibus prouenientium; imò potiùs moraliter constare, non esse hîc & nunc adeò necessariam Subdito propriam satisfactionem, vt ex eius abalienatione, dum videlicet alijs applicatur, graue sit passurus damnum: in quo etiam sensu (ait *Suarez*) talis satisfactio considerari potest vt superflua ipsi operanti: quod sufficit ad hoc, vt Superior eam applicare possit, ac eius applicationem præcipere. Addo, vt is, qui nimiùm scrupulosus, ac ob superfluum sui amorem, spirituali generositate vacuus, nostræ contradicit conclusioni, atque præfatæ subscribit instantiæ: legat, quantum in eum inuehatur *Ioannes Eusebius de modo bene exponendi opera bona.* Refutat hic deuotus Author pari modo hanc eandem instantiam, inuehiturque contra eos, qui spiritualiter auari, tergiuersantur applicare in aliorum beneficium sua opera satisfactoria, hac sibi blandientes excusatione, quòd ipsimet ijs egeant; at tantum abest, horum subterfugio eum assentiri, vt potiùs eos carpat, non tantùm vt nimiùm rigidos, verùm etiam, vt duros, atque atroces: *Ille*, inquiens, *qui adhuc in viuis agit, nedum defacto opus habet satisfactionibus, quibus tamen indigent animæ; vt actio ipsa liberalitatem hanc exposcere videatur. Primò, ne spirituale hoc capitale otiosum sit; sed vt statim aliquid lucrum faciat, nec tanto tem-*

*pore*

*pore secundatur. Deinde cùm præsens & vrgens fratris indigentia subsidium requirat, ex eo, quo iam nondum indigeo. Si quispiam benè pransus, & lautè vestitus, panem adhuc, & vestem aliam repositam habet, veniatque pauper aliquis nudus, frigore rigidus, & famelicus, ad mortem vsque, qui vitæ suæ aliquam sustentationem emendicaret; an ritè faceret, si egenum illum fame, frigoreque perire sineret, dicens; Nihil tibi, quod dare possim, mihi suppetit: pane enim illo, qui modò superest, fortè sequenti hebdomada indigebo; & veste illa, quam repositam seruo, à sesquianno induendus sum. An quid responderi, vel fieri posset durius, & atrocius? Nihil omnino differt ab hac crudelitate, quando aliquam Sponsam Christi, terribilissimas in igne illo Purgatorio pœnas sustinentem, & exclamantem, miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei; nostris satisfactionibus iuuare noluerimus; quibus tamen neque ipsimet modò indigemus, saltem vt mortis nostræ tempori referuemus, quod fortè ad plures vsque annos differendum erit, interim eisdem, absque vllo fructu, quasi siti pereuntibus.* Ita deuotissimus hic Pater apud *Eliam à Sancta Teresia in Legatione Ecclesiæ Triumphantis ad Militantem lib. 2. cap. 40. num.* 14.

266 Obijcietur denique aduersus nostram conclusionem, quòd per Gratiosam Filiationem, vt ex communi eius formula constat, communicetur, inter alia bona spiritualia, principaliter participatio Sacrificiorum Missæ; sed circa talem communicationem verificari non potest responsio, quam ad præsens Dubium dedimus, quòd nimirum hæc à Prælato possint applicari alijs, etiam sine consensu Subditorum Sacerdotum: ergo, saltem quantum ad hoc, conclusio non subsistit. Maior propositio est certa, minor probatur. Primò, quia applicatio Sacrificij est actus Ordinis; adeoque dependet à sola voluntate Ordinati; consequenter non potest Superior per se communicare, & applicare Sacrificium, sed solus Sacerdos: probatur antecedens ex ipsa Ordinationis formula, atque ex verbis ipsis, quibus ordinans alloquitur illum, quem ordinat: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro viuis, & defunctis*: ex quibus verbis, quis non deducat, quòd sicut est actus potestatis Ordinis, offerre Sacrificium, ita etiam applicare pro hoc, aut pro illo, cùm vtraq; potestas à Christo per modum vnius Sacerdoti sit collata? Atq; adeò sicut non potest Prælatus offerre Sacrificium Subditi, ita neque applicare; nam applicatio, & oblatio æqualiter sunt actus Ordinis, propterea vtraq; dependet à sola voluntate Ordinati. Secundò, quia voluntas Religiosi Subditi non aliter subiecta est Superiori, quàm ratione potestatis dominatiuæ, quam iste habet: sed non potest iste profectò vi potestatis dominatiuæ applicare Sacrificium Subditi, cùm ille nullam habeat circa hoc facultatem; omnis namq; facultas circa Sacrificium prouenit à sola potestate Sacerdotali; igitur nullatenus potest Superior per se ipsum applicare Sacrificium Subditi, sed ab hoc solo necessariò prouenire debet; ergo falsum est, quòd à Superiore per Litteras Gratiosas communicari, & applicari possit, absque consensu Subditi, ac Sacerdotis.

Respondeo ad argumentum oppositum, imprimis concessa maiore, negari minorem iuxta opinionem nostri *P. Alphonsi de Leone, de Officio Cappellani qu. 1. sect. 4. à nu.* 41. vbi absolutè tenet, quòd, casu quo Religiosus Subditus, ac Sacerdos, contra præceptum, atque intentionem sui Superioris, fructum sui Sacrificij applicet vni, Prælatus verò alteri, præualeat applicatio Prælati, atq; iuxta illius intentionem fructus Celebrationis Missæ remaneat applicatus, quam sententiam apud eundem admittunt etiam *Corduba lib. 1. q. 3. Theologie, q. 3. not. 5. Fraxinell. de Oblig. Sacerdot. lib. 6. p. 7. num. 1. Armilla verb. Missa. Barbosa de Offic. & Potest. Episc. Alleg.* 24. *sub num.* 28. *Diana p. 2. tract.* 14. *res.* 72. *Gauant. in Comment. ad Rubric. Missalis par. 3. tit. 2. n.* 28. & apud *P. Pasqualigo de Sacrificio Missæ tom. 1. tract. 1. q.* 183. *n. 2. Scotus quodlib.* 20. §. 2. *Marchin. de Sacramento Ordinis tract-3. cap.* 33. *num.* 3. *Bondin. in Consil. Regul. ref.* 25. *q.* 4. *Leand. de Sacram. tract. 8. de Sacrif. Missæ disp. 3. q.* 18. & alij. Probatur hæc sententia, quia Superior Regularis (inquit dictus *P. Alphonsus de Leone loc. cit.*) est *Dominus* voluntatis Religiosi sibi Subditi, *ratione Voti Obedientiæ*; cùm ergo iste nec velle, nec nolle habeat; quandoquidem voluntatem suam 267

ſuam tranſtulerit in voluntatem Superioris, ſequitur certè, quòd quidquid iſte voluerit, præter voluntatem Superioris ſui, nihil ſit, & cenſeatur tanquam non volitum, quia voluntas ipſius tranſgreditur fines ſuos, ac terminum ſuum, vltra quem nullam habet actionem. Præterea Superior poteſt præcipere Subdito, vt celebret, ac applicet Miſſam ad ipſius intentionem, adeoque quoad hoc ſubordinatam ſibi habet ſubditi voluntatem; ergo poteſt etiam quoad hoc de ea diſponere; etſi contradicit; præualebit nihilominùs voluntas Superioris quantum ad applicationem Miſſæ. Atque in tantum præualebit, vt quamuis contraria fuerit voluntas ſubditi voluntati Superioris, poſſit iſte irritare illam, ait (apud *Ruteum de Particip. q. 5. ſect. 2. n. 14.*) *Rodriq. in Summ. 1. par. cap. 251. n. 10.* aſſerens poſſe Prælatum irritare intentionem Subditi, cùm hic illius voluntati ſit ſubiectus, quamuis deinde in effectu ipſo non poſſit alijs applicare Sacrificium, cùm applicatio ſit actus perſonalis celebrantis Miſſam, ac ſolius offerentis, proinde in tali caſu irritationis, Miſſa applicaretur alijs indigentibus, non iuxta intentionem Subditi, ſed iuxta diſpoſitionem diuinam, inquit *Rodriquez*. Alio tamen modo de irritatione loquitur *P. Alphonſus de Leone loc. cit. n. 41. init. Superior*, ait ipſe, *Regularis ante celebrationem Subditi applicare poteſt illius Sacrificium, etiam contra eius voluntatem; & ſic irritare contrariam voluntatem illius; non tamen poſt; verbi gratia, ſi iam Regularis celebrauit pro aliqua, non poteſt Superior, qui antè non applicauit, irritare applicationem iam factam.* Fundamentum talium aſſertionum eſt idem, quod ſupra poſuimus, nimirum dominium, quod Superior habet in voluntatem Subditi, ex quo pariter præfati Authores deducunt, eum poſſe Subditorum determinationes irritare, prout vi eiuſdem dominij eorum etiam Vota particularia irritare poteſt; conſequenter applicationem quoque eorum, ita vt ſua præualeat. Porrò cùm Religioſus Subditus ad ſuum Prælatum comparetur, vt Pupillus ad Tutorem, & vt ſeruus ad Dominum, ſi iſti (aiunt citati Authores) poſſunt irritare obligationes Pupilli, ac ſerui, etiam Superior irritare poteſt applicationem Subditi. Igitur in opinione iſtorum reſpondendo in forma ad argumentum, conceſſa maiori, negatur minor, atque ita etiam conſequentia.

Dico tamen (in opinione iſtorum) 268
quia ego ſecundùm propriam ſententiam non ſentio cum prædicto *P. Alphonſo de Leone*; imò oppoſitum teneo, quòd nimirum Superior non poſſit applicare Sacrificium contra voluntatem Subditi, & caſu quo in applicatione non concordent, applicatio Subditi præualeat, ob rationes ſuperiùs aſſignatas in probationem eiuſdem minoris; & ob alias efficaciſſimas, quas affert *P. Paſqualigo qu. cit.* in qua mordicus hanc ſententiam defendit, ac ponderoſis rationibus opinioni *P. Alphonſi* ſe opponit: vbi etiam pro hac quæ certè communior eſt, ſententia *nu. 4.* longam adducit ſeriem Doctorum merè claſſicorum, qui eam ſequuntur, vt videre licet, contrariamque refellunt: cuius fundamentum facilè cadit, ac diſſoluitur; nam Superior Regularis eſt reuerà Dominus voluntatis Subditi, ac propterea iſte nec velle habet, nec nolle; attamen in ijs tantùm rebus, in quibus ipſe propriam voluntatem tranſtulit in voluntatem Superioris; in quibus autem translatio hæc facta non eſt, propriæ adhuc gaudet voluntatis arbitrio: translatio autem ſolùm facta eſt iuxta menſuram Regulæ. Proinde, cùm in caſu noſtro (vti benè annotauit *P. Paſqu. q. cit. n. 10.*) voluntas Subditi, quantum ad actus poteſtatis Sacerdotalis non ſit translata, ita neque eſt ſubiecta Superiori, vti neque ipſa poteſtas Sacerdotalis ipſi ſubiecta eſt. Cæterùm determinationes particulares Religioſorum ſubditorum, v. g. Vota particularia, iuramenta, promiſſiones &c. quæ proueniunt ab ipſorum voluntate, in quantum ſubiecta voluntati Superioris remanent ſub diſpoſitione iſtius, quę conſequenter etiam irritare poteſt: inquit *P. Paſqualigo quæſt. cit. num. 8.* nam (vti benè argumentatur *Peyrinus de Subdito qu. 1. cap. 6. §. vnico*, & alij) in adminiſtratione Sacramentorum Sacerdos operatur vt Miniſter Chriſti, pari quoque modo in oblatione Sacrificij, & applicatione fructus eiuſdem. Ergo ſi in dicta admini-

ministratione Sacramentorum nulla potestas Superioris intentionem Subditi propriam, ac personalem irritare potest (quod certum est, nam si Subditus cum recta intentione baptizat aliquem, validus est Baptismus, nec valet Prælatus irritare talem intentionem) neque etiam, si voluerit Subditus Sacrificium Missæ offerre, atque eius fructum alicui applicare, poterit vnquam Superioris potestas illius intentionem irritare, aut alteri applicare fructum.

269 Respondent *Rodriquez loc. cit.* ac *P. Alphonsus de Leone num. 45.* esse disparitatem rationis: causa enim, cur Prælatus non possit irritare intentionem Subditi Sacrificium offerentis, inde prouenit, quia intentio Sacerdotis in consecratione, est de essentia Sacrificij, & absque ea Sacrificium foret nullum: At intentio, qua Subditus alicui applicat fructum Sacrificij, non est de essentia Sacrificij, ideoque si Prælatus hanc irritare velit, remanebit nihilominùs verum Sacrificium. Quòd autem applicatio non sit de essentia Sacrificij, euidens est, cùm hoc consistere possit, iuxta communem Doctorum consensum, absque vlla applicatione; qui propterea docent, quòd quando Sacerdos suum Sacrificium nulli applicat, aut solùm personæ incapaci, neminem iuuet, sed reponatur in communi Thesauro Ecclesiæ; ita inter alios *Coninch in 3. p. qu. 83. num. 166.* qui sic ait (consentitque cum eo *Gobat in Alphabeto Sacrificantium casu 18. num. 635.*) *si Sacerdos fructum, qui ex opere operato respondet huic Sacrificio, prout offertur in persona Christi, aut nulli omnino, aut alicui incapaci applicet, is nulli confertur, sed remanet in Thesauro Ecclesiæ. Vbi tamen notandum quoties Sacerdos fructum nulli alteri applicat, censeri eum sibi applicare, per generalem voluntatem, qua quisque semper intendit sibi prodesse, quantum potest.* Hactenus Coninch: qui etiam ratione suam doctrinam firmat: *vt enim*, inquiens, *hic fructus alicui applicetur sufficit voluntas virtualis, & implicita: in illa autem voluntate generali, qua Sacerdos communiter aliquo modo mouetur ad celebrandum, implicitè continetur voluntas applicandi sibi fructum Sacrificij, quando ipsi non intendunt contrarium.* Doctrina hæc omnino concordat cum ea, quam dat *Corduba lib. 5. de Indulg. qu. 42. punct. 1. different. 2. vers. Verum est:* vbi loquens de satisfactorijs operibus, quæ quis exhibet pro alio, qui eorum incapax est, ita ait: *Si intendit quis satisfacere pro illo, qui non est capax, puta pro damnato; vel pro existente in mortali; vel in Gloria: tunc fructus satisfactorius reuertitur ad facientem, si eget pro suis peccatis, si saltem virtualiter erat talis intentionis, quod pro se faceret, si crederet non proficere illi, cui applicare intendebat vt Matt. 10. Pax vestra ad vos reuertetur: & Psalm. 34. Oratio mea in sinu meo reuertetur. Si verò ipse non eget; reponitur in Thesauro Ecclesiæ.*) Qua de causa præfatus *Coninch* Sacerdotibus sequens consilium suggerit: *Ex quo patet* (inquit) *semper esse consultum, vt quoties pro aliquo celebramus, simul habeamus conditionatam voluntatem, illum fructum vel in totum, vel ex parte alicui alteri applicandi, si fortè, is, pro quo celebramus, eius sit incapax, aut eo non indigeat; vt si Beatus sit, aut damnatus, vel saltem in peccato mortali, aut etiam nullam de facto habeat pœnam temporalem persoluendam pro peccatis præteritis, quo casu est incapax remissionis pœnæ.* At verò, consilium istud, quamuis locum habere possit, quando Sacerdos celebrat ex mera liberalitate: existimo tamen probabiliter, non posse hoc modo procedi, quando celebrat ex stipendio, nam in tali casu dispositio prædicti fructus non remanet ampliùs penes Sacerdotem; sed aut penes illum, qui stipendium largitus est, si capax fuerit, cùm ille habeat ius ad Sacrificium, & ad fructum; & cùm Sacrificium ad eum redire debeat, ob generalem ipsius intentionem, interpretatiuam, ac habitualem, iuuandi seipsum, quantum potest, vti *Coninch* de Sacerdote differit: aut si ipse non est capax, cedit applicatio, iuxta implicitam eius mentem, in bonum suorum deuotorum, videlicet Amicorum, Parentum: aut etiam Animarum in Purgatorio, quas adiuuandi semper videtur, Fidelibus inesse virtualis quædam intentio; etsi fortè opera alicuius, ob incapacitatem, ac obicem, quem habet, non sunt satisfactoria, potiùs cedant in beneficium Animarum in Purgatorio, maximè derelictarũ, quàm vana ac sine fructu permaneãt. Hoc autẽ specialiter verificatur in-

inquit *P. Pasqualigo de Sacrif. Missæ tom. 1. tract. 1. q. 86. num. 3.* in Missis, quæ celebrantur ex mandato defunctorum pro eorum Animabus; ob voluntatem interpretatiuam, quæ vt talis supponitur: *Quod autem spectat ad sacrificia, quæ offeruntur ex mandato defunctorum pro ipsorum Animabus, atque adeo iuxta ipsorum intentionem applicantur à Sacerdote; videtur fundari posse voluntas interpretatiua ipsorum, quòd prosint Animabus derelictis, si non proderunt ipsis: Quia quando disponunt de celebratione Sacrificiorum, si interrogarentur, quid vellent fieri de fructu illorum, si ipsis non prodesset, & stante pio affectu responderent, quòd vellent prodesse ijs, qui nulla percipiunt specialia suffragia, præsertim si essent piè dispositi erga Animas Purgatorij. Hoc autem sufficit ad habendam voluntatem interpretatiuam.* Concludit verò: *Quod tamen locum non habebit, si Sacerdos disponat de fructu, supposito, quòd ei non prosit, pro quo offertur Sacrificium.* Quòd si autem is, qui stipendium dedit, ac Missam petiuit, nullo modo talem habuit intentionem, probabiliter dici potest, quòd nedum succedat Sacerdos, ad participandum Ius ad fructum; sed quòd potius vt bonum derelictum, & ad neminem pertinens, deuoluatur ad fiscum, atque ærarium Principis, nimirum ad Thesaurum Ecclesiæ in casu nostro; aut quòd ipsemet Princeps Deus ex infinita sua Misericordia illud dispenset alijs Animabus indigentibus: prout sentire videtur *Lauorius de Indulgentijs par. 2. cap. 30. nu. 140. pagina mihi 399.* vbi sic ait: *Si Anima, pro qua fit suffragium, non sit in Purgatorio, quibus suffragatur? Resp. vel suffragatur illis, quibus intendit suffragans expressè, vel tacitè, siue in genere, siue in specie: satis est enim, si applicet sibi coniunctis; vel magis indigentibus, vel si nemini applicatur, dispensabitur alijs indigentibus per Diuinam Misericordiam: vel quòd si suffragans non habeat intentionem suffragandi alicui, per Diuinam Misericordiam dispensatur alijs indigentibus.* Cui sententię etiam subscribit *Rossi, De fructu, & applicatione Sacrificij Missæ lib. 3. disp. 2. q. 2. Dub. 4. nu. 12.* dum ait: *Credibile esse fructum Sacrificiorum, & suffragiorum, applicatum ijs, in quibus non habet effectum, vel quia sint in Cælo, vel in Inferno; ex Diuina Misericordia alijs indigentibus applicari, pro quibus non fiunt suffragia:* ita præfatus Author apud *Dianam par. 9. tra. 2. ref. 7.* vbi etiam pro eadem sententia citat *S. Thom. in 4. dist. 45. q. 3. ad 2. Adrian. quodl. 8. art. 4. Cordubam lib. 1. q. 3. opin. 5. §. Et de residuo. Fraxin. sect. 3. §. 11. n. 3.* quibuscum sentit etiam ipsemet *Diana*, sed ex parte tantùm, & cum aliqua limitatione. At *P. Pasqualigo qu. cit. n. 2.* sentit, totam hanc rem consistere in intentione Sacerdotis, & nullius alterius. *Nam Sacrificium*, ait, *non prodest quoad satisfactionem, nisi ijs, pro quibus offertur, & cùm oblatio pertineat ad Ecclesiam visibilem, ita etiam determinatio mediante Sacerdote. Ergo si non potest fundari in determinatione Sacerdotis, introducetur quid extraordinarium, quod esset à Deo contra solitum cursum suæ dispositionis, per quam relinquit Ecclesiæ visibili, quæ ipsi tradidit.* Videtur noster *P. Quartus in Rubricas Missalis in Appendice quæst. 2. punct. 12.* Notetur prætereà sequens generalis admonitio; atque in praxin deducatur, quæ huc optimè quadrat, & suggeritur ab *Andrea Mendo in Epitome Opinionum Moralium, Verbo Participatio nu. 5. in fine, pagina mihi 519. Id præ oculis habeatur, melius esse offerre satisfactiones pro Animabus determinatis, eas recensendo, nempe pro Parentibus, Benefactoribus, Amicis; pro Anima plus Deo grata; pro destituta ampliùs, pro viciniori ad liberationem, quàm in communi pro omnibus: nam parum vnicuique obueniet, si pro cunctis offeratur: plus si pro vna, & deinceps pro alia, & sic breuiùs ad Deum videndum euolabunt:* ita ille, admissa etiam ab ipsa, nostra, superiùs approbata doctrina, his verbis: *verb. cit. n. 2. Nota, satisfactiones ex opere operato non prodesse absque intentione operantis: sic celebrans, & nolens applicare Missam pro eo, cui Superior præcipit applicari, peccabit contra præceptum, aut contra aliam virtutem, si debita sit illa Missa: satisfactio autem ex Missa resultans, non proderit, nisi ei, cui applicauerit celebrans.* Quod totum dictum sit occasione responsionis *Rodriquez*, & *P. de Leone* ad argumentum: non intendo tamen per hoc ab intento nostro deuiare, imò potiùs eadem responsio per hoc corroboratur; nam in ea prætenditur, vti apparet, posse subsistere Sacrificium absque applicatione (& hoc ipsum ex dictis comprobatur) ac consequenter, quòd applicatio non sit de essen-

essentia; quod pari quoque modo ex ijs, quæ hactenus diximus, concessum manet, cùm admiserimus, Sacrificium consistere posse absque applicatione, quod impossibile forer, si esset de essentia; ex quibus Aduersarij hanc vltimam faciunt consequentiam: si applicatio non est de essentia; ergo potest reddi irrita, adeoque Superior Regularis irritare potest applicationem Subditi, efficereque, vt sua præua leat.

270 Negatur autem constanter hæc vltima consequentia, prout eam quoque negat *Ruteus de Participationibus quæst. 5. sect. 2. num. 15.* quamuis enim intentio applicandi fructum non sit de essentia Sacrificij, vti libenter concedimus, nihilominus ea à Sacerdote fit, tanquam exercente Ministerium Christi, nam Sacerdos non solùm operatur vt Minister Christi, dum offert Sacrificium, sed etiam dum applicat vel sibi, vel alijs eiusdem fructum; vti ex prædicta forma Ordinationis habetur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro viuis, & pro defunctis*. Quare sicut offerre Sacrificium est actus potestatis Ordinis, ita etiam offerre pro hoc, aut pro illo: cùm à Christo vtraque potestas simul, & per modum vnius collata sit, vt supra diximus; quapropter Prælatus æquè parum irritare potest intentionem applicationis Sacrificij, quàm oblationis eiusdem. Confirmo eandem responsionem, quia Subditus per potestatem Sacerdotalem non constituitur Minister Superioris, sed Christi; nam oblatio ipsa, est actio Christi, tanquam principalis offerentis, & solùm ministerialiter Sacerdotis, vnde eiusmodi actio, vt ministerialiter proueniens à Sacerdote, eandem sequitur conditionem, quam habet, in quantum est à principali offerente, scilicet Christo; ac proinde est omnino exempta (etiam vt determinata ab intentione Sacerdotis, seu applicata pro hoc, aut pro illo) à potestate Superioris: eodem prorsus modo, ac si Subditus exerceret actionem à Summo Pontifice sibi delegatam, certum enim est, quòd in ea operando tanquam illius Minister, atque eius nomine, quantum ad talem actionem esset omnino exemptus à Iurisdictione sui Prælati, ac Superioris. Quòd autem hæc doctrina præter oblationem Sacrificij, complectatur etiam intentionem Sacerdotis, siue applicationem fructus pro hoc aut pro illo determinatè, etiam euincitur; siquidem in tantum potest Sacerdos (inquit *P. Pasqualigo quæst. cit. numer. 9.*) applicare Sacrificium, in quantum id Christus ei concessit, nam cùm ille sit principalis offerens, ad eum spectabat applicatio; ergo applicatio Sacerdotis fit ab ipso, tanquam Ministro Christi; igitur applicatio hæc à Subdito facta non subijcitur dispositioni Superioris; quia sicuti Minister Christi, vt talis, non est subiectus alteri, quàm Christo; ita neque actio Ministerij alteri subiecta est: consequenter neque etiam voluntas, qua potestate sibi concessa vtitur circa applicationem Sacrificij, poterit esse subiecta Superioris dispositioni; est enim voluntas Ministri, vt Ministri reduplicatiuè sumpti, atque vt talis non est subiecta Superiori, nec ab illo potest reddi irrita. Concludo tamen, Superiorem Regularem posse irritare voluntatem Subditi, in quantum nimirum subiectus est dominatiuæ ipsius potestati: At verò Subditus non est subiectus quantum ad potestatem Sacerdotalem, nec quoad oblationem, nec quoad applicationem; quapropter licèt possit Superior concedere, aut negare Subditis curam potestatis Sacerdotalis; non autem prætendere potest, eos quantum ad dictam potestatem sibi esse subiectos, quasi hæc sub illius sit dispositione, quod reuerà non est, vti neque ipsius actus: adeoque non potest istos (sicut neque applicationem Sacrificiorum, factam aut faciendam à Subditis) absolutè irritare: quæ omnia à nobis ipsis admittuntur, ac conceduntur; quocircà redit idem argumentum ab initio factum, ad quod proinde

271 Respondeo secundò, concessa maiori (quę vera esse cernitur ex ipso textu Litterarum Gratiosarum) negando deinde consequentiã. Ad minorẽ paucis verbis

Q dici-

dicimus cum doctrina *P. Pasq. q. cit. n.* 13. verum esse, quòd Prælatus Regularis de actibus potestatis Sacerdotalis suorum Subditorum immediatè disponere non possit, qualis est applicatio Sacrificij: & verum insuper esse, quòd absq; eo, quòd huic principio contradicatur, Prælati Regulares in suis Litteris Gratiosis de fructu Sacrificiorum suorum Subditorum disponant, eumque communicent, vt ex earum formulis patet; ergo de hoc disponere possunt, atq; præcipere, etiam quantum ad applicationem.

Quis negauerit, Superiorem Subditis præcipere posse, vt celebrent Missam, eamq; applicent ad ipsius intentionem? præceptum hoc quotidie in praxi exercetur (de quo videatur noster *P. Quartus in Rubricas Missalis in Appendice qu. 2. punct.* 15.) ex quo tamen solùm sequitur (ait *P. Pasq. n.* 13. *cit.*) quòd ipse eorum voluntates sibi subordinatas habeat non quantum ad actus, qui effectiuè procedunt à potestate Sacerdotali, cuiusmodi est applicatio Sacrificij, sed quantum ad eos, qui imperant ipsos actus potestatis Sacerdotalis. Vnde solùm potest constringere voluntatem Subditi, vt sibi ipsi imperet actus potestatis Sacerdotalis, secùdùm suam propriam intentionem; non tamen potest immediatè disponere de eisdem actibus. Hoc autem sufficit, vt verificetur id, quod in Litteris Gratiosis continetur de vera participatione Sacrificiorum; & ad sustinendam inconcussè responsionem, quam præsenti Dubio dedimus: addimus insuper ipsamet verba prædicti *P. Pasqu. n.* 13. *cit.* vbi sic ait: *Ex eo, quod Superior præcipere potest subditis, quòd applicent Sacrificium, sequitur tantùm, quòd habeat sibi subordinatas voluntates ipsorum, non quoad actus elicitos potestatis Sacerdotalis, qualis est applicatio Sacrificij; sed quoad actus imperantes eosdem actus potentiæ. Vnde solùm constringere potest voluntatem subditi, vt imperet sibi actus potestatis Sacerdotalis iuxta suam propriam intentionem, non autem disponere potest de talibus actibus immediatè, atque adeò nec irritare. Cùm enim Subditus* (pergit idem Author *cit. n.* 14.) *sit in continua operatione secundùm Regulam, atq; adeò in continuo exercitio obedientiæ, omnes actiones ipsius, atque adeò applicatio Missæ, sunt ex interpretatiua voluntate obedientiæ Superioribus: & proinde Sacrificium applicatur interpretatiuè iuxta eorundem mentem*: necnon & fructus omnium operum, quæ sub obedientia fiunt, quibus responsio nostra totaliter verificatur. Cœterùm quòd mens Prælatorum Regularium sit, participare vnà cum fructu aliorum bonorum operum, etiã fructum Sacrificiorum; præterquam quòd clarè pateat ex ipsis verbis Litterarum Gratiosarum, id etiam apertè docet *Iulius Papa II.* (inquit *Ruteus q.* 6. *sect.* 3. *nu.* 11. *prope finem* (ac nos superiùs pluribus locis: Apertè etiam docet *Iulius II. in Bulla, quæ incipit: Aliàs Venerabilem. Vbi Fundatores, & multos alios reddit participes omniũ Missarũ &c. & aliorũ bonorũ operũ Ordinis.*

Porrò, verum quidem est, quòd fru- 272
ctus iste Sacrificiorum, qui à Prælatis Regularibus per Litteras Gratiosas alijs communicatur, non sit fructus personalis, dictus à Doctoribus fructus specialissimus, quia iste proprius est Sacerdotis offerentis, illiq; soli prouenit ex opere operato, nec est applicabilis alijs absolutè, vti benè probat *P. Pasq. de Sacrific. Missæ to.* 1. *tr.* 1. *q.* 99. *à n.* 4. *cum Suar. Granat. Fraxinell. Miranda, Dicastill. Layman, Rodrig. ac cum nostro P. Verricelli in qq. Moralib. tr.* 2. *qu.* 29. *n.* 9. Hic fructus, ait idem *P. Pasqu. q.* 98. *n.* 6. non minuitur Sacerdoti ex eo, quòd pro alio offerat Sacrificium, eumq; defendit superiùs *à n.* 2. esse fortè maiorem illo, quem recipit persona, pro qua Sacrificium offertur: *Dicendum fructum specialissimum, quem percipit celebrans ex Sacrificio ex opere operato non esse minorem, sed fortè maiorem eo, quem percipit is, pro quo offertur Sacrificium. Ita Nugnus* 3. *par. q.* 83. *art.* 1. *p.* 3. *de Sacrif. dub.* 3. *versu Aduertend. est etiam. Bordon. to.* 1. *Consil. resl.* 25. *q.* 8. Neque etiam fructus specialis, dictus à Doctoribus fructus medius, vi Gratiosarum communicatur, qui nimirum debetur personæ, pro qua Sacrificium à Sacerdote offertur, quando iste ex iustitia ad id obligatur, ob collatam Eleemosynam &c. certum hoc est, nam talis fructus, vti constat ex Pontificijs Decretis *de Celebratione Missarum* non potest alijs applicari, siquidem hæc foret iniustitia. Communicatur ergo imprimis per Litteras Gratiosas fructus ille, quem Doctores vocant Generalissimum, qui communis est omnibus Fidelibus: nam *certum est*

est (inquit *Oliuerius Bonartius de Missa Sacrificio lib. 3. cap. 5. num. 1.*) *Sacrificium hoc conferre fructus communes operibus bonis, à viris iustis debitè factis. Est autem eadem ratio* subiungit *P. Pasqualigo de Sacrific. Missæ q. 94. numer. 1.*) *de Sacrificio, ac de cæteris bonis, quamuis speciali modo locum habeat in Sacrificio, tanquam in eo, quod ex natura sua est bonum commune, & pro communi Ecclesiæ vtilitate institutum. Est autem fructus generalissimus ille* (ait idem *P. Pasqualigo* q. 88. *num. 1.*) *qui prouenit ex Sacrificio, communis omnibus Fidelibus, ita vt pertineat ad omnes.* Ac præterea, quia fundatur (vt idem affirmat *quæst. cit. num. 2.*) in Communione Sanctorum: *Fructus generalissimus*, inquiens, *prouenit ex Communione Sanctorum, quam profitemur in nono Articulo Symboli:* quandoquidem Fideles vniti in vno vinculo charitatis, tanquam membra spiritualia, ac mystica forment vnum corpus, atque inuicem spiritualiter vnus de altero participet; vti annotauit *S. Thomas opusc. 6. art. 13. quod præcipuè* (concludit *P. Pasqualigo*) *locum habet in Sacrificio, quod tanquam publicum spectat ad omnes:* aduertit tamen, quòd *hic modus non fundat fructum generalissimum, communem omnibus Fidelibus, nam peccatores, tanquam non signati vinculo charitatis, non pertinent ad hanc communionem, neque est proprius Sacrificij, nam conuenit etiam Orationibus, & alijs bonis spiritualibus. Vnde proprius fructus generalissimus huius Sacrificij, & qui spectat ad omnes Fideles, prouenit ex generali oblatione Sacrificij, & idem pro omnibus Fidelibus offertur. Cùm enim fructus Sacrificij, qua tale est, proueniat ex oblatione, dum adest generalis oblatio pro omnibus Fidelibus, consurgit etiam fructus generalissimus omnibus Fidelibus communis. Quòd autem interueniat hæc generalis oblatio, constat ex verbis Canonis, in offertorio, ibi, Sed & pro omnibus Fidelibus Christianis, viuis, & defunctis &c.* Hactenus *P. Pasqualigo* *vt citan fine:* qui tamen à principio admittit, tam ab vno, quàm ab altero capite, tam ab oblatione videlicet, quàm à Communione Sanctorum præfatum fructum generalissimum prouenire. Atque hunc, dico, participari imprimis per Litteras Gratiosas, quamuis enim absque his quilibet Fidelium de fructu generalissimo Sacrificij Missæ participet (quandoquidem *hoc Sacrificium*, prout asserit *P. Pasqualigo q. 93. n. 3. ex institutione sua habeat, quòd sit publicum, & omnibus commune: & eo ipso, quod offertur, ex natura sua pro omnibus offertur, quibus est commune: & eo ipso quòd offertur tanquam Commune, pertinet ad omnes quoad communicationem fructus.* Et quia fructus ipse generalissimus prouenit ex eo, quòd vnumquodque Sacrificium offeratur pro omnibus Fidelibus: *Fructus enim generalissimus* (ait *P. Pasqualigo q. 89. n. 1.*) *prouenit ex eo, quòd quodlibet Sacrificium offertur pro omnibus Fidelibus, vt est offertorio Panis: Pro omnibus Fidelibus Christianis, viuis & defunctis: & in oblatione Calicis: Pro nostra & totius mundi salute cum odore suauitatis ascendat;* ideò efficaciam suam, atq; effectum habet ex propria sua natura, & ex opere operato. *Dum Sacrificium offertur pro omnibus Fidelibus, applicatur ad operandum in ipsorum vtilitatem, secundum suam propriam efficaciam, atque adeò ex opere operato: ita P. Pasqu. q. 90. n. 8.* Nihilominus cùm hic idem fructus etiam augeatur à charitate, tanquam à radice, & ab vnione, qua Fideles, tanquam membra vnius corporis, inuicem connexa sunt (prout etiam attestatur *P. Pasq. q. 90. num. 8.*) *Dicendum ratione radicis charitatis & vnionis, qua Fideles iusti vniuntur tanquam membra in corpore Ecclesiæ, prouenire ipsis ex omnibus Sacrificijs aliquem fructum:* ideò augetur cõsequenter etiam fructus in participatione Gratiosarum, cùm ij, qui per eas ad spiritualem Religionis Filiationem assumuntur, effecti per hoc Religionis membra, mediante vinculo strictioris magisque internæ charitatis, formẽt vnũ Corpus Mysticũ cum ea, maiori copulatum vnione, quàm corpus Ecclesiæ, cui tamen subordinatur; ergo &c.

Secundò communicatur à Prælatis 273
Regularibus per Litteras Gratiosas, etiã fructus specialis Sacrificij (id tamen absque alterius præiudicio) dicitur fructus iste specialis, atq; etiam medius, ad differentiam specialissimi, qui proprius est solius Sacerdotis; ac generalissimi, qui communis est omnibus, vt dictum. Porro fructus iste specialis dispositioni subiacet Sacerdotis, eiusque sequitur applicationem; ac intentionem. Participatur autem ab eo, vel ab alijs,

Q 2 pro

pro quibus Sacerdos ipse celebrat, ac offert Sacrificium. Iste, inquam, fructus saltem ex parte, communicatur etiam per Gratiosas regulares: siquidem Prælati per eas intendunt conferre quidquid bonorum, ac fructuum spiritualium possunt (prout etiam hunc fructum conferre possunt) absque tamen aliorum præiudicio, & iniustitia; quod ideo adiungo, quia Prælati Regulares optimè norunt, quòd quando fructus iste medius alicui obligatur exempli gratia ob datam eleemosynam, ei debeatur totus, neque de eo disponere possint, vti neque disponere intendunt in Litteris suis Gratiosis. At non semper ita totaliter obligatus est, neque etiam semper, & in omnibus casibus debetur totus ex iustitia; imò neque subinde quando celebratur ex ipsa obligatione iustitiæ. Quod clarè delucidatur pulcherrima doctrina *P. Pasqualigo de Sacrific. Miss. quæst.* 100. quærit ibi doctissimus hic Pater, an fructus medius, seu specialis sit applicabilis diuisibiliter: non quidem taliter, vt pluribus personis distinctis simul, & semel idem fructus applicetur; circa hoc enim controuersia nulla est; sed diuisibiliter, nimirum in ordine ad diuersos effectus, quos producit fructus medius Sacrificij: & hoc quærit, non quando subiectum, pro quo celebratur, est solùm capax vnius, non autem aliorum effectuum, an ratione huiuscemodi incapacitatis possit Sacerdos alicui alteri applicare illum fructum medium, cuius effectum percipere potest; sed absolutè, an nimirum hoc facere possit Sacerdos, stante etiam capacitate ad omnes effectus. Supponatur hic maioris claritatis causa cum eodem *numer.* 2. fructum medium, seu specialem (prout etiam specialissimus, ac generalissimus) continere tres effectus: propitiationis videlicet, satisfactionis, ac impetrationis; quocircà Sacrificium Missę dicitur propitiatorium, satisfactorium, atque impetratorium; cùm enim ad hoc institutum sit, vt offeratur pro peccatis, pro pœnis, & satisfactione; ac pro alijs necessitatibus, vt definit *Concilium Trident. sess.* 22. *can.* 3. *de Sacr.* ita pro vno quoque offerri potest, in ordine ad consequendum eo mediante à Domino Deo eosdem effectus; quo supposito, proponit eam præfatus Pater an vnum & idem Sacrificium, diuisibiliter, ac partialiter, quantum ad fructum, possit applicari pro vna persona tanquam propitiatorium, pro alia in quantum satisfactorium, & pro alia prout impetratorium; diuidendo istos fructus iuxta incapacitatem subiecti. Nam si offeratur Sacrificium pro vno, qui non sit capax totius fructus, omniumque eiusdem effectuum, certum est, eum non percepturum nisi illum, cuius capax est. Quapropter oblatum pro Animabus in Purgatorio, in ijs solùm operatur effectum satisfactionis: oblatum pro conuersione Infidelium, operatur tantùm effectum impetrationis: oblatum denique pro existente in peccato mortali, non iuuat ad eius satisfactionem; neque est satisfactorium. Quæritur modò, an per solam Sacerdotis offerentis voluntatem iste fructus diuidi possit, ac valeat Sacerdos in eadem Missa offerre Sacrificium vt satisfactorium, pro alio vt impetratorium &c. etiamsi subiectum, pro quo offertur, omnium simul effectuum capax sit. Decidit *P. Pasqualigo numer.* 4. absolutè, quòd sic; *Dicendum est, fructum Sacrificij esse diuisibiliter applicabilem, stante etiam capacitate subiecti totius fructus, ita vt secundùm vnum effectum possit applicari vni, & secundum alium alteri.* Fundamentum hujus assertionis suæ hoc assignat, quia intentio offerentis partiri potest fructum, prout illum etiam partitur ipsa subiecti incapacitas. Ex quo deducit, quòd ille, qui pro defunctis celebrat, etiam ex mandato Superioris, aut si fuerit Religiosus, ex obligatione, ac præscripto propriarum Constitutionum, possit applicare fructum impetrationis, & propitiationis, cui magis libuerit; cùm defuncti horum fructuum sint incapaces; eisque Sacrificium solùm vt satisfactorium prosit. Quod etiam verum est (ait vlteriùs præfatus Author) etiamsi celebrans diceret

Missam

Missam pro Defunctis ad alterius instantiam, accepta ab eo hac de causa eleemosyna: si tamen constet, quòd ille, qui eleemosynam largitus est nolit eum ad aliud obligare, quàm ad celebrationem Missæ pro Defunctis. Vnde si quis testamento, ac vltima sua voluntate disposuerit, vt pro Anima sua tot Missæ celebrentur: ei, qui illas celebrat, liberum est, fructum propitiationis, ac impetrationis applicare, cui voluerit, nam qui tali modo disposuit de Sacrificijs pro Anima sua in altera vita, aliud non intendit, quàm habere fructum sibi proficuum, videlicet satisfactionis. Deducit præterea cum *Henriquez l. 9. Summ. c. 21. n. 6.* quòd quando Sacerdos tenetur celebrare pro illis, qui incapaces sunt fructus satisfactorij, verbi gratia pro Conuersione Infidelium, aut alicuius peccatoris: in tali casu potest similiter celebrans applicare fructum Sacrificij satisfactorium, cui magis ipsi libuerit, cùm enim is, pro quo celebratur, eius sit incapax, remanet sub libera dispositione offerentis. Consequenter poterit hic vnico Sacrificio duabus obligationibus satisfacere: si nimirum Sacrificium offerre obligaretur, & pro Conuersione Infidelium, & etiam pro defuncto; etiamsi obligatio foret sub peccato mortali: in hoc siquidem casu exhiberet plenè ac integrè totum id, ad quod vi vtriusque obligationis teneretur; aduertendum tamen, quod pro tali Sacrificio celebrans non posset duplex accipere stipendium: hactenus *P. Pasqualigo qu. cit.* ex cuius doctrina ego denique deduco in ordine ad nostrum casum de Litteris Gratiosis, quòd nimirum iuxta hanc, Prælati Regulares, dum in ijs participant fructum Sacrificiorum suorum subditorum, atque intendunt facere quantum iustè possunt, non solùm intendant communicare de fructu generalissimo, vt superiùs dictum, sed insuper etiam de speciali, ac medio, quantum possunt, & quibus casibus possunt, maximè in casibus supradictæ incapacitatis, ipsi enim tanquam Superiores succedunt in iure disponendi de tali fructu, toties quoties eorum subditi prædictam offendunt incapacitatem ad recipiendum fructum, siue totalem, siue partialem in subiectis, pro quibus celebrant; cùm enim ipsi ex obedientia celebrent, quotiescunque aliam particularem applicationem non habent, neque etiam virtualem, aut implicitam, currit semper, ac perseuerat applicatio Prælati, maximè ea, quam in Litteris Gratiosis disposuit. In ordine ad hoc prudenter consulit, *Gauantus in Thesa. Sacrorum Rituum par. 2. tit. 8. lit. P. versu, Tertium est:* vt celebrans semper intendat, maiori ac potest effectu, suffragari ijs, quibus obligatur, aut ex obedientia, aut ex alio titulo maximè eleemosynæ acceptæ. *Si verò ij non egeant* (ait ipse) *aut fortè ex defectu gratia non sint capaces Sacrificij fructus, substituat statim alios actu, & secunda, vt aiunt, intentione, quod docet Suarez disput. 79. sect. 8. in fine, alioquin fructus Missæ non applicatus remanebit in Thesauro Ecclesiæ:* Quod tamen non facilè contingit de fructu Sacrificiorum Regularium, quando enim illi per se neminem substituunt, per virtualem & interpretatiuam ipsorum applicationem ad mentem Superioris, succedunt (si non alij) certè ij, qui vi Litterarum Gratiosarum participant de Sacrificijs Ordinis.

Tertiò, denique communicatur à Prælatis Regularibus per Litteras Gratiosas (saltem in opinione *Coninch de Sacrament. quæst. 8. artic. 1. Dub. 10. num. 195.*) fructus Sacrificij, qui prouenit ex opere operantis nimirum Sacerdotis, prout est persona priuata, quia hic non propriè debetur ijs, pro quibus celebrat Sacerdos, etiam ex obligatione Iustitiæ ob receptum stipendium: cùm ergo sit effectus liber, ac bonum personale, nec vlli ex iustitia debitum, iuxta *Coninch*, participari consequenter poterit à Prælatis per Litteras Gratiosas: cùm non sit maior ratio de alijs bonis spiritualibus Subditorum, quàm de hoc in ordine ad eorum communicationem, quando celebratur ex obedientia, & quando alijs non debetur ex iustitia, aut alio titulo, prout in præsenti casu non debetur, vt disertè asserit *Coninch*: en ipsius præcisa verba, 274

*loc. cit. Nota, ijs pro quibus tenemur Sacra dicere, propriè debitum esse eum fructum, qui percipitur ex opere operato, quia hic est proprius fructus ipsius Sacri; aut ad summum etiam is, qui impetratur in persona Christi. Quare obligati pro cæteris dicere Sacrum, liberè possunt eum fructum, quem vt persona priuatæ percipiunt, alijs applicare: siue is percipiatur per modum impetrationis; siue ex opere operantis per modum meriti, aut satisfactionis. Atque ita in suo memento, Sacerdos potest Deo commendare quoscumque voluerit, offerendo pro ijs priuatim ipsum Sacrificium, quia per huiusmodi oblationes nihil detrahitur fructui, qui respondet oblationi, prout fit in persona Christi.* Hactenus *Coninch*, cuius opinio teste *Diana par. 5. tract. 14. & Miscell. 2. res. 80*, defenditur etiam à P.P. Societatis I E S V Collegij Romani, & ab *Hurtado* post *Coninch. Hæc opinio* (inquit *Diana*) *habetur in Thesibus Theol. Collegij Romani Societatis IESV lib. 8. n. 173. & illam docet Coninch. de Sacram. &c. & post illum dictus Hurtadus de Sacram. disp. 3. de Sacrificio Missæ, diffic. 8. in fine:* vbi sic ait: *Obseruandum est, celebrantem non teneri ad applicandum Sacrificium, nisi quoad fructum ex opere operato pro eo, à quo stipendium accipit: non verò quoad fructum ex opere operantis; nec aliud exigitur, nisi prior ille, aliàs Sacerdos non satisfaceret, quando ex malo fine celebrat. Sed aliqui* (pergit *P. Diana l. c.*) *hanc opinionem non admittunt, nam si talis opinio esset vera, frustra dantes stipendium pro Missis, studium adhiberent, ad inueniendos Sacerdotes optima vita ad illas dicendas, quod quidem consulunt Doctores communiter esse faciendum, vt patet apud Fagundez præcep. 1. lib. 3. cap. 6. num. 22.* At si ex præfato motiuo, & ex bonitate Sacerdotis, ac prudenti studio talem inueniendi, inferretur prædictæ opinionis insubsistentia, sequeretur, teneri Sacerdotes, pro eo, pro quo celebrant, ex obligatione accepti stipendij offerre etiam fructum Sacrificij ex opere operantis, quod nullus generaliter eis imponere potest; & si in peccato mortali celebrarent, non satisfacerent debito suo ex iustitia, quod admitti non debet. In opinione quippe *P. Pasqualigo de Sacrif. Missæ quæst. 97.* non requiritur sanctitas in Sacerdote præcisè vt offerente Sacrificium, sed quòd sit deputatus publicus Minister pro tali oblatione, cuius proinde fructus, cùm totus procedat ex opere operato, nullatenus dependet à bonitate vel malitia Ministri. Solùm ipse, ex defectu Sanctitatis erit incapax alicuius fructus, aut effectus eiusdem Sacrificij: vnde tali casu oblatio, prout à persona priuata, & ex opere operantis, est omnino nulla, ait *P. Pasqualigo num. 6.* neque alia confertur facultas, offerendi Sacrificium, quàm publica, data Sacerdoti in sua Ordinatione, vi cuius publicus constitutus est minister; & præter hanc, aliam non habet potestatem, quàm impropriam: *Sacerdos* (inquit) *vt priuata persona, non habet facultatem offerendi Sacrificium, nisi impropriè, sicut habent cæteri, qui non sunt Sacerdotes*, sic ille *num. 2.* Quare fructus iste ex opere operantis (vt ait idem *P. Pasqualigo*) est idem cum eo, qui communis est omnibus alijs bonis operibus, nimirum augmentum Gratiæ, & Gloriæ &c. quod acquirit Sacerdos celebrans, vt decet; de hoc proinde fructu, disponunt etiam Prælati in suis Litteris Gratiosis, non minus ac de alijs bonis operibus, ac fructibus spiritualibus communibus Ordinis; hisque terminum præsenti constituimus Dubio.

## DVBIVM XXIV.

### *Vtrùm hanc potestatem exercere valeant Prælati Regulares durante Anno Iubilai?*

RAtio huius Dubij per se nota est. 275
Suspenduntur enim Anno Sancto Indulgentiæ à Summis Pontificibus: ergo Prælatis quoque Regularibus suspendetur potestas, concedendi Litteras Gratiosas: Consequentia probatur, quia in harum concessione (vt ex earum formula, maximè Theatina videre licet) continetur etiam participatio Indulgentiarum Ordinis, quæ vi Priuilegij *Vrbani V.* à dictis Prælatis communicantur. Negabit hanc consequentiam

*Faustus*

*Faustus lib. 3. de Iubilæo*, dum ibi (vt refert *Pasqualigo de magno Iubilæo qu. 152. num. 2.*) absolutè docet, Gratiosam Filiationem non suspendi Anno Sancto; si ergo hæc non suspenditur, neque etiam potestas earum concessiua tali anno supendetur.

Atque ita est: quare dubium affirmatiuè resoluo, ac dico, posse Prælatos Regulares, currente etiam Anno Sancto, concedere Litteras Gratiosas, exclusa tamen participatione Indulgentiarum, saltem extra Romam. Ratio huius resolutionis in promptu est (quam certè nemo non admittere potest) quia nimirum suspensio in Anno Sancto solùm versatur circa Indulgentias, videlicet circa satisfactiones præcisè, quæ conceduntur ex communi Thesauro Ecclesiæ. At in communicatione bonorum spiritualium, quæ fit à Prælatis Regularibus per Litteras Gratiosas, ac Spiritualem Filiationem, nihil conceditur de communi Thesauro Ecclesiæ (vnde nec nomine Indulgentiarum vocantur, vt notant *Rodriquez tom. 2. qq. Regular. quæst. 85. art. 1. Graff. lib. 2. Append. cap. 2. num. 21. Zanard. de Sacram. Pœnit. cap. 21. quæsito 46. Filliuc. tract. 8. n. 95. Valent. tom. 4. disp. 7. quæst. 20. punct. 2. Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 55. sect. 5. numer. 6.* & alij) sed solummodo satisfactiones & impetrationes, quæ sunt propriæ Religionis, in ijs communicantur: adeòque durante Iubilæi anno nec ipsæ erunt suspensæ, nec consequenter potestas eas concedendi, sed solùm participatio Indulgentiarum Ordinis mediantibus ipsis, quoad hunc enim effectum haud dubiè suspensę remanent toto Anno Sancto; prout tali etiam tempore suspensę quoad indulgentias sunt omnes Litteræ Gratiosæ prius concessæ; saltem exrra Romam; quod ideò addo, quia, vt superiùs dixi, Anno Iubilæi suspenduntur Indulgentiæ solùm extra Romam de Iure communi, vt bene probat *P. Pasqualigo De Magno Iubilæo qu. 248.* non verò Romæ.

276 Subscribunt resolutioni nostræ (quam ego certam existimo) præter citatos Doctores, qui notanr, Filiationem Spiritualem non venire appellatione Indulgentiæ; proinde neque suspendi per Annum Sanctum: *Nauarrus de Indulgent. not. 31. numer. 22. Infertur, hoc anno Iubilæi non videri suspensam facultatem quam Monasteria, & Ordines habent recipiendi aliquos in fratres suos spirituales, & communicandi eis sua bona spiritualia, & dandi Litteras, quas appellant. Et eadem ratione hoc anno Iubilæi fieri posse has communicationes cum Litteris Confratriarum, & sine illis, non obstante &c. Cappuccinus ad Compend. Priuileg. Mendic. verb. Cruciata. §. Secundò infertur: Facultas illa, quam habent Religionum Prælati, dandi sæcularibus Chartas Filiationis, in quibus faciunt illos, bonorum operum suorum Subditorum participes, in ipsa Bulla non suspenditur. Alphonsus de Leone de Iubil. part. 1. numer. 232. Dubium esse potest de communicatione bonorum Religionis, facta à Prælatis Regularibus, an &c. Resp. illam non venire appellatione Indulgentiæ, quia per dictam communicationem non applicantur satisfactiones alienæ: ex Thesauro communi Ecclesiæ, qui deficere non potest, sed ex cumulo determinato satisfactionum alicuius Religionis, & per consequens non suspenditur per hanc Bullam, vnde qui habent dictas Filiationes (vt vocant) eodem modo hoc anno communicant vt antea &c. Ruteus de Particip. quæst. 3. sect. 3. num. 16. Cùm Litteræ Participationum differant ab Indulgentijs, rectè sequitur, quòd quando suspenduntur Indulgentiæ, vt fit anno Iubilæi, nullo modo suspendi potestatem, qua Prælati Regulares per Chartas Filiationis recipiunt aliquos in consortium bonorum spiritualium suæ Religionis; & ratio est, quia solæ Indulgentiæ suspenduntur, qualis non est communicatio hæc bonorum spiritualium. Pasqualigo quæst. cit. 152. num. 3. An Litteræ Filiationis concessæ à Prælatis Regularibus suspendantur in Anno Sancto, tenendum quòd solùm suspendantur quoad effectum Indulgentiarum, non autem quoad alios effectus nempe Orationes, Sacrificia, Vigilias, Ieiunia, & alia opera satisfactoria. Ratio autem est, quia dicta suspensio versatur tantùm circa Indulgentias, seu satisfactiones, quæ conceduntur de communi Thesauro Ecclesiæ. In hac autem communicatione nihil conceditur de communi Thesauro Ecclesiæ; sed solùm conceduntur quæ sunt propria Religionis, quatenus satisfactoria, & impetratoria, & proinde non venit appellatione Indulgentiæ, &c.*

Ex eo, quòd superius dixit *Ruteus nu. 16. cit.* ille ansam sumit quærendi, an maiorem homini vtilitatem, maiusque emo- 277

emolumentum afferant Indulgentiæ, an verò Gratiosæ Participationes bonorum spiritualium alicuius Ordinis? Idem proponit Dubium *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea par. 3, cap. 6. q. 9. num. 214.* Respondet vterque iisdem penè verbis: Indulgentias exinde maioris esse valoris, in quantum illæ (iuxta suam, probabilioremque sententiam) certò & infallibiliter iuuant tam viuos, quàm defunctos; & quia satisfactiones, quæ ipsis per eas applicantur, sumuntur ex infinito, & indeficiente Thesauro Ecclesiæ. Præterea Indulgentiæ sunt communiter abundantiores, maiorque pœna per eas remittitur, quàm per præfatam communicationem bonorum spiritualium Ordinis, per quam, quantum remittatur, ignoramus; maximè cùm hominum satisfactiones, sint finitæ, ac deficientes; nihilominus tamen communicatio bonorum spiritualium Ordinis aliquo modo superare videtur Indulgentias in hoc, quòd Indulgentiæ solùm conferant ad remissionem pœnæ, communicatio verò Operum bonorum Religionis prosit non solùm ad eandem pœnæ remissionem, sed præterea etiam ad consequendum multa alia bona Spiritualia, ac temporalia, quandoquidem illis mediantibus plures gratiæ præuenientes impetrentur, quarum virtute faciliùs recuperatur gratia habitualis perdita, & gratia sanctificans; recuperata conseruatur, ac augetur, maiori fortitudine tentationibus quis reluctatur, &c. Hoc ipsum credo, significare voluit noster *P. Alphonsus de Leone*, dum ait *num. cit. 232. in fine Dubio primo.* Vnà cum *Casarubio*, dari casum in quo plus conferant communicationes Religionum, quàm Indulgentiæ, cùm nimirum quis existit in peccato mortali. *Nota*, ait ipse, *ex Casarubio in Compendio Priuileg. Mendic. verb. Indulgentia versus finem, quod datur casus, in quo plus prosunt hæ communicationes, quàm Indulgentia, scilicet quando quis est in peccato mortali. Addo secundum casum, quando suspenduntur Indulgentiæ, vt hoc tempore anni Sancti.* Plus adhuc dicit *P. Pasqualigo quæst. cit. 152. num. 4. Litteræ Filiationis*, inquiens, *possunt alicui plus prodesse, quàm prodesset Indulgentia plenaria. Ratio autem est, quia hæc communicatio est non solùm quoad satisfactionem, sed etiam quoad impetrationem. Quia licèt quoad satisfactionem, requireretur peculiaris voluntas Religiosorum, vt applicaretur, adhuc tamen ista voluntas adest semper, vel formaliter, vel virtualiter, vel saltem interpretatiuè, stante quòd habentes hanc communicationem sunt facti membra Religionis. Vnde fieri potest, quòd tales satisfactiones sint sufficientes pro tota pœna debita peccatis. Vnde insuper gaudebunt impetratione, media dicta communicatione.*

Ex dictis deducitur, aliquas interuenire differentias inter Gratiosas Participationes Religionum, atque Indulgentias. *S. Thomas in 4. dist. 20. qu. 1. artic. 4. quæst. 1.* duas assignat differentias: Prima est, quòd licèt aliquis per Participationes Gratiosas liberaretur à debito pœnæ, ob satisfactiones Ordinis, quæ ipsi vi Gratiosarum applicantur, nihilominùs tamen non liberatur à debito exequendi pœnam in Sacramento Pœnitentiæ sibi iniunctam, prout liberatur vi Indulgentiarum; cùm sit sententia communis *ex cap. cùm ex eo, de Pænit. & remiss.* per Indulgentias remitti pœnas, ac satisfactiones iniunctas in foro interno Pœnitentiæ: dum enim tollunt pœnam, eo ipso liberant etiam à debito satisfaciendi pro ipsa pœna, vndecumque ortum traxerit. Quamuis autem per Gratiosas quoque Participationes habeatur remissio pœnæ, nihilominùs per talem remissionem non relaxantur satisfactiones iniunctæ, neque ab eas attinguntur, aut afficiuntur, licèt talis Gratiosa applicatio (ait *Corduba de Indulgent. quæst. 39.*) communicaretur ab ipso Summo Pontifice, quia hæc fit de solis bonis spiritualibus alicuius Congregationis, quæ non sunt infinita, nec constat, esse sufficientia ad talem satisfactionem. Secunda differentia est, quòd Indulgentiæ scaturiant ab inexhausto, atque indeficiente Thesauro Ecclesiæ, qui ex infinitis Christi Meritis, ac Sanctorum constat: Participationes autem Gratiosæ effectum non habeant à prædicto Thesauro Ecclesiæ, sed fundentur in solis meritis, & satisfactionibus Religionis, cumque in ea non sit copia meritorum indeficiens, tantum pœnæ per eas remittitur, quantum de satisfa-

ctioni-

ctionibus Religionis per eas alijs applicatur. *Passarellus in notandis Priuilegiorum notab. 22.* relatus à *Rutco sect. 3. cit. num. 3.* tertiam attingit differentiam, quòd nimirum per Gratiosas Participationes applicetur solummodo fructus bonorum operũ futurorum, postquam enim opus factum est, non est ampliùs in potestate operantis: at verò per Indulgentias communicentur satisfactiones Christi ac Sanctorum, actualiter iam repositæ in Thesauro Ecclesiæ; ac scaturientes à præteritis ipsorum bonis operibus (ex quo etiam apparet, multo minorem esse potestatem concedendi Participationes Gratiosas, potestate concedendi Indulgentias, cùm illa non transcendat authoritatem humanam, sicut transcendit concessio Indulgetiarum) Vnde *Nauarrus Miscell. II. de Rosar. num. 5.* supposito hoc principio subiungit: *Ex quo infertur iure potius militari, quàm Canonico, quemdam meum Auum, virum militarem, fratri suo fortissimo militi in prælio occiso, donasse meritum ieiuniorum Sabbathorum septem annorum, quæ in honorem Virginis Mariæ proximè antea ieiunauerat; cui res similis illo tempore ab alijs quoque sua conditionis viris, potius bona fide, quàm erudita ratione facta fuisse accepimus.* Quartam insinuant differentiam idem *Passarellus loc. cit.* apud eundem Authorem *l. c. numer. 14.* quam etiam affert *Sotus in 4. dist. 21. q. 1.* & *Palatius ibid. dist. 20. disp. 4. in fine;* nimirum quòd in concessione Indulgentiarum Prælati vtantur Claue Ecclesiæ, dum remittunt debitas pœnas per veram absolutionem, nihilominùs tamen non conferantur Indulgentiæ, præterquam solis Subditis: in Participationibus autem Gratiosis applicentur etiam non subditis, videlicet Amicis, & Benefactoribus, non tamen includant vllum actum Iurisdictionis, sed per meram solutionem, ac satisfactionem sortiantur suum effectum. Refragatur huic differentiæ *Nauarrus* apud *Ruteum n. 14. cit.* eò quòd Indulgentiæ concedantur etiam defunctis, & tamen his non prosint per viam Iurisdictionis, & absolutionis: ergo &c. At facilè resoluitur oppositio, concedendo, quòd Indulgentiæ concessæ viuis, ipsis prosint per modum absolutionis, & iudiciariæ potestatis: defunctis autem solùm per modum suffragij: Attamen ambæ (vt notat etiam *Ruteus loc. cit.*) conceduntur per actum potestatis Clauium, quatenus vtrobique fit æquiualens solutio ex Thesauro Ecclesiæ. Quamuis autem potestas Clauium quoad Indulgentias viuorum, & mortuorum duplicem habeat effectum; absolutionis nimirum quantum ad viuos; solutionis autem, quantum ad defunctos, vtraque tamen differt à Participationibus Gratiosis; quia quælibet est actus potestatis Clauium per modum solutionis ex Thesauro Ecclesiæ, & Indulgentiæ quidem viuorum sunt per modum absolutionis. Intercedunt etiam aliæ differentiæ inter Gratiosas Participationes, atque Indulgentias: quod hæ solùm valeant ad remittendas pœnas peccatis debitas, illæ autem ad alios præterea effectus, impetrationis &c. vt superiùs pluribus locis dictum, dicetur que inferiùs diuersis Capitulis. Insuper quòd Indulgentiæ tantùm remittant pœnas debitas peccatis commissis antequam quis eas lucretur, Participationes autem Gratiosæ specialiter prosint pro tempore futuro: *Indulgentia* (verba sunt *Rutei l. c. num. 15.*) *tantùm remittunt pœnas debitas peccatis commissis ante tempus, quo quis eas lucratur: Participationes verò maximè valent pro futuro; & omnes earum effectus perpetuò alijs proderunt quamdiu ijs indigebunt, vt etiam in Litteris earundem exprimitur.* Quod totum confirmat *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui aurea par. 3. cap. 8. sub num. 220.* sequentibus verbis: *Certum est, quòd recipere Fideles ad participationem bonorum spiritualium alicuius Congregationis, vel etiam totius Ecclesiæ, non est Indulgentiam aliquam concedere: siquidem dum alicui Indulgentia conceduntur, ei applicantur, & dispensantur præterita Christi Domini satisfactiones, & Sanctorum, quæ in Thesauro Ecclesiæ conseruantur; quæ dispensatio propterea, fieri potest solùm ab habente Claues ipsius Thesauri; eas autem solummodo habet Summus Pontifex, & Episcopi dependenter à Summ. Pontif. Acceptare autem aliquem ad participationem bonorum spiritualium alterius, est illi applicare tum eius merita per modum impetrationis, ac meriti de congruo, nedum quando fiunt, sed etiam vbi facta fuerunt: tum per modum suffragij, & satisfactionis, sed solùm quando actu fiunt; & ista applicatio fieri potest tum ab ipso operante, tum ab eius Superiore,*

*riore, & Prælato: Summus autem Pontifex, cùm sit Supremus omnium Christianorum Superior, & Prælatus, potest totius Ecclesiæ Militantis opera spiritualia ad beneplacitum applicare.* Concludo Dubium istud, admonens Lectorem, quòd sicut Litteræ Gratiosæ concessæ ante annum Iubilæi, eo euoluto, iterùm communicant Indulgentias Ordinis, vt priùs, ita pariter, ex, quæ conceduntur intra eundem Annum Sanctum, eo euoluto idem præstant, ob intentionem concedentis, quæ absque omni dubio talis fuit vel actualiter, vel saltem virtualiter &c.

## DVBIVM XXV.

### *An hoc præstare possint Prælati Regulares per Delegationem?*

279 RESpondeo affirmatiuè: quia, quicunque habet potestatem Ordinariam, potest eam delegare alijs, vti communiter affirmant Doctores, communisque fert opinio, teste *Panorm. in Rubr. de Offic. Deleg.* At Prælati Regulares habent talem potestatem Ordinariam, concedendi Gratiosam Filiationem Spiritualem, quandoquidem ordinaria potestas illa est, quæ conuenit ratione officij, & dignitatis, vt asserunt Doctores, in specie *P. Pasqualigo decis. 114. numer. 4.* Prælatis autem Regularibus hæc conuenit de Iure, & ratione officij, vt probatum est à principio huius Capitis; ergo, &c.

280 Confirmatur hoc ex ipsa praxi, atque exercitio eiusdem Delegationis. *Petrus Thomas Saracenus Carmelita, parte sexta Reformationum Spiritualium: Informat.* 14. Loquens de eo, qui à Reuerendissimo P. Generale deputatur ad aggregandum Fideles Confraternitati Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo, affirmat, *quòd iste accipiat authoritatem recipiendi, ac aggregandi præfatæ Confraternitati indifferenter viros, ac mulieres; communicandi ipsis securè Indulgentias, & Gratias Spirituales concessas Fratribus, ac Sororibus à Paulo V. Pont. Maximo. Possit prætereà, quod notandum est, recipere Confratres, ac Consorores ad participationem omnium operum Spiritualium Ordinis Carmelitani.* Idem asserit *Informatione* 15. subsequenti, dicens: *Superiores Prælatos delegare Clauem Authoritatis suæ Deputato, ad hoc vt possit communicare bona spiritualia Religionis.* Similem casum eiusmodi delegationis, factæ à Theatina nostra Religione Patri cuidam Carmelitæ Discalceato, refert noster *P. D. Franciscus Maria Maggius* in breui aliqua notitia, quam edidit, de Scapulari Immaculatæ Conceptionis, benedicto à nostris Patribus Theatinis, quam adiecit ad calcem libri sui, cui Titulus: *Ioannes Petrus Caraffa Theatini Ordinis Confundator, à Societate Iesu defensus, & Illustratus*, repetitque in alio suo libro, cui hanc præfixit Inscriptionem, *S. Caietanus ad pedes Beatissimæ Virginis Immaculatæ cap. 10.* ita loquitur: *Non est silentio prætereundus P. F. Placidus de S. Teresia Carmelita Discalceatus, insignis Theologus, laudatissimaque vita, qui in Germania edidit Compendium Latinum de Vita, ac Virtutibus venerabilis Matris nostræ Vrsulæ de Benincasa, quam fol. 266. nominat, Sanctitatis admirabile portentum, huic sæculo nostro concessum, &c. Hic die 9. Augusti Anni 1659. expetijt hunc Sacri Scapularis Habitum, datis Bruxellis hisce Latinis Litteris: Maximi beneficij loco reputabo, si mihi V. P. Immaculatæ Conceptionis Scapularium mittet; quod vsque ad mortem gestare propono; maxima cum animi mei consolatione. Idem ardenter exoptat D. Michael &c. Cùm autem circa hoc nullum accepisset responsum, rescripsit denuo, principio Anni 1660. sequentibus Litteris: Post vltimas, quas ad vestram Reuerentiam dedi, petebam cum D. Michaele Inneerts, registrari in Confraternitatem Immaculatæ Conceptionis: & exigebam, vt mitterentur nobis duo Scapularia eiusdem Confraternitatis, & hactenus nihil recepi responsi. Rogo iterum, & enixè rogo, vt mittere dignetur &c. Quare ad satisfaciendum tam pio desiderio, annuendumque votis Religiosi tantorum meritorum, qui semper ardentissimis Litteris suas iterabat preces, transmissa ipsi est facultas, vt quotquot ipse priuatim Scapularia Conceptionis benedixerit, simili benedictione, qua Scapularia Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo benedici solent, omnes ij, qui illa ab ipso deuotè receperint, fierent ipso facto Aggregati Religioni Theatinæ, eiusque operum bonorumque spiritualium participes. Pro quo beneficio ipse grates refert hisce verbis: Duas à vestra Reuerentia recepi, vnam die 8. Februarij, quæ mihi fere-*

bit,

*bit, Reuerendissimum Patrem vestrum Generalem, ad vestram instantiam concessisse, vt quotquot à me Scapulari Vestri Ordinis donati fuerint, qua benedicere potero omnium bonorum operum participatione fruantur, ac si in Vestrum ipsi Ordinem adscripti essent. De quo maxima beneuolentiæ signo, & Reuerendissimo D. Vestro Generali gratias ago quàm maximas, corde genuflexus, ab eo Sanctam benedictionem expostulans; & vestræ Paternitati gratias etiam ago pro tanti beneficij munere impetrato. Quotquot reperiam huius Sacri Scapularis Immaculatæ Conceptionis desiderio accensos, illis libenter donabo, nomine Reuerendissimi vestri Generalis &c. Porrò vt omnium deuotioni eo magis satisfieri possit, distributa fuit tali occasione eadem facultas in Hispania, in Portugallia, in India pluribus alijs Religiosis. Quia verò multi, qui iam Scapulare Carmelitanum habebant, etiam nostrum Immaculatæ Conceptionis desiderabant, dabatur, ipsis eo modo, quem præscribit Rituale Virginum Theatinarum (opera Patris cuiusdam Carmelitani primæui Instituti, editum Antuerpiæ Anno 1659. vbi fol. 79. asserit, quòd Theatinum & cæruleum Scapulare multi hodie gestant, ac petunt coniunctim cum fuluo Scapulario R. R. P. P. Carmelitarum, quòd Sanctissima Dei Mater B. Simoni Stock Sexto illius Ordinis Generali concessit. Aduertendum tamen, quòd pars cærulea tunc à nostris, fulua autẽ illa Scapularij pars, benedici debet à R.R.P.P. Carmelitis.* En habes ex hac narratione delegatam in praxi facultatem concedendi Filiationem Spiritualem Gratiosam.

281 Quoniam verò hac occasione mentio nobis incidit Scapularis Immaculatæ Conceptionis, operæ pretium fore duxi, præter Notitiam, quam de eo scripsit *P. Franciscus Maria Maggius*, afferre etiam hìc loci Breue Apostolicum *Sanctissimi D. N. Clem. X. 1671. 3. Ian.* sed breuitatis amore abbreuiatum, quod integrum videri potest apud eundem Authorem libro, quem inscripsit: *Ioannes Petrus Caraffa defensus, disquisitione X. pag. 145. & 146.* nec non & ritum illud conferendi iuxta Exemplare impressum Neapoli & postea Venetijs anno 1677.

Tum quia per hoc magis confirmatur assertio nostra circa hoc dubium, quòd nimirum à Superioribus primis delegari possit facultas concedendi Litteras Spiritualis Filiationis; cùm ex hac narratione constet clarè, quod delegari possit collatio huius deuoti Scapularis, cui etiam annexa est aggregatio ad Theatinam Religionem.

Tum etiam, vt in alijs quoque Prouincijs, ac Ciuitatibus, ad quas fortassis nulla huius deuoti Scapularis (quod etiam Regularibus vtriusque sexus compartibile est absque vllo Regularum, aut Institutorum suorum præiudicio) ad quas, inquam, nulla eiusdem notitia hucusque peruenerat, hac Latina editione latiùs diuulgari queat, ad fidelium vtilitatem, puramque Dei Gloriam, & Immaculatæ eiusdem Genitricis nostræ, ac totius Vniuersi perpetuæ Dominæ honorem.

*Breuis Notitia de Scapulari Immaculatæ Conceptionis, quod à P. P. Theatinis, vi Pontificij Diplomatis benedicitur, ac confertur; prout in allegato nostro P. Maggio videre licet.* 282

PRæter quamplures singulares Gratias, quas Dominus Deus huic nostræ Neapolitanæ Ciuitati conferre dignatus est, haud minimo habendum loco, quod Diuina sua Maiestas, in ea, pro vniuersali orbis bono, fundarit primum, ac principale Monasterium Theatinarum Eremitarum Immaculatæ Conceptionis in fortunato illo Monte, qui ab antiquis iam temporibus, cœlesti haud dubiè præsagio, futuræ huius sanctæ fundationis, nomen Sanctæ Eremi tulit: hunc habitatura, atque admirandis suis illustratura operibus, conscendit Venerabilis Mater nostra Vrsula Benincasa, quæ ibidem tres primos trium futurarum suarum fundationum lapides posuit, hæc proferens verba: *Hic locus*, ad eum, vbi Congregationis ædificium construxit; *Sanctus est*, ad eum, in quo postmodum fundata est Eremus; *Vbi orat Sacerdos*, & modò domus pro duodecim Sacerdotibus ædificata est.

Pro his Theatinis Eremitis, omnimodè à mundo sequestratis, vi quarti superadditi voti, nunquam ampliùs vllæ externæ personę loquendi, manifestata est à Christo Domino, & Beatissima Virgine, Regula Anno salutis 283

1616. ac præſcriptus habitus; nimirum tunica candida, cum pallio ac Scapulari cærulei coloris, hac adiuncta promiſſione, quòd, qui hunc habitum portauerit, atque in illo Sancto loco perſeuerauerit, ſpeciali gratia à Deo adiuuabitur ad bene moriendum, videlicet cùm perfecta, atque ex Diuino amore proficiſcente contritione de ſuis peccatis, munitus omnibus Sanctis Sacramentis, directeque ad Cęlum euolabit, aut breui è Purgatorij pœnis liberabitur. Locutus eſt pientiſſimus Dominus tum plura alia; quibus denique ſubiunxit, earumdemmet gratiarum fore participes omnes illos, ſiue ſæculares ſint, ſiue Religioſi, qui ſub proprio habitu idem ſcapulare, ſed minori forma, ad honorem Immaculatæ Conceptionis, vſque ad mortem deuotè portauerint. Quocircà tunc comparuit ingens multitudo Angelorum, qui illo induti erant, & paſſim vbique fidelibus diſtribuebant. Ex quo colligi poteſt, Dei ſeruam ſucceſſu temporis haud exiguam per illud Mundo allaturam opem. Cuius rei mentio fit *in Elogijs Venerabilis Matris Vrſulæ Benincaſæ, Romæ, impreſſis Anno* 1654. Et *in Diſquiſitionibus Hiſtoricis* in luce editis Anno 1668. *prima parte, ad finem decima diſq.* hiſce verbis *Quicunque ſæculares, & Religioſi viri, aut planè mulieres: paruum idem, atque cæruleum Scapularium ferrent, bonorum illorum omnium participes eſſent, quæ in honorem Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ V. ſeſe Dominus collaturum eſſe promiſerat. Et tunc Dei ſerua circumſpexit innumerabiles Angelos Scapularia indutos, & eiſdem onuſtos, vniuerſum terrarum orbem excurrere; vt illum iuuarent, atque omnibus opem ferrent, qui cærulea hæc Scapularia deuotè ſuſciperent; planè ingens à Deo in vita, & in morte auxilium, ac in Purgatorio igne leuamen, ſi piè cùm eodem decederent, acceptur.*

Totam hanc rem exhibet eximiæ artis pictura in muro extra Monaſterium Eremitarum penes Eccleſiam. Quapropter venerabilis noſtra Mater nonnulla huiuſmodi Scapularia confecit, quæ, à Sacerdote priùs benedicta, ſua deinde manu Viris Nobilibus ac Matronis elargita eſt, à quibus deuotè ſuſcepta, ac geſtata fuere: vti bene notat *P. Hypolitus Maraccius Clericus Regularis de Dei Matre, in defenſione S. Catharinae.* 9. dicens inter alia de hac noſtra Matre, prædicta iam ab illa, & ex eius prognata ſtemmate. *Hæc paruulum, ac cæruleum Scapulare, tanquam Immaculatæ Conceptionis teſſeram, multis ſua manu dedit, propria ſub veſte geſtandum; tum ijs, qui illud deuotè haberent, ac ferrent, fore promiſit, vt in vita, & in morte inſignem Deiparæ opem experirentur.*

284 Qua de cauſa ab illo iam tempore vſque in præſens, Sacrum hoc Scapulare continuò datum eſt in honorem Immaculatæ Conceptionis ferè omnibus Excellentiſſimis D. Viceregibus, ac Vicereginis Neapolitanis, qui hanc eandem deuotionem in Hiſpaniam intulerunt: plurimis præterea Principibus ac Principiſſis, Epiſcopis ac Prælatis Italiæ, Romæ D. Didaco de Arragonia, Duci Terrænouæ, Hiſpaniæ Legato, Principibus, ac Principiſſis, Burgheſio, Ludouiſio, & Sauellio: tribus Eminentiſſimis Cardinalibus, litteris, pietate, ac exemplariſſima vita ſummè conſpicuis, quorum primus fuit Petrus Aloyſius Caraffa, qui 2. Auguſti 1653. conſuetis ceremonijs ac precibus illud ab Authore recepit, cæteri quoque cathalogo ordine adſcripti ſunt addito teſtimonio, ac ſubſcriptione P. Io: Baptiſtæ Lanfranci, moderni Epiſcopi Auellini, è cuius manibus illud acceperunt. Porrò pręfato Cathalogo initium dedit P. Carolus Loffredus, hodie Epiſcopus Moluettranus, deuotus ſummopere eiuſdem Propagator: primus autem omnium illi nomen dedit Reuerendiſſimus D. Didacus Garſia de Tranſmiera, Inquiſitor Apoſtolicus in Sicilia, qui tum temporis Panormo Neapolim appulit, fundationes dictę Matris Vrſulę promoturus. Fuere inſuper non pauci, & etiam Status Religioſi diuerſorum Ordinum, qui hoc ſacro Scapulari inſtanter petierunt donari, deuoteque portarunt.

285 Cęterùm magna cum admiratione, & ingenti conſolatione hiſce temporibus compertum eſt, Venerabilem Matrem Annam Battinellam, quę pręfatæ Dei Seruæ à Secretis erat, ea vita functa, tranſmiſiſſe Matribus Monaſterij Sanctiſſimæ Trinitatis deſcriptionem manifeſtationis totius Eremi, iuſſu ſæpè dictæ Matris Vrſulæ, vtpote Spiritu præſciæ,

præscię, ex eo loco exituram primam Superiorissam Theatinarum statum Eremitarum. Quare ea perlecta, Venerabiles illæ Matres, tanto spiritus ardore, tantaque deuotione erga insigne hoc Institutum exarserunt, vt vno omnes animo illud Scapulare expetierint, prout hisce Litteris contestatum fit.

*Ego D. Maria Magdalena Vrsina, Præposita venerabilis conuentus Monasterij Theatinarum Eremitarum Immaculatæ Conceptionis; iussa à Superioribus meis iuramento attestari, recepisse me Anno 1648. Scapulare Immaculatæ Conceptionis, mihi transmissum à Venerabili Matre D. Anna Battinella, Virgine quondam nostræ Theatinæ Congregationis, hisce attestor quibuscunque: quòd dum adhuc eram in Ven. Monasterio Sanctissimæ Trinitatis Ordinis S. P. Francisci, & familiaritas quædam nos inter, & Matres huius Congregationis intercederet, certiores factæ de deuotione, quæ ad hoc sanctum scapulare nostræ Venerabili Matri Vrsulæ è Cœlo missum habebatur, magno accensæ fuerim illud recipiendi desiderio, portauerimque continuò ingenti cum deuotione, & affectu. Id verum esse, Deum, ac Beatissimam Virginem in testimonium voco. Datæ decimo Aprilis, in nostro Venerabili Monasterio Eremi Theatinæ Immaculatæ Conceptionis. Ego D. Maria Magdalena Vrsina confirmo denuo vt supra.*

286 *Ego Soror Maria Beatrix de Sangro Abbatissa Monasterij Sanctissimæ Trinitatis tertij Ordinis S. Francisci Assisinatis in hac ciuitate, præsenti testimonio declaro, quòd ei ipsis ab hic annis, cùm Monasterium nostrum particularem gerebat deuotionem, atque affectum ad Congregationem Venerabilis Matris Vrsulæ Benincasæ; familiarique iunctæ essemus amicitia D. Annæ Battinellæ, ab ea certiores reddita futuræ fundationis Eremitarum, ac Habitus ipsis præscripti: quodque ad honorem Sanctissimæ Conceptionis idem Scapulare in minori forma distribueretur, nos illud ex deuotione petierimus, atque ab eadem Matre Anna nobis transmissum fuerit Anno 1648. quod magna deuotione à nobis gestatur, Id testatum volui præsentibus litteris propria manu subscriptis, & consueto nostro sigillo signatis. Neapoli 3. Septembris 1671.*

*Soror Maria Beatrix de Sangro, Abbatissa Monasterij Sanctissimæ Trinitatis, affirmo vt suprà.*

Taliter porrò dilatata, non modò in hac ciuitate verùm etiam in Hispania, huius Sacri Scapularis deuotione; Excellentissimus quoque Dominus Petrus Antonius Raymundus Folck, quondam Arragoniæ, modò Dux Segorbiæ, & Cardonæ, Vice-Rex, ac Summus armorum Præfectus in Regno Neapolitano, postquam perfecerat ædificium sanctæ Eremi, atque in illud Monasterium introduxerat primas Eremitas, regia pompa, Musica videlicet solemnissima, festiuo omnium tormentorum admugitu, & applausu omnium Campanarum totius Neapolitanæ ciuitatis, die primo Febr. Anno 1669. accensus etiam ipse desiderio huius sacri Scapularis, illud magno deuotionis affectu è manibus sui P. Confessarij ex eadem Theatina Religione Sacerdotis, accepit in Octaua Assumptionis Beatissimæ Virginis, Anno 1670. syngrapha insuper in hunc modum protestatus: *Firmum sibi esse; atque ad vltimum vitæ terminum illud gestaturum, vt eo mediante particeps efficiatur Sanctarum precum Eremitarum, ac totius Theatinæ Religionis, tanquam vnus ex ipsis, & vt deuotus Filius S. Caietani, & Venerabilis Matris Vrsulæ Benincasæ.* Eundem deuotionis actum peregit etiam Excellentissima D. Vice-Regina biduo pòst, simili protestata syngrapha. Exinde ad maiora præstandum excitatus D. Vice-Rex, tanto zelo ad procurandam Sancti Caietani Canonizationem exarsit, vt quamprimum appulit Decretum Sacræ Rituum Congregationis, quòd canonizari possit, plenus Iubilo imperauerit cantari regia musica Hymnum Te Deum Laudamus, ad debitas Diuino Numini grates referendas pro tam exoptato nuncio; machinas etiam curules huic sacræ lætitiæ applaudere iussit. Præfatus tunc Pater è pulpito dixit: qui latiùs explicatis Theatinæ Religionis Institutis, ac Prærogatiuis, sermoné deinde conuertit ad Scapulare Eremitarum, quod Fidelibus in Honorem Immaculatæ Conceptionis distribui solet. 287

Hisce tamen eximiæ deuotionis actibus, magnanimæ Vice-Regis pietas necdum satura, sed veluti flamma in angusto contineri nescia, ad cremandum 288

R obuia.

obuia queque ocyùs erumpit; ita deuotionis eius, erga hoc Sacrum Scapulare, feruor, vniuersos vbique terrarum Fideles ad eius amorem accendere gestiebat; quocircà, vt id, quod à Patribus priuatim fiebat, posset imposterum Authoritate Pontificia, publicè in Ecclesijs exerceri, commoda vsus occasione, cùm nomine nostri Catholici Regis Hispan. Caroli II. Romam ad præstandam Pontifici obedienriam proficiscendum ei erat, supplices vnà Litteras Sanctitati Suæ D. N. Clementi X. per manus Reuerendissimi D. Alexandri Crescentij, Patriarchæ Alexandrini, & Sanctitatis suæ Cubiculi Magistro porrexit: obtinuitque per Breue Apostolicum, datum 30. Ianuarij Anno 1671. à sua Sanctitate benignissimè, quòd P.P. Clerici Regulares benedicere, ac distribuere valeant quibusuis Fidelibus vtriusque sexus Scapularia cærulea Immaculatę Conceptionis: concessis priùs, per illud ipsum Breue Apostolicū, præfatis Eremitis, à quibus Scapulare hoc originem suum trahit, omnibus Priuilegijs, Gratijs, prærogatiuis, & Indulgentijs quibus gaudēt Moniales Conceptionis in Toletana Ciuitate, & vt recitare queant singulis Ferijs quintis non impeditis Officium de Sanctissimo Sacramento: & Sabbathis similiter officium Conceptionis. Quare peracto solemnissimæ Legationis suæ munere Neapolim reuersus: postquam celebrata fuit Romæ quinque Sanctorum Canonizatio, & quidem speciali Decreto facto ac confirmato de nouo à Sacra Rituum Congratione statutum, vt hi Cœlestes honores Sancto Caietano primo loco decernerentur: ea res tantoperè animos omnium Ciuium Neapolitanorum excitauit, vt denuo ratum firmumque habuerint, quòd iam olim votis, ac vocibus vnanimiter conceperant propositum, ipsum videlicet in suum Protectorem deligendi, ac expetendi: quod etiam celerrimè tanto animorum consensu, tanto feruore, ac vniuersali omnium lætitiâ factum est, vt tam in Conuentu Nobilium, quàm in Ordine Populi, quàm etiam in Dominorum Canonicorum Capitulo, nec vnius desideratum fuerit suffragium. Quocircà assistente Eminentissimo quoque Cardinale Archiepiscopo, Innico Caracciolo, declaratus est Sanctus Caietanus à Sacra Cardinalium Congregatione, & ab ipsomet Summo Pontifice, cum vniuersali iubilo, Protector Neapolis, eo modo, quo anno 1624. declaratus est B. Andreas ex eadem Religione eiusdem Ciuitatis Protector.

Confectum est ergo nobile vexillum, in quo Magna Dei Mater visebatur, 289
porrigens Sancto Caietano Scapulare suæ Immaculatæ Conceptionis, quod erectum atque explicatum est in foro ante Basilicam Sancti Pauli. Datum deinde amplissimæ celebritati initium, quæ per nouem quartas Ferias subsecutiuas sese extendebat: pretiosissimis Basilica superbiebat Aulæis; Diuinæ Laudes quaternis resonabant Musicorum Choris; è pulpito dixit, idem, qui superiùs, Pater: is in fine omnium suorū Sermonum, magno populi applausu encomia deprædicauit huius Sacri Scapularis Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis, quam varijs modis attestati sunt, ac profitentur P. P. Theatini. Solemnis deinde per Ciuitatem instituta Processio: & exoneratæ cunctæ bellicæ machinæ. Dominica infra octauam Festiuitatis S. Caietani D. Vice-Rex iterum pompa, ac musica regia celebrauit Sanctissimi Patriarchę nostri gloriam, in eadem Basilica Sancti Pauli, vbi sacris solemniter operatus est P. Gregorius Reyna, illius Domus Præpositus: quibus finitis voluit sua Excellentia fieri solemnem benedictionem Scapularium. Quare consedente P. Prępositio iuxta Altare, legit is, qui præfatis nouem Festiuitatibus Concionatoris munere functus erat, ex Presbyteri facultatem Clementis X. Pontificis Maximi, quā Religioni Theatinæ concessit, distribuere Scapularia hæc cærulea vniuersis Fidelibus: & quòd vnusquisque, qui illud recipere, & eo mediante Religioni S. Caietani incorporati, eiusdemque bonorum spiritualium fieri particeps desiderat, illud gestare debeat vsque ad mortem; abstinere præterea omnibus quartis Ferijs ab esu carnium, vt moris est apud Theatinos, & quotidianum Eremitarum Institutum

tutum exigit: aut ea septimana confiteri, & communicare, aut saltem spiritualiter Eucharistiam percipere: item in Festiuitatibus Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis, & Purificationis Beatissimæ Virginis, peccata confessione eluere, ac Diuino refici ferculo: precatorium quoque, singulis diebus, deuotionis alicuius exercitium Magnæ Dei Matri persoluere; ac sæpiùs hæc verba tenero animi affectu pronuntiare: *Laudetur Sanctissimum Sacramentum & Benedicta sit Puritas, & Immaculata Conceptio Beatissimæ Virginis Mariæ*. His promulgatis benedixit Scapularia P. Præpositus: & primò omnium eo donauit Excellentissimum D. Vice-Regem, qui multa astantium ædificatione illud sæpiùs pectori, & ori deuotè appressit: collatum post hæc etiam fuit toti Consilio suo Regali Collaterali, & omnibus Dominis Electis è Ciuitate, nec non & toti Nobilitati, quæ illo manè ad assistendum in Basilica S. Pauli conuenerat: quorum omnium ardentissimum desiderium ad assumendum hoc pietatis Schema, verbis explicari nequit. Quoniam verò Ecclesia quoque S. Mariæ de Angelis foris, & intus solénissimè adornata erat picturarum varietate, machinarum admirandis structuris, & peristromatum pretiosissimorum splendore, eruditis quoque inscriptionibus, & nobilissimis compositionibus, ad celebrandùm etiam in ea Festum Sancti Caietani; Diuina ibidem, in Festo Diuæ Virginis Assumptæ solemniter peregit P. Vincentius de Iudice, illius Domus Præpositus: quibus expletis, & ipse, assistente Excellentissimo D. Vice-Rege cùm multis Musicorum Choris, benedixit Scapularia Immaculatæ Conceptionis, distribuitque imprimis D. Vice-Reginæ, deinde ingenti numero primariæ Nobilitatis fœminarum, quæ ad illius Festiuitatis celebritatem concurrerant.

290 Multi tunc P. P. Theatinorum istud sacrum Scapulare, iam à viginti, aut triginta annis gestarant: siquidem anno 1648. totus Nouitiatus Domus Sanctorum Apostolorum, illud magna deuotione receperat; visum proinde fore conuenientius, vt quoniã omnibus Fidelibus publicè datur, omnes etiam P.P. Theatini cum aliqua solemnitate illud reciperent. Cùm igitur id muneris spectaret ad P. D. Petrum Paulum Nobilionem tunc totius Ordinis Præpositum Generalem (qui sancto feruori D. Vice-Regis egregiè cooperatus, initium dederat sanctæ Monialium Eremo, & Patrum Habitationi) solemnis ista benedictio, ad Gloriam Deiparæ Virginis, & Immaculatæ eius Conceptionis, in nonum Septembris diem intimata fuit; quem actum cùm D. Vice-Rex, ineluctabilibus distentus negotijs, sua præsentia condecorare nequiret, eius vices suppleuit Excellentissima D. Vice-Regina, magna stipata Ginecęi caterua. Expleta proinde ad Altare Benedictione P. D. Petrus Paulus primus omnium illud recepit è manibus P. Ordinarij, D. Ioannis Damiani: deinde cæteri Sacerdotes, Clerici, Laici, Professi, & Nouitij bini & bini accedentes, tanta cum deuotione, ac populi ædificatione illud receperunt, vt quotidie tam sæculares, quàm Religiosi illud anhelanter expetant aut per se, aut si id non liceat, aliorum opera.

At singulari deuotionis affectu id sibi communicari supplicarunt Moniales quædam Dominicanæ S. Mariæ de Sapientia, fundatæ à venerabili Matre Maria Caraffa, Sorore Sanctissimi Nostri Pontificis Pauli Quarti: & denuo Moniales Franciscanæ Sanctissimæ Trinitatis, quibus impertitum est in Festo Immaculatæ Conceptionis die 8. Decembris à quodam P. Theatino, qui Dei verbum per Aduentum ibi prædicabat. Dominæ item recessus, fundatæ à Principissa de Monte Dracone, spiritui Fundatricis suæ insistentes, quæ in Filiam Theatinæ Religionis cooptari voluit, Festo Purificationis Beatissimæ Virginis illud deuotissimè receperunt, cum totali sui ipsarum oblatione Magnæ Puritatis Matri hisce verbis: *Sanctissima Virgo Maria, Mater Altissimi Immaculata, suprema omnium Creaturarum Imperatrix, & benignissima peccatorum Aduocata; ego N. N. in hoc solemni Festo, tuæ Gloriosæ Purificationi consecrato, coram Sanctissima Trinitate, Patre,* 291

*Filio, & Spiritu sancto, & vniuersa Cœlestis aulæ præsentia, præcipuè S. Michaele Archangelo, supernæ militiæ Primate, S. Petro Principe Ecclesiæ, dilecto discipulo S. Ioanne, S. Iosepho castissimo vestro Sponso, Genitoribus verò Sanctissimis Ioachimo, & Anna, Sancto Patre Caietano, & Sancto meo Angelo Custode, cum vero dolore de meis peccatis, te inuoco, & adoro, ò Magna Puritatis Mater: meque dedico in hoc sacro Recessu, ad maiorem tuum honorem, in seruam & mancipium dilectissimi Filij tui Iesu Christi; cui offero, ac dono totum amorem, imò & cor meum, vt tuo adiutorio purgari merear ab omnibus affectibus, & inquinamentis terrenarum rerum. Desiderans autem viuere, & mori sub materna Protectionis, ac misericordiæ tuæ Pallio, recipio hodie Sanctum Scapulare Eremitarum Theatinarum, ad honorem Immaculatæ tuæ Conceptionis: quatenus taliter Aggregata, & vnita toti Theatinæ Religioni, particeps fieri merear omnium meritorum, Patrum, Fratrum, Virginum, ac Monialium totius P.P. Clericorum Regularium Ordinis; viuamque ac moriar in gratia Iesu Filij tui, & in æternum cantare valeam: Laudetur Sanctissimum Sacramentum, & benedicta sit Puritas, & Immaculata Conceptio Mariæ Virginis. Amen.* Eodem quoque modo illud receperunt plura alia Monasteria: Et in libro quodam Hispanico cui Titulus: *La Pobreza enriquecida en el Hospital de los Pobres mendigos de baxo, del titulo di S. Pedro y Sant Genaro*: compositо Neapoli à *Domino Doctore Iosepho Pandolpho Electo Populi* legitur *fol.* 83. sequens conclusio, quæ in Latinum traducta, huius est tenoris: *Die* 23. *Nouembris Anni* 1671. *Congregatis Dominis Gubernatoribus regij Hospitalis pauperum mendicorum tituli Sanctorum Petri, & Ianuarij in consueto auditorij hypothecato, propositum fuit à Domino Doctore Iosepho Pandolpho, fidelissimi Populi Electo, & præfatorum Gubernatorum vno, quod cum Excellentissimus Dominus Petrus Antonius Ramon Folch de Cardona, olim Arragonia, Dux Segorbiæ, & Cardonæ, huius Neapolitani Regni Vice-Rex, eximia pietate istud tam sanctum, Deoque pariter, ac hominibus tam gratum opus fundarit: vt in hoc magnifico Hospitali vsque hodie octingenti, & quinquaginta pauperes alantur; illudque ditauerit non solum temporalibus bonis; verùm etiam spirituali Indulgentiarum thesauro, & pluribus à Sua Sanctitate per Bullas & Apostolica Breuia, obtentis Priuilegijs; desiderat modò sua Excellentia, vt singuli Pauperes, tam præsentes, quàm futuri, cuiuscumque status, aut conditionis sint, qui existunt, & qui imposterum venient ad istud Hospitale, recipiant & ipsi benedictum Scapulare Immaculatæ Conceptionis; cui impressa sit Imago Virginis Deiparæ, cum insignibus suæ semper Immaculatæ Conceptionis, & Infantulo IESV in brachijs, eadem forma, qua effigiata cernitur eius Statua à Reuerenda Matre Vrsula Benincasa in Ecclesia sita ad radices Montis S. Martini. Quæ Statua quotannis speciali deuotione colitur à fidelissimo Populo, qui eam sibi specialiter in Protectricem, & Aduocatam aduersus omnia imposterum ingruentia pericula, ac necessitates delegit. Insuper vult, vt idem Scapulare effigie etiam Sancti Caietani constet, genuflexi ante Deiparam, & pro nobis deprecantis. Sicuti ad preces Excellentissimi Domini nostri Vice-Regis à Summo Pontifice Clemente X. concessum est toti Theatinæ Religioni; ac deinde celebri pompa, ingentique apparatu, in maiori S. Pauli Ecclesia, à præfato D. Vice-Rege, à fidelissima hac Ciuitate, vniuersa Nobilitate, & ab omnibus aulæ ac Tribunalium Ministris solemniter receptum fuit: per cuius receptionem particeps quis redditur totius Theatinæ Religionis, ac Spiritualium eius bonorum. Hac audita propositione definierunt vnanimiter præfati Domini Gubernatores: debitas ac humiles suæ Excellentiæ per D. Pandolphum reddendas esse gratias, pro ingentibus, ac innumeris, quibus hanc sanctam ac regiam Domum absque intermissione afficit, tam spiritualibus, quam temporalibus beneficijs, ac ditijs: statuere igitur, vt ab hoc die, & imposterum non tantum Mendici omnes, qui in hoc regium Hospitale suscipiuntur; sed etiam Moniales, ac puellæ Collegij; item mulieres, puellæque Maioris Conseruatorij, pauperes quoque tam coniugati, quàm soluti, simul ac pueri, & vniuersim qui ab hinc deinceps suscipientur: præmissa Confessione, & Communione, in diuersas distinctis vices, pergant cum deuotione, & modestia, ad aliquam P.P. Theatinorum Ecclesiam, recepturi ibidem prædictum Sacrum Scapulare, rogentque admodum Reuerendos Patres Superiores, illud benedi-*

*nedicere, ac solitis caremonijs ipsis conferre dignentur. Pro illis autem, qui præfatas Ecclesias adire nequiuerint, vti sunt Moniales, aut qui legitimo detinentur impedimento, aut quibus ex Hospitio egredi non permittitur, non grauentur dicti admodum Reuerendi Patres Superiores mittere è suis quemquam ad præstitum Hospitale, qui eis illud impertiatur, vt omnes nemine excepto eo sint insigniti: dignetur quoque omnibus Gubernatoribus præsentibus ac futuris: ministris etiam regij huius Hospitalis, qui illud desiderauerint, benignè conferre. In hunc denique finem supplices suæ Excellentiæ porrigantur preces, vt suam apud Admodum Reuerendos Patres intercessionem dignetur interponere, vt hanc eis charitatem exhibere velint. Cùm enim hoc deuotionis Institutum sua Excellentia à Sede Apostolica impetrauerit, æquum ac conueniens est, vt omnibus præfati Hospitij communicetur, vtpote à sua etiam Excellentia fundati ac instituti.*

*Hisce proinde flexa precibus sua Excellentia, P.P. Theatinos huius rei gratia conuenit, qui iam initium fecerunt, præfati Hospitalis pauperibus illud elargiendi, quod & in dies prosequuntur.*

( Iosephus Pandolphus. )
( Iosephus Castaldus. )
( Iosephus de Ambrosio.) Gubernat.
( Flaminius Spiezius. )
( M. Antonius Tizanus. )

Similiter in pluribus alijs Regni Ciuitatibus Sacrum hoc Scapulare Fidelibus in Festiuitate S. Caietani communicatum est, maxima, qua fieri potuit celebritate, ac pompa, tam in Choro, quàm in Foro, demonstrata, videlicet tam quoad Ornatus Ecclesiarum splendorem, ac Musices suauitatem, quàm ad ignium artificialium festiua spectacula, & bellicorum tormentorum gratè reboantium maiestatem.

# BREVE SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI CLEMENTIS PAPÆ X.

*Quantum ad partes tantùm essentiales, breuitatis studio, hoc Sacrum Scapulare concernentes, datum Anno* 1671. *Die* 30. *Ianuarij.*

# CLEMENS PAPA X.

292 *D perpetuam rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit Dilectus filius Nobilis vir Petrus de Aragonia, Dux Segorbiæ, & Cardonæ, Regni Neapolis Pro Rex, ac charissimi in Christo Filij Nostri, Caroli Hispaniarum Regis Catholici, apud Nos, & Sedem Apostol. Orator ad præstandam Nobis eiusdem Caroli Regis nomine Obedientiam missus: quòd cum in Ciuitate Neapolitana reperiantur duo Monialium Monasteria Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ, Curæ, & Gubernio Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum (vt asseritur) subiecta, quorum Moniales pietatis, alijsque religiosæ vitæ studijs eximiè florent, bonoque Christi odore de bona conuersatione fragrant, & ex peculiari eorum instituto, pro felici Sedis Apostolicæ Statu, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces assiduè fundunt: dictæ verò Moniales fauoribus, & Gratijs, ac præsertim facultate recitandi singulis quintis ferijs Corporis Christi, & Singulis Sabbathis Conceptionis eiusdem Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ officia &c. Summoperè cupiant. Ipse vero Dux Pro Rex, & Orator, eisdem Monialibus opportunè in præmissis à Nobis prouideri, nec non prædictis Clericis Regularibus facultate benedicendi Scapularia parua cærulei coloris, illaque multis Christi Fidelibus pro deuotionis erga Mysterium Conceptionis prædictæ affectu ea gestare cupientibus, quemadmodum in Hispania iam dudum fieri consueuit, distribuendi concedi plurimum desiderat. Nos igitur pijs eiusdem Petri Ducis Pro Regis, & Oratoris Votis hac in re quantum cum Domino possumus fauorabiliter annuere volentes, &c. Prædictis Clericis Regularibus Theatinis nuncupatis Scapularia parua cærulei coloris huiusmodi benedicendi illaque Christi Fidelibus, sicut præmittitur, distribuendi licentiam, & facultatem, auctoritate, & tenore præsentis tribuimus, & impertimur, decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, &c.*

293 Quoniam verò, nonnulli quæstionem mouent (vt cum nostro *P. Maggio cap.* 12. *cat. nu.*98. *pag.* 135. loquar) à quonam benedici conueniat hæc Scapularia, an ab omnibus Religionis Sacerdotibus, an verò à Superioribus tantummodo: quantumuis Bulla Pontificia *Clementis X.* ampla sit, & facultatem concedat Generalibus hisce verbis: CLERICIS REGVLARIBVS THEATINIS NVNCVPATIS SCAPVLARIA PARVA CÆRVLEI COLORIS HVIVSMODI (nostrarum videlicet Eremittarum, ad honorem, vt superius, ait, Sanctissimæ Conceptionis) BENEDICENDI, ILLAQVE CHRISTI FIDELIBVS, SICVT PRÆMITTITVR, DISTRIBVENDI LICENTIAM, ET FACVLTATEM, AVCTORITATE ET TENORE PRÆSENTIS, TRIBVIMVS ET IMPERTIMVR. Mei nihilominùs animi sententia hæc esset, vt eodem, hac in re, nos quoque procedere mus modo, quem *Papa Sixtus V.* Patribus S. Francisci præscripsit, pro benedictione chordarum, quem etiam Doctores Patrum Carmelitanorum exinde collegerunt, à sua quoque Religione tenendum. Quocircà *Constitutiones Patrum Carmelitanorum* declarant 4. *par. cap.* 28. *& P. Lezzana in suo libro, Maria Patrona, cap.* 12. *num.* 21. *Superiorem, qui potest Habitum benedicere, & hanc facultatem delegare, esse Generalem Ordinis pro tota Ecclesia; Prouinciales pro suis Prouincijs; Priores verò locales posse quidem id facere per seipsos, non tamen alijs delegare hanc facultatem.* Et subiungit: *debere autem dari tale Scapulare, vel Habitum à Superio-*

*peribus Ordinis*, *colligitur à simili de Chorda Diui Francisci*, *quam debere similiter à Superioribus eiusdem Ordinis dari Confratribus eius Confratriæ*, *expressit Sixtus V in Bulla Charitatis Anno* 1587. apud *Rodriqu. prim. tom. qq. Reg. qu.* 58. *art.* 1. Atque ita sentiunt *F. Petrus Lucius in Compend. Histor. Carmelitan.* & *F. Thomas à Iesu lib.* 2. *de Confraternitate cap.* 4. Sed aduertit denique *Lezana*, opus esse, vt libro inscribatur Confraternitatis, is, qui recipit Scapulare, vt notat *Rodriquez l. c.* & *Flauius Cherubinus Monachus Cassinensis Ord. S. Benedicti in Compend. Bullarum, in Sixto V. numer.* 13. Id quod à nostris quoque Patribus in praxi exercetur. Quare Neapoli, Venetijs Mediolani, & in alijs primarijs ciuitatibus, in quibus vsque hodie magno spiritus feruore expetuntur, ac in dies distribuuntur hęc sacra Scapularia, vtriusque sexus Nobilibus, integris Monasterijs &c. conseruantur libri, in quibus continentur Nomina, ac Cognomina, eorum omnium, qui illud receperunt, exactè secundùm ordinem descripta.

294 Assero porrò & ego hic loci, quantum circa hoc quæsitum (à quonam videlicet hæc nostra cœrulea Scapularia benedici debeant) scripserit citatus *Rodriquez art.* 1. *cit. in fine*, agens de benedictione præfatæ Chordæ S. Francisci. Opus nimirum absolutè esse, vt ab aliquo nostrorum Prælatorum, saltem locali, benedicantur; in eius autem absentia, aut defectu benedici posse etiam ab eo, qui in Superioris defectu, aut absentia illius sustinet vices: huiusmodi apud nos sunt (vt constat *ex Constitutionibus Theatinis*, & *earum Commentario*, *par.* 3. *cap.* 9. *n.* 13.) eiusdem Vicarius, & in illius etiam absentia, qui est professione antiquior. Recenseo hic verba ipsiusmet *Rodriquez loc. cit.* ex quibus etiam confirmantur ea, quæ supra dixit *P. Maggius*: *Notandum est, quòd vt hæc omnia consequantur, necesse est, vt prædictam Chordam, cinctam deferant, benedictam ab aliquo Prælato Guardiano, aut Præsidente in absentia Guardiani: cui in eius absentia omnis facultas conceditur, iuxta Constitutiones Generales: & nos dicemus infra in quæstione de Vicarijs; & declarauit Sixtus in præallegata Bulla. Requiritur etiam vt ipsi Confratres in Confratrias ingrediantur, & in Libris ipsarum scribantur. Ad hoc autem vt nomen Confratriarum sortiantur, sufficit, quòd Confratres in dictis Libris scribantur, etiamsi ipsæ Confratriæ non habeant Oeconomum, & Maiores, quibus Confratres obedire teneantur. In his enim Confratrijs nihil iniungitur Confratribus faciendum postquam sunt conscripti, nisi tantùm, vt si velint, Indulgentias, & remissiones peccatorum consequantur. Hi autem qui dictam Chordam non benedictam deferunt, minimè gaudent supradictis, sicut neque qui deferunt benedictam, non ingredientes Confratrias, eorum nominibus in Litteris earum scriptis.* Hæc *Rodriquez*, quæ reuerà benè notanda sunt: cui in confirmationis testem accedit *Quintannaduenas in Appendice tract.* 9. *dub. vlt. nu.* 1. hisce verbis: *Circa Indulgentias, quas Confratres cuiusuis Confraternitatis lucrari possunt: Notandum est, has non lucrari, nisi eos, qui legitimè iuxta Regulas cuiusuis Confraternitatis, aut Congregationis, de facto admissi fuerint; quantumuis eas frequentent.*

# RITVS

***Tradendi Scapularium Cœruleum paruum Theatinarum Eremicolarum Immaculatæ Conceptionis, vtriusque sexus Christi Fidelibus, ex facultate, quam SS. D. N. CLEMENS X. Vniuerso Clericorum Regularium Ordini Indulsit; impressus Neapoli, ac postea Venetijs Anno***

**1677.**

Aduertendum est, quòd si pluribus personis simul & semel imponatur, aliud mutari necesse non sit, quàm numerum singularem in pluralem.

*Eo primùm genuflexo, qui recepturus est Scapularium, stans Sacerdos Superpelliceo, & stola ornatus, dicit Antiphonam,*

295 Onceptio Virginis Genitricis Dei Mariæ Gaudium annuntiauit vniuerso Mundo: ex ea enim ortus est Sol Iustitiæ Christus Deus Noster; qui soluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Saluum fac seruum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxiliū de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

DEus, qui per Immaculatam Beatæ Virginis MARIÆ Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparasti; quæsumus, in Scapularium istud, quod ad eius honorem, ob exorandam hominum reformationem, & innouationem Mundi, Theatinæ Eremi Sanctimoniales induere voluisti; virtutem ita tuæ Benedictionis ✠ & sanctificationis infundas, vt quicunque illud per nostri Ordinis communionem, & deuotam sui ipsius oblationem, gestauerit: eadem B. MARIA intercedente, cum Beatis Apostolis tuis Petro, & Paulo, B. Patre nostro Caietano, & omnibus Sanctis, post contritum insidiatori serpenti caput, & acceptam peccatorum omnium veniam, æternæ hæreditatis Coronam consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Tunc ostendens, & deinde imponens ei Scapularium dicit.*

Ecce salutis Signum, Munimentum in periculis, & Arrha fœderis sempiterni. Accipe, fili, Scapularium istud Beatissimæ Virginis MARIÆ, ad honorem eius Immaculatæ Conceptionis; cuius meritis, & intercessione, sub Ordine B. Patris Nostri Caietani, in posterum Protectoris tui, ipsum perferas sine macula, & ab omni liber aduersitate, ac peccati inquinamento mundatus, ad vitam peruenias sempiternā. ℟. Amen.

OREMVS.

SVscipiat te Christus in numero fidelium suorum, vt nos, licèt indigni, te suscipimus in Orationibus nostris. Concedat tibi Deus, per Vnigenitum suum, mediatorem Dei, & hominum, & Beatam eius Genitricem Virginem MARIAM, ac Beatum Patrem nostrum

ſtrum Caietanum, cuius Ordinis Monialium Eremitarum Habitum hodie ſuſcepiſti, quamdiu ipſum geſtabis, benè viuendi tempus, benè agendi locum, conſtantiam benè perſeuerandi, ex omnibus periculis euadendi gratiam, & ad vitæ æternæ hæreditatem feliciter perueniendi. Et ſicut nos hodie fraterna charitas ſpiritualiter iungit in terris, ita Diuina pietas, quæ veræ dilectionis eſt auctrix, nos cum fidelibus ſuis coniungere dignetur in Cœlis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

*Tum addit Theatinarum monitum illi, ex 1. ad Timoth. 6. dicens.*

Radix omnium malorum eſt cupiditas; quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem, ò Homo Dei, fuge hæc; ſectare verò Iuſtitiam, Pietatem, Fidem, Charitatem, Patientiam, Manſuetudinem: certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam. ℟. Deo gratias.

*Et ſtatim illum in Ordinis Communionem admittens ſubiungit.*

Et ego authoritate, qua fungor (& ex facultate mihi conceſſa) recipio te in Theatinam noſtrorum Confratrum, & Conſotorum Sodalitatem; & participem facio omnium illorum bonorum, quæ vel in noſtro Ordine vbique locorum, ac gentium, ex Dei gratia fiunt, vel noſtris Hominibus, ac Monialibus; ex ſanctæ Apoſtolicæ Sedis priuilegio, impertiuntur. In nomine Patris, & ✠ Filij, & Spiritus Sancti, ℟. Amen.

*Demum luſtrali aqua illum aſpergit, & referens eius Nomen in Codicem dicit.*

Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum: & benedicta ſit ab omnibus Beatæ Virginis Mariæ Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri Matris, Immaculata Conceptio.

## DVBIVM XXVI.

### *An talis etiam poteſtas competere poſſit Scholis, & Confraternitatibus Sacularibus, tam Virorum, quàm mulierum?*

RESpondeo affirmatiuè: quia tales etiam Scholæ, Confraternitates, 296
& Communitates tam virorum, quàm mulierum, poſſunt inter ſe quoad hoc conuenire, ac quælibet in particulari, ſi ita libuerit, omnium conſentientibus votis, pro ſuo beneplacito alios admittere in Conſortium communium ſuorum bonorum operum, ac ſatisfactionum, Orationum, ſuffragiorum &c. Dare quoque Litteras Confraternitatis, ac Participationis ſpiritualis, haud ſecus ac Prælati Regulares; cùm quilibet Dominus ſit ſuorum bonorum operum, & vt talis poteſtatem habeat, ea quæ communicabilia ſunt, alijs participandi. Cui etiam opinioni ſuffragatur *Hieronymus Gratianus, Tractatu de Iubilæo Anni Sancti par. 1. cap. 4.* dicens: *Nè ſimus nos miſeri mortales, remiſſi, ac negligentes, in exorando, ac deprecando Dei ſeruos, vt nobis opera ſua communicent, in Procurandis Litteris Confraternitatis à Religioſis Ordinibus, & alijs Congregationibus, vnde fructus ſatisfactorius bonorum ipſorum operum, ad diminuendas graues Purgatorij pœnas, deriuat.* Conſentit *Ruteus de Participat. qu. 2. ſect. 2. n. 8.* dum ibidem ait: *Communio Sanctorum eſt, in toto corpore Eccleſiæ: participationes verò, in Corpore Ordinum Religioſorum, & aliarum particularium Congregationum:* Quod totum confirmat, ſub eadem quaſi forma, qua nos Dubium hoc decidimus, *Andreas Mendo in Epitome Opinionum Moralium, verbo Particip. n. 4. pag. mihi 518.* vbi ait: *Non ſolùm Prælati Religionum valent Litteras Fraternitatis concedere, verùm qualibet Confraternitates ſæculares, ſeu Communitates Virorum, aut Mulierum quæ ſimul in vna Domo viuunt, quin Vota, ſeu Profeſſionem emittant, ſed ſpecialiter honeſtæ vitæ normam ſequuntur, poſſunt in vnū conuenientes concedere eiuſmodi Litteras alijs: nam vnuſquiſque eſt Dominus ſuorum operum,*

*poteſt-*

*potestque alios in Consortium admittere satisfactionum, & Orationum suarum, & quorumcunque Suffragiorum, præ pro Defunctis exhibet.* Quare supposita huiuscemodi potestate quæ etiam penes Scholas, Confraternitates, ac Communitates sæcularium residet; memini, me Regulis, quas pro Oratorio piorum sæcularium, à me hìc Veronæ Annò 1671. in Monasterio nostro Sanctæ Mariæ de Glarea erecto, concinnaui, similem Participationem spiritualem inseruisse, ac cum consensu eorumdem Confratrum communicasse, cuius tenor *cap.* 8. est, vt sequitur: *Declaratur hìc nomine Fratrum præsentium, & futurorum, quòd ad participationem bonorum, ac suffragiorum ab ipsis præstandorum, aut quæ vnquam ab eorum successoribus fient, admittant sequentes quoque personas, tam in vita, quàm post mortem; videlicet Patrem, Matrem, Fratres, ac Sorores; vxores, filios, ac filias vniuscuiusque Confratris huius Oratorij.* Probatione vlteriori non eget; vti neque vllam patitur oppositionem hæc nostra responsio; quæ tamen cum hac limitatione intelligenda est, exclusa scilicet participatione Indulgentiarum, has quippe, præfatæ Scholæ, aut Confraternitates, absque speciali priuilegio communicare non possunt.

## DVBIVM XXVII.

### *Vtrùm hæc facultas inueniatur apud R.R. D.D. Parochos, respectu Populi ipsis subditi?*

297 IN Ecclesia Catholica nomen Parochi eum designat, qui curam gerit Populi sibi commissi, vt testatur *Gabriel à S. Vincentio de Remedijs ignorantiæ disp. 2. dub. 4. §. 4. n. 50. In Ecclesia nomen Parochi applicatur ad illum, qui habet curam plebis, seu populi sibi commissi;* qui proinde etiam habet Iurisdictionem spiritualem supra illum, prout reuerà habent R.R.D.D. Parochi: *Barbosa de potestate Parochi par. 1. cap. 1. n. 7.* circa plura autem versatur hæc eorum Iurisdictio: nam *Multa sunt, & varia, quæ Parocho competunt Iura,* ait *Petrus de Murga par. 3. qq. Pastoral. tit. de Iurib. Parochi, in princip.* de qua Iurisdictione tractat hic Author diffusè, ac consequenter per totam 3. *part. cit. à q. 1. vsque ad 18. inclusiuè:* reducitur autem à *Bassæo* (comprehendendo Ius Parochi simul ac Parochiæ) ad decem Capita: ac in totidem etiam diuidit *Michael Lechmaier in Parochiali Curatorum cap. 1. pag. mihi 4. Ius Parochiale consistit principaliter in decem, &c.* Quæritur iam hìc, an R.R. D.D. Parochi supposita hac eorum Iurisdictione spirituali in proprios subditos, ac Parochianos, possint etiam ipsi concedere Filiationem spiritualem, ac Litteras Gratiosas Parochiales?

298 Respondetur negatiuè; quia nimirum potestas hæc DD. Parochorum in proprios subditos, ac Parochianos, est solùm potestas Iurisdictionis: *Plebanis huiusmodi sola competit Iurisdictio fori pænitentialis, vt Parochis:* ait *Barbosa n. cit.* non autem potestas dominatiua, à qua sola, tanquam à propria & vnica causa prouenit concessio Gratiosa Spiritualis Filiationis; igitur vera est nostra responsio, quæ exinde adhuc magis confirmatur, quòd ex defectu eiusdem potestatis dominatiuæ in proprios subditos, neque etiam Episcopi, sola Iurisdictione spirituali, possint conferre Litteras Gratiosas suarum Diœcesium. Quibus breuiter concludo Dubium, ac denique etiam Capitulum istud.

# CAPVT QVINTVM.

## QVIBVS CONCEDANTVR LITTERAE GRATIOSAE?

299 Onceduntur indifferenter Fidelibus vtriusque sexus, tam Maribus, quàm Feminis: tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus; vt ex ipso facto constat; siue deinde bene meriti sint de Ordine, siue non: tam vni soli, quàm toti Familiæ, Confraternitati, Collegio, seu Vniuersitati,&c. cùm omnes sint capaces.

### DVBIVM PRIMVM.

### *An aliquis sibi ipsi eas possit conferre?*

300 RESpondeo affirmatiuè: sicut enim iuxta communem Doctorum opinionem, apud *P. Pasqualigo de Magno Iubileo qu. 19. nu. 1.* & apud *Passerinum de Indulg.q.21.* qui confert Indulgentias, potest eas lucrari & ipse, sibique conferre, ita qui alijs communicat bona spiritualia Ordinis, ea potest & sibi communicare:si ea non participet tanquam membrum, aut Caput eiusdem Ordinis absque speciali sua applicatione.

### DVBIVM SECVNDVM.

### *An alijs existentibus in peccato mortali?*

301 RESpondeo affirmatiuè; & vtinam hoc sæpiùs non contingeret! verum quidem est, quòd, quamdiu perseuerauerit in hoc statu, solius fructus impetratorij virtute Gratiosarum sibi collatarum capax sit, non autem fructus satisfactorij: *quia nulli potest dimitti pœna, nisi cui iam dimissa est culpa*, ait *Doctor Angelicus in Addit. ad 3.p. qu. 27. artic. 1. Paulus* quoque *ab Omnibus Sanctis, in Claui Aurea par. 3. cap. 6. quæst. 8. n. 213.* quærens, an æquali modo participent fructum bonorum operum per viam Gratiosæ Filiationis, tam is, qui est in statu Gratiæ, quàm qui in statu peccati mortalis consistit, resoluit quæstionem cum nostra coincidenter responsione, sequentibus verbis: *Respond. Eos, qui sunt in statu Gratiæ, participare in his operibus, tam quoad vim satisfactoriam, quàm quoad vim meritoriam. Si verò loquamur de ijs, qui lethali sunt peccato obnoxij, in primis non participant in eiusmodi operibus, quoad vim satisfactoriam. Ratio huius est, quia nullus liberari potest à pœna, nisi sit absolutus à culpa: effectus enim non diminuuntur, neque tolluntur, nisi diminuta, vel ablata causa. Quoad vim autem meritoriam, etiam ij, qui sunt in peccato mortali, & quibus communicantur dicta opera bona, participant in illis, vt docet S. Doctor (loc. cit. in fine resp.) in hunc modum: si fieret (inquit) communicatio per hunc modum. Facio te participem meritorum totius Ecclesiæ, vel vnius Congregationis, vel vnius specialis personæ: sic possent valere ad merendum aliquid illi, qui esset in peccato mortali*, quæ omnino ad Litteram nostra est responsio

Potest hìc quæri, an nouo sese obstringat peccato mortali, qui *Filiationem Spiritualem* in statu peccati grauis, recipit? Ad quod respondeo negatiuè. Quia *Filiatio Spiritualis* neq; est Sacramentalis absolutio,neq;Sanctitatẽ confert recipienti,consequenter,neq; in eo exigit statum gratiæ: vti neque in eo, qui illam confert: quapropter non committit nouum peccatum mortale Prælatus,qui in statu peccati grauis existens *Filiationem Spiritualem* impertitur: quia, vt dictum, est concessio rei tantopere sacræ,ac grauis, neque actio, aut absolutio Sacramentalis, quæ conferat gratiam, vt proinde in Ministro, seu Prælato conferente,pariter requirat statum Gratiæ,vt dispositionem condignam; hic enim non est actus Ordinis,quapropter capite præcedenti demonstratum est,cum exerceri posse etiam à Prælatis Religionum, quæ non admittunt Ordines, imò & à feminis quoque, quæ tamen Ordinum incapaces sunt, videlicet Abbatissis, & Superioribus Monialium, vti etiam à Scholis Laicis: sed est purè, ac præcisè actus potestatis dominatiuæ, qui absolutè 302

lutè exerceri potest absque graui, & nouo peccato à Prælato, etiam existente in peccato graui: prout quilibet Prælatus in tali statu exercere potest actum prouenientem à potestate sua Iurisdictionali, quin propterea nouam culpam mortalem incurrat, iuxta sententiam Doctorum apud *Passerinum de Indulgentijs qu.85. num. 626.* quibuscum ille concorditer affirmat, non committere Episcopum peccatum mortale, si in tali statu concesserit Indulgentias; idque ob easdem rationes, quas pro nostro casu concessionis *Spiritualis Filiationis* adduximus: verba *Passerini num. cit.* sunt hæc: *Quamuis censuris impediatur Episcopi facultas ad concedendum Indulgentias, non impeditur tamen per peccatum mortale. D. Thom. 4. dist. 20. qu. 1. art. 4. q. 4. ubi Nugnus qu. 26. art. 4. Imò Episcopum existentem in peccato mortali non peccare grauiter, si Indulgentias concedat, secluso scandalo, ex eo, quòd non sit actus Ordinis, sed Iurisdictionis; actus verò Iurisdictionis possunt sine graui peccato exerceri à peccatore, ut multi tradunt. Imò non esse nouum peccatum dicunt alij, eò quòd Indulgentia non sit absolutio Sacramentalis, nec sit tam sacra, & tam grauis actio, nec conferat alijs sanctitatem, ut requirat in Ministro statum gratiæ tanquam dignam dispositionem. Et quod in hac parte dicitur de Episcopo, dici debet de omni concedente Indulgentias;* & in casu nostro de omni Prælato elargiente *Filiationem Spiritualem*.

## DVBIVM TERTIVM.

### *An alijs Ordinibus Regularibus?*

303 RESpondeo affirmatiuè: quod & de facto contingit, & practicatum fuit iam pridem ab antiquissimis Religionibus. Quocircà *Brouuerus lib.2. Antiquitatum Fuldensium cap. 11.* testatur, hoc Sancti Benedicti Monasterium spiritualem contraxisse Societatem, communicationemque bonorum operum, cum multis alijs exteris Monasterijs, etiam Mendicantium: cuius verba à *Ruteo* citata hìc refero: *Lectoris. otio abutar, si enumerem illustria quæque Monasteria, quæ fœdere sanctissimo huic Congregationi suncta Orationum, & piorum operum utili flouere commercio, inita Societate, quæ eandem utilitatem, ac remunerationem esse decreuerunt, uniuscuiusque, ut uniuersorum; cuius quidem consociationis usitatæ vinculum, non ad eiusdem modò familiæ, sed diuersa extera propinqua consortium iuxta transire placuit; atque hinc mendicantium, quos nuncupant, seu præcellentium membrorum ad se rapere sancta studia, & incredibiles labores curæ etiam fuit: quippe Sancti Dominici, Francisci, Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum uniuersa opera, iustis initis, piisque fœderibus ad sua commoda maiores traduxere:* hucusque prædictus Author: *Addit etiam inijsse eandem societatem cum Patribus Societatis IESV.* Idem de Carthusianis affirmat, *Elias à Sancta Teresia in Legatione Ecclesiæ Triumphantis ad Militantem tom. 1. lib. 2. cap. 40. num. 3. pag. 695.* vbi ipsas Litteras Gratiosas à Carthusianis ad P.P. Societatis directas exhibet, subsequenti formula: *Carthusiani sua bona opera cum Societate IESV communicant, anno Domini 1544. & sic à Carthusianorum parte hoc extat Monimentum.*

*Frater Petrus, humilis Prior Maioris Carthusiæ, cæterique Definitores Capituli Generalis Ordinis Carthusiensis.*

*Reuerend. in Christo Patri, ac deuotis viris Dominis Ignatio Præposito, suisque Fratribus nouæ Societatis Nominis IESV vbilibet locorum constitutis, salutem, quam præparauit Deus diligentibus se.*

*Audita fama &c. Nos, si quid poterimus apud Dominum, Diuinis Sacrificijs, Orationibus, Abstinentijs, cæterisque pijs exercitijs, quorum omnium, vobis & Successoribus vestris, in vita pariter, & post mortem, singularem concedimus participationem, &c.* Has easdem Litteras ex integro exhibet *Pater Nicolaus Orlandinus in Historia Societatis IESV lib. 4. num. 107.* earundemque meminit *P. Gobat. in Epistola Dedicatoria parui Tractatus sui Moralis de Sacramentis in Genere:* cui titulus, *Clauis Alphabetico-Sacramentalis.*

Quantum ad illam particulam, *Vobis, & Successoribus vestris*, aduertendum est, etiam absque hac specificatione Litteras Gratiosas, concessas Religioni, Monasterio, aut Confraternitati, &c. nisi contrarium constet de intentione concedentis, intelligi sem- 304

per

per eum extensione ad posteros, ac Successores: iuxta hoc imprimis fundamentum, quòd cùm sint Animabus fauorabiles, debeant omnes (nisi aliud obstet) eodem modo ampliari, lateque interpretari: quandoquidem etiam Gratiæ, Priuilegia, ac Indulgentiæ ipsæ à Summo Pontifice alicui Religioni, Monasterio, seu Confraternitati concessæ (nisi ex ipsa concessione contrarium constet) extenduntur absque limitatione ad posteros, & successores in perpetuum. (Ad huius etiam probationem facit id, quod dicitur *Dub. 5. Capitis 9. n. n. 621. 622. 623. 624.*) Religio quippe, Monasterium, siue Confraternitas &c. sunt quiddam formaliter perpetuum, semperque idem, quantumuis successiuè deficiant personæ, aliæque loco earum succedant. Ciuitas hæc Veronensis, absque dubio eadem est, ac fuit ante ducentos annos: elapsis porrò abhinc aliis ducentis annis, eadem formaliter erit, ac est modò; & tamen haud superstes est vllus ex iis, qui ante ducentos annos hìc vixerant: ducentis quoque ab hinc annis, non supererit vllus eorum, qui modo in ea degunt: nihilominùs Verona formaliter semper erit eadem. Pari modo ego idem homo sum absque controuersia, quantum ad esse naturale, qui fui ante viginti, triginta, aut quadraginta annos (*prodigio enim simillimum foret, si modò essem alius, ac olim fui*: ait noster *P. D. Io. Baptista Iustinianus* in suo Doctissimo Opusculo *de Statu Corporum Beatorum, lectione septima*, vbi demonstrat: *quemlibet resurrecturum ea forma, ac figura, ac erat in viuis, & qua mortuus est, pag. 94. colum. 2.*) & tamen corpus meum ac materiam, ex qua modò consto, necessariò oporter esse diuersam ab illa, quam ante quadraginta annos habui: ratio huius rei clara est; nam calor naturalis continuò consumit substantiam nostræ carnis, ac sanguinis, & eorum loco, transeunte alimento in substantiam aliti, alia caro, aliusque Sanguis succedit, ad resarciendas eas partes, quæ diu noctuque euaporant, ac deperduntur, adeò vt perpetuus in nobis sit fluxus partium substantiæ, quæ deperduntur, & earum, quæ de nouo adueniunt. Quomodo autem, supposita huiuscemodi variatione, Verona, ac quælibet alia Ciuitas, semper remaneat eadem: pariterque etiam ego, ac quiuis alter homo, idem, & non alius de terra surrecturus est? Dicam ego, respondet præfatus *P. Iustinianus lect. cit. pag. 95. col. p. in fine*. (eandemque resolutionem afferunt alij apud *S. Tho. in Suppl. 3. p. q. 80. art. 4. vers. Tertia autem opinio*.) Hodie moritur vnus Veronæ, aliusque nascitur; & quia mutatio hæc parua est, Ciuitas manet eadem: cras idem contingit, nec vlla aduertitur mutatio Ciuitatis: cumq; hoc modo paulatim deficiat secundùm suas partes, nouique semper succedant habitatores, loco eorum, qui decesserunt, moraliter semper verum erit dicere: Verona est eadem Verona, vti quælibet alia Respublica, ac Ciuitas. Similiter Corona, siue Rosarium semper erit idem, easdemque habebit Indulgentias, licèt paulatim deficiant grana, tam maiora quàm minora, atque eorum loco subrogentur alia de nouo. *Diana part. 11. tract. 8. & Miscell. 8. res. 10.* At si Deus omnes habitatores alicuius Ciuitatis dehiscente terra in momento absorberet, ac eorum loco nouos reponeret homines, certum est, quòd tali casu alia esset Ciuitas, ac erat prius, nec eadem vocari posset. Pari ratione in corpore humano, manente eadem Organizatione, paulatim fit continua quædam mutatio materiæ (sicut in Rosario variatio Granorum) & tamen, non obstante tali variatione, seu mutatione, homo semper perseuerat idem. Si autem Deus, me aliquando hoc corpore penitus priuaret, aliudque eius loco mihi substitueret, non essem idem, sed alius. Sic ergo in nostro casu, cùm Religio, Monasterium, seu Congregatio, &c. ad quam Litteræ Gratiosæ diriguntur, eodem prorsus modo, ac Ciuitates, & Corpus humanum, sint semper eædem, quamuis successiuè in eis deficiant, atque sibi inuicem succedant personæ; cùm tamen, hoc non obstante, semper perseueret Religio, Monasterium, seu

S Con-

Confraternitas, &c. cui directæ sunt Litteræ Gratiosæ, perseuerat consequenter etiam Spiritualis earum participatio in perpetuum, etiam absque prædicta clausula, *Vobis, & Successoribus vestris*. Ex quo

305 Colligat quoq; Lector, quòd si quando à Prælatis Regularibus conferantur Litteræ Gratiosæ personis Coniugatis, earumque filijs, insertis hisce verbis: *natis, & nascituris*; etiam absque hoc addito, communicentur præfatæ Litteræ cum suo fructu, ijs, qui etiam post concessionem, atque expeditionem Gratiosarum ipsis nascentur. Quia sola indefinita nominatio *Filiorum* Litteris inserta, æquiualet per se vniuersali, complectiturque natos, ac nascituros, absque explicita eorum determinatione (nisi de intentione concedentis contrarium constet) maximè cùm sit in materia fauorabili, vt dictum. Si tamen Litteræ Gratiosæ directæ forent ad solos Coniugatos, seclusa nominatione Filiorum, certum est, non participaturos de earum fructibus eos, qui impostèrum ab ipsis gignentur: quamuis enim sint de substantia ac corpore naturali suorum Genitorum, non tamen vnà cum ipsis sunt de corpore Mystico ac Spirituali Ordinis, cui per præfatas Litteras Gratiosas incorporati non sunt.

# CAPVT SEXTVM.

## *Quomodo conferantur* LITTERAE GRATIOSAE?

QVæstio hæc non procedit de forma, qua Litteræ Gratiosæ conferuntur, de hac enim sat superiùs tractatum Capite secundo: Sed de modo, de quo sit

### DVBIVM PRIMVM.

#### *An facilis debeat esse concessio?*

306 ORdinariè vel petuntur immediatè, vel patrocinante tertia aliqua Persona reuerenti insinuatione à Prælatis Regularibus expetuntur; licèt quandoque Personis Magnæ authoritatis, beneque de Ordine meritis vltrò concedantur: an porrò eiusmodi concessio facilis esse debeat, nec ne.

Respondeo, Prælatos potius parcos esse debere, quàm liberales in concedenda Gratiosa Filiatione Spirituali, nec adeò faciliter ac frequenter eam esse conferendam, sic enim paulatim vilipenderetur, quamuis inæstimabilem contineat thesaurum: *nimia abundantia dictarum participationum* (ait *Peyrinus in Formulario lit. P. cap. 1. versu Nota quòd*) *reddit illas contemptibiles, cùm sint alioquin thesauri inæstimabiles; vnde meo videri, non deberent concedi, nisi verè Benefactoribus, & Amicis; & cum consensu Capituli localis; & illi quibus conceduntur, deberent scribi in aliquo libro particulari ad hoc, vt post eius mortem Religio illis debita Officia celebraret*. Noster *P. Caracciolus in Notis ad Constitutiones Theatinas par. 2. cap. 1. versu de Nostrorum*: eandem Prælatis inculcat parsimoniam in concedendis Gratiosis Participationibus, reprobatque nimiam facilitatem, vtpote quæ cas viles, ac contemptibiles reddit: *Prælati Religionum*, inquiens, *non debent esse nimis liberales in concedendo huiusmodi participationes: quia facilè contemnitur, quod facilè obtinetur*; sic ille, quem citat etiam *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea par. 3. cap. 4. numer. 202.* qui incipit; *Circa modum obseruandum in communicandis prædictis Filiationis Litteris, sic differit Antonius Caracciolus in Notis &c.* Cui associat ibidem immediatè *Theophilum Raynaudum in Heteroclytis Spiritualibus Tom. 2. sect. 5.*

*sect. 5. punct. 3.* ita loquentem: *Ne Litteræ Fraternitatum vilescant, & despiciantur, cura sit iis, per quos præbentur, ne adeò frequenter, & passim dentur, vt etiam veniant ad immerentes. Curent etiam, vt expetantur potius, quàm obtrudantur, aut ingerantur, præsertim cùm per conditionem personarum licet. Plerumque enim talia obtrudere, est proijcere margaritas ante porcos:* sic ille.

307 Sunt reuerà margaritæ, Gratiosæ Participationes, Thesaurus ingens grandeque beneficium; ac propterea magni faciendæ, ob insignes fructus, qui per eas communicantur: *Eiusmodi beneficium*, ait idem *Pater Caracciolus*, *magnum æstimari debet, ob insignes fructus, atque lucra, quæ secum gerit*: ex quo deducit, paucis, iisque insignibus benefactoribus concedi debere, aduertens, hanc praxim tenuisse antiquos Prælatos Theatinos: *Nostri veteres Patres, paucissimos, eosque nobis insigniter beneficos adsciscebant*. Quod etiam confirmat noster *Pater Silos par. 1. Historiar. Clericorum Regular. lib. 4. anno D. 1534. pag. 164. vers. Vetustissimum hoc*; vbi, postquam asseruerat, Religionem quoque Theatinam (iuxta normam omnium aliarum, iuxta ductum rationis, doctrinamque à Patribus deriuatam, denique secundùm antiquissimam semperque receptam consuetudinem) communicare Filiationem Spiritualem, ac participationem bonorum operum: subiungit, eam tamen in huiusmodi dispensatione prudenti semper discretione vsam fuisse; ac tali, *Vt non nisi Principes Viros, & quos spectata in nostrum Sodalitium pietas ac deuotio commendauerint, in hanc societatem accerseret*: assignat deinde rationem huius adeò difficilis concessionis, eamque excellentiæ huius gratiæ tribuit, dicens: *Poscit namque, vt præclaræ largitionis dignitas, ac pondus, non ita passim impendatur*.

308 Præter doni excellentiam, aliam quoque adducit rationem *Pater Caracciolus loc. cit.* ob quam Prælati Regulares non admodum liberales esse debeant, in dispensanda Gratiosa Filiatione, quia videlicet, cùm per eam participetur fructus, & specialiter satisfactorius bonorum operum Ordinis, is autem dependeat ab operante, qui certè virtutem habet solùm finitam, ac limitatam, proinde eo minus ad satisfactionem valet, quò pluribus ad hunc finem applicatur; Atque id causæ est, cur Prælati Religionum non debeant esse nimis liberales in concedendo huiusmodi participationes. Confirmatur hoc idem vlteriùs, quia inter fructum bonorum operum, meritorium de congruo, siue impetratorium; & inter satisfactorium, qui participantur virtute Gratiosarum; hæc (vt iam sæpiùs intimatum est) intercedit differentia, quòd meritorius semper participetur absque vlla diminutione aut detrimento cuiuscunque alterius, hoc est, non diminuatur hic fructus, quamuis Participantes multiplicentur: quare, siue pauci sint, siue multi, nihilominus meritum, seu impetratio bonorum operum, quæ participatur, tantundem prodest applicata vni, quantum si applicetur pluribus. Non ita res se habet, quoad fructum satisfactorium; minus enim ad satisfactionem valet, quò pluribus applicatur.

Ratio huius diuersitatis apud Doctores in promptu est, quia nimirum impetratio, siue meritum de congruo innititur misericordiæ, ac liberalitati Diuinæ, quæ infinita est; adeoque oratio verb. gr. seu opus bonum, tantum promereri valet, si offeratur pro vno, quàm si pro pluribus: *Siquidem non minus* (ait *Pater Caracciolus loc. cit.*) *alicui prodest oratio propria, si pro pluribus fiat, quàm si pro se tantùm; nititur enim absolutè Diuinæ Misericordiæ, quæ infinita est*.

At verò de satisfactione non eadem procedit ratio, ac de merito, seu impetratione; *De satisfactione autem* (prosequitur dictus Author) *secus iudicari debet*: cur hoc? Ecce rationem: *Vtpote*, inquit, *cuiusuis nititur perfectioni operum, quatenus ex Diuina Gratia procedunt; quæ operum perfectio, sicuti est finita, ita eò minus ad satisfactionem valet, quò pluribus ad hunc finem applicatur*, sic ille; & iam ante ipsum *Corduba* in suo *Quæstion. Theol. l. 5. de Indulg. q. 42.* vbi ita disserit; *differentia inter participantes de bonis aliorum per viam satis-*

*factionis tantum, seu quoad satisfactionem tantum; & participantes de bonis aliorum per viam meriti, vel quoad meritum tantum, est, quia per participium ad satisfaciendum, seu ad satisfactoria tantum, fiunt peioris conditionis omnes participantes, quoad hoc; quia minuitur eorum vtilitas satisfactoria, saltem prouenient ex opere operantis, ex multitudine participantium; cùm enim talis virtus satisfactoria sit finita, certè diuisa in multis, seu alijs applicata, iam minus, aut nil remanet alijs, aut sibi. Participium autem meritorium, non minuitur ex multiplicatione participantium. Quia Deus cuius misericordiæ, & liberalitati talis fructus innititur, magis ex hoc honoratur, ideò & magis fructus operatur:* hactenus *Corduba*, cui iisdem pene verbis subscribunt *Tamburinus de Iure Abbatum tom. 2. disp. 9. qu. 3. n. 5. versu Secunda differentia: Peyrinus de Prælato q. 3. cap. 6. num. 4. Bordonus ref. 84. n. 5. & Ruteus de Particip. q. 6. sect. 6. n. 23. in fine*. Clarè itaque constat, ex multiplicatione Gratiosarum Spiritualium, diminui fructum earum satisfactorium ex opere operantis. Proinde ex hoc etiam secundo capite, ne videlicet alijs detrimentum causetur, Prælati Regulares (infert *P. Caracciolus*, atque ego vnà cum ipso) cauere debent nimiam in earum concessione liberalitatem; solùmque eas conferre personis insignibus & qualificatis; atque eliminare abusum tam facilis earum cuilibet indifferenter concessionis; maximè cùm ex hoc ipso tales participationes nonnunquam absque fructu & effectu conferantur, vt ratiocinatur *Irenæus à S. Iacobo in Tract. de Sing. Virginis Protectione sect. 3. cap. 4. §. 3.* vbi agens de Litteris Gratiosis, ait, quòd hæ *reseruari debent pro insignioribus Ordinis Benefactoribus, nec sine abusu passim pro cuiusq; arbitrio dispensari: aliàs sine effectu conferentur; cùm Superiorum intentio sit, ijs solùm illas concedere, qui suis beneficijs verè merentur, in communem Ordinis hæreditatem adoptari: vnde fit, vt eiusmodi Litteræ parum sint profuturæ cæteris; qui licèt aliquo modo benè meriti, remissiùs tamen agunt cum Ordine*: sic ille quem etiam citat *Paulus ab Omnibus Sanctis n. 202. cit. ver. Circa easdem*.

309 Iam à primis Religionum incunabulis Filiatio hæc Spiritualis magno fuit in pretio, tantique æstimabatur, mediantibus hisce Litteris in Societatem, ac participationem bonorum Spiritualium Ordinis recipi, vt magna cum deuotione, ardentiq; desiderio Gratiosæ huiusmodi Litteræ expetitæ fuerint, non solùm à Magnatibus, Principibus, ac Ducibus; verùm etiam ab ipsismet Regibus, ac Imperatoribus, vt testantur *Thomas VValdensis de Sacramentalibus to. 3. tit. 10. c. 95. Ruteus de Particip. in Epistola Dedicatoria, & q. 1. sect. 5.* & alij. Adeoque à Nobilibus etiam ac Magnatibus, tanquam thesaurus ingens, maximusque spiritualis fructus, auidè quæri, ac procurari debent: iuxta consilium *Paludani in 4. dist. 20. q. 3. apud Ruteum q. 8. sect. 4. num. 20. Consulendum est* (ait *Paludanus*) *diuitibus, & nobilibus, quòd quærant participium bonorum, quæ in Religionibus fiunt, vbi etiam sunt plures pænalitates, quàm alibi, & magis acceptæ Deo, quàm alibi*. A quo haud multum discrepat *Nauarrus Miscell. 11. de Rosar. n. 3. vers. Quintò quærat, in fine*: dum ibi (agens de Confraternitate Sanctissimi Rosarij) ait: *Maximè desideranda est, & per consequens maximi facienda hæc communicatio, qua tot Orationes, & merita tot Confratrum, & in his tot millium Religiosorum selectorum speciatim, quamuis non singulatim cuique Confratri applicentur*. De qua applicatione ac remissione pœnæ peccatis debitæ, quæ à Gratiosa communicatione participatur, non tantùm consulit *Paludanus*, vt superiùs intimatum, debere persuaderi Nobilibus ac Magnatibus, vt seriò ac instanter eam procurent, certi illa mediante, à graui pondere reatus peccatis suis debiti, sese eximendos, sed insuper addit, id ipsis loco Penitentiæ iniungendum: *Consulendum est*, inquit, *Diuitibus, & Nobilibus, quòd quærant* participium bonorum, quæ in Religionibus fiunt; vbi etiam sunt plures pœnalitates, quàm alibi; & magis acceptæ Deo, quàm alibi: & quòd in pœnitentiam imponatur eis non solùm bona, quæ facient per se ipsos sed quæ per alios, vel ab alijs procurabunt, & omnia quorum specialiter participes erunt, & huiusmodi.



DV-

## DVBIVM SECVNDVM.

*An conferantur alicui per solam Electionem in Protectorem, ac Conseruatorem?*

510 RESpondeo affirmatiuè cum *Petro Bellasio de Protectore Regularium capit. vlt. num.* 3. Ratio in promptu est: quia Conseruator Regularium absque vlla ambiguitate particeps est bonorum spiritualium Ordinis, cui ipse in Conseruatorem electus est, id quippe ei concessum à *Iulio II.* apud *Peyrinum tom. 2. Priuileg. in Iul. II. Constit.* 4. §. 5. & *Sorbum in Compend. Priuil. Mendic. V. Conseruat. Ordinis §. Clemens VII. in fine*. Protector autem Ordinis est etiam Conseruator; vt colligitur ex *Bulla Sixti IV.* quæ incipit: *Dum attentâ*, apud eundem *Bellasium tract. cit. cap. 7. n.* 3. Quare, quod dicitur de Conseruatore, proportionaliter intelligi etiã debet de Protectore: *Cùm Protector sit Conseruator Ordinis* (inquit iste Author *cap. 7. n. 3. cit.*) *vt colligitur ex cit. Bulla Sixti IV. Dum attenta: quæ de Conseruatoribus dicuntur, proportionaliter applicari possunt, & debent Protectori*. Applicat denique idem *Bellasius cit. cap. vlt. n.* 3. iuxta exigentiam nostri casus, doctrinam suam, in ea forma, qua à nobis applicari deberet: *Cùm Protector*, inquiens, *sit Conseruator Ordinis, vt superiori Cap. dictum est, ex Sixto IV. in Bulla Dum attenta; gaudet omnibus Priuilegijs, à Summis Pontificibus Conseruatori concessis. Inter hæc autem priuilegia, illud præcipuum est, quòd omnium bonorum operum, nempe Ieiuniorum, Orationum, Sacrificiorum &c. quæ in Ordine fiunt, est particeps, vt concessit Iulius II. Constit. 4. §. 5. apud Peyrin. & Sorb. ll. cc. Etsi enim dispositio prædictæ Constit. Iulij II. sit propriè de Conseruatoribus Monasteriorum; qui ab ijs Regularibus eliguntur, vt ex sequenti §. 6. colligi videtur, attamen quia intentum Pontificis est complecti omnes, qui Tutores sunt quorumcunque, & Conseruatores Ordinis, vt liquet ex §. 5. ideò nullatenus excludendi sunt Protectores; sic enim benignè Summi Pontificis mentem interpretamur, quæ est prosequi fauoribus & gratijs Apostolicis omnes, qui singulare aliquod beneficium Ordini Regularium contulerint. Ad hoc faciunt, quæ tradunt DD. in vulg. l. Vbi est eadem ratio; ibi idem Ius esse debet l. 1. §. Interdum Instit. quòd cum eo §. istas tamen l. illud ff. ad l. Aquil.*

Aduertat hic Lector, quòd licet prædicta participatio bonorum Ordinis spiritualiũ à *Iulio II.* concessa sit Conseruatoribus Minimorum; cùm tamen Priuilegium hoc concessum fuerit intuitu Religionis, ab omnibus Religionibus participatur. Præterquam quòd, cùm Conseruator, consideretur vt persona pertinens ad Corpus Religionis, communicatur consequenter idem Priuilegium omnibus Ordinum Regularium Conseruatoribus: quandoquidem, vt expresse etiam docet *Quintanaduenas in Append. Tract. 4. Dub. 10. num. 6.* inter personas etiam sæculares, quæ tamen pertinent aliquo modo ad Corpus Religionis; cuiusmodi iuxta ipsum sunt serui, oblati, Famuli, Procuratores (& in casu quoque nostro Conseruatores) interueniat eadem communicatio Gratiosarum Spiritualium, quæ datur inter ipsos Regulares: *Asserimus* (ait) *dari Indulgentiarum communicationem inter Oblatos, Seruos, Famulos, Procuratores, & Parentes Regularium, similem illi, quæ datur inter ipsos Regulares*: assignat deinde eandem, quam suprà dedimus rationem, quia nimirum *hi Oblati, Serui &c. pertinent aliquo modo ad Corpus Religionis*, vti pariter etiam Conseruator ad illud pertinet; ergo &c. Porrò cùm conseruatori, exacto quinquennio (Protectoris enim officium non nisi cum vita expirat) substitui possit alius, quæri hic posset, num tali casu desinat participare Spiritualem Ordinis Filiationem? At cùm decisio huius Dubij infra magis proprium habeat locum sub Capite nono, *Quomodo desinant Litteræ Gratiosæ*? idcirco ibidem resoluetur. 311



## DUBIUM TERTIUM.

### *An per solam Electionem in Procuratorem, Aduocatum, ac Doctorem Monasterij?*

312 Respondeo affirmatiuè, ob factam quoad hoc gratiam non solùm ipsis, sed eorum Coniugibus, ac Filijs, & Filiabus, à *Iulio II.* apud *Peyrinum Constit. 4. Iulij 2. quæ incipit, Aliàs venerabilem* §. 5. vbi sic ait; *Quodque dicti Ordinis Domorum Fundatores, Fundatrices, Procuratores, ac Procuratrices, Tutores, & Tutrices, eorumque vtriusque sexus Liberi, nec non dicti Ordinis Conseruatores præsentes, & futuri; omnium & singulorum ipsorum Ieiuniorum, Orationum, & Sacrificiorum, ac quorumcunque aliorum bonorum operum in toto huiusmodi Ordine Minimorum de cætero faciendorum, & recitandorum, participes fore, & illis communicata sunt, & esse debeant.* Procuratoribus igitur Monasteriorum, eorumque Vxoribus ac filijs concedit Pontifex *Iulius II.* Spiritualem Filiationem Ordinis Minimorum: & non solùm istis, verùm etiam Conseruatoribus (vt superiori Dubio visum est) Fundatoribus, ac Fundatricibus Monasteriorum, Filijs insuper eorum vtriusque sexus: *Omnes autem prædicti* (inquit *Ruteus qu. 7. sect. 1. num. 3.*) *absque alia declaratione Prælatorum, sunt ipso facto participes bonorum operum Ordinis; auctoritate & declaratione Pontificia.* Cœterùm, cùm gratia hæc conferatur à Pontifice intuitu Religionis, in bonum videlicet Ordinis Minimorum; ideò per participationem communicatur reliquis omnibus: quapropter Conseruator cuiuscunque Ordinis participat Filiationem Spiritualem Ordinis, qui ab aliquo eiusdem Ordinis Monasterio in illius Conseruatorem electus est: similiter etiam Procurator, alijque omnes superiùs enumerati respectiue hoc gaudent priuilegio; igitur vera est nostra responsio, quæ non solùm intelligenda est, de eo, qui electus est in Procuratorem Monasterij, sed etiam de electo in Aduocatum Ordinarium ad defensionem causarum illius, &c. Mens enim ac intentio Pontificis est, complecti omnes, qui tuentur Iura ac rationes Monasteriorum, quod non solùm præstat Procurator, sed etiam imò multò magis Doctor, & Aduocatus Ordinarius: *Intentum Pontificis est, complecti omnes, qui Tutores sunt quorumcunque*, inquit *Bellasius de Protectore Regularium cap. vlt. nu. 3.* hanc addens clausulam, quæ nostro quadrat casui: *& vbi est eadem ratio, ibi idem Ius esse debet.* Porrò, vtrùm Procurator & Aduocatus perseuerent in participatione bonorum spiritualium Ordinis, postquam alij eorum loco à Monasterio electi fuerint, decidetur inferiùs *cap. 9. & vlt. huius Tractatus*, vbi inuestigabimus; *Quando desinant Litteræ Gratiosæ?* Refero hìc solùm, ad consolationem Dominorum Aduocatorum, ac Procuratorum Regularium, id quod ipsis in speciè, atque in præmium laborum, in bonum Monasterij ab ipsis exantlatorum, concessum est à Summis Pontificibus apud *Sorbo in Compendio Priuileg. Verbo Indulgentia quoad sæculares Tertiò. fol. 299. num. 2. Martinus IV. concessit tam Procuratoribus, quàm Aduocatis, qui in Curijs Ecclesiasticis, & Ciuilibus seu Sæcularibus laborauerint pro defensione Ordinis Fratrum Minorum, Ecclesiarumque eiusdem Ordinis, singulis annis, Indulgentiam centum annorum.* Et *fol. 300. num. 7. Innocentius VIII. concessit, vt Procuratores Fratrum Minorum, eorumque Substituti, liberi, parentes, fratres, sorores, vxores possint promereri Indulgentias, Stationum, & alias Fratribus concessas, dicendo in Ecclesijs Fratrum Prædictorum quinque Pater Noster, & totidem Aue Maria pro felici statu Romanæ Ecclesiæ.*

Præterea ipsemet Sanctus Franciscus de Paula refert, obtinuisse à Sũmo Pontifice plenarias Indulgentias, pro sui Ordinis Monasteriorum Procuratoribus, semel quolibet anno participandas in perpetuum: quas Indulgentias, quolibet pariter anno per participationem consequi possunt omnium aliarum Religionum Procuratores. Appono 313

no hìc pro maiori securitate talium Indulgentiarum, maiorique deuotione ipsamet Sancti Viri verba: qui datis ad Serenissimam Principissam de Bisignano litteris, sic ait:

*Serenissima Principissa; Maxima perfusus sum consolatione pro tua Sancta charitate, quam Deo domui nostræ Sanctissima Trinitatis, & omnibus Conuentibus, qui in statu tuo, & in tua ditione sunt fundati, præbuisti. Obtinui à Sanctissimo Domino nostro Papa vnam Bullam, in qua pro vna vice in quolibet anno concedit plenariam Indulgentiam omnibus Fratribus Nostris, Procuratoribus, Tertiarijs, ex vtroque sexu Ordinis Nostri. Vt ergo Dominatio sua, cum serenissimo Principe viro suo participare queant, & lucrentur prædictas Indulgentias, Vos constituo, & nomino Procuratores huius nostri Conuentus Sanctissimæ Trinitatis in Coriolano, & cæterorum locorum, quos habemus in hac Prouincia, vt Dominatio sua possit negotia nostra exercere, quasi esset persona eadem nostra; & curare, vt obseruentur nostra Constitutiones, & sustentare Sanctam Congregationem pauperum Eremitarum in seruitute Dei Creatoris nostri, & proximorum nostrorum. Habeat Dominatio sua animum fixum in Christo, quia ipse pro sua Sua Clementia illuminauit oculos animæ tuæ, & filiorum tuorum in pace. Dominus tecum, Turonis 6. Iunij 1482.*

*Dominationis Vestræ indignus Orator Frater Franciscus de Paula. Pauper Eremitanus.*

Referuntur hæ ipsæ Litteræ inter alias, in opusculis eiusdem Sancti nouiter impressis *Bononiæ à Iacobo Montio Anno* 1669. opera *P. Magistri Ottonis de Petruccio Senensis, Ordinis Eremitani S. Augustini: estque Epistola ordine XVI. ad Serenissimam Principissam de Bisignano pag. mihi* 80. Perseuerant dictæ Indulgentiæ adhuc in suo vigore ac valore pro Procuratoribus Ordinum Regularium siquidem *S. D. N. Paulus V.* solùm reuocauit Indulgentias concessas Personis Regularibus, vt melius videre licet infra Cap.8. Dub.4.

## DVBIVM QVARTVM.

### *An per solam electionem in Notarium, & Sollicitatorem Monasterij?*

Respondeo negatiuè; nam isti non comprehenduntur in relata superius Constitutione *Iulij II.* prout ex ipso textu apparet, neque etiam propriè ac rigorosè defendunt in Iudicio Iura Monasterij, sicut Procurator, Aduocatus, & Doctor, Notarius enim simplicis scribæ munus explet.; Sollicitator quoque, solùm assistit causæ, quę à Procuratore, Aduocato, ac Doctore sollicitatur; adeoque ipsemet *Peyrinus tom.2. de Prælato q.3. cap.6. numer.13.* obiter tantùm de ijs agens, dicit solùm, posse istos tanquam Benefactores admitti à Prælatis ad participationem bonorum spiritualium Ordinis; *Sollicitatores, Notarij &c. possunt ad participationem admitti:* si possunt admitti à Prælatis Regularibus, ergo non sunt de Iure admissi, neque à Summo Pontifice in supradicta Constitutione comprehensi. 314

## DVBIVM QVINTVM.

### *An per solam electionem in Medicum, ac Chirurgum Monasterij?*

Respondeo negatiuè; insistendo videlicet præcisè simplici supracitatæ Bullæ Pontificiæ; cùm neque isti in ea comprehendantur. Admittuntur quidem ad participationem bonorum spiritualium Ordinis à Prælatis, per particulares Litteras Gratiosas tanquam Benefactores; ij, qui funguntur officio Medici, ac Chirurgi Monasterij, idque fieri posse, ait *Peyrinus loc. cit. Medici, & Chirurgi possunt ad participationem admitti;* adeòque de Iure, & ipso facto, per ipsam electionem non intelliguntur aggregati participantibus, merentur tamen multùm charitatiuo huiusmodi labore, ac exercitio, quod exhibent in beneficium Seruorum Dei, &c. Asserit porrò *Gobat de In-* 315

*de Indulgentijs par. 3. cap. 28. sub numer, 562.* quòd *Procuratores Ordinum Mendicantium, & eorum substituti, nec non eorum filij, parentes, fratres, & Vxores, possunt promereri Indulgentias stationum, recitando in Ecclesijs prædictorum Ordinum quinque Pater Noster, & Aue Maria pro Summo Pontifice, & felici statu Romanæ Ecclesiæ in illis diebus, sicut sunt Romæ: Idipsum beneficium consequuntur Medici Ordinarij talium Religiosorum. Compend. Priuil. Societatis Iesu verbo Indulg. §. 29.*

316 Respondi quidem negatiuè ad propositum Dubium; innixus solummodo fundamento Bullæ *Iulij II.* quæ certè, vt ex ipso textu §. 5. apparet, Medicos & Chirurgos non comprehendit. Noto tamen hic, quòd si ex alio fundamento, & vi alterius Pontificij Priuilegij procedamus, probabiliter sustineri possit, saltem quoad Medicos ordinarios Monasteriorum Religiosorum, sententia affirmatiua, quòd nimirum etiam ipsi participes sint ipso facto, & de Iure bonorum spiritualium Ordinis, in cuius Medicos Ordinario electi sunt: nam apud *Sorb. in Compend. Verb. Indulg. quoad Sæculares 4. pag. mihi 300. nu. 8. Alexander VI. concessit, vt Medici Ordinarij Fratrum Minorum, & Sororum Sanctæ Claræ, habeant eadem priuilegia, & gratias, quibus gaudent Syndici, & Procuratores prædictorum Fratrum:* atqui Procuratores Fratrum Minorum, ac Regularium, absque controuersia gaudent vi Priuilegij *Iulij II.* participatione bonorum Spiritualium Ordinis, Filiationeque Spirituali; consequenter etiam gaudebunt eadem Domini Medici de Iure, & ipso facto virtute præfati Priuilegij ab *Alexandro VI.* concessi. Dixi superiùs eum clausula restrictiua, (saltem Domini Medici) quia videlicet ipsorum tantùm expressa fit mentio in Priuilegio *Alexandri VI.* Attamen cùm chirurgia quoque vna sit ex principalibus Medicina partibus, habet enim idem cum Medicinæ obiectum, nempe corpus sanabile, vt norunt Medici (vnde *Hypocrates* ipse eorum Prothomedicus *lib. de decenti ornatu numer. 6.* ait: *Artis Medicinæ curatiua pars in Chirurgia: & Cornelius Celsus in Proœmio primi libri: ijsdem temporibus, in tres partes Medicina deducta est &c. Tertiam Chirurgicem Græci nominarunt: & Alexander Benedicti lib. 5. capit. 31. Hæc enim Chirurgices, Medicinæ pars &c.*) Consequenter nomine Medici (etiam propriè loquendo) censetur etiam Chirurgus; dico proinde probabiliter, etiam ad Chirurgos præfatum priuilegium extendi posse, affirmarique, quòd etiam ipsi, de Iure, & ipso facto, haud secus ac Domini Medici, numerentur inter Filios Spirituales, ac participantes de bonis operibus Religionis, ob præsumptam Summi Pontificis voluntatem, cùm de vtroque par currat ratio, æqualiter enim benefaciunt Religioni, & continentur intra eandem Spheram Medicinæ. Commune igitur vtrique hoc sit priuilegium, iuxta fundamentum, principiumque legis communiter admissum: *vbi est eadem ratio, ibi & eadem iuris dispositio:* itemque, quòd dispositiones fauorabiles, maximè, quæ concernunt animam, amplificandæ sint, præsertim cùm verborum sensus patitur, vt in nostro casu. Hisce adiungendum, hic constare non solùm ab authoritate, sed etiam de intentione Summi Pontificis, ex qua deducitur, in fauorem Chirurgorum, extensio Pontificij Priuilegij, quod certè à Sua Sanctitate concessum est in fauorem Regularium, qui cùm in infirmitatibus suis non minus indigeant Chirurgis, quàm Medicis, mens Pontificis interpretari potest, ac rationabiliter præsumi (cùm & ipsi sint Medici) inclusos esse in eodem Priuilegio, ac subintelligi sub Nomine Medicorum, voluisseque Pontificem, vt eos pariter animaret ad solicitam curam corporalem infirmorum Religiosorum, simul etiam complecti illos in præfato suo priuilegio Gratiosæ Participationis, ac Spiritualis Filiationis Ordinis: idque probabiliter præsumi debet.

## DVBIVM SEXTVM.

*An consequantur alicui per hoc præcisè, quòd militet sub Instituto illius Ordinis?*

Respondeo affirmatiuè. Ideò enim Tertiarij quoque, ac Tertiariæ S. Fran- 317

Francisci, S. Dominici, S. Francisci de Paula, Seruorum B. V. &c. participes sunt bonorum operum, ac spiritualium thesaurorum illius Ordinis, sub quo militant, cùm eidem incorporati sint, ac dirigantur ab eiusdem Superioribus. Perfruuntur etiam Indulgentijs, & Priuilegijs Ordinis, quorum sunt capaces, vti diffusè ac distinctè videri potest apud Doctores, qui de præfatis Tertiarijs tractant, specialiter apud *Peyrinum de Priuilegijs Minimorum tom. 1. ad Constit. 4. Sixti IV. §. 7. à num. 31. vsque ad num. 36. Portel. V. Tertiarij, Lezanam tom. 2. cap. 14. & tom. 4. V. Tertiarij, Petrum Marcantium in suo Opusculo variorum Casuum, & Quæstionum practicarum casu 33. Pacem Iordanum to. 2. lib. 7. Tit. 13. Gauantum in Manuali Episcoporum. Verbo Tertiaria; Candidum in speculo Clericorum tract. 4. cap. 12.* & passim alios. Specialiter autem de Tertiarijs sui Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, id affirmat *Ruteus qu. 7. sect. 1. n. 2.* sequentibus verbis: *Quoad nostrum minimorum Ordinem, vltra Fratres, & Sorores Ordinis, in omnibus bonis spiritualibus totius Religionis communicant primò omnes Tertiarij vtriusque sexus, eo quòd per sua Regulæ Professionem fiant de Corpore ipsius Ordinis, de cuius bonis proinde tanquam illius membra participant. Deinde per varias Bullas Pontificias declarantur gaudere omnibus gratijs, quibus Fratres, & Sorores Ordinis. Et hæc est ratio cur S. P. Franciscus in quadam charta Filiationis data anno* 1503. *reddit quosdam amicos participes bonorum spiritualium non solùm Fratrum, & Sororum, sed etiam Tertiariorum his verbis (conferendo quæ per Fratres mihi Subditos, Commissos, oblatos, necnon Fratres & Sorores de pœnitentia fieri dederit Author omnium bonorum Dei Filius &c.) Idque sub eo titulo, quia cùm tanquam membra Religionis participent in bonis illius, communicent etiam de suo, eò quòd incipientes participare incipiant etiam communicare, &c.* Quòd denique Moniales, quæ Regularibus subditæ sint, participent de omnibus bonis spiritualibus Ordinis, sub quo militant, cuique subiectæ sunt, extra omne dubium est, quandoquidem & ipsæ membra sunt eiusdem Ordinis, cum quo simul vnum solum formant Corpus Mysticum; quapropter Supremum illius Caput in Litteris suis Gratiosis communicat promiscuè, ac vnitim omnem fructum bonorum operum tam præfatarum sibi Subditarum Monialium, quàm suorum Religiosorum, prout inter cæteras videre licet ex Gratiosis Litteris Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, quæ ita sonant: *Vobisque omnium Orationum, Missarum, Officiorum, Prædicationum, Contemplationum, Ieiuniorum, Vigiliarum, Disciplinarum, Obedientiarum, Peregrinationum: cæterorumque laborum, ac bonorum omnium, quæ per Fratres, & Sorores nostri Ordinis in vniuerso Orbe Christiano constitutos Diuina ope fiunt, tam in vita, quàm in Morte, participationem concedimus, & impertimur.*

## DVBIVM SEPTIMVM.

### *An sæcularibus per hoc, quòd habeant in Ordine Sanguine proximè iunctum?*

318 Respondeo affirmatiuè: saltem loquendo de Ordine Sancti Benedicti; id equidem declarant *Constitutiones Benedictinæ*, quòd nimirum bonorum Ordinis Operum participes reddant vniuersos Parentes, Fratres, & Sorores suorum Religiosorum; quod declaratur *Cap. vlt. Constitut. vlt.* his verbis, citatis etiam à *Ruteo qu. 7. sect. 1. num. 1. in princip. Charitatis autem affectum erga Fratres nostræ Congregationis exercere volentes, vniuersos Parentes, & Fratres, & Sorores Fratrum nostrorum præsentium, & futurorum, ad participationem omnium bonorum, quæ in nostra fiunt, & fient Congregatione: sicut fit illis quibus Litteræ Gratiosæ conferuntur, admittimus.* Si quis alius sit Ordo, qui talem Gratiosam Participationem concedat consanguineis omnibus, aut saltem proximè coniunctis, mihi compertum non est: ac propterea responsionem ad solùm Ordinem Sancti Benedicti restringo.

319 Cæterùm secunda parte statutorum Ordinis Carthusiani *c. 22. §. 49.* promulgatur etiam communicatio bonorum Operum Religionis pluribus personis, hisce verbis, apud eundem *Ruteum num. cit. in fine; Omnium Spiritualium bonorum Ordinis, illi participes annuntiantur, qui ad Capi-*

Capitulum (scilicet Generale) accesserunt, qui ve Prioribus in itinere hospitalitatem, seu humanitate quauis alia, officium exhibuere charitatis; omnesque alij viui, & defuncti, qui per Litteras, per nuntios, vel per seipsos Orationibus se commendauerint Ordinis, aut Priorum.

# CAPVT SEPTIMVM.

## *Effectus, ac fructus Litterarum Gratiosarum?*

320 Otat *Ruteus de Particip. q. 1. sect. 2. n. 8.* Prælatos Regulares in Litteris suis Gratiosis, dare (iuxta ordinariam normam) communicationem septem bonorum spiritualium principaliter; quæ ipse enumerar loco citato hiscè verbis: *Notandum Prælatos, iuxta normam communem, dare alijs communicationem septem præcipuè bonorum spiritualium, scilicet Missarum, Orationum, Suffragiorum, Meditationum, Prædicationum, Peregrinationum, Abstinentiarum, & omnium bonorum.* Ego verò (relinquendo participationem Indulgentiarum Ordinis, quæ tanquam alius fructus aut effectus per Litteras Gratiosas communicatur, de hoc enim Capitulo subsequenti tractandum occurret) fructus Litterarum Gratiosarum ad duo principaliter Capita restringo, videlicet ad fructum satisfactorium, & ad meritorium, siue impetratorium: ad ista quippe duo capita reducitur omnis fructus, ac effectus bonorum spiritualium enumeratorum, & omnium bonorum operum, qui alijs participabilis est, vt superiùs ex fundamento demonstratum est. Quibus proinde suppositis, sit

### DVBIVM PRIMVM.

### *An participentur Satisfactiones bonorum Operum Ordinis præteritorum; sitque proinde cuilibet Religioni suus particularis thesaurus Spiritualis, qui constet ex Satisfactionibus Superabundantibus Religiosorum, dispensabilis per Litteras Gratiosas ab eorum Prælatis Generalibus, & Prouincialibus?*

321 VT melius intelligatur, qua occasione hoc Dubium proponatur, operæ pretium esse videtur, aliquam præmittere notitiam de Generali Thesauro Spirituali Ecclesiæ, è cuius explicatione postmodum deducetur, an existat, vel non existat particularis iste Religionum Thesaurus, sitq; dispensabilis, vt quæsitum est. *Clemens VI. in extrau. vnigenitus, de Pænit. & remiss.* loquens de Thesauro Ecclesiæ, & de Passione Christi, in qua hic fundatus est: postquam præmiserat, Christum Dominum nos redemisse per effusionem totius pretiosissimi sui sanguinis, etiamsi vnica tantùm guttula satis superque fuisset pro redemptione totius humani generis, idque propter vnionem ad Verbum, quod Persona Diuina est: subiungit: *quantum ergo exinde, vt ne superuacua, inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, Thesaurum militanti Ecclesiæ acquisiuit, volens suis thesaurizare filijs pius Pater; vt sic sit infinitus Thesaurus hominibus, quo, qui vsi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti.* Addit deinde, in isto thesauro, præter infinita Christi merita, contineri etiam merita Gloriosissimæ Virginis Mariæ, ac Sanctorum; quodque Pontifici Romano, & huius Successoribus consignatæ sint Claues, commissaque dispensandi Fidelibus hunc thesaurum authoritas: *Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cæli Clauigerum, eiusque Successores, suos in terris Vicarios, commisit Fidelibus salubriter dispensandum.* Ex his itaque verbis, & ex aorum Pontificum, Conciliorum, ac Doctorum Authoritatibus, pro certo colligitur, in Dei Ecclesia existere thesaurum Christi meritis comparatum ratque ita est, nec aliter dici potest. Quia nullum est regnum (vt testatur *Hieronymus Gratianus in suo*

*suo Tract. de Iubileo Anni Sancti par. 1. cap. 8.)* à potenti gubernatum Rege, in quo non habeatur thesaurus conseruandis diuitijs deputatus, qualis fuit ille, quem *Salomon* coadunauit Ierosolymis 2. *Paralip.* 17. & ille, quem habebat *Asuerus*, quando celebrabat conuiuium; *Vt ostenderet diuitias Regni sui: Esther.* 1. Ciuitas potens, ac locuples, ærarium, necesse est, habeat quodlibet. Palatium vestiario instructum est: Corpori humano ab Authore naturæ stomacho prouisum est, quibus in locis conseruantur, ac inde promuntur expensæ, vestimenta, cibaria, & quæcunque distribui oportet inter Subditos, Ciues, & incolas, ac inter membra totius regni, Ciuitatis, Palatij, totiusque Corporis. Proinde, cùm Ecclesia Catholica Regnum sit, vt declarat *S. Matthæus capit.* 13. 18. 20. & Ciuitas Dei: Vrbs Sion, in qua reperitur ignis desumptus ex fornace Supernæ Hierusalem; ipsaque sit Domus Dei, & Palatium Christi, qui eius est Paterfamilias: imò Mysticum Christi corpus, cuius censentur membra Fideles: necessarium erat, in ea inueniri Thesaurum, seu ærarium spirituale; ex quo desumerentur spirituales expensæ, sustentatio, ac quęcunque sunt necessaria omnibus hominibus.

322 Neque imaginemur nobis (ait idem *Gratianus loc. citat.*) locum, vbi thesaurus iste conseruatur, constructum esse muris ac lapidibus, occlusum ianuis, obseratum catenis, ac pessulis ferreis, eo modo, quo olim, imò, etiamnum in Sacristia recondi solet aurum, & argentum, calices, ornamenta atque pecuniæ tam in vsum Ecclesiæ, quàm in eleemosynam pauperum erogandæ; qualis fuit ille, ex quo Ecclesiæ thesauros deprompsit Sanctus Laurentius, pauperibusque distribuit. Quemadmodum enim Diuini hi thesauri, multò pretiosiores sunt materiæ, longeque sublimioris valoris, quàm aurum, & argentum huius mundi; & sicut Regnum Christi non est de hoc mundo; ita etiam locus, in quo conseruantur, longè fortior est, longè pretiosior, securior, ac sublimior; quo videlicet *nec ærugo, nec tinea* peruenire potest *Io.* 18. *neque fures Matth.* 5. est quippe ipsummet Diuinum pectus: *in quo sunt omnes Thesauri Sapientię, & Scientiæ absconditi; Coloss.* 2. In corde suo conseruat Pater ęternus valorem meritorum Filij sui prædilecti: Gloriosissimæ Virginis Matris, quæ illum Mundo peperit: Sanctorum, ac Iustorum, qui eum imitati sunt; in visceribus suis hunc seruat, ac reconditum tenet thesaurum; non enim in tam vili apud eum habetur æstimatione, sicut apud nos, qui ex pigritia ac socordia quatuor dedignamur promouere passus, ad lucrandum tam sublimia bona. Et vt proprijs rem hanc terminis proponamus. Thesaurus iste, nil aliud est, quàm acceptatio, quam habent opera Christi, Beatissimæ Virginis, Sanctorumque ac Iustorum, in conspectu æterni Patris; qui eorum recordatus, respectu illorum benè facit mortalibus; Haud secus, ac Rex aliquis dicere solet cuidam suo Capitaneo, qui diuturna ei præstitit seruitia; Ego merita tua, ac seruitia in pectore meo recondita conseruo; neque laborum tuorum obliuionem in animum induxi. Frustrà igitur ab hæreticis quæritur (ait *Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 5. z. sect. 1. num. 6.*) quo in loco Thesaurus iste Ecclesiæ reperiatur; quasi materialis ille sit, vt locum aliquem, in quo merita custodiantur, requirat; nullo modo loco materiali opus habet, res enim est spiritualis, & moralis; non in materiali loco, sed in Diuina acceptatione, & præsentia exitens; hoc idem confirmat *Pater Quartus in suo Tractatu de Anno Sancto cap. 1. punct. 3. Dub. 3.* cùm sit cumulus bonorum spiritualium, ac supernaturalium, conseruatus in ærario inuisibili Diuinæ Mentis, atque acceptationis Dei.)

Principalis Summa, ac Capitale vniuersalis huius Thesauri Ecclesiæ constituitur ex cumulo infinitorum meritorum, ac satisfactionum Christi Domini Nostri; immò, ipsemet cumulus formalis meritorum, ac satisfactionum Christi, metaphorice vocatur Thesaurus (ait *Suarez loc. c. numer. 5.*) desumpta Metaphora ex ipsis Apostoli verbis ad *Eph. cap. 2. Abundantes illa diuitia gratia, &c.* quas gratias *cap. 3.* vocat *inuestigabiles diuitias Christi, & dispensationem Sacramenti à Sæculis in Deo*; ex quibus verbis iuxta mentem *Suarezij*, conuenientissimè hæc The- 323

sauri

ſauri metaphora deducitur: *Per quæ verba* ( inquit ille ) *egregiè poteſt metaphora Theſauri, ad hunc Eccleſiæ Theſaurum accommodari. Hæc enim vox in propria ac primæua ſignificatione, materialem Theſaurum ſignificat, quem definiens Iuris Conſultus in l. Nunquam ff. de acquir. rerum dom. ait eſſe diſpoſitionem quandam pecuniæ, cuius non extat memoria. Latiùs vero, & vulgari vſu, accipi ſolet pro cumulo, in quo res pretioſiſſimæ cuſtodita, & reconditæ ſunt: meritò ergo abundantiſſimus cumulus diuitiarum Chriſti, Theſaurus Eccleſiæ dictus, qui propter infinitatem ſuam, inueſtigabilis iuxta Phraſim Pauli appellari poteſt.* Quòd autem Theſaurus iſte principaliter ex cumulo meritorum, & ſatisfactionum Chriſti Domini Noſtri conſtet, probatur, quia Paſſio Redemptoris, & quilibet actus, ſeu operatio ipſius fuit infiniti valoris, tam quoad meritum gratiæ, quàm quoad ſatisfactionem pro peccatis: quandoquidem vt Perſona Diuina infinitæ fuit dignitatis: adeoque per ſua opera acquiſiuit cumulum meritorum, ac ſatisfactionum infinitarum, non pro ſeipſo cùm nòn indiguerit; ſemper enim plenus gratia fuit, & impeccabilis, vti habetur ex Tractatu *de Incarnatione*: ſed pro nobis, quia pro nobis natus, paſſus, ac mortuus eſt, vt clarè patet ex Sacra Scriptura *Iſaiæ 9. & Ioan. 3. &c.* Ac propterea Theſaurum hunc Eccleſiæ ſuæ donauit, in ea diſtribuendum ad noſtram vtilitatem, in qua etiamnum conſeruatur: cùm enim infinitus ſit, etiam eſt inexhauſtus: ita *P. Molfeſius noſter Tract. 7. cap. 26. num. 46.* & cum eo *P. Quartus l. c. Dub. 1. verſ. Dico ſecundò*; eſtque communis Theologorum æquè, ac Catholicorum doctrina: quo circa *Franciſcus Maria Febei Archiepiſcopus Tarſenſis* in nouo ſuo Tractatu *de anno Iubilæi 1675. ca. 1.* taliter concludit: *Exigua enim pretioſiſſimi Chriſti Sanguinis guttula ex eius Sacroſancto Corpore effluxa, innumeras valuiſſet Animas è faucibus callidiſſimi hoſtis eripere, totumque genus humanum exuberanter redimere. Itaque ne incaſſum effluens eius vnda purpurea redundaſſet, vel inanis tantæ effuſionis miſeratio redderetur: quidquid infinitum ſanè, & indeficiens communis generis humani reparationi ſupererat, nunc in relabentium redemptionem erogandum, non in agro abſcondit Dominus Noſter Clementiſſimus Ieſus Chriſtus, ſed in ærario Eccleſiæ nunquam defecturo depoſuit; ab ipſa pia Genitrice Romana Eccleſia, per manus B. Petri Cœli Clauigeri, eiuſque pro tempore ſucceſſoris in terris, ipſius Chriſti Vicarij pro debita filiorum ſatisfactione pœnarum, ac indigentia ſalubriter diſpenſandum.*

Huic infinito Satisfactionum Chri- 234
ſti cumulo, ſuperadduntur deinde etiam illæ, quæ iuxta Apoſtolum *ad Coloſſ. c. 9. n. 24. deerant Paſſionum Chriſti*: illæ videlicet, quas Chriſtus in ſuis membris ſuſtinere debebat: nimirum Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Sanctorum, Iuſtorum, ac Fidelium. Probatur etiam hoc ex præfata *Extrauagante, Vnigenitus*, vbi dicitur, etiam merita Beatiſſimæ Virginis, aliorumque Sanctorum addidiſſet aliquid cumulo Theſauri Sanctæ Eccleſiæ: quamuis enim Glorioſiſſima Virgo Maria ab omni macula culpæ non tantùm actualis, verùm etiam Originalis penitus fuerit immunis, quandoquidem tota pulchra fuit, & formoſa ſine ruga, & ſine macula; conſequenter neque obligata ad ſatisfaciendum pro pœna nec in hoc mundo, nec in Purgatorio; nihilominus paſſa eſt moleſtias acerbiſſimas, ſuſtinuit aſpera Martyria, ac dolores, vel maximè ſatisfactionis meritorios; quanta ſuſtinuit in itinere Bethlehemitico; in fuga Ægiptiaca; in Paſſione dilectiſſimi Filij ſui, maximè iuxta Crucem, vbi doloris gladio adeò acerbè transfixa fuit, vt ex hoc ſolùm eam vocent Sancti Patres plus quàm Martyrem, aſſerantque nullum eſſe Martyrem, qui ei comparari poſſit, quantumcunque grauia, ac crudelia tormenta ſuſtinuerit; quapropter Mariam tanquam Martyrum Reginam veneramur. *Imò nec defuere, qui aſseruerint* ( ait præfatus *Archiepiſc. Febei*) *plus meruiſse Beatiſſimam Virginem inſtillando lac ex vberibus, quàm Martyres fundendo ſanguinem ex venis, eique trimula obtigiſse, vt inclytos quoque heroes vinceret, cùm ij non tantis effulſerint meritis ſub vitæ exitum, quantis illa ſub vitæ exordium. Vti affirmat Sanctus Bernardinus de Senis ſerm. 15. de Feſtiuitat. Virginis: Mariam vnico actu fidei, ac obedientia Angelo nuntianti Filij Conceptionem plus meruiſse, quàm Sancti omnes meruerint omnibus actibus Virtutum ſuarum.* Ex quibus concludit idem Archiepi-

scopus *Febei loc. c. pag. 4. Beatissimæ Virgini ingentes meritorum cumulos superfuisse ad augendum Ecclesiæ thesaurum*. Sunt igitur magna supra modum merita Mariæ: Martyria, ac dolores eius: cumque ea fructu satisfactionis frustrari nefas sit, in nostrum beneficium reseruata fuere in communi, ac generali Thesauro Ecclesiæ.

325 Repositæ etiam sunt in hoc spirituali Thesauro lacrymæ Sanctorum; pœnalitates superabundantes Iustorum: acerbissima Gloriosorum Martyrum supplicia; quorum aliqui, vt creditur, nunquam mortalem commiserunt culpam, vti S. Ioannes Baptista, ac Præcursor, Sanctus Ieremias Propheta, Sanctus Iacobus Apostolus ac Frater Domini: alij quoque Diuinam gratiam in Baptismate acquisitam, vel nullo vnquam peccato, ex anima sua depulerunt: aut pro commissis culpis, etiam leuibus, non solùm condignam exhibuerunt satisfactionem, verùm etiam tantis insuper sese subieecerunt cruciatibus, tantas sustinuerunt calamitates, miserias, ac persecutiones, exercuerunt opera tantæ satisfactionis, vt si quantitas debiti eorum conferatur cum eo quod exsoluerunt, reuerà de ipsis dici possit, id, quod dixit *Iob capit. 6. numer. 2.* de semetipso: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret*: Reuerà enim, innumerabiles penè Sancti, Iusti, ac Dei Martyres recenseri possent, qui si pro culpis suis, vno, exempli gratia, anno pœnas purgatorij sustinere debuissent, fecerunt tamen tanta satisfactionis opera, tanta perpessi sunt, ac sustinuerunt, vt pœnas centum millium annorum exsoluissent: nam, vt ait *Paulus ad Hebr. capit. 22. numer. 35. alij distenti sunt, alij ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt; circumierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ*. Vltra omnem igitur mensuram pœnitentiam egerunt Sancti pro suis debitis, tantas sustinuerunt angustias: tot tormenta ac supplicia pertulerunt. Innumeri quoque deuotorum Fidelium, etiamsi per Indulgentias plenarias, quas lucrati sunt, ab omni debito pęnæ liberi effecti sint; nihilominùs non destiterunt ieiunare, cilicijs ac flagellis in seipsos piè sæuire, aliaque virtutum opera exercere, quibus absque dubio plurimos annos pœnarum Purgatorij exsoluissent, si eorum debitores exstitissent. Num igitur talium superabundantium satisfactionum, præcipuè quas ipsemet operans in particulari non applicauerit, talium exuberantium pœnarum fructus penitùs pessumierit? relinquetur fortassis absque remuneratione? nullatenus tale quid præsumi potest: Diuina bonitas ac misericordia hoc non vult: imò contrarium manifestè promisit Sanctis suis *Lucæ 21. vers. 16.* hisce verbis eos exhortans: *Trademini à parentibus & fratribus & Cognatis, & amicis, & morte afficient ex Vobis: & eritis odio omnibus propter nomen meum, & capillus de capite vestro non peribit*, & *Matthæi capit. 10. numer. 30. & Luc. capit. 12. numer. 7. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt nolite timere*. Capilli corporis superflua sunt (*ait Franciscus Maria Febei Archiepis. Tarsensis loc. cit. capit. 6.*) per quos eleganter Saluator noster expressit, supererogatas Sanctorum satisfactiones minimè perituras, sed Ecclesiæ Thesaurum in aliorum indigentium beneficium, & leuamen fore aucturas. Et licèt Deus, qui diues est in Misericordia, cumulatiùs, quàm exigunt opera vt sunt meritoria, in æternitate Sanctis suis præmia largiatur: tamen quia vt satisfactoria, eorum debita longè excedunt, suum in alijs effectum sortiri oportebat; ne Deus, quem *Ecclesiasticus cap. 35. nu. 13.* retribuentem proclamat; quemque ex benignitate sua, omnia nostra semper in bonum conuertere docemur Sacris paginis, quicquam irremuneratum, vel in vacuum abire permisisse redarguatur. Prosequitur deinde vlteriùs. Quamuis autem Christi

ſatisfactiones ſatis ſuperque fuiſſent ad abſolutiſſimum Indulgentiarum Theſaurum comparandum, & omnia temporalis pœnæ debita extinguenda, voluit tamen Clementiſſimus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in eo ſimul deponi Sanctorum ſatisfactiones; vt Sancti ad noſtram Salutem Spiritualem aliquo modo concurrerent, ac ita quos elegerat amicos, ſua eiuſmodi ſocietate honoraret; præterea, quòd licet Paſſiones Chriſti ſint infiniti pretij, tamen illæ per Indulgentias finito modo applicantur; itaque nihil repugnat, vt ijs aliquid ex Sanctorum ſatisfactionibus ſuperaddatur. Nec enim ob id aliquid excellentię Chriſti Satisfactionum derogatur, cùm iuxta Sapientis adagium, Sapientia Filij ſit gloria, & lætitia Patris. Præterquam quòd, ſi ex ſolis Chriſti meritis Theſaurus Eccleſiæ conflaretur, irremuneratæ viderentur remanere ſupererogationes Sanctorum. Vel ſi hæ ſolitariæ ſine infinitis Chriſti meritis applicarentur, vti per ſe finitæ ſunt, exhauriri quandoque Indulgentiarum aceruus potuiſſet: quòd certè contingere non poteſt, eo quòd merita Chriſti, quæ in hoc Theſauro continentur vt diximus, ſint infinita, prout definit *Clem. VI. in Extrauag. citat. Vnigenitus*, ſequentibus verbis: *De huius Theſauri conſumptione, ſeu minutione, non eſt formidandum, tam propter infinita Chriſti merita, quàm pro eo, quòd quantò plures ex eius applicatione ad iuſtitiam trahuntur, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.* Ex quibus colligit *Suarez to. 4. in 3. par. diſput. 51. ſect. 2. numer. 9. in princip.* Theſaurum hunc duraturum etiam poſt diem Iudicij perpetuum. *Vnde conſequenter fatendum eſt* (ait loco citato) *etiam poſt diem Iudicij perpetuò duraturum hunc Theſaurum; & in eo futuras eſſe ſatisfactiones ſufficientes ad infinita alia peccata remittenda, & infinitas Indulgentias concèdendas; Neque id eſt otioſum; ſicut enim omnipotentia Dei non eſt otioſa, etiamſi infinita poſſit operari, quæ non operatur, quia eſt attributum quoddam connaturale ipſi Deo, pertinẽs ad perfectionem eius: ita etiam infinitus valor propriorum operum eſt quaſi naturalis proprietas Dei hominis, pertinens ad perfectionem eius.*

326 Conſtat igitur, dari in Eccleſia Generalem quemdam Theſaurum, videlicet cumulum meritorum, ac ſatisfactionum infinitarum Chriſti Domini Noſtri & ſuperabundantium Sanctis, non ſolùm præcipuis, ſed vniuerſaliter omnibus Iuſtis, ac Electis Dei, *à primo Iuſto vſque ad vltimum*, ait *Clemens VI. in extrauag. Vnigenitus citat.* quæ ſatisfactiones ſuperabundantes (non tamen applicatæ ab operante) in tantum cumulo Theſauri præfati aggregantur, in quantum nec ipſi operanti ſunt neceſſariæ, nec alijs, qui eis indigerent, applicatæ, vt in eis effectum ſuum ſortiantur, quem profectò aliter ſortiri nequeunt; *niſi ex intentione* vt ait *Suarez loc. citat. ſect. 2. numer. 11.*) *ipſius operantis alicui donentur: quia aliàs nullo titulo efficiuntur alterius:* vbi etiam addit: *Sæpe autem Iuſti pœnas ſuſtinent, vel voluntariè accipiunt, non applicando eas in particulari alijs: ergo neque in ipſis, neque in alijs habent effectum. Præterea contingit iuſtum applicare ſatisfactiones alteri, qui vel illis non indiget, quia plenam remiſſionem conſequutus eſt: vel certè in illo non habent effectum propter obicem inuentum in ipſo pro quo offeruntur. Illæ ergo ſatisfactiones: neque in operante neque in altero habent effectum.* Dicimus ergo cum communi Theologorum ſententia, eiuſcemodi ſatisfactiones reponi in Theſauro Eccleſiæ, ad hoc, vt poſtmodum publica poteſtate, à Chriſto conceſſa Petro, eiuſque Succeſſoribus, per Indulgentias applicentur, ac diſpenſentur in beneficium Fidelium: quapropter *Suar. ſect. 2. cit. num. 12.* ait: *Vnus poteſt pro alijs ſatisfacere iuxta intentionem ſuam, & ideò ſi alicui ſuam ſatisfactionem applicet, illi prodeſt, ſi non ſit impedimentum: quando verò nemini applicat, & ipſe etiam tali ſatisfactione non indiget, hoc ipſo, vel formaliter, vel virtualiter, intendit per illa opera Eccleſiæ prodeſſe, quantum poteſt; ergo donat illa ipſi Eccleſiæ, vt in eius Theſauro cuſtodiantur, conuenienti modo ſuo tempore diſpenſanda.* Videatur *Paſſerinus de Indulgentijs quæſt. 2.* in qua ex inſtituto tractat de Theſauro meritorum Chriſti, ac

San-

Sanctorum, vbi & ipse probat, exacteque confirmat, quidquid nos hucusque diximus, atque explicuimus de eodem Thesauro.

327 Quibus omnibus præmissis, ac declaratis; quæritur modò, in proposito dubio, an, sicut in Ecclesia Vniuersali prædictus Thesaurus Generalis satisfactionum superabundantium inuenirur constans ex Sanctorum, ac Iustorum satisfactionibus superabundantibus præteritorum bonorum operum, cuius dispensandi potestas penes Summum Pontificem residet: ita pariter eiusfcemodi Thesaurus, quamuis particularis, constans ex satisfactionibus præteritis, quibus Religiosi non egent, sit cuilibet Religioni, isque à Prælatis Regularibus per Litteras eorum Gratiosas dispensetur, cùm eas alijs elargiuntur. Respondeo negatiuè: & dico, Prælatos Regulares per suas Litteras Gratiosas communicare eas solùm satisfactiones bonorum operum suorum Religiosorum, quæ actualiter ab ipsis fiunt, aut antequam fiant; non autem fructum satisfactorium operum præteritorum, in quæ nec illi, nec operans ipse potestatem habet; cùm eiusmodi fructus, ante opus non applicatus, aut saltem sub ipsa operis executione, taliterque inapplicatus existens, ac sine effectu vllo in quocunque subiecto, non propptereà remaneat suspensus; sed deuoluatur ad Generalem Ecclesiæ Thesaurum; neque ampliùs Prælatis, neque operanti subiectus sit, sed soli Diuinæ dispositioni, cui primaria eiusmodi Thesaurum dispensandi libertas competit, ac Summo Pontifici, cui à Deo, eam communicandi fidelibus, potestas collata est: vi verborum Christi ad Petrum, eiusque Successores *Matthai* 16. dicentis: *Tibi dabo Claues Regni Cælorum, & quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in Cælis*: quibus positis, clarè euincitur, non existere in Religionibus vllum particularem Thesaurum, constantem ex Satisfactionibus Religiosorum superabundantibus, qui proindeà Prælatis Generalibus, ac Supremis Religionum Moderatoribus dispensari possit, quæ omnia probantur.

328 Primò, authoritate Doctorum; ex quibus *Soto in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 4.* tractans de Participatione, quam in praxi exercent Prælati Regulares, circa fructum satisfactorium bonorum operum suorum Subditorum, mediantibus Litteris Gratiosis; ita ad litteram discurrit: *Notandum, quòd Prælatus, nisi Sacrificia, & labores, aut dum fiunt, aut prius applicet, reseruantur in Thesauro Ecclesiæ, quamobrem nequit, postquam facta sunt, illa applicare. Itaque nequit ipse Thesaurizare, sicuti neque priuata persona potest suas satisfactiones in Thesauro sibi reponere, vt scilicet sibi reseruentur pro tempore, quo eis indiguerit. Cuius ratio est, quòd eo ipso quòd quis satisfactionis, quam fecit, non indiget, in communi reseruatur, in Thesauro, per Papam distribuendo; nisi ipse, vel eius Prælatus, ea applicauerit. Quocircè dum Prælatus ait, se Benefactores ad beneficia Ordinis recipere, intelligitur ad illa, quæ subsecutura inde sunt, nam præterita, nisi prius applicauerit, iam non potest. Haud, inquam, potest hodie Missarum Sacra hesterna, cuipiam tribuere. Et ideò in more Religionis est, semper facere applicationem ante, vel dum fiunt Sacrificia.* Idem prorsus sentit *Suarez tom. c. disp. 55. num. 4. & 5*: Sequentibus verbis: *Nullus homo purus, quantumuis Iustus, & superabundantes operans satisfactiones, potest Thesaurum ex eis congregare, quia esset prorsus inutilis, cùm non possit ab eo authoritate sua dispensari, aut applicari. Potest enim vnusquisque quando satisfactorium opus facit, satisfactionem illam, cui voluerit applicare, tamen si applicatio neque in ipso, neque in alio habuit effectum, posteà non potest ampliùs satisfactionem illam applicare alioquin etiam pro peccatis commissis id facere, posset, vel etiam posset efficere, vt applicatio, quæ fortasse propter obicem alterius, effectum non habuit, recedente fictione, illam habere incipiat: vtrumque autem est vltra hominis facultatem, absque speciali Christi concessione &c. Atque eisdem rationibus vlteriùs concludi potest, nullam priuatam Congregationem Fidelium ex his quæ sunt in Ecclesia, posse congregare priuatum Thesaurum ex Superabundantibus satisfactionibus suorum membrorum; priuatum, inquam, id est, qui sit sub priuato dominio talis Congregationis, cuiusque dispensatio, ad illam, seu Prælatum eius speciali potestate*

*pertineat*. Adstipulatur quoque *Peyrinus de Prælato quæst.3.c.6.nu.5.* ita scribens: *bona opera satisfactoria præterita, quæ applicata non fuere antè, vel dum fierent, applicari cuiquam non possunt, neque per facientem, neque per Prælatum: Sed statim reconduntur in communem Thesaurum Ecclesiæ, qui per solùm supremum Pastorem dispensatur per Indulgentias: quia nullus potest thesaurizare sibi, vel alteri Thesaurum satisfactionum particularium, & per consequens neque de eo distribuere, aut communicare cuiquam, neque sibi, si indigeat. Quia alioquin sequeretur, quòd bona satisfactoria Religiosorum eis superabundantia, nunquam reconderentur in dictum Thesaurum, sed semper remanerent sub potestate eorum, vel Prælati, ad applicandum ea posteà, cui voluerit: & à fortiori, quòd opera Religiosorum defunctorum non possent applicari per Indulgentias, vel alio modo, ex quo quilibet pro tali tempore, aut necessitate futura, sibi; vel alijs talia opera thesaurizasset in vita, vt sibi tunc valerent, aut applicarentur: & sic destrueretur dictus Thesaurus Ecclesiæ collectus ex satisfactionibus Religiosorum, aut aliorum Sanctorum, dum viuerent.* Quibus accedunt *Rateus de Participat. q.3. sect.2. & 3. & q.6. sect.1. n.1.* vbi sic ait: *Dico primò, Prælatus non potest per participationes communicare alijs præteritas Satisfactiones suæ Religionis, quia satisfactiones debent habere suum effectum in aliquo, quando fiunt, aliàs earum applicatio non suspenditur, sed redeunt in Thesaurum Ecclesiæ, & potestatem humanam egrediuntur, proindeque nulla satisfactiones præteritæ sunt in libera dispositione Prælatorum.* Et *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui aurea par. 3. capit. 5. sub numer. 208. versu Hæc sententia* quod antè iam docuerant *Nauarrus Miscell. 11. de Psalter. & Rosar. numer. 8. Corduba de Indulgentijs quæst.4. dicto 8. punct. 3. Villalob. tract.28. diffic.6. numer.4.* Et noster *P.Caracciolus in Notis ad Constitut.Theat. p.2. capit. 1. in fine*. Apud quem plures alij.

329 Secundò, probatur ratione, pro cuius maiori luce (supposita differentia, quæ intercedit inter satisfactiones, quæ per Indulgentias applicantur ex Thesauro Ecclesiæ, & eas, quas quilibet Iustus per se alijs applicat; quod nimirum satisfactiones applicatæ per Indulgentias ex Thesauro Ecclesiæ correspondeant operibus bonis iam præteritis Christi Domini, Beatissimæ Virginis ac Sanctorum, quæ in eum finem in præfato Thesauro repositæ fuere, vt à Summo Pontifice dispensentur: satisfactiones autem, quas Iusti applicant alijs, aut per se, aut per suos superiores, non respondeant operibus bonis præteritis, sed applicationi bonorum operum satisfactorium, dum actualiter fiunt; tunc enim solùm fructus eorum satisfactorius sub potestate est operantis; ijs autem transactis præfatus fructus nullatenus remanet suspensus, sed necesse est, vt sortiatur effectum suum in aliquo immediatè: quod si factum non fuerit, eximitur operantis ipsiusmet potestate, atque in Ecclesiæ Thesaurum recidit, subiectum Petri tantum Clauibus, vt superiùs expositum, docentque Theologi communiter) sic argumentor. Si in omnibus Religionibus inueniretur Thesaurus particularis, compositus, & accumulatus ex satisfactionibus superabundantibus Religiosorum, qui ab Ordinum Prælatis per viam Gratiosarum communicaretur, dispensari deberet haud dubiè eo modo, quo à Summo Pontifice generalis Ecclesiæ Thesaurus dispensatur: sed nullatenus possunt ipsi propria authoritate thesaurum aliquem dispensare; adeoque talis particularis thesaurus in Ordinibus non datur; consequenter neque per Litteras Gratiosas communicatur. Probatur minor: dispensare quippe propria authoritate thesaurum aliquem spiritualem, non est potestatis humanæ, sed Diuinæ, inquiunt Theologi, specialiter *Rateus sect. 2. tit. num. 8.* Satisfactiones enim opere transacto egrediuntur potestatem humanam, & soli Diuinæ subiacent principaliter: cæteroquin, si quilibet fructum satisfactorium bonorum operum suorum præteritorum communicare posset, aut sibi, aut alijs, sicut potest futurorum, sequeretur posse illum per eadem satisfactoria sua opera præterita satisfacere pro pœna, peccatis recenter commissis debita: id est, aliquis, verbi gratia, existens in gratia,

tia, in eaque perseuerans longo tempore, multa facit bona opera, quorum fructu satisfactorio non eget pro se, saltem non omni: hic, si postmodum in peccatum mortale incideret, pœniteretq; sufficienter quantum ad remissionem culpæ, non autem quantum sufficeret ad remissionem totius pœnæ; talis, inquam, pro extinctione huius pœnæ, posset sibi applicare prædictum valorem, seu fructum satisfactorium præteritorum suorum bonorum operum, quo pro eo tempore opus non habebat, ac cum ea exsoluere nouum pœnæ debitum, contractum per recens commissum mortale peccatum. Sic posset pariter quilibet priuatus idem facere pro alijs, communicare videlicet fructum satisfactorium preteritorum suorum operum in remissionem alienorum peccatorum recenter commissorum: quæ omnia à Theologis rotundè negantur. Rationem assignat *Nauarrus Miscell. 11. de Psalt. & Rosar. versu septimò quæritur sub numer. 4. & versu octauò quæritur*. Quia nimirum, non potest iustè aliquis donare alteri id, quod iam donauit alijs; neque retinere pro se illud, quod iam alijs vendidit: adeòque nec is, qui alijs dedit valorem satisfactorium suorum bonorum operum, potest illum ampliùs dare alijs. At verò, quicunque facit bonum opus, si illud non facit pro alijs, censetur semper applicare, virtualiter saltem, sibimetipsi fructum, si eo indigeat: si autem pro alijs offerat, censetur eis applicare, in quantum necesse habent: si denique nec pro alijs indigear, neque secundùm partem, neque secundùm totum, intendit operans semper, reponere illum fructum (ait *Nauarrus l. c.* & cum eo *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui aurea par. 3. cap. 2. num. 208.*) in Thesauro Sanctæ Ecclesiæ, adeòque non potest denuo illum donare alijs; *Et si neutri est necessarius in totum, vel in partem; totum, vel partem eius, qua non est necessaria ipsis, videtur velle reponere in Thesauro Generali Ecclesiæ; ergo non potest illum applicare denuo alteri, quia illius applicatio non pertinet amplius ad eum, sed ad alium, scilicet ad Papam, vt prædictum est; sicut & qui multa bona, perfecta donatione donauit Ecclesiæ, non potest quicquam de illis authoritate propria capere, etiamsi egeat illis; licet si esset patronus & pauper, posset ali quam sustentationem petere, sed non propria authoritate capere iuxta c. Nouerint. 10. q. 1. & c. sunt qui opes 17. q. 4.* hactenus *Nauarrus*: ex quibus deinde hanc deducit consequentiam (*sub n. 5.* in nostræ responsionis fauorem) quòd nimirum Prelati Regulares in Litteris suis Gratiosis fructum præteritorum bonorum operum suorum Subditorum communicare non valeant; en eius verba; *An autem Prælati inferiores Episcopis, possint per chartas Fraternitatis communicare sibi deuotis benemerita præterita? Respondeo, quòd non: tum per proximam rationem, &c.*

Probatur tertiò, ac simul confirmatur argumentum præcedens, si haberetur in Religionibus proprius Thesaurus particularis dispensabilis per Prælatos, hoc idem concedi deberet cuicunque priuato Religioso, neque negari posset; quæ enim ratio cur non quilibet ex proprijs sibi superabundantibus satisfactionibus, Thesaurum sibi constituere valeat? at hoc est absurdum (inquit *Ruteus sect. cit. n. 10.*) ob rationem superiùs ex *Nauarro* adductam: qui eisdem principijs insistens ita pariter argumentatur; *sic enim* (inquiens) *earam satisfactionum plenam dispositionem sibi retineret, posset q; eas sibi reseruare, & applicare in solutionem pœnæ peccatorum posteà commissorum; imò & posset idem præstare erga alios. Tales igitur satisfactiones superabundantes particularium, redeunt in communem Thesaurum Ecclesiæ, idque ex intentione virtuali, & interpretatiua, quam quilibet Iustus habet, vt omnes satisfactiones quibus non indiget, & nulli specialiter cum effectu applicatæ sunt, alijs prosint eo modo, quò meliùs fieri potest, scilicet vt reposita in Thesauro Ecclesiæ, alijs per Indulgentias distribuantur, iuxta modum à Christo præscriptum; vnde in operante non remanet libera dispositio satisfactionum præteritarum, cùm iam censeatur eas donasse, vt vnà cum satisfactionibus Christi, fidelibus distribuantur.* Hactenus *Ruteus*, cum quo etiam *sect. cit. n. 9.* 350

Quartò probatur nostra responsio, quia Thesaurus communis Ecclesiæ constat principaliter ex infinitis Christi satisfactionibus, quibus adduntur etiam satisfactiones Sanctorum, non quidem ex necessitate, sed maiorem eorum honorem: suntque hæ illorum satisfactiones, tanquam accessoriæ; neque datur cumulus aliquis seiunctus à satisfactionibus 351

nibus Christi, cùm omnes de facto innitantur Christi satisfactionibus, vt probat idem *Ruteus li. 2. de fructu Missæ disp. 1. q. 2. ad 2.* Cùm ergo clarum sit, quod si cuilibet Religioni concederetur Thesaurus aliquis particularis, constans ex superabundantibus satisfactionibus Religiosorum, is certè disiunctus foret à satisfactionibus Christi, & consequenter, cùm Thesaurus hic non egrederetur potestatem purè humanam, cui non subiacet Thesaurus satisfactionum Christi; ex accessorio fieret principalis, & inde plurimum infinitis & supereffluentibus Christi satisfactionibus derogaretur.

332 Quintò probatur cum *Suarez disput. 55. sect. 5. n. 5.* Quia si quælibet Religio, aut Congregatio particularem haberet spiritualem Thesaurum, is vtique detraheretur communi Ecclesiæ Thesauro, neque in eo continerentur cunctæ superabundantes Sanctorum satisfactiones, quod admitti non potest; *Constat ergo* (deducit *Suarez n. 6.* (*quando aliqua Religio, vel Prælatus eius, aliquem admittit ad consortium, seu participationem operum talis Religionis, non admittere illum ad participationem alicuius Thesauri cum illo communicandi, neque applicare satisfactiones, &c.* Deducimus etiam cum *Ruteo sect. cit. num. 2.* & cum *Passerino de Indulgentijs quæst. 88. num. 642.* Non dari in Ecclesijs, ac Diœcesibus hunc particularem Thesaurum, constantem ex Subditorum satisfactionibus, qui ab Episcopis & Prælatis cuiuslibet Diœceseos dispensetur, cùm hic eadem currat ratio, respectu Episcoporum, & eorum Subditorum, quam superius assignauimus respectu Prælatorum Regularium cum suis Subditis. Quamuis autem quoad Episcopos & eorum Diœceses specialis videatur intercedere ratio, quandoquidem isti sunt verè Prælati, & Sponsi Ecclesiæ, vnde & Annulum gestant, & facultatem habent concedendi Indulgentias: quapropter affirmari posset, fundari hasce Indulgentias in Thesauro particulari ipsiusmet Diœcesis. Obstat nihilominus in contrarium: Quòd Thesaurus hic (si concederetur) ortum habere deberet (ait *Ruteus*) ex Christi institutione, cùm ex Christi, & Subditorum satisfactionibus constaret, non constat autem, Christum thesauros particulares instituisse: imò totum contrarium, ait *Suarez n. 5. cit.* cùm necessaria sit potestas specialis à Christo concessa, quæ non est data pro thesauro aliquo particulari; instituit equidem ille Thesaurum Ecclesiæ vniuersalem, vnicum, ac generalem, cuius dispensationem commisit Petro, eiusque Successoribus Summis Pontificibus, qui deinde Episcopis (vt communis est sententia) concesserunt potestatem dispensandi certas aliquas Indulgentias, ex communi tamen Ecclesiæ Thesauro depromptas; non autem fundatas in particulari aliquo Thesauro propriorum Subditorum: hic enim absolutè non potest, nec debet admitti, vtpote inutilis, & absque fundamento, ac necessitate multiplicatus. *Si enim* (ait *Suarez num. 5.*) *vnaquaque Congregatio particularis priuatum thesaurum sibi congereret, nihil remaneret, quòd in Thesauro Ecclesiæ reponeretur: quia tota Ecclesia vniuersalis constat ex Congregationibus, & Ecclesijs particularibus: si ergo vnaquæque pars sibi reseruaret suum Thesaurum, quid pro vniuersali Thesauro superesset?* ita Suarez, à quo non dissentit *Ruteus numer. 11. cit.* dum ibidem hoc modo argumentatur: *Si in qualibet Diœcesi esset Thesaurus specialis, nullæ satisfactiones Sanctorum reponerentur in Thesauro Generali Ecclesiæ, cùm Ecclesia generalis ex particularibus constet:* concludit deinde apposite: *& cùm Pontifex largiatur Indulgentias, non fundarentur in satisfactionibus Sanctorum totius Ecclesiæ, sed in solis Christi satisfactionibus: quod est contra communem sensum Pontificum, Patrum, ac Theologorum.*

Superesset modò, pro conclusione 333
Dubij, resoluenda oppositio quædam, quæ aduersus nostram responsionem, ac conclusionem inferri posset; estque factum aliquod *Seraphicæ Matris Sanctæ Terciæ*, quod refertur à *Gregorio Nazianzeno à Sancto Basilio libr. de Adopt. parthenia par. 2. capit. 43. à Rainaudo tom. 1. Heteroclit. spiritual. sect. 2. punct. 2. & ab alijs apud Paulum ab Omnibus Sanctis in Claui aurea par. 3. cap. 5. num. 209.* Quòd nimirum Sancta hæc *Seraphica*, ac Sapientissima Virgo defuncto cuidam sibi familiari Religioso omnes suas præteritas satisfactiones donauerit: cui ob simile

simile heroicum facinus ij adnumerari possunt, quos superiùs alio Capitulo retulimus, eximij Dei Serui, doctique Religiosi, qui pariter omnia sua bona opera præterita donarunt Animabus peccatricibus: quibus suppositis, cùm nec de tali ac tanta Dei serua, tantopere à Deo illuminata, neque de Religiosis scientijs adeò excultis, id affirmari possit, quod scribit *Nauarrus Miscell. de Psalt. & Rosar. n. 5.* de quodam suo coætaneo, qui similiter acquisitas eousque satisfactiones suas Parentibus suis defunctis donauit, id nimirum eum fecisse *potius bona fide; quàm erudita ratione:* consequenter sequitur, posse quemlibet iuxta suum beneplacitum disponere de satisfactionibus suis præteritis, quod directè nostræ aduersatur conclusioni, ergo &c: Sed oppositio hæc sequenti Dubio commodiorem, ac clariorem nanciscetur decisionem: quapropter sit

## DVBIVM SECVNDVM.

### *An communicentur merita bonorum operum præteritorum Ordinis?*

334 QVandoquidem præcedenti Dubio conclusum fuerit, per Litteras Gratiosas Regularium non participari fructum satisfactorium bonorum operum præteritorum Ordinis; cùm talis fructus, non applicatus, aut antequam fiant, aut dum actualiter exercentur (casu quo operans ijs pro se non indigeat) reponatur in communi Ecclesiæ Thesauro, atque ad eum deuolutus censeatur, in eum finem, vt postmodum à Summo Pontifice inde extrahatur in vnione satisfactionum Christi, ac per Indulgentias dispensetur, vt communiter docent Theologi, inter quos *Paulus ab Omnibus Sanctis loco infra cit.* sic ait; *Quia eo ipso quòd non applicantur antequam fiant, vel dum fiunt opera, vt satisfactoria, si operans minimè egeat, reponuntur in communi Thesauro Ecclesiæ, & exinde pro Indulgentijs ab habente authoritatem, videlicet Summo Pontifice, extrahuntur.* Quæritur in præsenti, an virtute Litterarum Gratiosarum communicetur saltem fructus meritorius bonorum operum Ordinis præteritorum. Supposito proinde, quòd Dubium hoc non procedat de merito de condigno; cùm hoc (vt dictum est) sit incommunicabile; sed de merito de congruo.

Respondeo affirmatiuè cum *Nauarro Miscell. 11. de Psalt. & Rosario nu. 6.* vbi sic ait; *Prælati, & Congregationes solent aliquando omnia merita sui Ordinis, etiam præterita præsentare Deo, &c.* Cum *Corduba in qq. Theol. lib. 5. qu. 42. punct. 3. dicto 8. vers. Quoad vim meritoriam. Sorbo in Compend. Verbo Indulgent. quoad Sæculares 4. vers. quoad vim. Rodriquez tom. 1. qq. Regul. qu. 33. art. 5. Miranda tom. 2. Man. q. 50. art. 4. conclus. 2. Peyrino de Prælato q. 3. cap. 6. n. 5. Bordono res. 84. q. 7. n. 15. Rueo de Particip. q. 6. sect. 1. n. 2. Paulo ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea par. 3. cap. 5. sub num. 207. versu Respond. distinguendo:* & alijs communiter. Ratio in promptu est; quia videlicet meritum de congruo bonorum operum, seu fructus impetratorius eorumdem, non reponitur in communi Thesauro Ecclesiæ, vt affirmant cum *Corduba lib. 5. cit. de Indulg. q. 5. Sorbo, Rodri. Bordonus ll. cc. & Paulus ab Omnibus Sanctis num. cit.* vbi ait: *Opera in quantum meritoria non reponuntur in Thesauro Ecclesiæ:* Subiungit *Bordonus loc. cit. Neque sunt de ratione Thesauri:* ex quo deinde consequentiam deducit, quòd proinde etiam *Semper sunt sub potestate Superioris, qui ea applicare potest quoad meritum:* hisque suffragantur *Nauarrus*, vt supra. *Corduba de Indulgentijs lib. cit. q. 39. quoad meritum congrui, seu impetrationis, possunt applicari aliorum opera bona præterita, præsentia, & futura. Sorbo loc. cit. quoad vim autem meritoriam tum ipse, qui facit, tum Prælatus quicunque potest semper communicare, seu applicare bona opera præterita, præsentia, & futura, quibuscumque voluerit, vt virtute talium meritorum, mereatur de congruo, seu potiùs impetret ipsis, vel alijs, bona spiritualia, & temporalia, & liberationem, & præseruationem à malis &c. & de his bonis, quoad vim meritoriam non congregatur Thesaurus Indulgentiarum, vt probat Corduba q. 5. de Indulg. Nullum enim ex hoc præiudicium Subditis ipsis resultat, imò maxima vtilitas, habendo multos Socios in merito suorum bonorum operum. Rodriquez loc. cit. Quantum autem ad vim meritoriam,*

*toriam, tam ipse, qui facit, quàm quicunq; Prælatus eius mediatus, vel immediatus, potest semper antè, vel post, communicare, seu applicare talia bona præterita, præsentia, & futura quibuscunque voluerit, vt virtute talium meritorum mereatur de congruo ipsi; vel alijs bona spiritualia, seu temporalia. Ruteus l. c. Potest Prælatus communicare alijs omnia bona opera præterita suæ Congregationis, quoad effectum impetrationis*. Et sic communiter Doctores. Cęterùm reipsa *S. Anselmus Episcopus Cantuariensis lib. 1. Epistolarum, Epist. 37. ad Frodelinam* circa annum Christi 1080. (vt refert præfatus *Ruteus q. 1. sect. 5. num. 21.*) communicauit eidem mediantibus suis Litteris bona opera etiam præterita; en ipsius Epistolæ verba: *Mitto vobis Litteras meas, per confidentiam mutuæ dilectionis; & quidem Domina Charissima, ego scio in me nihil vel minimum aliquid esse, quod dignum sit ad augmentum vestræ Sanctitatis expectari: quoniam tamen vestris maioribus bonis desiderò participare, nescio, qua fronte possim vobis participationem meorum bonorum, qualiacumq; sint, cùm eam desideretis, negare. Si quid igitur boni Iesus Christus Dominus noster IN ME operatus est, aut operaturus est, oro ego, vt concedat ipse, vt vobis non aliter quàm mihi imputetur*. Adde, communem in ipsa Ecclesia vigere consuetudinem, recurrendi ad Deum, petendique tam in communibus, quàm in particularibus necessitatibus, quod desideratur, à Diuina Bonitate per merita Christi, ac Sanctorum, & hoc ideò, quia cùm fortassis in eo, qui gratiam petit, tantum meriti non reperiatur, vt eam consequi valeat, impetret illam saltem faciliùs intuitu meritorum alienorum iam præteritorum, quæ Diuinæ Maiestati, vt ad elargitionem excitetur, repræsentantur: hinc est, quòd in Canone Missæ dicatur: *Communicantes, & memoriam venerantes imprimis Gloriosæ Virginis Mariæ, &c. quorum meritis precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio*: notetur verbum: *Communicantes*, quod apprimè nostro quadrat proposito; & infert, merita Sanctorum nobis communicari; Diuinæque Maiestati præsentari, vt eorum intuitu Clementissimus Deus nos speciali suo adiutorio, ac munimine protegat. Idipsum & Antiqui olim facere consueuerunt, cùm Diuinæ Bonitati per merita suorum Progenitorum Abraham, Isaac, & Iacob supplices porrigebant preces. Salomon quoque Domino Deo exhibet merita Dauid patris sui, vt consequatur quod impetrare desiderat, dicens: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*. In quæ verba *Bellarminus* aptè ad nostrum propositum ita commentatur: *Deus vult orari per merita hominum Iustorum, & propter eadem merita, multa concedit, quæ alioqui minimè concessisset*. Eadem de causa, ipsamet Sancta Ecclesia Dei in Litanijs Sanctorum Deo repræsentat Incarnationem, Aduentum, Passionem, ac Resurrectionem Christi, merita quoque, ac Martyria Sanctorum, eo præcisè fine, vt faciliùs consequatur, quidquid impetrare intendit. Imò idipsum fieri cernimus, vsuque receptum experimur apud Principes, & Reges terrenos, quàdoquidem & ipsis, cùm gratia ab eis quædam sollicitatur ab Oratore, qui partes agit supplicis, vt faciliùs intentum suum consequatur, ob oculos ponantur, atque in memoriam reuocentur facta maiorum, antiqua eorum merita, ac Nobilitas. Eadem proinde ratione poterunt Prælati Regulares, in Litteris suis Gratiosis, applicare, ac offerre Domino Deo, omnia præterita merita suarum Religionum, & Congregationum, tamquam rem specialiter, ac particulari modo sibi propriam; eaque Diuinæ Maiestati præsentare, ea intentione, vt earum intuitu illius ira placetur, & flagella, quæ aduersus Regnum, aut illius Regem, Principem, Amicos, &c. apprehendit, auertantur (prout docet *Nauarrus n. 6. Prælati & Congregationes, solent aliquando omnia merita sui Ordinis, etiam præterita præsentare Deo, ad placandam iram eius; si quam contra suum Regem, vel Regnum, vel Patronum, aut aliquem alium maximum amicum conceperit.*) Imò de ipsamet Religione id asserit *Ruteus; vt Deus eorum intuitu placatus, auertat iram, & flagella à Regno, aut etiam ab ipsa Religione: sic ille qu. 6. sect. 1. n. 2.* Ex quo & nostram deducit responsionem ac conclusionem, terminans præfatum numerum sequentibus verbis: *Vnde Prælati Religionum per participationes, sicut reddunt alios participes bonorum operum futurorum; possunt & omnium meritorum præteritorum*.

Porrò

Porrò hoc ipsum in praxi exercent quidam Prælatorum, dum in Litteris suis Gratiosis communicant merita Sanctorum sui Ordinis, prout ex tenore earum,quas superiùs produximus, euidenter apparet: ita in Litteris Gratiosis PP. Carmelitarum Discalceatorum quas supra *Dubio 4. Capitis primi* ex integro retulimus, leguntur hæc verba: *Confisi meritis & precibus B. V. Mariæ Matris Dei, & nostra, cui specialiter famulamur ac eius Sponsi Sanctissimi Ioseph, nec non Sanctorum Prophetarum, Eliæ, & Elisæi, Patrum nostrorum, Sanctorum Angeli, & Anastasij Martyrum, Alberti, & Cyrilli Confessorum, ac Sanctæ Teresiæ Virginis, & aliorum Sanctorum Ordinis nostri &c.* Verum tamen est, quod *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea par. 3. cap. 5. sub num.207. versu præterea dicendum:* agens de hac Ordinis sui formula, ita in eam glossatur: *Non applicantur*, inquiens, *in illa formula communicationis Litterarum Filiationis, seu Fraternitatis, merita Sanctorum à nostro Præposito Generali, sed allegantur eorum merita, vt efficacior reddatur applicatio bonorum operum totius Ordinis, innixa meritis, & operibus Sanctorum; sicut Ecclesia, merita, & bona opera Sanctorum allegat in Orationibus, vt scilicet hoc modo efficaciores reddantur.*

335 His prætereà addendum, non solùm aliorum præterita merita in prædicto sensu applicari, ac Deo præsentari posse: verùm etiam propria: sic enim Dauid repræsentabat anteriora sua bene merita, suamque mansuetudinem, dicens: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Ezechias quoque 4. Reg. 20.* graui decumbens infirmitate, vbi ab Isaia Propheta mortis nuntium accepit, conuersus ad parietem, vt à Domino Deo vitæ inducias, ac sanitatem impetraret, repræsentauit Diuinæ Maiestati præterita sua merita; *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim &c. Et licet* (subiungit *Paulus ab Omnibus Sanctis l.c.*) *hæc propriorum meritorum repræsentatio, sobria & infrequens esse debeat, vt notauit Suarez lib. 2. de Orat. c. 9. est tamen omninò licita, si prudenter adhibeatur.* Imò non solùm licita, verùm etiam multùm proficua esse prædicatur à *Rucco q. 6. sect. 1. in fine*, vbi, *valde proficuum est*, inquit, *offerre Deo pro quibusdam morientibus, aut etiam defunctis omnia merita præterita tum sua, tum suæ Religionis, quatenus eorum intuitu Deus morientibus felicem mortem concedat, & defunctos à pœnis liberos reddat.* Quod fructuosè ab aliquibus præstitum est, vt sub alio Capitulo superiùs retulimus afferentes eorum facta, atque exempla; Porrò idem docet *Corduba de Indulgent. lib. 5. q. 39.* sequentibus verbis; *Per viam meriti, seu impetrationis, valet communicatio bonorum suorum præteritorum, & concessio eorum, quam aliqui piè faciunt aliquibus existentibus in articulo mortis, seu etiam iam defunctis:* prout fecit *Seraphica Virgo Sancta Teresia* pro illo defuncto Religioso, de quo nobis sermo fuit præcedenti Dubio.

Cùm autem factum illud ibidem assumptum fuerit, vt opponeretur resolutioni à Nobis Dubio illo datæ, ac responsionem eius adæquatam hucusque, tamquam in locum magis proprium distulerimus; afferam hic ipsamet Sanctæ Virginis verba, ex quibus palam fiet, & factum illud non opponi conclusioni antecedentis Dubij, & seruire pro argumento probationis præsentis. Recensetur illud *Cap. 38. vita eiusdem*, ac citatur *à Paulo ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea p. 3. cap. 5. n.209. vers. Respondeo, si hoc. Dictum mihi fuit* (verba sunt *Sancta Teresia*) *ex hac vita discessisse, quendam, qui olim Prouincialem nostrum egerat, sed cùm obijt, alteri Prouinciæ præerat. Hic mecum olim egerat, eique ob quadam exhibita mihi beneficia, aliquot nominibus deuincta eram: vita verò eius ratio honesta imprimis, ac proba erat. Vt ergo eum demortuum audiui, mirum in modum turbata sum, quia de saluatione eius timebam: viginti quippe annis Superiorem egerat, quam ego rem certè valde timeo. Nam mihi perquam periculosum videtur animarum regimen habere. Itaque magno cum pauore me intra quoddam Oratorium abdidi, omniaque bona opera, quæ toto vitæ tempore vnquam egeram (quæ sanè parua admodùm fuere) in illum transtuli. Vnde Dominum rogabam vt per sua merita adimplere dignaretur, quod animæ illi, vt Purgatorij flammis possit egredi, deesset. Me ergo Dominum quàm poteram, enixissimè rogante, videbatur it de profundo terra ad dexterum latus meum prodire, & mox illum magna cum lætitia, & gaudio in Cœlos ferri conspexi, &c.* Hoc porrò 336

factum

factum antecedenti Dubio opponebatur nobis vltimo loco, ad probandum (aduersus datam ibidem resolutionem) etiam de satisfactionibus nostris anteactis nos posse disponere, prout hìc de suis fecisse apparet *Seraphica Mater Sancta Teresia*, pro anima præfati Religiosi defuncti: At dico, oppositionem hanc nullam esse: *Nullam enim prorsus in hac S. M. Teresiæ relatione, satisfactionum mentionem fieri video*; vt loquar cum *Paulo ab Omnibus Sanctis l. c.* Asserit quidem illa, transtulisse se omnia sua bona opera in defunctum Religiosum; at sicut operibus bonis (præter meritum proprium de condigno, & de Iustitia, quod est incommunicabile: & præter fructum satisfactionis, qui transacto opere, si priùs non fuerit applicatus, egreditur potestatem humanam, vt dicunt Doctores, in specie *Ruteus qu.6. sect.1.n.1.*) inest etiam fructus impetratorius, aut meritorius de congruo, qui etiam post opera nostra peracta adhuc à nobis est applicabilis (vt in præsens euincere conamur:) ita de hoc ipso fructu Sancta loquitur Virgo iam recitatis suis Litteris: atque de eodem in adductis superiùs exemplis, & quæ adhuc adduci possent, sermo est: ex quo potiùs corroboratur resolutio præsentis Dubij. Quod autem de hoc ipso fructu impetratorio bonorum operum suorum Sancta loquatur Virgo, en clarum testimonium *Pauli ab Omnibus Sanctis loc. cit.* vbi mentem Sanctæ suæ Matris ita declarat: *Affirmat quidem se omnia sua, quæ vnquam patrarat, bona opera, in iam dictum defunctum transtulisse: & cùm opera bona, præter meritum propriè dictum, ac iustitiæ, quod est incommunicabile, contineant quoque vim satisfactoriam, atque impetratoriam, censendum est, Sanctam M. Teresiam opera sua pro illo Patre defuncto obtulisse non quatenus satisfactoria; cùm sic considerata, modo in Superioribus exposito effœta essent, atque inania, sed prout impetratoria, seu meritoria de congruo. Quòd etiam apertiùs subindicare videntur verba, quæ mox subiecit inquiens. (Vnde Dominum rogabam, vt per sua merita adimplere dignaretur, quod animæ illi, vt Purgatorij flammis posset egredi, deesset.) Quo manifestè ostendit, se bona opera sua, solùm quatenus impetratoria obtulisse, dum has enixissimas preces adiunxit cum meritis Christi, quod aliàs non fuisset necessarium: nec supra citatus Gregorius Nazianzenus contrarium asserit, licèt ipsum pro opposita sententia adducat P. Raynaudus. Proficuum autem esse Deo offerre pro quibusdam defunctis aut etiam morientibus sua omnia merita præterita, docet Corduba de Indulg. qu.39. his verbis: Per viam meriti, seu impetrationis, valet communicatio bonorum suorum præteritorum &c.* Valet igitur communicatio bonorum præteritorum, solùm per viam meriti de congruo, aut impetrationis (prout in præsenti dubio nostro asserimus) non autem per viam satisfactionis (vt præcedenti stabilitum est) qui verò credit oppositum, credit *potiùs bona fide, quàm erudita ratione*, ait *Nauarus Miscell.11. n. 5.* Sed fallitur, qui taliter credit iuxta sententiam quoque *Rutei* qui *q.6. sect. 1. n.1. in fine: falsò enim* (inquit) *arbitrantur fructum bonorum operum præteritorum, ita adhuc esse in eorum dispositione, vt possint se illo priuare ad communicandum alijs: nisi fortè intenderint applicare ea bona quoad effectum impetratorium, sic enim possunt alijs prodesse.* Idque, & non aliud, asserendum est, intendisse Seraphicam ac Sapientissimam Matrem Sanctam Teresiam, in illo, à se descripto facto; ergo &c.

Notandum tamen cum *Ruteo l.c. n.3.* 337
& *Paulo ab Omnibus Sanctis, in Claui Aurea par.3. cap. 5. sub numero 207. vers. Respondeo distinguendo, quòd modus iste communicationis meritorum præteritorum per viam meriti de congruo siue impetrationis, aut etiam satisfactionis, non fiat, quasi aliquid eorum alijs tribuatur, cùm hoc non sit in hominis potestate; sed fit per modum repræsentationis, & applicationis obiectiuæ, ita vt Deus ad illa attendens moueatur ab eis tanquam ab obiecto eum excitante ad conferendum ea, quæ virtute illorum obtinere intendimus:* ita *Ruteus loc. cit.* sequentibus verbis: *Si aliquando dicatur, quòd satisfactiones præteritæ communicentur à Prælatis Religionum alijs, accipiendum id est de communicatione obiectiua in ratione operis boni, & apud eum congruè meritorij; non autem de communicatione & translatione formali. &c. repræsentatio enim meritorum anteriorum siue eorum, qui nobis coniuncti sunt, aut fuerunt, siue etiam propriorum, optimè fieri potest; vt de congruo obtineatur à Deo beneficium aliquod.* Ceterùm, quamuis ad consequendum hunc effectum (subiungit *Ruteus*) quilibet

Diui-

Diuinæ Maiestati offerre possit merita cuiuscunque Sancti; nihilominùs quando vnus, qui est de corpore Religionis, Deo offert merita totius Ordinis, faciliùs impetrabit, quod petit, ac desiderat, cùm offerat id, quod aliquo modo, saltem remoto, suum est; videlicet merita suæ Religionis, cuius ille est membrum: & vbi maiora merita offeruntur, facilior est etiam impetratio. Licèt autem, vt docet *Coninch* (apud *Ruteum l. c.*) *3. par. q. 83. art. 1. n. 184.* non plus meriti consequatur, nec plus satisfaciat pro se ille, qui offert Deo merita Omnium Sanctorum, quàm qui vnius tantùm: plus tamen eum iuuat (quantùm ad effectum impetrationis) oblatio meritorum omnium Sanctorum, quàm vnius tantummodo, siquidem est potentius obiectum ad permouendam Diuinam Maiestatem, vt supplicantis petitioni annuat. Hinc pari modo maiora Dominus Deus confert beneficia per merita ac Sanctitatem Patriarcharum, ac Fundatorum, & Sanctorum eiusdem Ordinis, perque tot alios exemplarissimæ vitæ viros, qui vixerunt, vel adhuc viuunt, quique fuerunt, & sunt aggregati sub eodem Corpore Mystico Religionis. *Et sic putandum est* (concludit *Ruteus l. c. n. 4. in fine, & n. 5. in princ.*) *eos qui ad Participium bonorum operum admittuntur, suo modo participare in bonis operibus præteritis, cùm gaudeant iisdem fructibus quibus Religiosi: nec opus est vt illud in Litteris Participationum exprimatur, cùm id ex vnione cum membris Religiosis facta per dictas Litteras oriatur. Hinc patet, consulendum esse, non tantùm Religionis, sed & aliis receptis ad participium bonorum operum Ordinis, vt cùm volunt quippiam a Deo impetrare, illi ex animo offerant omnia merita præterita illius Religionis, cuius sunt membra: cùm enim merita illa eis aliquo modo sint propria, ob vnitatem corporis Religionis, plurima indubiè à Deo beneficia per illa impetrabunt.*

## DVBIVM TERTIVM.

### *An participentur bona opera Ordinis præsentia, & futura; & quo sensu hæc participatio intelligatur?*

AD primam Dubij partem, Respondeo affirmatiuè, prout etiam Doctores communiter, maximè quos præcedenti Dubio citauimus, qui vniuersaliter omnes affirmant, eos, qui per Litteras Gratiosas, ad Spiritualem Ordinis Filiationem admittuntur, participare de bonis operibus eiusdem præsentibus, & futuris: videlicet de Sacrificijs, Orationibus, Vigilijs, Peregrinationibus, Ieiunijs, Abstinentijs, Prædicationibus, Disciplinis, ac de cunctis bonis operibus, quæ ab vniuerso Corpore Religionis exercentur, ac impostèrum exercebuntur. Neque melius istud probari potest, quàm ex ipsomet tenore, ac substantia earumdem Litterarum Gratiosarum; è quibus indubitanter apparet (ait etiam *Nauarrus Miscell. 11. de Psalt. & Rosar. num. 5. vers. An autem*) à Prælatis Regularibus communicari bona opera futura: *Prælati, & Congregationes* (ait ille) *dantes chartas huiusmodi communicationis sibi deuotis, futura bona communicant, vt satis patet ex his, quas videre est apud Thomam Valdensem l. 3. de Sacramentalib. c. 94. qui ponit substantiam formæ chartæ Fraternitatis Carmelitarum, & Carthusianorum*: prout etiam videre licet, indifferenter ex omnibus formulis aliarum Religionum, præcipuè Theatinæ, quæ sic habet: *Quapropter per has nostro Sigillo signatas Litteras, vos in charissimorum nostrorum numerum cooptamus; & cùm inter viuos, tum inter mortuos numeramus; atque Sacrificiorum, Precum Horariarum, Meditationum, Vigiliarum, Ieiuniorum, Indulgentiarum, & denique bonorum omnium, quæ à nobis fiunt, vel posthoc fient, consortes volumus esse, atque participes.* 338

Iam ad secundam propositi Dubij partem transeamus: Quomodo videlicet huiusmodi participatio intelligatur? *Ruteus qu. 6. sect. 2.* penset, eam esse obiectiuam; & vt talem eam explicat, 339

ac

ac recipit: ad modum videlicet impetrationis, quam circa finem præcedentis Dubij explicauimus, tractando de participatione meritorum operum præteritorum: vnde absolutè excludit ab hac communicatione participationem formalem, siue effectiuè prouenientem ab ipsis operibus bonis, cuiusmodi est specialiter fructus satisfactionis; non aliter intelligendo, quàm quòd neque secundùm totum, neque secundùm partem fructus iste formaliter participetur, vi Litterarum Gratiosarum: sed tota participatio ab operibus prouenniens, sit solùm obiectiua, seu per modum impetrationis; in quantum videlicet Dominus Deus, intuitu Sanctitatis totius corporis Religionis, atque à repræsentatione obiectiua Sacrificiorum, aliorumque bonorum operum Religiosorum, mouetur ad conferendum varia dona, gratias, ac beneficia, omnibus illis, qui vinculo specialis vnionis, ac charitatis eidem coniuncti sunt. Atque hæc est tota participatio (ait *Rutẽus*, & in hoc solùm sensu iuxta ipsum intelligenda est) quæ à Prælatis Regularibus per eorum Litteras Gratiosas conceditur, quando in eis dicitur, quòd ijs, quibus eas largiuntur, communicent participationem omnium Sacrificiorum, Orationum, Vigiliarum, &c. omniumque bonorum operum Religionis. Vnicum fundamentum huius assertionis de sola obiectiua participatione est, quòd sicut fructus satisfactionis, qui promanat ab Operibus bonis, respicit ipsummet operantem, & correspondet, quantum ad applicationem necessariò ipsius speciali intentioni; ita absque hac expressa, ac formali, aut saltem implicita ac virtuali intentione, seu applicatione alijs communicari non possit. Ita sentit *Ruteus loc. cit.* cuius præcisa verba, cùm superiùs attulerimus *Dub. 22. cap. 4. num. 231.* hic replicare supersedemus. Et si Lector ea ibidem reuidere voluerit, cernet pariter eiusmodi sententiam authoritatibus, ac rationibus sufficienter, & non absque fundamento reiectam, quę tamen non est solius *Rutei*, sed etiam aliorum ibidem recensitorum; contra quos tamen dico de nouo (simulquè ad secundam partem propositi Dubij respondeo) participationem bonorum operum præsentium ac futurorum, exhibitam à Prælatis Regularibus per Litteras Gratiosas esse verè & effectiuè talem, quoad fructum satisfactorium, deriuantem ab eisdem operibus. Quare non est obiectiua tantùm (qualis illa bonorum operum præteritorum quantum ad meritum de congruo, seu impetrationis) sed realis & effectiua participatio fructus satisfactionis. Et sic eam intelligimus, talemque esse asserimus (prout adæquatè probatum est prædicto *Dub. 22.* ad quod Lectorem denuo remitto) eodem quoque modo eam intelligunt, ac explicant Doctores præcitato Dubio exactè relati, quibus hic addo *Paulum Zehendtner in Promontorio malæ spei lib. 5. §. 9. n. 9.* qui sæcularium felicitatem extollens, eò quòd sedentes in otio, & quiete, nihilominùs perfruantur, ac participent de fructibus Vigiliarum, Abstinentiarum, ac laborum Dei Seruorum, tanquam essent fructus ipsorum proprij (hoc enim est effectiuè, & realiter participare) ita discurrit: *Quis negare ausit, ingentia illis emolumenta cedere, quibus in medio nationis prauæ, hoc est, corruptissimo sæculo constitutis, siue insignia pietatis exercitia applicantur, siue perpetua Diuini cultus obsequia, siue quotidianæ affligendi corporis austeritates, quæ inter sacrata Religiosorum hominum claustra, in singulas prope horas fiunt? Quid pulchrius, quàm sine expensis suis, citra suum laborem posse ditescere, & ingentes cumulare thesauros? quid iucundius, quàm sedendo post sarcinas, custodem potius quàm militem, venire tamen in partem spoliorum? Quid felicius, quàm otiosè spectantem alienas pugnas, & vulnera, cum victoribus coronari, & eodem quasi victoria serto redimiri? siue quod tantumdem est, aspicere eminus, quomodo homines Religiosi, piè in corpus suum desæuiant, setis asperis pungant latera, flagris lacerent humeros, ieiunijs constringant ventrem, simulque de eorumdem gloriosis conatibus quasi de proprijs participare. Hoc denique est tollere quod non posuisti, & metere quod non seminasti:* hactenus ille, & quidem excellenter. Quòd autem ei sermo sit de participatione satisfactoria per viam Litterarum Gratiosarum, affirmat id *Paulus ab Omnibus Sanctis in*

*Claui*

*Claus Aur. par.* 3.*c.*4.*n.*203. vbi inuestigans, quantum conferant Litteræ Fraternitatis, quantique æstimari debeant? pro responsione prædictum affert discursum: *Quantum conferant* (inquiens) *quantoque in pretio habendæ sint sæpiùs memoratæ Fraternitatis Litteræ, luculenter tradit in Promontorio malæ spei Paulus Zehenatner subiecto discursu, &c.* Concludo itaque Participationem, quæ à Prælatis Regularibus conceditur, bonorum spiritualium, esse quidem obiectiuam, vti explicat, ac sentit *Ruteus*; sed tamen præterea etiam formalem, & effectiuam: Obiectiuam quidem, respectu operum præteritorum Ordinis, quæ sunt meritoria de congruo: respectu autem satisfactionum præsentium, & futurarum, formalem, realem,& effectiuam,quidquid in contrarium(quod pace illius dixerim) *Ruteus* dicat.

340 Neque obstat vnicum illius fundamentum superiùs intimatum, quòd nimirum intentio, & applicatio expressa vel implicita saltem in operante necessariò requiratur, ad hoc, vt fructus satisfactionis in alijs effectum nanciscatur: *Fructus satisfactionis* (inquit *cit.sect.*2.*n.*8.) *sic respondet bonis operibus, vt ipsum operantem recipiat, & eius intentionem, & applicationem sequatur, nec alteri sine eius intentione expressa, vel implicita applicetur: hinc patet non communicari alijs singula bona opera Religionis,quoad effectum satisfactionis,sed solùm impetrationis modo explicato.* Non obstat, inquam, hoc;nemo enim est,qui istud neget,neq; nos inficias imus,cùm certum sit in sententia omnium Theologorum,non participare quemquam de alterius bonis operibus,aut alieno fructu satisfactorio, nisi ab operante ipsi fuerint applicata, per intentionem saltem implicitam. At hæc ipsa intentio & applicatio saltē implicita, ex parte operantis interuenit in casu nostro(vt superiùs perspicuè visum est *cit.dub.*22.& 23. *cap.*4.) Religiosi enim ratione voti Obedientiæ,statusq; sui Regularis, applicationem suorum bonorū operum saltem communium,& quæ secundùm Regulam fiunt Superiorū suorum dispositioni subditam habet.Quòd autem implicita hæc operantis applicatio sufficiens sit ad transferendum in alios fructum proprium satisfactorium; præterquam quòd probatum iam fuerit in prædictis duobus *Dubijs* 22. & 23. id *Ruteus* ipsemet admittit, dum *qu.*6.*sect.*8. quærens, vtrùm Superiores Regularium possint applicare omnes superabundantes satisfactiones suorum Subditorum,in beneficium eorum, qui ad consortium bonorum operum Religionis admissi sunt: respondet affirmatiuè: *Respondeo id fieri posse:* ad quem effectum duas asserit necessarias esse conditiones: *ad quod requiruntur solùm duo; vnum ex parte Subditorum; alterum ex parte: Prælati ex parte subditorum, requiritur, vt continuò sint talis intentionis, quòd omnes suas satisfactiones, quibus non indigent, nec alteri cum effectu applicuerunt, & reponendæ essent in thesauro Ecclesiæ,relinquant dispositioni sui Prælati, quantum fieri potest, vt ille Amicis, & Benefactoribus, alijsque Ordinis membris applicare possit.* Quòd autem id fieri possit, probat *Ruteus* sequenti argumento: *Quia* (inquiens) *cùm quis opus satisfactorium facit, ita habet liberam dispositionem fructus satisfactorij illius, vt non solùm sibi, aut alijs eum applicare possit, sed omnem suā potestatem,& dispensationem fructus illius satisfactorij in alium transferre potest,in quem,cùm totum ius operantis translatum est,potest is de illo liberè disponere, & satisfactionem pro libitu alijs applicare, opere adhuc non transacto: Satisfactiones enim, quibus Deo ob debitum Iustitiæ satisfacimus, habent quasi rationem summæ pecuniariæ, qua vel nostra, vel aliorum debita nos ipsi persoluimus; vel plenam illius dispositionem alteri, ius nostrum illi transferendo,relinquimus. Sicut igitur alicui licitum est fructus alicuius satisfactorij dispositionem ita in alium transferre, vt de illo possit disponere, & alteri applicare, ac si ipsius esset.: ita quilibet Religiosus potest ita disponere de suis satisfactionibus, quibus non indiget, nec alteri cum effectu applicuit, & reponendæ essent in Thesauro Ecclesiæ, vt totum ius suum in illas, in Prælatum transferat, qui ideò de illis sic disponere possit, & alijs applicare, ac si essent ipsi propria: quod semper intellige, modò subditi, & Prælati applicatio,fiat ante operis satisfactorij executionem, quia satisfactio, opere transacto, egreditur potestatem, & dispositionem humanam. Ex parte verò Prælati, ad hoc tantum requiritur, vt vtatur potestate sibi data à subditis super eorum satisfactionibus superabundantibus, quas sicut potest quilibet operans alijs pro voluntate applicare:*

*ita potest Prælatus omnes satisfactiones suorum subditorum cum effectu applicare Amicis, & Benefactoribus, alijsque Ordinis membris indigentibus.* Hæc *Ruteus* in assertionis suæ probationem. Subinferens deinde, qualisnam esse debeat hæc intentio, & applicatio subditorum, vt sufficiens sit, quatenus Superiores iuxta beneplacitum, satisfactiones superabundantes applicare valeant; resoluit quæstionem in hęc verba: *Dubitari autem potest* (inquiens) *qualis intentio, & applicatio ad hoc sufficiat? Certum est actualem intentionem sufficere, quæ in quibusdam Religiosis reperitur, qui omnes suas satisfactiones superabundantes, actu relinquunt dispositioni Superiorum, vt illas pro libitu applicent, & amicis distribuant. In illis verò, qui non habent intentionem hanc actualem, requiritur, & sufficit intentio virtualis, seu interpretatiua, eo modo quo illam explicuimus &c.* Ex igitur, quomodo etiam iuxta mentem *Rutei* sola intentio virtualis subditorum sufficiat, vt proprius Prælatus superabundantes eorum satisfactiones alijs applicare possit: & si pro his talis intentio sufficit, sufficiet etiam haud dubiè pro non superabundantibus. Non negabit hoc, vti neque poterit *Ruteus*, dicet tamen(vt consequenter loquatur)Religiosos non relinquere in potestate suorum Superiorum, neque sub eorum dispositione, illum fructum satisfactorium suorum bonorum operum, quo ipsimet egent, prout insinuat *q.6. sect.7.n.24.* generaliter affirmans, quòd *omnis satisfacientis est, quòd omnes satisfactiones sibi soli prosint, quamdiu eas alijs non applicet, ad quod intentio aliqua requiritur:* quod apertiùs profitetur *q.6. sect.9. num.31. in fine:* descendens ad particularem casum nostrum de Religiosis sub hac formalitate verborum; *Subditi censentur continuò esse in ea voluntate, vt sibi reseruent suas satisfactiones necessarias: & quandoque alijs actu applicent; quoad superfluas verò, & nulli applicatas, relinquunt dispositioni Prælatorum, & omne ius suum in eos transferent.* Quapropter in ea ipse est sententia, quòd ij, qui per Litteras Fraternitatis ad consortium bonorum operum Ordinis admissi sunt, non participent taliter portionem fructus eisdem operibus correspondentem, prout participant illi, quibus ab operante specialiter applicantur; assignat etiam huius asserti rationem (qua simul prædictam virtualem intentionem destruere nititur) quòd videlicet Religiosi non omnia sua opera ea exequantur intentione, vt admissi ad communicationem bonorũ operum Ordinis sortiantur partem aliquam fructus, de Omnibus illorum bonis operibus, vt per se constat; ergo &c. in cuius rei fidem hìc propria illius affero verba: *Cùm quis ad participium bonorum operum Religionis receptus, dicitur fieri particeps omnium Sacrificiorum, & aliorum bonorum operum quæ à singulis totius Religionis fratribus fiunt, non est sensus, quòd recipiant portionem aliquam fructus respondentis singulis illis bonis operibus, eo modo quo illi, quibus ex intentione speciali applicantur. Ratio est, quia nullus hoc sensu participat in fructu bonorum operum, nisi per specialem operantis intentionem illi applicetur. Constat autem omnia, & singula bona opera non fieri à Religiosis ea intentione, vt omnes admissi ad communionem bonorum operum recipiant portionem aliquam de fructu singulorum:* ita ille *q.6. sect.2. n.6. versu Dico primò.* At contra hoc *Rutei* principium superiùs *Dub.22. & 23. cap.4.* totum contrarium definitum est, nimirum, quòd omnia bona opera Religiosorum (saltem ea, quæ ex prescripto Regulæ fiunt) censeantur esse sub potestate ac libera dispositione Prælatorum: qui propterea in Litteris Spiritualis Filiationis etiam de fructu satisfactorio eorumdem disponunt, concurrente ad hoc intentione Religiosorum virtuali & implicita, quæ deriuat ex ipso Voto Obedientiæ, vi cuius eorum Ius applicandi transfusum est in Prælatum. Quibus suppositis Dubium consequenter remanet solutum; ac bene stabilitum, quod per Litteras Communicationis participentur bona opera Ordinis præsentia & futura, hæcque participatio fructus etiam satisfactorij eorumdem operum sit vera, realis, & effectiua, quidquid dicant alij.

CA-

## DVBIVM QVARTVM.

### *Quales in specie, & quanti sint illi fructus, & effectus tam satisfactionis, quàm impetrationis, qui per Litteras Spiritualis Filiationis participantur?*

341 SI loquamur de qualitate fructuum, seu bonorum Spiritualium, quæ à Prælatis Regularibus mediantibus eorum Litteris communicantur, in duas distinguuntur classes, siue ad duo reducuntur capita; suntque (vt superiùs *Dub. 22. cap. 4.* declaratum est) duo illi fructus, qui à nostris bonis operibus proueniunt, satisfactionis videlicet, & impetrationis; seu meriti de congruo, quandoquidem meritum de condigno (vt ibidem vidimus) alijs non est communicabile, sed tamquam fructus specialissimus essentialis & proprius operantis, illius personam non egreditur, neque ab eo extrahi, separari, aut abalienari potest. Quæritur ergo nunc, quanti sint præfati fructus in particulari, qui per Litteras Communicationis participantur, tam satisfactionis, quàm impetrationis.

Vt proinde initium ducam à priori capite, nimirum à fructu satisfactorio: scio, quòd *Paludanus in 4. dist. 45. q. 2. art. 2.* videatur negare, quòd cuiquam fructus iste per Litteras Communicationis proueniat, sed velit, quòd alius effectus non participetur per eas, quàm ille secundi generis, videlicet solius impetrationis; dum *loc. cit.* sic ait. *Receptio ad beneficia fit principaliter ad merendum, non ad satisfaciendum; vnde receptus ad beneficia, non est immunis à pœna sibi iniuncta, nec in toto, nec in parte, propter ieiunia, quæ fiunt in Ordine, sicut esset per Indulgentias; nec minus diu punietur in Purgatorio.* Quod si hoc intelligit, & asseuerat absolutè (quod tamen non credo, vti neque *Ruteus q. 6. sect. 7. n. 24.*) præter veram communem doctrinam, ipsamque rationem: stat quoque contra ipsum Torrens Doctorum, asserentium vnanimi consensu oppositum, quòd scilicet ij, qui ad consortium bonorum spiritualium Ordinis admittuntur, inter alia beneficia spiritualia participent etiam de fructu satisfactorio eorumdem operum: Quod inter alios innumeros expressis verbis docet Angelicus Doctor *Opusc. 6. §. Sanctorum Commun. Vnus*, inquiens, *potest satisfacere pro alio, sicut patet in beneficijs, ad quæ plures Congregationes admittunt aliquos:* Idem affirmat, *Raynaudus in suo Scapulari illustrato par. 1. cap. 4.* his præcisis verbis: *Satisfactio vnius Iusti pro alio valet de condigno: & acceptatur à Deo ex pacto, atque adeò ex iustitia. Quamuis autem aliud sit satisfactio, aliud meritum; tamen hæc satisfactionum applicatio, inuoluitur in beneficio participationis meritorum Cœtus Religiosi, quia ea est mens, & potestas concedentium huiusmodi beneficium. Intendunt enim prodesse quantum possunt, ijs, quibus gratiam præstant. Facillimè quippe est dissoluere nomina Amicorum, extergendo reatum pœnæ per annumeratam pro eis solutionem; exhibita Deo portione aliqua tot operum pœnalium, & maximè satisfactoriorum, quæ assiduè obeunt.* Quo supposito tanquam indubitato: quæritur iam, quisnam sit in particulari fructus iste, & vnde deriuet; quod sic explico, atque resoluo.

Primò igitur, efficiuntur participes ij, 342
qui ad consortium bonorum operum spiritualium admittuntur ab aliqua Religione, satisfactionum, omnium Suffragiorum, aliorumque bonorum operum, quæ à Religiosis generaliter fiunt per totum Ordinem, & quæ ab ijs etiam, qui per Litteras Filiationis Corpori Religionis associati sunt: *Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 55. de Indulg. sect. 5. num. 12. in fine:* vbi ait: *Hæc applicatio sæpe fit generaliter pro Fratribus, & Socijs Religionis, ideo ad habendam partem in huiusmodi applicationibus, confert etiam illa coniunctio:* loquitur autem hìc *Suarez* (vt ex contextu apertè constat) de coniunctione, qua quis mediantibus Litteris Filiationis Spiritualis coniungitur corpori Religionis ad participandum bona illius spiritualia. Hoc ipsum asserit *Passer. de Indul. q. 88. n. 644. Idem insinuare videtur Nauarrus Miscell. 11. de Rosar. num. 9. versu: Secundò certum*, & ibidem *S. Thomas: Hoc*

nibus Christi, cùm omnes defacto innitantur Christi satisfactionibus, vt probat idem *Ruteus li.2. de fructu Missæ disp.1. q.2. ad 2.* Cùm ergo clarum sit, quòd si cuilibet Religioni concederetur Thesaurus aliquis particularis, constans ex superabundantibus satisfactionibus Religiosorum, is certè disiunctus foret à satisfactionibus Christi, & consequenter, cùm Thesaurus hic non egrederetur potestatem purè humanam, cui non subiacet Thesaurus satisfactionum Christi; ex accessorio fieret principalis, & inde plurimum infinitis & superefffluentibus Christi satisfactionibus derogaretur.

332 Quintò probatur cum *Suarez disput. 55. sect.5. n.5.* Quia si quælibet Religio, aut Congregatio particularem haberet spiritualem Thesaurum, is vtique detraheretur communi Eccclesiæ Thesauro, neque in eo continerentur cunctæ superabundantes Sanctorum satisfactiones, quod admitti non potest; *Constat ergo* (deducit *Suarez n.6.*) *quando aliqua Religio, vel Prælatus eius, aliquem admittit ad consortium, seu participationem operum talis Religionis, non admittere illum ad participationem alicuius Thesauri eum illo communicandi, neque applicare satisfactiones, &c.* Deducimus etiam cum *Ruteo sect. cit. num. 2.* & cum *Pasierino de Indulgentijs quæst.88, num.642.* Non dari in Ecclesijs, ac Diœcesibus hunc particularem Thesaurum, constantem ex Subditorum satisfactionibus, qui ab Episcopis & Prælatis cuiuslibet Diœcesos dispensetur, cùm hìc eadem currat ratio, respectu Episcoporum, & eorum Subditorum, quam superius assignauimus respectu Prælatorum Regularium cum suis Subditis. Quamuis autem quoad Episcopos & eorum Diœceses specialis videatur intercedere ratio, quandoquidem isti sunt verè Prælati, & Sponsi Ecclesiæ, vnde & Annulum gestant; & facultatem habent concedendi Indulgentias: quapropter affirmari posset, fundari hasce Indulgentias in Thesauro particulari ipsiusmet Diœcesis. Obstat nihilominùs in cõtrarium: Quòd Thesaurus hic (si concederetur) ortum habere deberet (ait *Ruteus*) ex Christi institutione, cùm ex Christi, & Subditorum satisfactionibus constaret, non constat autem; Christum thesauros particulares instituisse: imò totum contrarium, ait *Suarez n.5. cit.* cùm necessaria sit potestas specialis à Christo concessa, quæ non est data pro thesauro aliquo particulari; instituit equidem ille Thesaurum Ecclesiæ vniuersalem, vnicum, ac generalem, cuius dispensationem commisit Petro, eiusque Successoribus Summis Pontificibus, qui deinde Episcopis (vt communis est sententia) concesserunt potestatem dispensandi certas aliquas Indulgentias, ex communi tamen Ecclesiæ Thesauro deprompras; non autem fundatas in particulari aliquo Thesauro propriorum Subditorum: hic enim absolutè non potest, nec debet admitti, vtpotè inutilis, & absque fundamento, ac necessitate multiplicatus. *Si enim* (ait *Suarez num.5.*) *vnaquæque Congregatio particularis priuatum thesaurum sibi congereret, nihil remaneret, quòd in Thesauro Ecclesiæ reponeretur: quia tota Ecclesia vniuersalis constat ex Congregationibus, & Ecclesiis particularibus: si ergo vnaquæque pars sibi reseruaret suum Thesaurum, quid pro vniuersali Thesauro superesset?* ita *Suarez*, à quo non dissentit *Ruteus numer. 11. cit.* dum ibidem hoc modo argumentatur: *Si in qualibet Diœcesi esset Thesaurus specialis, nullæ satisfactiones Sanctorum reponerentur in Thesauro Generali Ecclesiæ, cùm Ecclesia generalis ex particularibus constet*: concludit deindè appositè: *& cùm Pontifex largiatur Indulgentias, non fundarentur in satisfactionibus Sanctorum totius Ecclesiæ, sed in solis Christi satisfactionibus: quod est contra communem sensum Pontificum, Patrum, ac Theologorum.*

Superesset modò, pro conclusione 333
Dubij, resoluenda oppositio quædam, quæ aduersus nostram responsionem, ac conclusionem inferri posset; estque factum aliquod *Seraphicæ Matris Sanctæ Teresiæ*, quod refertur à *Gregorio Nazianzeno à Sancto Basilio libr. de Adopt. parthenia par. 2. capit. 43.* à *Rainaudo tom. 1. Heteroclit. spiritual. sect. 2. punct. 2. & ab alijs apud Paulum ab Omnibus Sanctis in Claui aurea par. 3. cap. 5. num. 209.* Quòd nimirum Sancta hæc *Seraphica*, ac Sapientissima Virgo defuncto cuidam sibi familiari Religioso omnes suas præteritas satisfactiones donauerit: cui ob

simile

simile heroicum facinus ij adnumerari possunt, quos superiùs alio Capitulo retulimus, eximij Dei Serui, doctique Religiosi, qui pariter omnia sua bona opera preterita donarunt Animabus peccatricibus: quibus suppositis, cùm nec de tali ac tanta Dei serua, tantopere à Deo illuminata, neque de Religiosis scientijs adeò excultis, id affirmari possit, quod scribit *Nauarrus Miscell. de Psalt. & Rosar. n. 5.* de quodam suo coætaneo, qui similiter acquisitas eousque satisfactiones suas Parentibus suis defunctis donauit, id nimirum eum fecisse *potius bona fide, quàm erudita ratione*: consequenter sequitur, posse quemlibet iuxta suum beneplacitum disponere de satisfactionibus suis præteritis, quod directè nostræ aduersatur conclusioni, ergo &c. Sed oppositio hæc sequenti Dubio commodiorem, ac clariorem nanciscetur decisionem: quapropter sit

## DVBIVM SECVNDVM.

### *An communicentur merita bonorum operum præteritorum Ordinis?*

334 Quandoquidem præcedenti Dubio conclusum fuerit, per Litteras Gratiosas Regularium non participari fructum satisfactorium bonorum operum præteritorum Ordinis; cùm talis fructus, non applicatus, aut antequam fiant, aut dum actualiter exercentur (casu quo operans ijs pro se non indigeat) reponatur in communi Ecclesiæ Thesauro, atque ad eum deuolutus censeatur, in eum finem, vt postmodum à Summo Pontifice inde extrahatur in vnione satisfactionum Christi, ac per Indulgentias dispensetur, vt communiter docent Theologi, inter quos *Paulus ab Omnibus Sanctis loco infra cit.* sic ait; *Quia eo ipso quòd non applicantur antequam fiant, vel dum fiunt opera, vt satisfactoria, si operans minimè egeat, reponuntur in communi Thesauro Ecclesiæ, & exinde pro Indulgentijs ab habente authoritatem, videlicet Summo Pontifice, extrahuntur.* Quæritur in præsenti, an virtute Litterarum Gratiosarum communicetur saltem fructus meritorius bonorum operum Ordinis præteritorum. Supposito proinde, quòd Dubium hoc non procedat de merito de condigno; cùm hoc (vt dictum est) sit incommunicabile; sed de merito de congruo.

Respondeo affirmatiuè cum *Nauarro Miscell. 11. de Psalt. & Rosario nu. 6.* vbi sic ait; *Prælati, & Congregationes solent aliquando omnia merita sui Ordinis, etiam præterita præsentare Deo, &c.* Cum *Corduba in qq. Theol. lib. 5. qu. 42. punct. 3. dicto 8. vers. Quoad vim meritoriam. Sorbo in Compend. Verbo Indulgent. quoad Sæculares 4. vers. quoad vim. Rodriquez tom. 1. qq. Regul. qu. 33. art. 5. Miranda tom. 2. Man. q. 50. art. 4. conclus. 2. Peyrino de Prælato q. 3. cap. 6. n. 5. Bordono res. 84. q. 7. n. 15. Ruteo de Particip. q. 6. sect. 1. n. 2. Paulo ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea par. 3. cap. 5. sub num. 207. versu Respond. distinguendo*: & alijs communiter. Ratio in promptu est; quia videlicet meritum de congruo bonorum operum, seu fructus impetratorius eorumdem, non reponitur in communi Thesauro Ecclesiæ, vt affirmant cum *Corduba lib. 5. cit. de Indulg. q. 5. Sorbo, Rodri. Bordonus ll. cc. & Paulus ab Omnibus Sanctis num. cit.* vbi ait: *Opera in quantum meritoria non reponuntur in Thesauro Ecclesiæ*: Subiungit *Bordonus loc. cit. Neque sunt de ratione Thesauri*: ex quo deinde consequentiam deducit, quòd proinde etiam *Semper sunt sub potestate Superioris, qui ea applicare potest quoad meritum*: hisque suffragantur *Nauarrus*, vt supra. *Corduba de Indulgentijs lib. cit. q. 39. quoad meritum congrui, seu impetrationis, possunt applicari aliorum opera bona præterita, præsentia, & futura. Sorbo loc. cit. quoad vim autem meritoriam tam ipse, qui facit, tam Prælatus quicunque potest semper communicare, seu applicare bona operu præterita, præsentia, & futura, quibuscumque voluerit, vt virtute talium meritorum, mereatur de congruo, seu potiùs impetret ipsis, vel alijs, bona spiritualia, & temporalia, & liberationem, & præseruationem à malis &c. & de his bonis, quoad vim meritoriam non congregatur Thesaurus Indulgentiarum, vt probat Corduba q. 5. de Indulg. Nullum enim ex hoc præiudicium Subditis ipsis resultat, imò maxima vtilitas, habendo multos Socios in merito suorum bonorum operum. Rodriquez loc. cit. Quantum autem ad vim meritoriam,*

*toriam, tam ipse, qui facit, quàm quicunq; Prælatus eius mediatus, vel immediatus, potest semper antè, vel pòst, communicare, seu applicare talia bona præterita, præsentia, & futura quibuscunque voluerit, vt virtute talium meritorum mereatur de congruo ipsi, vel alijs bona spiritualia, seu temporalia. Rutens l. c. Potest Prælatus communicare alijs omnia bona opera præterita suæ Congregationis, quoad effectum impetrationis*. Et sic communiter Doctores. Cęterùm reipsa *S. Anselmus Episcopus Cantuariensis lib. 1. Epistolarum, Epist. 37. ad Frodelinam* circa annum Christi 1080. (vt refert præfatus *Rutens q. 1. sect. 5. num. 21.*) communicauit eidem mediantibus suis Litteris bona opera etiam præterita; en ipsius Epistolæ verba: *Mitto vobis Litteras meas, per confidentiam mutuæ dilectionis; & quidem Domina Charissima, ego scio in me nihil vel minimum aliquid esse, quod dignum sit ad augmentum vestræ Sanctitatis expectari: quoniam tamen vestris maioribus bonis desiderò participare, nescio, qua fronte possim vobis participationem meorum bonorum, qualiacumq; sint, cùm eam desideretis, negare. Si quid igitur boni Iesus Christus Dominus noster IN ME operatus est, aut operaturus est, oro ego, vt concedat ipse, vt vobis non aliter quàm mihi imputetur*. Adde, communem in ipsa Ecclesia vigere consuetudinem, recurrendi ad Deum, petendique tam in communibus, quàm in particularibus necessitatibus, quod desideratur, à Diuina Bonitate per merita Christi, ac Sanctorum, & hoc ideò, quia cùm fortassis in eo, qui gratiam petit, tantùm meriti non reperiatur, vt eam consequi valeat, impetret illam saltem faciliùs intuitu meritorum alienorum iam præteritorum, quæ Diuinæ Maiestati, vt ad elargitionem excitetur, repræsentantur: hinc est, quòd in Canone Missæ dicatur: *Communicantes, & memoriam venerantes imprimis Gloriosæ Virginis Mariæ, &c. quorum meritis precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio*: notetur verbum: *Communicantes*, quod apprimè nostro quadrat proposito; & infert, merita Sanctorum nobis communicari; Diuinæque Maiestati præsentari, vt eorum intuitu Clementissimus Deus nos speciali suo adiutorio, ac munimine protegat. Idipsum & Antiqui olim facere consueuerunt, cùm Diuinæ Bonitati per merita suorum Progenitorum Abraham, Isaac, & Iacob supplices porrigebant preces. Salomon quoque Domino Deo exhibet merita Dauid patris sui, vt consequatur quod impetrare desiderat, dicens: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*. In quæ verba *Bellarminus* aptè ad nostrum propositum ita commentatur: *Deus vult orari per merita hominum Iustorum, & propter eadem merita, multa concedit, quæ alioqui minimè concessisset*. Eadem de causa, ipsamet Sancta Ecclesia Dei in Litanijs Sanctorum Deo repræsentat Incarnationem, Aduentum, Passionem, ac Resurrectionem Christi, merita quoque, ac Martyria Sanctorum, eo præcisè fine, vt faciliùs consequatur, quidquid impetrare intendit. Imò idipsum fieri cernimus, vsuque receptum experimur apud Principes, & Reges terrenos, quandoquidem & ipsis, cùm gratia ab eis quædam sollicitatur ab Oratore, qui partes agit supplicis, vt faciliùs intentum suum consequatur, ob oculos ponantur, atque in memoriam reuocentur facta maiorum, antiqua eorum merita, ac Nobilitas. Eadem proinde ratione poterunt Prælati Regulares, in Litteris suis Gratiosis, applicare, ac offerre Domino Deo, omnia præterita merita suarum Religionum, & Congregationum, tamquam rem specialiter, ac particulari modo sibi propriam; eaque Diuinæ Maiestati præsentare, ea intentione, vt earum intuitu illius ira placetur, & flagella, quæ aduersus Regnum, aut illius Regem, Principem, Amicos, &c. apprehendit, auertantur (prout docet *Nauarrus n. 6. Prælati & Congregationes, solent aliquando omnia merita sui Ordinis, etiam præterita præsentare Deo, ad placandam iram eius; si quam contra suum Regem, vel Regnum, vel Patronum, aut aliquem alium maximum amicum conceperit.*) Imò de ipsamet Religione id asserit *Rutens, vt Deus eorum intuitu placatus, auertat iram, & flagella à Regno, aut etiam ab ipsa Religione: sic ille qu. 6. sect. 1. n. 2.* Ex quo & nostram deducit responsionem ac conclusionem, terminans præfatum numerum sequentibus verbis: *Vnde Prælati Religionum per participationes, sicut reddunt alios participes bonorum operum futurorum; possunt & omnium meritorum præteritorum*.

Porrò

Porrò hoc ipsum in praxi exercent quidam Prælatorum; dum in Litteris suis Gratiosis communicant merita Sanctorum sui Ordinis, prout ex tenore earum, quas superiùs produximus, euidenter apparet: ita in Litteris Gratiosis PP. Carmelitarum Discalceatorum quas supra *Dubio* 4. *Capitis primi* ex integro retulimus, leguntur hæc verba: *Confisi meritis & precibus B. V. Mariæ Matris Dei, & nostræ, cui specialiter famulamur ac eius Sponsi Sanctissimi Ioseph, nec non Sanctorum Prophetarum, Eliæ, & Elisæi, Patrum nostrorum, Sanctorum Angeli, & Anastasij Martyrum, Alberti, & Cyrilli Confessorum, ac Sanctæ Teresiæ Virginis, & aliorum Sanctorum Ordinis nostri &c.* Verum tamen est, quod *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea par. 3. cap. 5. sub num. 207. versu præterea dicendum*: agens de hac Ordinis sui formula, ita in eam glossatur: *Non applicantur*, inquiens, *in illa formula communicationis Litterarum Filiationis, seu Fraternitatis, merita Sanctorum à nostro Præposito Generali, sed allegantur eorum merita, vt efficacior reddatur applicatio bonorum operum totius Ordinis, innixa meritis, & operibus Sanctorum; sicut Ecclesia, merita, & bona opera Sanctorum allegat in Orationibus, vt scilicet hoc modo efficaciores reddantur.*

335 His prætereà addendum, non solùm aliorum præterita merita in prædicto sensu applicari, ac Deo præsentari posse: verùm etiam propria: sic enim Dauid repræsentabat anteriora sua bene merita, suamque mansuetudinem, dicens: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Ezechias quoque 4. Reg. 20.* graui decumbens infirmitate, vbi ab Isaia Propheta mortis nuntium accepit, conuersus ad parietem, vt à Domino Deo vitæ inducias, ac sanitatem impetraret, repræsentauit Diuinæ Maiestati præterita sua merita; *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim &c. Et licet* (subiungit *Paulus ab Omnibus Sanctis l.c.*) *hæc propriorum meritorum repræsentatio, sobria & infrequens esse debeat, vt notauit Suarez lib. 2. de Orat. c. 9. est tamen omninò licita, si prudenter adhibeatur.* Imò non solùm licita, verùm etiam multùm proficua esse prædicatur à *Ruteo q. 6. sect. 1. in fine*, vbi, *valde proficuum est*, inquit, *offerre Deo pro quibusdam morientibus, aut etiam defunctis omnia merita præterita tum sua, tum suæ Religionis, quatenus eorum intuitu Deus morientibus felicem mortem concedat, & defunctos à pœnis liberos reddat.* Quod fructuosè ab aliquibus præstitum est, vt sub alio Capitulo superiùs retulimus afferentes eorum facta, atque exempla; Porrò iidem docet *Corduba de Indulgent. lib. 5. q. 39.* sequentibus verbis; *Per viam meriti, seu impetrationis, valet communicatio bonorum suorum præteritorum, & concessio eorum, quam aliqui piè faciunt aliquibus existentibus in articulo mortis, seu etiam iam defunctis*: prout fecit *Seraphica Virgo Sancta Teresia* pro illo defuncto Religioso, de quo nobis sermo fuit præcedenti Dubio.

Cùm autem factum illud ibidem as- 336
sumptum fuerit, vt opponeretur resolutioni à Nobis Dubio illo datæ, ac responsionem eius adæquatam hucusque, tamquam in locum magis proprium distulerimus; afferam hic ipsamet Sanctæ Virginis verba, ex quibus palam fiet, & factum illud non opponi conclusioni antecedentis Dubij, & seruire pro argumento probationis præsentis. Recensetur illud *Cap. 38. vitæ eiusdem*, ac citatur *à Paulo ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea p. 3. cap. 5. n. 209. vers. Respondeo, si hoc. Dictum mihi fuit* (verba sunt *Sanctæ Teresiæ*) *ex hac vita discessisse, quendam, qui olim Prouincialem nostrum egerat, sed cùm obijt, alteri Prouinciæ præerat. Hic mecum olim egerat, eique ob quædam exhibita mihi beneficia, aliquot nominibus deuincta eram: vita verò eius ratio honesta imprimis, ac proba erat. Vt ergo eum demortuum audiui, mirum in modum turbata sum, quia de saluatione eius timebam: viginti quippe annis Superiorem egerat, quam ego rem certè valde timeo. Nam mihi perquam periculosum videtur animarum regimen habere. Itaque magno cum pauore me intra quoddam Oratorium abdidi, omniaque bona opera, quæ toto vitæ tempore vnquam egeram (quæ sanè parua admodùm fuere) in illum transtuli. Vnde Dominum rogabam vt per sua merita adimplere dignaretur, quod animæ illi, vt Purgatorij flammis possit egredi, deesset. Me ergo Dominum quàm poteram, enixissimè rogante, videbatur is de profundo terræ ad dexterum latus meum prodire, & mox illum magna cum lætitia, & gaudio in Cœlos ferri conspexi, &c.* Hoc porrò

factum

factum antecedenti Dubio opponebatur nobis vltimo loco, ad probandum (aduersus datam ibidem resolutionem) etiam de satisfactionibus nostris anteactis nos posse disponere, prout hìc de suis fecisse apparet *Seraphica Mater Sancta Teresia*, pro anima præfati Religiosi defuncti: At dico, oppositionem hanc nullam esse: *Nullam enim prorsus in hac S. M. Teresiæ relatione, satisfactionum mentionem fieri video;* vt loquar cum *Paulo ab Omnibus Sanctis l.c.* Asserit quidem illa, transtulisse se omnia sua bona opera in defunctum Religiosum; at sicut operibus bonis (præter meritum proprium de condigno, & de Iustitia, quod est incommunicabile: & præter fructum satisfactionis, qui transacto opere, si priùs non fuerit applicatus, egreditur potestatem humanam, vt dicunt Doctores, in specie *Ruteus qu.6. sect.1.n.1.*) inest etiam fructus impetratorius, aut meritorius de congruo, qui etiam post opera nostra peracta adhuc à nobis est applicabilis (vt in præsens euincere conamur:) ita de hoc ipso fructu Sancta loquitur Virgo iam recitatis suis Litteris: atque de eodem in adductis superiùs exemplis, & quæ adhuc adduci possent, sermo est: ex quo potiùs corroboratur resolutio præsentis Dubij. Quod autem de hoc ipso fructu impetratorio bonorum operum suorum Sancta loquatur Virgo, en clarum testimonium *Pauli ab Omnibus Sanctis loc. cit.* vbi mentem Sanctæ suæ Matris ita declarat: *Affirmat quidem se omnia sua, quæ vnquam patrarat, bona opera, in iam dictum defunctum transtulisse: & cùm opera bona, præter meritum propriè dictum, ac iustitiæ, quod est incommunicabile, contineant quoque vim satisfactoriam, atque impetratoriam, censendum est, Sanctam M. Teresiam opera sua pro illo Patre defuncto obtulisse non quatenus satisfactoria; cum sic considerata, modo in Superioribus exposito effeta essent, atque inania, sed prout impetratoria, seu meritoria de congruo. Quòd etiam apertiùs subindicare videntur verba, quæ mox subiecit inquiens, (Vnde Dominum rogabam, vt per sua merita adimplere dignaretur, quod animæ illi, vt Purgatorij flammis possit egredi, deesset.) Quo manifestè ostendit, se bona opera sua, solùm quatenus impetratoria obtulisse, dum has enixissimas preces adiunxit cum meritis Christi, quod aliàs non fuisset necessarium: nec supra citatus Gregorius Nazianzenus contrarium asserit, licèt ipsum pro opposita sententia adducat P. Raynaudus. Proficuum autem esse Deo offerre pro quibusdam defunctis aut etiam morientibus sua omnia merita præterita, docet Corduba de Indulg. qu.39. his verbis: Per viam meriti, seu impetrationis, valet communicatio bonorum suorum præteritorum &c.* Valet igitur communicatio bonorum præteritorum, solùm per viam meriti de congruo, aut impetrationis (prout in præsenti dubio nostro asserimus) non autem per viam satisfactionis (vt præcedenti stabilitum est) qui verò credit oppositum, credit *potiùs bona fide, quàm erudita ratione*, ait *Nauarus Miscell.11. n.5.* Sed fallitur, qui taliter credit iuxta sententiam quoque *Rutei* qui *q.6. sect. 1. n.1. in fine: falsò enim* (inquit) *arbitrantur fructum bonorum operum præteritorum, ita adhuc esse in eorum dispositione, vt possint se illo priuare ad communicandum alijs: nisi fortè intenderint applicare ea bona quoad effectum impetratorium, sic enim possunt alijs prodesse.* Idque, & non aliud, asserendum est, intendisse Seraphicam ac Sapientissimam Matrem Sanctam Teresiam, in illo, à se descripto facto; ergo &c.

Notandum tamen cum *Ruteo l.c. n.3.* 337
& *Paulo ab Omnibus Sanctis, in Claui Aurea par.3. cap.5. sub numero 207. vers. Respondeo distinguendo, quòd modus iste communicationis meritorum præteritorum per viam meriti de congruo siue impetrationis, aut etiam satisfactionis, non fiat, quasi aliquid eorum alijs tribuatur, cùm hoc non sit in hominis potestate; sed fit per modum repræsentationis, & applicationis obiectiuæ, ita vt Deus ad illa attendens moueatur ab eis tanquam ab obiecto eum excitante ad conferendum ea, quæ virtute illorum obtinere intendimus:* ita *Ruteus loc. cit.* sequentibus verbis: *Si aliquando dicatur, quòd satisfactiones præteritæ communicentur à Prælatis Religionum alijs, accipiendum id est de communicatione obiectiua in ratione operis boni, & apud eum congruè meritorij; non autem de communicatione & translatione formali &c. repræsentatio enim meritorum anteriorum, siue eorum, qui nobis coniuncti sunt, aut fuerunt, siue etiam propriorum, optimè fieri potest; vt de congruo obtineatur à Deo beneficium aliquod.* Ceterùm, quamuis ad consequendum hunc effectum (subiungit *Ruteus*) quilibet

Diui-

Diuinæ Maiestati offerre possit merita cuiuscunque Sancti; nihilominùs quando vnus, qui est de corpore Religionis, Deo offert merita totius Ordinis, faciliùs impetrabit, quod petit, ac desiderat, cùm offerat id, quod aliquo modo, saltem remoto, suum est; videlicet merita suæ Religionis, cuius ille est membrum: & vbi maiora merita offeruntur, facilior est etiam impetratio. Licèt autem, vt docet *Coninch* (apud *Ruteum l. c.*) *3. par. q. 83. art. 1. n. 184.* non plus meriti consequatur, nec plus satisfaciat pro se ille, qui offert Deo merita Omnium Sanctorum, quàm qui vnius tantùm: plus tamen eum iuuat (quantùm ad effectum impetrationis) oblatio meritorum omnium Sanctorum, quàm vnius tantummodo, siquidem est potentius obiectum ad permouendam Diuinam Maiestatem, vt supplicantis petitioni annuat. Hinc pari modo maiora Dominus Deus confert beneficia per merita ac Sanctitatem Patriarcharum, ac Fundatorum, & Sanctorum eiusdem Ordinis, perquę tot alios exemplarissimæ vitæ viros, qui vixerunt, vel adhuc viuunt, quique fuerunt, & sunt aggregati sub eodem Corpore Mystico Religionis. *Et sic putandum est* (concludit *Ruteus l. c. n. 4. in fine, & n. 5. in princ.*) *eos qui ad Participium bonorum operum admittuntur, suo modo participare in bonis operibus præteritis, cùm gaudeant iisdem fructibus quibus Religiosi: nec opus est vt illud in Litteris Participationum exprimatur, cùm id ex vnione cum membris Religiosis facta per dictas Litteras oriatur. Hinc patet, consulendum esse, non tantùm Religionis, sed & alijs receptis ad participium bonorum operum Ordinis, vt cùm volunt quippiam a Deo impetrare, illi ex animo offerant omnia merita præterita illius Religionis, cuius sunt membra: cùm enim merita illa eis aliquo modo sint propria, ob vnitatem corporis Religionis, plurima indubiè à Deo beneficia per illa impetrabunt.*

## DVBIVM TERTIVM.

### *An participentur bona opera Ordinis præsentia, & futura; & quo sensu hæc participatio intelligatur?*

AD primam Dubij partem, Respondeo affirmatiuè, prout etiam Do- 338
ctores communiter, maximè quos præcedenti Dubio citauimus, qui vniuersaliter omnes affirmant, eos, qui per Litteras Gratiosas, ad Spiritualem Ordinis Filiationem admittuntur, participare de bonis operibus eiusdem præsentibus, & futuris: videlicet de Sacrificijs, Orationibus, Vigilijs, Peregrinationibus, Ieiunijs, Abstinentijs, Prædicationibus, Disciplinis, ac de eunctis bonis operibus, quæ ab vniuerso Corpore Religionis exercentur, ac impostèrum exercebuntur. Neque melius istud probari potest, quàm ex ipsomet tenore, ac substantia earumdem Litterarum Gratiosarum; è quibus indubitanter apparet (ait etiam *Nauarrus Miscell. 11. de Psalt. & Rosar. num. 5. vers. An autem*) à Prælatis Regularibus communicari bona opera futura: *Prælati, & Congregationes* (ait ille) *dantes chartas huiusmodi communicationis sibi deuotis, futura bona communicant, vt satis patet ex his, quas videre est apud Thomam VValdensem l. 3. de Sacramentalib. c. 94. qui ponit substantiam formæ chartæ Fraternitatis Carmelitarum, & Carthusianorum:* prout etiam videre licet, indifferenter ex omnibus formulis aliarum Religionum, præcipuè Theatinæ, quæ sic habet: *Quapropter per has nostro Sigillo signatas Litteras, vos in charissimorum nostrorum numerum cooptamus; & cùm inter viuos, tum inter mortuos numeramus; atque Sacrificiorum, Precum Horariarum, Meditationum, Vigiliarum, Ieiuniorum, Indulgentiarum, & denique bonorum omnium, quæ à nobis fiunt, vel posthoc fient, consortes volumus esse, atque participes.*

Iam ad secundam propositi Dubij 339
partem transeamus: Quomodo videlicet huiusmodi participatio intelligatur? *Ruteus qu. 6. sect. 2.* penset, eam esse obiectiuam; & vt talem eam explicat, ac

ac recipit: ad modum videlicet impetrationis, quam circa finem præcedentis Dubij explicauimus, tractando de participatione meritorum operum præteritorum: vnde absolutè excludit ab hac communicatione participationem formalem, siue effectiuè prouenientem ab ipsis operibus bonis, cuiusmodi est specialiter fructus satisfactionis; non aliter intelligendo, quàm quòd neque secundùm totum, neque secundùm partem fructus iste formaliter participetur, vi Litterarum Gratiosarum: sed tota participatio ab operibus prouenniens, sit solùm obiectiua, seu per modum impetrationis; in quantum videlicet Dominus Deus, intuitu Sanctitatis totius corporis Religionis, atque à repræsentatione obiectiua Sacrificiorum, aliorumque bonorum operum Religiosorum, mouetur ad conferendum varia dona, gratias, ac beneficia, omnibus illis, qui vinculo specialis vnionis, ac charitatis eidem coniuncti sunt. Atque hæc est tota participatio (ait *Rutéus*, & in hoc solùm sensu iuxta ipsum intelligenda est) quæ à Prælatis Regularibus per eorum Litteras Gratiosas conceditur, quando in eis dicitur, quòd ijs, quibus eas largiuntur, communicent participationem omnium Sacrificiorum, Orationum, Vigiliarum, &c. omniumque bonorum operum Religionis. Vnicum fundamentum huius assertionis de sola obiectiua participatione est, quòd sicut fructus satisfactionis, qui promanat ab Operibus bonis, respicit ipsummet operantem, & correspondet, quantum ad applicationem necessariò ipsius speciali intentioni; ita absque hac expressa, ac formali, aut saltem implicita ac virtuali intentione, seu applicatione alijs communicari non possit. Ita sentit *Ruteus loc. cit.* cuius præcisa verba, cùm superiùs attulerimus *Dub. 22. cap. 4. num.* 231. hic replicare supersedemus. Et si Lector ea ibidem reuidere voluerit, cernet pariter eiusmodi sententiam authoritatibus, ac rationibus sufficienter, & non absque fundamento reiectam, quę tamen non est solius *Rutei*, sed etiam aliorum ibidem recensitorum; contra quos tamen dico de nouo (simulque ad secundam partem propositi Dubij respondeo) participationem bonorum operum præsentium ac futurorum, exhibitam à Prælatis Regularibus per Litteras Gratiosas esse verè & effectiuè talem, quoad fructum satisfactorium, deriuantem ab eisdem operibus. Quare non est obiectiua tantùm (qualis illa bonorum operum præteritorum quantum ad meritum de congruo, seu impetrationis) sed realis & effectiua participatio fructus satisfactionis. Et sic eam intelligimus, talemque esse asserimus (prout adæquatè probatum est prædicto *Dub.* 22. ad quod Lectorem denuo remitto) eodem quoque modo eam intelligunt, ac explicant Doctores præcitato Dubio exactè relati, quibus hic addo *Paulum Zehendtner in Promontorio malæ spei lib. 5. §. 9. n. 9.* qui sæcularium felicitatem extollens, eò quòd sedentes in otio, & quiete, nihilominùs perfruantur, ac participent de fructibus Vigiliarum, Abstinentiarum, ac laborum Dei Seruorum, tanquam essent fructus ipsorum proprij (hoc enim est effectiuè, & realiter participare) ita discurrit: *Quis negare ausit, ingentia illis emolumenta cedere, quibus in medio nationis praua, hoc est, corruptissimo sæculo constitutis, siue insignia pietatis exercitia applicantur, siue perpetua Diuini cultus obsequia, siue quotidianæ affligendi corporis austeritates, quæ inter sacrata Religiosorum hominum claustra, in singulas prope horas fiunt? Quid pulchrius, quàm sine expensis suis, citra suum laborem posse ditescere, & ingentes cumulare thesauros? quid iucundius, quàm sedendo post farcinas, custodem potius quàm militem, venire tamen in partem spoliorum? Quid felicius, quàm otiosè spectantem alienas pugnas, & vulnera, cum victoribus coronari, & eodem quasi victoria serto redimiri? siue quod tantumdem est, aspicere eminus, quomodo homines Religiosi, piè in corpus suum desæuiant, setis asperis pungant latera, flagris lacerent humeros, ieiunijs constringant ventrem, simulque de eorumdem gloriosis conatibus quasi de proprijs participare. Hoc denique est tollere quod non posuisti, & metere quod non seminasti*: hactenus ille, & quidem excellenter. Quòd autem ei sermo sit de participatione satisfactoria per viam Litterarum Gratiosarum, affirmat id *Paulus ab Omnibus Sanctis in*

Claui

*Claui Aur. par.3.c.4.n.*203. vbi inuestigans, quantum conferant Litteræ Fraternitatis, quantique æstimari debeant? pro responsione prædictum affert discursum: *Quantum conferant* (inquiens) *quantoque in pretio habendæ sint sæpiùs memoratæ Fraternitatis Litteræ, luculenter tradit in Promontorio malæ spei Paulus Zehenatner subiecto discursu, &c.* Concludo itaque Participationem, quæ à Prælatis Regularibus conceditur, bonorum spiritualium, esse quidem obiectiuam, vti explicat, ac sentit *Ruteus*; sed tamen præterea etiam formalem, & effectiuam: Obiectiuam quidem, respectu operum præteritorum Ordinis, quæ sunt meritoria de congruo: respectu autem satisfactionum præsentium, & futurarum, formalem, realem, & effectiuam, quidquid in contrarium (quod pace illius dixerim) *Ruteus* dicat.

340 Neque obstat vnicum illius fundamentum superiùs intimatum, quòd nimirum intentio, & applicatio expressa vel implicita saltem in operante necessariò requiratur, ad hoc, vt fructus satisfactionis in alijs effectum nanciscatur: *Fructus satisfactionis* (inquit *cit. sect.2.n.8.*) *sic respondet bonis operibus, vt ipsum operantem recipiat, & eius intentionem, & applicationem sequatur, nec alteri sine eius intentione expressa, vel implicita applicetur: hinc patet non communicari alijs singula bona opera Religionis, quoad effectum satisfactionis, sed solùm impetrationis modo explicato.* Non obstat, inquam, hoc; nemo enim est, qui istud neget, neq; nos inficias imus, cùm certum sit in sententia omnium Theologorum, non participare quemquam de alterius bonis operibus, aut alieno fructu satisfactorio, nisi ab operante ipsi fuerint applicata, per intentionem saltem implicitam. At hæc ipsa intentio & applicatio saltē implicita, ex parte operantis interuenit in casu nostro (vt superiùs perspicuè visum est *cit. dub.22. & 23. cap.4.*) Religiosi enim ratione voti Obedientiæ, statutiq; sui Regularis, applicationem suorum bonorū operum saltem communium, & quæ secundùm Regulam fiunt Superiorū suorum dispositioni subditam habēt. Quòd autem implicita hæc operantis applicatio sufficiens sit ad transferendum in alios fructum proprium satisfactorium; præterquam quòd probatum iam fuerit in prædictis duobus *Dubijs* 22. & 23. id *Ruteus* ipsemet admittit, dum *qu.6. sect.8.* quærens, vtrùm Superiores Regularium possint applicare omnes superabundantes satisfactiones suorum Subditorum, in beneficium eorum, qui ad consortium bonorum operum Religionis admissi sunt: respondet affirmatiuè: *Respondeo id fieri posse*: ad quem effectum duas asserit necessarias esse conditiones: *ad quod requiruntur solùm duo; vnum ex parte Subditorum; alterum ex parte: Prælati ex parte subditorum, requiritur, vt continuò sint talis intentionis, quòd omnes suas satisfactiones, quibus non indigent, nec alteri cum effectu applicuerunt, & reponendæ essent in thesauro Ecclesiæ, relinquant dispositioni sui Prælati, quantum fieri potest, vt ille Amicis, & Benefactoribus, alijsque Ordinis membris applicare possit.* Quòd autem id fieri possit, probat *Ruteus* sequenti argumento: *Quia* (inquiens) *cùm quis opus satisfactorium facit, ita habet liberam dispositionem fructus satisfactorij illius, vt non solùm sibi, aut alijs eum applicare possit, sed omnem suā potestatem, & dispensationem fructus illius satisfactorij in alium transferre potest, in quem, cùm totum ius operantis translatum est, potest is de illo liberè disponere, & satisfactionem pro libitu alijs applicare, opere adhuc non transacto: Satisfactiones enim, quibus Deo ob debitum Iustitiæ satisfacimus, habent quasi rationem summæ pecuniariæ, qua vel nostra, vel aliorum debita nos ipsi persoluimus; vel plenam illius dispositionem alteri, ius nostrum illi transferendo, relinquimus. Sicut igitur alicui licitum est fructus alicuius satisfactorij dispositionem ita in alium transferre, vt de illo possit disponere, & alteri applicare, ac si ipsius esset: ita quilibet Religiosus potest ita disponere de suis satisfactionibus, quibus non indiget, nec alteri cum effectu applicuit, & reponendæ essent in Thesauro Ecclesiæ, vt totum ius suum in illas, in Prælatum transferat, qui ideò de illis sic disponere possit, & alijs applicare, ac si essent ipsi propria: quod semper intellige, modò subditi, & Prælati applicatio fiat ante operis satisfactorij executionem, quia satisfactio, opere transacto, egreditur potestatem, & dispositionem humanam. Ex parte verò Prælati, ad hoc tantum requiritur, vt vtatur potestate sibi data à subditis super eorum satisfactionibus superabundantibus, quas sicut potest quilibet operans alijs pro voluntate applicare:*

*sta potest Prælatus omnes satisfactiones suorum subditorum cum effectu applicare Amicis, & Benefactoribus, alysque Ordinis membris indigentibus*. Hæc *Ruteus* in assertionis suæ probationem. Subinferens deinde, qualisnam esse debeat hæc intentio, & applicatio subditorum, vt sufficiens sit, quatenus Superiores iuxta beneplacitum, satisfactiones superabundantes applicare valeant; resoluit quæstionem in hęc verba: *Dubitari autem potest* (inquiens) *qualis intentio, & applicatio ad hoc sufficiat? Certum est actualem intentionem sufficere, qua in quibusdam Religiosis reperitur, qui omnes suas satisfactiones superabundantes, actu relinquunt dispositioni Superiorum, vt illas pro libitu applicent, & amicis distribuant. In illis verò, qui non habent intentionem hanc actualem, requiritur, & sufficit intentio virtualis, seu interpretatiua, eo modo quo illam explicuimus &c.* En igitur, quomodo etiam iuxta mentem *Rutei* sola intentio virtualis subditorum sufficiat, vt proprius Prælatus superabundantes eorum satisfactiones alijs applicare possit: & si pro his talis intentio sufficit, sufficiet etiam haud dubiè pro non superabundantibus. Non negabit hoc, vti neque poterit *Ruteus*, dicet tamen (vt consequenter loquatur) Religiosos non relinquere in potestate suorum Superiorum, neque sub eorum dispositione, illum fructum satisfactorium suorum bonorum operum, quo ipsimet egent, prout insinuat *q.6. sect.7.n.24.* generaliter affirmans, quòd *mens satisfacientis est, quòd omnes satisfactiones sibi soli prosint, quamdiu eas alijs non applicet, ad quod intentio aliqua requiritur:* quod apertiùs profitetur *q.6. sect.9. num.31. in fine:* descendens ad particularem casum nostrum de Religiosis sub hac formalitate verborum; *Subditi censentur continuò esse in ea voluntate, vt sibi reseruent suas satisfactiones necessarias: & quandoque alijs actu applicent; quoad superfluas verò, & nulli applicatas, relinquunt dispositioni Prælatorum, & omne ius suum in eos transferunt*. Quapropter in ea ipse est sententia, quòd ij, qui per Litteras Fraternitatis ad consortium bonorum operum Ordinis admissi sunt, non participent taliter portionem fructus eisdem operibus correspondentem, prout participant illi, quibus ab operante specialiter applicantur: assignat etiam huius asserti rationem (qua simul prædictam virtualem intentionem destruere nititur) quòd videlicet Religiosi non omnia sua opera ea exequantur intentione, vt admissi ad communicationem bonorũ operum Ordinis sortiantur partem aliquam fructus, de Omnibus illorum bonis operibus, vt per se constat; ergo &c. in cuius rei fidem hìc propria illius affero verba: *Cùm quis ad participium bonorum operum Religionis receptus, dicitur fieri particeps omnium Sacrificiorum, & aliorum bonorum operum quæ à singulis totius Religionis fratribus fiunt, non est sensus, quòd recipiant portionem aliquam fructus respondentis singulis illis bonis operibus, eo modo quo illi, quibus ex intentione speciali applicantur. Ratio est, quia nullus hoc sensu participat in fructu bonorum operum, nisi per specialem operantis intentionem illi applicetur. Constat autem omnia, & singula bona opera non fieri à Religiosis ea intentione, vt omnes admissi ad communionem bonorum operum recipiant portionem aliquam de fructu singulorum*; ita ille *qu. 6. sect. 2. n.6. versu Dico primò*. At contra hoc *Rutei* principium superiùs *Dub.22. & 23. cap.4.* totum contrarium definitum est, nimirum, quòd omnia bona opera Religiosorum (saltem ea, quæ ex prescripto Regulæ fiunt) censeantur esse sub potestate ac libera dispositione Prælatorum: qui propterea in Litteris Spiritualis Filiationis etiam de fructu satisfactorio eorumdem disponunt, concurrente ad hoc intentione Religiosorum virtuali & implicita, quæ deriuat ex ipso Voto Obedientiæ, vi cuius eorum Ius applicandi transfusum est in Prælatum. Quibus suppositis Dubium consequenter remanet solutum; ac bene stabilitum, quod per Litteras Communicationis participentur bona opera Ordinis præsentia & futura, hæcque participatio fructus etiam satisfactorij eorumdem operum sit vera, realis, & effectiua, quidquid dicant alij.

CA-

## DVBIVM QVARTVM.

### *Quales in specie, & quanti sint illi fructus, & effectus tam satisfactionis, quàm impetrationis, qui per Litteras Spiritualis Filiationis participantur?*

341 SI loquamur de qualitate fructuum, seu bonorum Spiritualium, quæ à Prælatis Regularibus mediantibus eorum Litteris communicantur, in duas distinguuntur classes, siue ad duo reducuntur capita; suntque (vt superiùs *Dub. 22. cap. 4.* declaratum est) duo illi fructus, qui à nostris bonis operibus proueniunt, satisfactionis videlicet, & impetrationis; seu meriti de congruo, quandoquidem meritum de condigno (vt ibidem vidimus) alijs non est communicabile, sed tamquam fructus specialissimus essentialis & proprius operantis, illius personam non egreditur, neque ab eo extrahi, separari, aut abalienari potest. Quæritur ergo nunc, quanti sint præfati fructus in particulari, qui per Litteras Cõmunicationis participantur, tam satisfactionis, quàm impetrationis.

Vt proinde initium ducam à priori capite, nimirum à fructu satisfactorio: scio, quòd *Paludanus in 4. dist. 45. q. 2. art. 2.* videatur negare, quòd cuiquam fructus iste per Litteras Communicationis proueniat, sed velit, quòd alius effectus non participetur per eas, quàm ille secundi generis, videlicet solius impetrationis; dum *loc. cit.* sic ait. *Receptio ad beneficia fit principaliter ad merendum, non ad satisfaciendum; vnde receptus ad beneficia, non est immunis à pœna sibi iniuncta, nec in toto, nec in parte, propter ieiunia, quæ fiunt in Ordine, sicut esset per Indulgentias; nec minus diu punietur in Purgatorio.* Quod si hoc intelligit, & asseuerat absolutè (quod tamen non credo, vti neque *Ruteus q. 6. sect. 7. n. 24.*) præter veram communem doctrinam, ipsamque rationem: stat quoque contra ipsum Torrens Doctorum, asserentium vnanimi consensu oppositum, quòd scilicet ij, qui ad consortium bonorum spiritualium Ordinis admittuntur, inter alia beneficia spiritualia participent etiam de fructu satisfactorio eorumdem operum. Quod inter alios innumeros expressis verbis docet Angelicus Doctor *Opusc. 6. §. Sanctorum Commun. Vnus*, inquiens, *potest satisfacere pro alio, sicut patet in beneficijs, ad quæ plures Congregationes admittunt aliquos:* Idem affirmat, *Raynaudus in suo Scapulari illustrato par. 1. cap. 4.* his præcisis verbis: *Satisfactio vnius Iusti pro alio valet de condigno: & acceptatur à Deo ex pacto, atque adeò ex iustitia. Quamuis autem aliud sit satisfactio, aliud meritum, tamen hæc satisfactionum applicatio, inuoluitur in beneficio participationis meritorum Cœtus Religiosi, quia ea est mens, & potestas concedentium huiusmodi beneficium. Intendunt enim prodesse quantum possunt, ijs, quibus gratiam præstant. Facillimè quippe est dissoluere nomina Amicorum, extergendo reatum pœnæ per annumeratam pro eis solutionem; exhibita Deo portione aliqua tot operum pœnalium, & maximè satisfactoriorum, quæ assiduè obeunt.* Quo supposito tanquam indubitato: quæritur iam, quisnam sit in particulari fructus iste, & vnde deriuet; quod sic explico, atque resoluo.

Primò igitur, efficiuntur participes ij, 342 qui ad consortium bonorum operum spiritualium admittuntur ab aliqua Religione, satisfactionum, omnium Suffragiorum, aliorumque bonorum operum, quæ à Religiosis generaliter fiunt per totum Ordinem, & quæ ab ijs etiam, qui per Litteras Filiationis Corpori Religionis associati sunt: *Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 55. de Indulg. sect. 5. num. 12. in fine:* vbi ait: *Hæc applicatio sæpe fit generaliter pro Fratribus, & Socijs Religionis, ideo ad habendam partem in huiusmodi applicationibus, confert etiam illa coniunctio:* loquitur autem hic *Suarez* (vt ex contextu apertè constat) de coniunctione, qua quis mediantibus Litteris Filiationis Spiritualis coniungitur corpori Religionis ad participandum bona illius spiritualia. Hoc ipsum asserit *Fasser. de Indul. q. 88. n. 644. Idem insinuare videtur Nauarrus Miscell. 11. de Rosar. num. 9. versu: Secundò certum*, & ibidem *S. Thomas: Hoc*

*autem (ait Ratens l. c. nu. 25. in fine) in omnium sententia verum est:* redditque rationem, cui nec contradici, nec quidquam opponi potest: *quia (scilicet) cùm per expressam, & directam intentionem illis omnibus applicetur fructus satisfactorius, in illis eodem modo habet effectum, ac si pro aliquo specialiter fieret: multa enim Sacrificia Deo offeruntur pro toto Ordine; multæ Orationes & suffragia, & alia bona opera cum intentione applicandi fructum aliquem satisfactorium omnibus de Ordine existentibus, & illis associatis.* Subdit deinde *n.26.* ad consolationem eorumdem associatorum: *Hinc patet, receptos ad consortium bonorum operum Religionis, non exiguum fructum satisfactionis recipere: cùm enim per hoc fiant membra Religionis, participant unà cum fratribus in fructu satisfactorio omnium Sacrificiorum, Suffragiorum & aliorum bonorum operum, quæ intentione actuali omnibus illius membris applicantur, quæ sunt plurima quotidie per vniuersum Ordinem.* Per istum verò fructum satisfactionis, quem admissi ad consortium bonorum spiritualium Religionis participant, exsoluitur infallibiliter (si debito tenentur, nec propria culpa sint incapaces adiutorij) tanta eorum in Purgatorio pęna contractis reatibus debita, quanta correspondet valori operis applicati (quod soli Deo notum est) & bonitati, ac pęnalitati operis exhibiti: idque etiam, quin ipsimet admissi id resciant, aut ea de re cogitent, cùm virtualis, ac interpretatiua eorum acceptatio, quæ semper supponitur, sufficiat, vt aiunt Doctores, specialiter *Suarez de pænit. disp. 48. sect. 3. n. 11. in fine:* his verbis: *Dico etiam si vnus pro altero offert satisfactionem suo solo arbitrio, altero neque petente, neque sciente; nihilominus infallibiliter acceptari, & habere infallibiliter effectum circa alium; tum quia iam satisfecit secundùm pœnam taxatam à lege; tum etiam quia generali saltem, vel implicita voluntate vnusquisque acceptat huiusmodi donationem, & vult liberari à pœna, quacumque iusta ratione sibi possibili.*

343 Dixi, satisfactionem pro alio exhibitam (supposito, quòd eius sit capax, existatque in gratia) habere effectum in eo infallibilem (vt communis est doctrina, maximè *Suarez sect. 3. cit.*) quare infallibiliter, & de Iustitia ei remittitur pęna correspondens operi satisfactorio, quam luere adstringebatur. Addo nunc pro maiori associatorum consolatione doctrinam esse *S. Tho. 3. contra Gentiles c. 158.* quam etiam refert *Suarez sect. 3. cit. n. 3.* admittitque, quamuis cum aliqua limitatione, & explicatione, *n. 7. & 8.* ab alijs autem absolutè rata habetur *n. 6.* Quòd videlicet opus satisfactorium oblatum pro alio plus valeat, maioremque effectum remissionis pęnę consequatur, quàm si pro se solo quis offert; idque (vt aiunt ipsi) *propter maiorem quamdam, magisq; spontaneam charitatem:* quod etiam indicare videtur prædictus Sanctus Doctor *l. c.* hisce verbis: imprimis simpliciter dicit: *Sicut per seipsum, ita & per alium potest aliquis satisfacere Deo:* deinde paucis interiectis subdit; *Affectio charitatis in eo, qui pro amico patitur, facit magis satisfactionem Deo acceptam, quàm si pro se pateretur.* Prosequitur tum *Suarez: Significat ergo, esse æque infallibilem quoad deceptationem, & crescere aliquo modo, quoad valorem. Idem significant alij Doctores &c. Supponimus ex parte satisfacientis concurrere omnes conditiones ad hunc valorem necessarias &c.* Quòd si hæc doctrina recipiatur, crescit haud dubiè fructus, atque effectus satisfactorius, & eius participatio per Litteras Filiationis.

Secundò, per Litteras Filiationis participantur illæ satisfactiones superabundantes, ac superfluę Religionis, quę nemini specialiter applicatæ, deuoluerentur aliàs ad communem ac generalem Ecclesiæ Thesaurum; sic expresse sentiunt *Nauarr. Miscell. 11. de Psalt. & Ros. n. 9. versu Tertiò quòd,* his verbis; *Potest Prælatus merita sua Congregationis alijs applicare, quoad eam partem, quâ ipsi non indigent, & quæ reponenda esset in Thesauro Ecclesiæ, si Prælatus eam non communicaret alijs. Corduba in qu. Theol. q. 42. de Indulg. punct. 3. dicto 3. Prælatus habet potestatem plenariam in bonis spiritualibus superabundantibus communicabilibus: & dicto 4. si Prælatus inuito suo subdito, applicaret aliquibus aliqua bona satisfactoria superabundantia, quæ subditus facit, valeret talis applicatio Superioris, & non potest subditus talis ea applicare alteri, contra applicationem Superioris, quia quoad talia superabundantia, quæ possunt fieri (communia Congregationis) Prælatus Superior habet potestatem suprà subditum ad communicandum ea. Rodriquez to. 1. qq. Regul. q. 33. art. 4. Prælatus habet plenariam potestatem in bonis spiritualibus subditi superabundantibus communicabilibus.* 344

*bus. Cappuccinus in Comp. Priu. Mend. verbo Indulgentia quoad sacul. 4. in Annot. verſ. Secundò dicitur: Littera B. Prælatus diſponere poteſt de bonis ſpiritualibus ſubditi ſuperabundantibus communicabilibus eo inuito &c. Valen. to. 4. diſp. 7. q. 20. punct. 3. verſu, An nota: communiter ſatisfactiones, quæ ſubditis ſuperſunt, per Superiores Ordinum, alijs communicari exiſtimandum eſt. Nugnus in Supplemento qu. 26. art. 1. Prælati Religionum poſſunt ſatisfactiones ſuorum ſubditorum ſuperabundantes alijs applicare. Idem quoque ſentiunt Peyrinus de Prælato qu. 3. cap. 6. num. 3. Tamburinus de iure Abbat. to. 2. diſp. 9. quæſito 3. n. 5. verſu Triplex eſt, in fine. Ruteus q. 6. ſect. 9. n. 29. in principio & alij.* Fructus iſte, atque effectus ſpiritualis Filiationis magni eſt faciendus, magnum enim ſatisfactionum cumulum adfert ei, qui illius fit particeps, nam vt benedixit *Suarez de Indulg. diſp. 55. ſect. 5. nu. 8. in fine. Religioſi ratione ſtatus debent pauciora habere debita, & pluribus ſatisfactionibus abundare, & ideo faciliùs etiam poſſunt alijs ſubuenire.* nam ipſemet *S. Thomas 2. 2. qu. 187. art. 6. in Corp.* ait quòd *Religio eſt ſtatus pænitentiæ. Et Opuſc. 18. cap. 11. Religionis ſtatus, non ſolùm perfectionem charitatis, ſed etiam perfectionem pænitentiæ continet. Et Opuſc. 19. Cap. 1. fin. Qualibet Religio, per quam homo nouam vitam inchoat, quidam pænitentiæ ſtatus eſt, vt homo à veteri vita purgetur.* Propterea cùm in Ordinibus degant Religioſi magno numero obſeruandiſſimi, ac rigidiſſimi, vitæque exemplariſſimæ, puriſſimæ, & auſteriſſimæ: & ex ipſo Ordinis inſtituto abundent pœnalitatibus ac pœnitentijs; Vita enim boni Religioſi continuum eſt martyrium, & perpetuum mortificationis exercitium, ob veſtitus aſperitatem, & incommoditatem; ob nuditatem pedum apud aliquos; ob abſtinentiam ciborum, & victus parcitatem: ob frequentiam ieiuniorum, famis ac ſitis tolerantiam; ob aliquorum perpetuam Quadrageſimæ obſeruantiam; ob frequentem ſomni neceſſarij priuationem, potiſſimùm ad laudes Domino Deo diu noctuque concinendas, & vacandum Orationi mentali: ob duriſſimam legem tot diſciplinarum, ac martyriorum contra proprium corpus: ob moleſtiam longiſſimarum peregrinationum pedeſtrium, maximè in Miſſionibus ad capiendas Redemptori Animas: ob continuam Verbi Dei prædicationem; & ob tot, ac tantas aduerſitates, pugnas, ſubiectiones, priuationes ac abnegationes propriæ voluntatis; quæ ſi omnia ſimul conſiderentur, efformant, non dico effigiem aliquam, ſed ipſummet Prototypon veræ Pœnitentiæ, veritatemque adſtruunt præcitatis Angelici Doctoris verbis: quòd videlicet *Religio eſt* non tantùm *ſtatus pænitentiæ*, verùm *etiam perfectionem pænitentiæ continet*: de qua perfecta Religioſa pœnitentia loquens etiam *Raynaudus l. c.* ita exclamat: *Quem enim latet, quanta ſit vbertas Sanctarum perpeſſionum, & operum laborioſorum, virtute ſatisfactiua refertorum in his ſacris Cœtibus! Attendantur, vel perfunctoriè, veſtitus aſperitas, chameunia, potus cibique parcitas, cilicia, flagellationes, nudipedia, vigiliæ: & id genus imbonitates, corporis maximè afflictiuæ atq; adeo valde ſatisfactoriæ &c.* Cùm igitur abundent, inquam, Religiones tot pœnalitatibus, auſteritatibus, ac pœnitentijs, per eas haud dubiè immenſum ſatisfactionum cumulum lucrantur, ſuntque exinde leuioribus culpis ſubiecti, quas etiam per varias, ac multiplices Indulgentias plenarias, quas recipiunt, ſæpiùs delent; proinde cùm illorum debitum ſit exiguum, neceſſariò ſequitur, eos in beneficium aliorum plurimis ſuperfluis ſatisfactionibus, ac pœnarum remiſſionibus abundare, quas accumulant pro ijs, qui mediantibus Litteris Spiritualis Filiationis ipſorum participes efficiuntur meritorum, incomparabili profectò Participantium beneficio.

Opponere fortaſſis hìc quiſquam poſſet: Quænam igitur Regularium ſatiſ- 345
factiones in Theſaurum Eccleſiæ reponentur, ſi omnes ſuperabundantes, per præuentionem ab eorum Prælatis alijs communicantur mediantibus Litteris Spiritualis Communicationis? Pro reſponſione hìc notetur, quòd per Indulgentias diſpenſentur quidem ſuperabũdantes Sanctorum ſatisfactiones (vt inſinuatum eſt ſuperiùs Dubio primo huiuſce Capitis) ſimul cùm ſatisfactionibus Chriſti; hoc autem fit, non ex indigentia aliqua, cum Chriſti merita, & ſatisfactiones actualiter infinitæ ſint, quapropter Theſaurus Eccleſiæ indeficiens

est, & nunquam exhauriri potest, quamuis his tantummodo constaret. Vnde sicut in remissione pœnæ, quę fit mediante Sacramento (prout indubitatum est apud omnes Theologos) solæ Christi satisfactiones applicantur, non verò Sanctorum, cùm taliter destinauerit Diuina eius intentio, teste *Suarez de Indulgent. disp. 51. sect. 3. num. 17. in princip. Ita enim in Sacramentis & Sacrificijs fit remissio pœnæ, ex sola satisfactione Christi, quia hæc fuit intentio eius.* Ita pariter idem fieri posset etiam in Indulgentijs. Quòd autem non fiat, sed distribuantur per Indulgentias vnà cum satisfactionibus Christi, etiam Sanctorum satisfactiones, inter alias hæc vna, & quidem principalis est ratio, vt præfatæ superabundantes Sanctorum satisfactiones non remaneant inutiles, & absq; effectu. Si enim Christus Dominus noster *Lucæ 12.* dixit: *Capillus de capite vestro non peribit* conueniens non est, eas à Diuina Prouidentia relinqui inapplicatas, inutiles, & sine effectu. Quare coniunctim cum Christi satisfactionibus distribuuntur Fidelibus per Indulgentias. Stante igitur hac potissima ratione, vt videlicet eiusmodi satisfactiones non remaneant inutiles, sequitur, intentionem Christi, & Ecclesiæ esse, vt Fideles, quantum possunt, applicent sibi aut alijs omnes suas satisfactiones; nec vllam relinquant superfluam, aut inapplicatam; quandoquidem præcisè ex defectu priuatæ applicationis, ab Ecclesia per Indulgentias applicantur; proinde nullam illi communi Ecclesiæ Thesauro irrogant iniuriam, qui quantum valent, eò allaborant, vt omnes eorum satisfactiones certum sortiantur effectum, nec vlla in Ecclesiæ Thesauro reponatur; sed ab ipsismet operantibus vel sibi, vel alijs determinatè applicentur; maximè cùm sit res maioris perfectionis, vtpote ordinata vel ad salutem propriam, vel proximi. Meritò igitur, ac fructuosè Fidelibus suaderi potest, vt, cùm suas applicant satisfactiones, non vnam, sed plures semper habeant intentiones, quibus eas vel sibiipsis, vel alijs determinatis applicent, imò vlteriùs etiam alios substituere consultum est, aut è viuentium, aut defunctorum numero, aut generaliter Animas in Purgatorio, quibus, si prioribus non prosint, certò ac infallibiliter conducant: sic enim maiori quis operatur charitate, vberiorique fructu proximorum promouet salutem: neque hoc in præiudicium cedit Thesauro Ecclesiæ, vt dictum est, quamuis nullæ de aliquo satisfactiones inapplicatæ remanerent, quod vtinam quiuis Fidelium exactè practicaret. *Hoc igitur* (ait *Ruteus qu. 6. sect. 9. num. 33.*) *faciunt Prælati cum suis Religiosis, cùm satisfactiones superfluas Ordinis ijs, qui recepti sunt ad participationes bonorum, applicant; alijsque de Ordine existentibus; sic enim impediunt saltem ex parte, ne multæ satisfactiones maneant actu inapplicatæ, & multò maiori cum effectu prosunt proximis, quod est opus magnæ charitatis nec Thesauro iniuriam aliquam irrogabunt, licèt tota vita nullæ satisfactiones maneant inapplicatæ, quod vtinam quisque Fidelis serio practicaret:* ita *Ruteus loc. cit.* qui etiam immediatè subiungit: *Et nullus negare potest, duos Fideles tale pactum inire posse, vt quoties aliqua eorum satisfactio effectum non sortiretur, & manebit inapplicata, ad alterum transferatur; quod certè valde laudabile esset: simile aliquid igitur in nostro proposito* (participatione videlicet bonorum operum) *reperitur*. Quibus præmissis; ad oppositam interrogationem, quales nam igitur Regularium satisfactiones in Ecclesiæ Thesauro reponerentur? Dico primò, interroganti id, quod eidem dixit *Ruteus num. cit. in fine*, quòd nimirum *vellem quòd ipsemet prædicta præuentione vteretur, & Subditis suaderet, vt nullæ eorum satisfactiones manerent inapplicatæ*. Secundò respondeo cum eodem *Ruteo*, qui ibidem dicit; *Hoc tamen non obstante, putandum est, plures adhuc Religiosorum satisfactiones reponi in Thesauro Ecclesiæ:* idque propterea, quia in cunctis Religionibus inueniuntur Religiosi sanctæ Conuersationis, & magnæ penitentiæ, qui varijs, ac plurimis austeritatibus, & exacta propriæ Regulæ obseruantia magnum satisfactionum coaceruant cumulum; ex alia verò parte raris ac leuibus tantùm tenentur noxis; vnde quoad propriam personam exiguis debitis, ac reatibus adstricti sunt; sæpè etiam absq; effectu suas applicant satisfactiones, vt proinde plures earum superabundent; quantum verò ad

eos,

eos, qui vi Litterarum Spiritualis Filiationis, de his satisfactionibus participant, sunt & ipsi, communiter saltem & plerumque, personæ Deum timentes, qui non multis opus habent satisfactionibus, aut fortasse proprijs sua debita exsoluere sufficiunt. Insuper si participans existit in peccato mortali, huiusmodi participationis est incapax. Denique frequentes modò sunt Indulgentiæ, etiam plenariæ, quibus tam Religiosis, quàm alijs associatis omnes debitæ pœnæ ex integro remittuntur: atque adeò sæpiùs non indigent superabundantibus Religiosorum satisfactionibus; quare etiam ex hoc capite accrescit Ecclesiæ Thesaurus.

546 Tertiò participantur virtute Litterarum Gratiosarum satisfactiones Ordinis etiam non superabundantes, neque superfluæ Religiosis; saltem illæ, quæ proueniunt ex operibus bonis pœnalibus, ex præscripto Regulæ, ac Constitutionum à Religiosis exhibitis. Hic porrò fructus, ac participatio, vt constat, admodum grandis est. Cæterùm noua hìc probatione non indiget, cùm superiùs *dub. 22. & 23. Capitis Quarti* sat superque, tum authoritate Doctorum, tum rationibus efficacibus, probatum fuerit, Prælatos Regulares communicare virtute Litterarum Spiritualis Filiationis, satisfactiones pœnales suorum subditorum, etiamsi isti pro se eis indigerent, imò verò ipsis quoque inscijs, & inuitis: istam verò communicationem, non esse tantùm obiectiuam, sed realem, & effectiuam; quod similiter dubio antecedenti stabilitum est, *num. 339. & 340.* Sat erit, hìc in memoriam reuocare, id quod citato *dub. 22. numer. 221.* dictum est, scilicet participari per Litteras communicationis fructum bonorum operum Religiosorum, etiamsi isti forent in peccato mortali, si tamen nomine Ecclesiæ ab ipsis exerceantur.

347 Quartò, mediantibus eiusmodi Litteris participat Associatus, non solùm fructum satisfactorium bonorum operum pœnalium ordinis, cui Associatus est, de quo præcedentibus duobus numeris diximus: verùm insuper etiam participat fructum prouenientem ab operibus pœnalibus, quæ fiunt in omnibus Religionibus: & hoc ex concessione *Iulij III. Pontificis Maximi*, qui hoc priuilegium contulit Confraternitati Charitatis in Vrbe Romana, & Archihospitali Sancti Spiritus: quibus, vt superiùs *num. 49. dub. 6. Cap. 1.* notauimus, concessit participationem bonorum operum omnium Religionum, aliorumque piorum locorum totius Mundi; quę communicatio, reuerà amplissima, ac singularis, sese extendit per participationem, ad omnes Religiones, & ad omnes etiam, vi Gratiosarum eius aggregatos: quod priuilegium, quantum thesaurum spiritualium bonorum secum trahat, consideret, quisquis eius particeps factus est: quandoquidem vi illius, quicunque Litteras Societatis habet vnius Religionis, quantum ad effectum, dici potest, habere omnium, cùm aggregatus vni, participet bona spiritualia cæterarum omnium, qui certè ingens est spiritualis Thesaurus: quid enim optabilius, quàm absque vllo suo incommodo, aut defatigatione; imò quiescendo ac dormiendo, quin de eo cogitet, fieri participem tantorum satisfactionis fructuum ac pœnarum, remissionum, quot proueniunt ab infinitis propemodum pœnalibus operibus, quæ quotidie exercentur ab innumerabilibus vtriusque sexus Religiosis per vniuersum Mundum in tot amplissimis Religionibus, in quibus semper inueniuntur Religiosi rigidæ pęnitentiæ, vitæ austeræ, ac obseruantissimæ conuersationis, &c. Et hæc sufficiant de fructu primæ classis, nimirum de satisfactione, quæ per Litteras Communicationis participantur.

Quod verò attinet ad fructum secundæ classis, seu impetrationis, quæ cum merito de congruo confunditur, supposita hìc distinctione impetrationis in directam, & indirectam, de qua communiter Doctores & in specie *Suarez in 3. part. Tom. 4. disput. 55. sect. 5. num. 11. & 12. Et Layman lib. 5. tractat. 7. cap. 4. num. 6. vers. dico 3.* quod videlicet impetratio directa sit illa, quæ requirit intentionem, & applicationem operantis: quando v. g. quis vacat orationi, aut offert Deo opera sua, ad eum finem, vt à sua Diui- 348

Diuina Maiestate, vel pro se; vel pro alio gratiam aliquam obtineat. Indirecta verò sit illa, quæ non habet, nec requirit talem operantis intentionem, siue applicationem, sed posito bono opere, ex sua natura resultat: cùm v. grat. Dominus Deus intuitu boni operis vnius hominis, alteri præstare solet gratiam, quin operans id exigat, aut inde cogitet; qui fructus indirectæ impetrationis, ab aliquibus vocatur obiectiuus (vt dictum etiam est *Dub.* 3. præsentis Capitis *n.*264.) in quantum Deus simpliciter mouetur à bono opere, tamquam à puro obiecto, quin specialis intentio aut oblatio operantis interueniat, ad concedendum pro suo beneplacito aliquam gratiam, confirmat hoc *Rutei* authoritas, qui *quæst.*6. *sect.* 5. *numer.*13. *in fine*, ait: *Ob bona opera vnius, solet Deus benefacere alijs, licèt operans de illis non cogitet. Hunc autem fructum quidam vocat obiectiuum, eò quòd ad illum conferendum Deus moueatur à bonis operibus tamquam ab obiecto*. Supposita, inquam, tali distinctione, fructus ac bona spiritualia impetrationis, quæ per Litteras Filiationis Spiritualis participantur, sunt sequentia.

349 Primò participantur varij fructus per viam impetrationis directæ; in quantum illi, qui ad consortium bonorum operum Religionis admissi sunt, de omnibus Orationibus participant, quæ pro tota Religione, & eiusdem membris fiunt. Porrò multæ, ac frequentes sunt Orationes, teste etiam *Ruteo numer.* 13. *versu Dico primò*; quæ quotidie fiunt per totum ordinem, in Sacrificio Missæ, in Capitulo, & alijs occasionibus, pro amicis, benefactoribus, & pro omnibus ram in ordine existentibus, quàm eisdem per Litteras Communicationis bonorum operum aggregatis: sine quibus haud dubiè nec horum fructuum essent participes, cùm eis directè, per specialem intentionem non essent communicati, sed solis membris Ordinis: nec tantam eiusmodi orationes ac suffragia haberent impetrandi energiam; cùm hæc (iuxta mentem Doctorum, specialiter *Laimanni l. c.*) crescat ex vnione, & vinculo speciali charitatis, qua illi, qui per Litteras Filiationis Spiritualis alicuius Ordinis in eiusdem Filios ac bonorum spiritualium communicationem cooptantur, inter sese inuicem, ac cum Ordine deuinciuntur: *Si Religiosi opera sua, & orationes specialiter Deo offerant pro personis suæ Congregationi coniunctis; tunc orationes hæ propter charitatis & amicitiæ vnionem, maiorem vim habent ad impetrandum à Deo, quàm si fierent pro extraneis; & si opera meritoria; & orationes instruantur vniuersim pro Religione, & membris eius, tunc particípes esse possunt illi omnes, qui in communicationem meritorum de congruo assumpti sunt*. Ita *Laiman loc. c.* quod totum clariùs perstringit *Ruteus* his verbis: *Qui recepti sunt ad consortium bonorum operum Religionis, recipiunt varios fructus via impetrationis directa, exinde enim redduntur participes omnium orationum, quæ pro tota Religione, & membris eius fiunt, multæ enim singulis diebus fiunt orationes per totum ordinem in Sacrificio Missæ, in Capitulis, & alijs occurrentijs, pro Amicis, Benefactoribus, & omnibus de ordine existentibus, in quibus tanquam illius membra participant, qui ad bonorum operum consortium recepti sunt. In his igitur omnibus illi participant quoad effectum directæ impetrationis, non solùm quia si non essent recepti ad consortium bonorum operum, illa omnia non dirigerentur ad ipsos intentione speciali, cùm pro solis membris Religionis fiant, proindeque in illis non participarent; sed etiam quia ob illam vnionem charitatis, orationes, & alia suffragia, maiorem habent vim ad impetrandum ipsis aliquid; sicut enim bona opera iustorum citra aliquam intentionem prosunt ad certos effectus personis coniunctis; ita orationes & suffragia Iustorum speciali intentione applicata personis per charitatem coniunctis, specialem vim habent ipsis aliquid impetrandi, cùm sit quædam ratio vnitatis inter illos*. Hactenus *Ruteus*.

Secundò, participantur etiam varij fructus Spirituales, per eandem directę impetrationis viam, qui vlteriùs proueniunt à bonis operibus ordinis, etiamsi per expressam intentionem in bonum ordinis ac illius membrorum, non fuerint applicata (vt præcedenti dubio) dummodo sint opera, & actiones spirituales à Regula præscriptæ, seu Communitatis, & ex instituto Religionis factæ: nam etiam horum operum fructum impetratorium directè, vnàcum satisfactorio communicant Prælati Regulares in Litteris suis Gratiosis, vt clarè 350

patet

patet ex earum tenore; quocircà præter alias, in Theatinis dicitur; *Bonorum omnium, quæ à nobis fiunt, vel post hac fient, consortes volumus esse atque participes.* quæ verba intelliguntur de participatione vtriusque fructus prouenientis à singulis bonis operibus, cùm Prælati Regulares per eas *intendant applicare omnem fructum possibilem quantum possunt, & quantum est ex potestate Prælatorum*, vt ait *Ruteus q. 6. sect. 9. num. 31.* & alij, quos superiùs citauimus, vbi eandem participationem per viam impetrationis stabiliuimus *Dub. 22. Cap. 4.* Quæ insuper vlteriùs confirmatur, quia si iuxta ea quæ iam citato *Dubio 22. n. 23.* atque alijs passim locis docuimus, per Litteras Filiationis participatur fructus satisfactorius prædictorum operum Religionis, & quæ communis sunt instituti, etiamsi operans eis pro semetipso indigeret; atque potestas Prælatorum ad id se extendat; multò magis concedendum est, huiuscemodi eorum potestatem se quoque extendere ad communicandum fructum impetratorium eorundem bonorum operum Regularium seu communitatis, cùm hæc impetrationis participatio, non solùm non præiudicet operanti (prout etiam de fructu satisfactionis asseruimus) verùm etiam meliorem eorum efficiat conditionem, iuxta mentem Doctorum, præcipuè eorum, quos citauimus præfato *Dub. 22. n. 229.* vbi in specie *Tamburinus*, circa finem eiusdem numeri, ita loquitur: *Ad participandum per modum meriti, nec scientia operantis necessaria est, sed poterit Prælatus, cui voluerit applicare, quia nullum fit præiudicium subdito, imò fit melior conditio operantis ex participantium multitudine: incipientes enim participare, incipiunt etiam de suo proprio alijs communicare. Peyrinus* quoque *de Prælato q. 3. cap. 6. num. 4. hoc* habet: *Per Participationem meritoriam* (quæ cum impetratoria confunditur) *non minuitur meritum, sed augetur, quia Deus, cuius Misericordiæ, & liberalitati (quæ infinitæ sunt) talis fructus innititur, magis ex hoc honoratur: ex quo bene operans, maiores potest fructus sperare, & maius augmentum præmij in vita æterna.* Adde & *Cappuccinum in Annotationibus, Verbo Indulgentia, quoad Sæculares quarto, Littera E,* qui ait: *Quoad vim meritoriam tam ipse, qui facit, quàm Prælatus quicunque potest semper communicare, seu applicare talia bona præterita, præsentia, & futura, quibuscumque voluerit, vt virtute talium meritorum mereatur de congruo, seu potius impetret alijs bona spiritualia, & temporalia, & liberationem, & præseruationem à malis &c. & de his bonis quoad vim meritoriam non congregatur Thesaurus Indulgentiarum, vt probat Corduba qu. 5. de Indulg. Nullum enim ex hoc præiudicium subditis ipsis resultat, imò maxima vtilitas, habendo multos socios in merito suorum bonorum operum.* Quisquis ergo per Litteras Filiationis ad consortium bonorum operum Ordinis alicuius admissus est, is absolutè participat de fructibus, ac bonis spiritualibus participatione directa, proueniente à singulis bonis operibus, quæ in ea ex proprio instituto fiunt. Neque solùm participat fructum eorum bonorum operum, quæ in ea sola ex instituto fiunt, verùm insuper (ex Priuilegio Iulij III. superiùs relato ac per eius concessionem) particeps etiam redditur fructuum, ac bonorum spiritualium impetrationis directæ prouenientium ab operibus Regulæ, quæ exercentur vniuersaliter à Religiosis omnium Religionum totius Mundi, imò & totius Ecclesiæ militantis. Dico vniuersaliter, & totius Ecclesiæ militantis, id enim specialiter à Pontificibus concessum est, vt præter alios affirmat *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui aurea par. 3. cap. 7. numer. 219. versu, Præterea.* Vbi loquens de Litteris Spiritualis Filiationis sui Carmelitani Ordinis, ita disserit: *Aduertendum est, eos qui habitum siue Scapulare B. V. Mariæ de Monte Carmelo gestant, vel alios, quibus Litteræ Fraternitatis dantur, admitti ad participationem meritorum, non tantùm totius ordinis nostri: verùm etiam vniuersalis Ecclesiæ; ita vt eo ipso quo Confratres nostri sunt, ratione habitus quem gestant, efficiuntur participes speciali modo fundato in speciali Pontificum concessione, bonorum omnium spiritualium, quæ fiunt, non modo à Carmelitarum, omnibusque alijs Religiosorum ordinibus, tam Mendicantibus, quàm non Mendicantibus, verum etiam quibuscumque Sodalitatibus, Confraternitatibus, imò & vniuersa Ecclesia militante. Quod beneficium quanti faciendum sit, vel ex eo patet, & colligere licet: quòd si multum, ac magnum sit, vel vnius duntaxat viri Sancti*

meri-

*meritis, & Orationibus, ac bonis operibus communicare, erit haud dubiè longè maximum, tot Sanctorum, quot Carmelitana, & alia habent Religiones: imò tot, quot vniuersa habet Ecclesia, bonis ac meritis, eo speciali modo frui ac gaudere. Quòd verò magnum, imò etiam longè maximum sit, vnius solummodo viri Iusti aut Sancti merita, & orationes participare, conijcere est ex Subiectis Sanctorum Patrum verbis, ac sententijs. Sanctus Ambrosius &c. Si igitur vnius, vel paucorum Sanctorum merita & orationes tanti fiant apud Deum, vt ab integris Prouincijs, Regnis, & toto Mundo diuinam vltionem auertere possint; multò maioris efficaciæ erunt ad auertenda quæcumque mala, atque ad impetranda quæcunque bona, Spiritualia æque, ac temporalia ijs, qui speciali vinculo illis coniuncti sunt, atque eo speciali quo diximus modo de illis participant.* Hucusque præfatus Author; quod proinde Priuilegium per participationem ijs commune redditur, qui per Litteras Filiationis ad participationem bonorum spiritualium cuiuscumque Ordinis admissi sunt. Quòd autem Pontifex Romanus iuxta suum beneplacitum communicare possit bona spiritualia non solùm omnium Religionum, omnium Confraternitatum, cunctorũq; Ecclesiasticorum, verùm etiam Vniuersalis Ecclesiæ Militantis, res est indubitata, cùm *Summus Pontifex sit Dominus bonorum ordinis spiritualium, vti & quorumlibet aliorum Ecclesiasticorum*, vt asserit idem *Paulus ab Omnibus Sanctis par. 3. cap. 6. num. 216. versu Respond.* qui & *par. 3. capit. 8. sub numer. 220. vers. certum est*, ita scribit. *Summus autem Pontifex cùm sit Supremus omnium Christianorum Superior, & Prælatus, potest totius Ecclesiæ Militantis opera spiritualia ad suum beneplacitum applicare.* Idipsum confirmat *Andreas Mendo in Epitome opinionum Moralium, verbo Participatio, n. 1. pag. mihi 517.* hisce verbis: *Cùm omnia bona fidelium Supremo Capiti Summo Pontifici subijciantur, ab ipso applicari possunt.*

351 Tertiò participantur etiam fructus spirituales qui per modum impetrationis directæ, proueniunt ab omnibus bonis operibus particularibus, id est à Regula non præscriptis, quæ exercentur à quibusuis Religiosis cuiuscunque Religionis totius Mundi (vt supra dictum est) totiusque Ecclesiæ Dei: sequitur istud ex prædictis: huiusmodi namque fructus à Prælatis Regularibus per Litteras Filiationis communicari potest; ergo defacto communicatur: Consequentia hæc videtur esse clara, quandoquidem ipsi, vt superius intimatum est, per eas intendant communicare, omnem fructum spiritualem, quem possunt, & in quantum ab eorum potestate communicabilis est. Quod autem ab ipsis directè communicabilis etiam sit fructus impetrationis proueniens à singulis bonis operibus particularibus, hoc est, à Regula non imperatis suorum Subditorum: id præter alios expressè affirmat *Peyrinus de Subdito quæst. 1. §. vnico versu Resp. probabilius*, dissertis hisce verbis: *Quantum attinet ad vim meritoriam de congruo, omnia bona cuiuscunque subditi; & Congregationis, tam in particulari, quàm in communi facta possunt Prælati, quibus voluerint applicare; quia in hoc nullum fit præiudicium Subditis. Imò ex hoc fit melior conditio operantis ex multitudine participantium.* Si autem eousque sese extendat eorum potestas, iuxta mentem *Peyrini*, & aliorum, ergo eam defacto exercent, cùm Prædicti Prælati per Litteras Filiationis (vt *Ruteus*, alijque superiùs citati asserunt) *intendant applicare omnem fructum possibilem, & quantum est in eorum potestate*: Comprobant porrò ipsomet facto, atque testificantur hanc suam expressam intentionem, dum verbis superiùs citatis ex Gratiosis Theatinis, id apertè profitentur; *Bonorum omnium*, inquiunt, *quæ à nobis fiunt, vel posthac fient, consortes volumus esse, atque participes*; quæ certè verba ita vniuersaliter de participatione omnium bonorum operum, nullo excepto, verificari non possunt, nisi admittatur, participari directè fructum impetratorium omnium bonorum Ordinis tam communium siue Regulæ, quam particularium, seu priuatorum: cùm fructus satisfactorius omnium bonorum etiam priuatim à Religiosis exhibitorum, per Litteras Gratiosas non participetur: Meritum quoque de condigno; vt constat, est incommunicabile: solùm ergo fructus impetratorius directus superest, qui haud dubiè per Litteras Filiationis communicari potest; ergo defacto per eas communicatur à Prælatis: si enim id possunt, certè faciunt, cùm inten-

intendant applicare omnem fructum possibilem, ac per talem applicationem verificant illa donationis suæ verba: *Bonorum omnium, quæ à nobis fiunt, vel posthac fient, consortes volumus esse, atque particepes.* Quibus verbis, particulari quodam modo directæ impetrationis, omnia supradicta opera, etiam particularia illius Ordinis, ac per concessionem *Iulij III.* omnium aliorum ordinum, ijs communicantur à Prælatis, qui ad consortium bonorum operum admittuntur, vt nimirum eis prosint, illosque adiuuent, ad impetrandum à Deo non solùm omnem prosperitatem temporalem, v. gr. Sanitatem, honores, diuitias, liberationem à periculis, ab inimicorum insidijs, à subitanea, ac violenta morte, & ab omni alio sinistro accidente: verùm etiam, imò multò magis ad impetrandum à Diuina bonitate quæcunque Spiritualia animæ adminicula, in specie conuersionem à peccatis, si ex debilitate in aliqua laberetur; item gratiam sanctificantem, eiusdemque augmentum, perseuerantiam in bono, ac deniq; Gloriam sempiternam, quod *Peyrinus de Prælato q.3. cap.6. nu.15. versu Sed quæres.* hisce verbis confirmat; *Quæ bona in particulari proueniant ex dictis litteris? Resp. quòd valent eis ad impetrandum à Deo gratiam conuersionis, cordis illuminationem, & virtutum profectum. Valent etiam ad præseruationem à peccatis, & liberationem, & præseruationem à morte, & alijs malis spiritualibus, & corporalibus, & ad collationem bonorum spiritualium, & temporalium, quæ vnus alteri potest de congruo mereri, seu impetrare ex Dei Misericordia; sicut per merita Abrahæ Deus liberauit Loth. Gen. 19.* cui addi potest id, quod sibi ipsi respondet *Pellizzarius in Manual. Regul. tom. 1. tr. 1. cap.4. sect.1. q.16. num.16.* hoc sibi proposito quæsito. Quænam bona proueniant Religiosis ex communione spiritualium bonorum existente in Religionibus? quod idem est in substantia, ac quærere cum *Peyrino*, Quæ bona in particulari proueniunt ex Litteris Filiationis? qui enim istas habet, vi illarum etiam admissus est ad participationem bonorum spiritualium Religionis. Estque responsio eius hæc. *Prouenire, nimirum, plurima & maxima bona, quorum illud præcipuum, vt confidens in proprio cubiculo, particeps fiat omnium laborum, quos tota Religio per tot Vrbes, ac Prouincias diffusa, in Dei obsequio perfert meditando, concionando, animabus iuuandis, multis pie agendis, aut fortiter sustinendis. Præterea, si tentatur, dicta bonorum communio ei impetrat arma, quibus muniatur; si sua imbecillitate fluctuat, constantiam, ac firmitatem tribuit; si quid à Deo petendum est, aut ex alia causa coram Deo apparendum, non verendum est, ne vacuus appareat in eius conspectu; quando non solùm propria, sed etiam aliorum facta ipsum ei commendant, in eius preces influunt, ijsque gratiam, ac pondus addunt: denique ipsa illius tepiditas, ipsa peccata his ijsdem, quibuscum coniunctè viuit, officijs sic compensantur, vt sæpè plus prosint hæc officia ad Deum conciliandum, quàm ea peccata ad eum irritandum.* Omnia ergo hæc spiritualia bona, & alia quam plurima, quæ his *Pellizzarij* verbis non comprehenduntur, à Litteris Filiationis deriuant per viam impetrationis, quam ego directam assero, ob directam Prælatorum applicationem, qua bona spiritualia ordinis ijs applicant, quibus eiusmodi litteras elargiuntur; quæ applicatio sola sufficit ad denominandam talem impetrationem directam, prout etiam concedit *Pellizarius tom. 2. Man. tr. 9. cap.3. sect.6. num.236. versu. Quod verò in fine:* his verbis: *Ad directam impetrationem sufficit sola intentio Prælati, & consequenter de ijs participant admissi in participationem meritorum, non solùm indirectè, sed etiam directè.*

Quartò, seclusa, seu præcisa iam di- 352
cta, & omni alia intentione, participantur nihilominùs per Litteras Filiationis eadem bona, ac fructus spirituales, saltem per viam impetrationis directæ, & & hæc virtute vinculi specialis charitatis, quod contrahitur cum ordine per Litteras Filiationis Spiritualis: asserit hoc inter alios, *Layman l. c. vers. Dico 3. in fine*, vbi ait: *Indirecta impetratio non requirit vllam intentionem, vel applicationem: sed hoc ipso quòd in aliqua Religione bona opera Iustorum fiunt, valent apud Deum de congruo, vt eorum ratione, & virtute propitius sit, & speciali auxilio protegat illos, qui membra sunt huius communitatis. Etenim ratio amicitiæ postulare videtur, vt Deus propter amicos suos, etiam alijs benefaciat, qui illis amicitia coniuncti sunt.* Hucusque *Layman*. Cui suffraga-

fragatur *Passerinus* dum ait: *Ex ea applicatione, quà per Superiores, Exteri, quos vocant Fratres non assumuntur in vnionem, & participationem bonorum operum, quæ fiunt à Subditis, fit, vt huiusmodi bona opera iuuent illos Fratres per modum meriti de congruo: hic enim modus iuuandi non pendet à speciali intentione operantium Religiosorum, ideò est vniuersalis, & ex eo quod aliquis factus est veluti membrum aut socius alterius Religionis, bona opera illius valeant apud Deum, vt ratione illorum specialia dona conferat eis, tamquam personis coniunctis, etiamsi adhuc finem talia merita non referantur. Nam ex quo illa Persona est coniuncta speciali titulo amicitia illi Religioni, habet, vt speciali iure possit petere à Deo, quod desiderat, intuitu meritorum illius Religionis. Nam ratio amicitiæ dictat, vt propter amicos alijs coniunctis benefaciamus, etiam amicis ipsis nihil petentibus: Ita præfatus Author de Indulgentijs qu.88. num.643.* Quod etiam *Ruteus q.6. sect.5. num.* 14. confirmat hisce verbis: *Recepti ad participationem bonorum operum Religionis, recipiunt etiam varios fructus per impetrationem indirectam oriundos citra aliquam intentionem operantis quos enumerant Palud. in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. Corduba l.1. quæst.3.§. si quæratur. Adrianus quodlib.8. ar.3. lit. E. Arragon.2.2.q.85. art.3. §. quartò est aduertendum. Illa autem sunt, gaudium spirituale, dæmonum debilitatio, cordis illuminatio per varias gratias præuenientes, quibus ad conuersionem, aut virtutum profectum excitantur: præseruatio à peccatis, & alijs malis spiritualibus, & corporalibus; collatio item variorum bonorum spiritualium, & temporalium, quæ omnia Deus, ob merita Iustorum alijs solet liberaliter largiri, de quibus plura sunt in sacra Scriptura testimonia Gen. 30. &c.* Concludit deinde nonnullis interiectis: *Si igitur Sanctorum Religiosorum, & orationes, tanti fiant apud Deum, vt à Prouincijs, Regnis, & toto Mundo, Diuinam vltionem auertere possint; multò maioris efficaciæ erunt ad auertenda mala, & impetrandas varias benedictiones temporales aquè, ac spirituales ijs, qui speciali charitatis vinculo per Litteras Filiationis coniuncti sunt.* Ita *Ruteus*: cum quo insuper, ac cum *Nauarro Miscell.* 11. *de Rosar. num.*3. aduerto, quòd quamuis hactenus enumerati fructus non sint infallibiles, nec conferantur ex iustitia, sed solùm per viam impetrationis, & meriti de congruo: magni tamen sunt faciendi, quia, vt benè notauit *Nauarrus l.c.* & cum eo *Ruteus*, plerumque maiora impetrantur per viam liberalitatis, & congruitatis, quàm Iustitiæ, quod declarat exemplo Reginæ: *Quæ vno verbo, plus pauperi apud Regem mereri potest via liberalitatis, quam ipse in vinea Regia laborans, mereri, posset centum dierum labore via iustitiæ: sic licet via iustitiæ: quisq; possit magis sibi per se mereri quàm per alios; via tamen decentiæ, & magnificentiæ, sæpè plus per alios, quam per se meretur.*

Opponet hic quisquam; omnes prædicti fructus impetrationis indirectæ, communicantur ex aliorum meritis, vniuersis Christi Fidelibus, per Communionem Sanctorum; adeoque non communicantur aliquibus specialiter, per Litteras Spiritualis Filiationis. Sed respondetur cum *Nauarro Miscel. cit. nu. 9. vers. Secundò certum*, negando consequentiam: quamuis enim generalis Communio Sanctorum plurimum prosit, ad consequendum præfatos fructus, maiori tamen facilitate ac vberiore copia impetrabuntur, si insuper particularis communicatio Religionum per Litteras Filiationis accesserit: *hæc communicatio specialis*, ait *Nauarrus*, *efficit, vt magis prosit, quàm generaliter prodesset*; cui suffragatur *Ruteus l. c. n. 15.* his verbis: *Generalis communio Sanctorum plurimum quidem prodest ad prædictos effectus; multò tamen faciliùs & maiori cum abundantia impetrabuntur, si generali Communioni superaddatur specialis hæc participatio bonorum operum Religionis.* Assignat deinde hanc istius rei rationem: *Sicut enim* (inquit) *preces & merita multorum, facilius & plura à Deo impetrant, quàm vnius; ita specialis hæc communicatio bonorum operum Religionis adiuncta Communioni Sanctorum multò faciliùs, & plura beneficia impetrare solet: imò specialem virtutem habet, prædictos effectus impetrandi, supra Communionem Sanctorum, non solùm, quia illam præsupponit, sed etiam quia est strictior quædam vnio, & maius vinculum charitatis, inter membra eiusdem Ordinis, vbi autem est maior vnio charitatis, ibi merita vnius efficacius prosunt alijs, tàquam speciali ratione illis aliquo modo appropriata. Deinde sæpè Deus impeditur, ne conferat prædictos fructus ex generali Communione Sanctorum, propter varia peccata malorum fidelium: in speciali verò, hac communicatione Religionum, concurrunt ferè omnes boni Religiosi,* 353

*& ex*

*& ex fidelibus receptis ad participationeam bonorum operum, plures probiores, qui omnes proinde non habent tam multa grauiora peccata, quæ impediant collationem prædictorum fructuum*, concludit denique numerum: *Et hæc ratio bene notanda est; sæpè enim accidere potest, vt ob solam Communionem Sanctorum, effectus prædicti, aut eorum aliqui, non conferantur quibusdam fidelibus, qui tamen tribuuntur ob specialem hanc communicationem in bonis operibus alicuius Religionis.*

354 Quintò participantur virtute Litterarum Filiationis per viam impetrationis, non tantùm præfati fructus, ac dona tam spiritualia, quàm temporalia tam animæ, quàm corporis, prouenientia ab operibus bonis, quæ tunc per totum ordinem fiunt, & quæ imposterum fient; verùm etiam prouenientia à meritis bonorum operum præteritorum (vt dictum est *Dub. 2. huius Capitis*) quæ vmquam hactenus à quocunque membro Mystici corporis illius Religionis facta sunt, imò omnium aliarum Religionum iuxta Priuilegium *Iuly III.* maximè Sanctorum Patriarcharum, seu Fundatorum, omniumque aliorum Beatorum ac Sanctorum quarumcunque Religionum. Quamuis autem (vt benè annotauit *Ruteus q. 6. sect. 1. n. 4.*) in Litteris Participationis solùm fiat expressa mentio communicationis bonorum operum præsentium, ac futurorum ordinis: nihilominus hoc per se ex illo sequitur, cùm enim quisquam per Litteras Spiritualis Filiationis ad communionem bonorum operum Religionis admittitur, membrum fit immediatum eiusdem, ac per hoc omnia merita etiam præterita, certo modo efficiuntur illius propria, & acquirit ad ea ius, ac consequenter ipso facto de illis participat: nam Dominus Deus, intuitu meritorum Sanctorum Fundatorum, cæterorumq; Sanctorum, Sanctarum, ac Fidelium Seruorum suorum iam defunctorum, qui piè ac fideliter in vita sua illi seruierunt, dignatur conferre plurima beneficia tam ipsimet Ordini, quàm eius per Litteras Filiationis adoptatis: cùm enim Religio sit vnum Corpus Mysticum, compositum ex viuentibus & defunctis, qui omnes speciali vinculo charitatis deuincti inuicem sunt; ideò Diuina Maiestas largitur gratias, dona, ac fructus spirituales, corporales, ac temporales etiamnum existentibus, ac viuentibus, ob piam memoriam sanctæ conuersationis defunctorum. Ita proinde affirmandum est, admissos ad consortium bonorum operum ordinis, participare etiam de fructu operum præteritorum: neque ad consequendum hunc effectum, necesse est (iuxta *Rutei* quoque mentem) vt in Litteris Participationis id expresè ponatur, prouenit enim talis fructus ipso iure ab intentione conferentium huiusmodi Litteras, & ab eo, quòd quis per eas membrum Religionis effectus sit: hoc totum confirmat præfatus Author, his verbis: *Communiter in Litteris, fit solùm expressa mentio bonorum operum præsentium, & futurorum, idque fortè ideo, quia cùm quis recipitur ad communionem bonorum operum Religionis, fit membrum illius, & omnia merita præterita ordinis ita fiunt aliquo modo ipsius, vt acquirat quasi ius aliquod ea Deo repræsentandi, & offerendi, quasi sibi propria, ad faciliùs quippiam impetrandum, sicque ipso facto censetur in illis participare, ad quod tamen communiter opus est dicta actuali repræsentatione, & oblatione Deo facta; pro præsentibus verò, & futurit bonis operibus id non requiritur, sed eo ipso, quo quis per participationes fit membrum Congregationis, plures speciales effectus inde recipit. Interim tamen non video, cur bona opera Ordinis præterita non possent etiam deseruire ad impetrandum speciales effectus à Deo, absque eo quod actu illi offerantur, & repræsententur; sic enim Gen. 19. Recordatus Deus Abrahæ liberauit Loth de subuersione vrbium in quibus habitauerat, & 4. Reg. 11. reliquit Deus tribum vnam Regi Roboam, propter Dauid seruum suum &c. Hoc igitur modo Deus plurima confert beneficia Religionibus ob Sanctitatem Patriarchę, & plurimorum aliorum, qui piè in illis Deo inseruierunt: cùm enim Corpus Mysticum Religionis componatur non solùm ex viuentibus, sed & defunctis, qui omnes per charitatem inter se vniantur, ideo benedicit Deus præsentibus ob recordationē variorum bonorum operum, quæ Religiosi defuncti, aut etiam viuentes aliquando præstiterint, & sic putandum est, eos, qui ad participium bonorum operum admittuntur suo modo participare in bonis operibus præteritis, cùm gaudeant ijsdem fructibus, quibus Religiosi, nec opus est,*

*vt illud in Litteris Participationum exprimatur, cùm id ex vnione cum membris Religionis, facta per dictas litteras oriatur*. Ita *Ruteus l. c.* Ex quibus omnibus deducitur, quòd ſicuti iuxta doctrinam *Cordubæ lib. 1. q. 3. §. ſi quæratur &c. Quando ſunt plures Sancti, & plura bona opera Sanctorum in Eccleſia, plura etiam beneficia Deus largitur Eccleſiæ*: ita pariter, vt loquar cum *Ruteo q. 6. ſect. 6. numer. 20. Quò plures ſunt viri Sancti in aliqua Religione, & quò magis viget Regularis obſeruantia, & plura bona opera in illa ſiunt, plura ſolet Deus conferre beneficia ſpiritualia æque, ac temporalia, non ſolùm Ordini, ſed & Aſſociatis per Participationes, nam plurimorum attendens Sanctitatem, & omnium varia merita, illis permotus, excitatur ad conferendas plures benedictiones omnibus adunatis in vnitatem Corporis Religionis. Et è contrariò, quò maiora in ordine peccata ſiunt: & magis Regularis obſeruantia relaxatur, minores ſolet Deus largiri benedictiones; quia etiam variæ punitiones, afflictiones, imò & caſus Religionum ex iuſto Dei iudicio inde oriri ſolent. Sicut enim Ioſue 7. ob ſolius Achan peccatum, Deus populum Iſrael corripuit, vt Origenes ho. 17. in Ioſue: (Vno peccante, ira ſuper vniuerſum populum venit.) Ita ſæpiùs Deus Conuentus, Prouincias, imò & integros ordines ob quorundam in ijs degentium malam, & irreligioſam vitam punire ſolet; proindeque Religioſorum vitia, non ipſis ſolis, ſed toti Religioni maximo ſunt nocumento, quod plurimum ponderare deberent Religioſi irreligioſam vitam degentes*. Ponderent, inquam, hæc, & ſeriò perpendant: maximè laxis iſtis temporibus, Religioſi malè morati, & minus exemplares, quòd ipſi ſoli (quod maximè dolendum ac deflendum eſt) cauſa ſint toti Religioni ſuæ inenarrabilium malorum; perlegant, qui tales ſunt, (quos non ſolùm adhortor, verùm etiam conteſtor, ac coniuro) perlegant, inquam, præter alios aſcetas, etiam illum non minus piũ, quã eruditũ librũ *P. Io. Baptiſtæ de Lezzana*, cui titulus, *Reformatio Regularium, ſeu de Diſciplina Religioſa*, ac bene, ad ſui confuſionem expendant, quantopere eorum relaxatio à Sanctis Patribus ac Vitæ Spiritualis Magiſtris exaggeretur, atque execretur.

355 Sextò denique, non terminantur cum vita, non finiuntur cum morte prædicti fructus Religioſarum Participationum: ſed etiam ſoluta à Corpore Anima & Purgatorij mancipata ergaſtulis, earum adiuuatur ſuffragijs: *Litteræ Fraternitatis* (ait *Andreas Mendo in Epitome opinionum Moralium, Verbo Participatio num. 3. pagin. mihi 518.*) *valde proſunt tum viuentibus eis, quibus conceduntur, tum, cùm obeunt*. At de hoc ſpecialiter agendum eſt, tum Capite nono, & vltimo: tum ſubſequenti, in quo tractabitur de Indulgentijs, quæ præter hactenus enumeratos fructus per Litteras Spiritualis Filiationis participantur.

## DVBIVM QVINTVM.

### *An is, qui non eſt in ſtatu Gratiæ, de hiſce fructibus participet?*

RESpondeo participare de fructibus impetrationis, non autem ſatisfactionis. Sequitur hæc reſponſio ex ijs, quæ ſuperiùs pluribus paſſim locis diximus, præſertim *Dub. 22. Capitis 4.* concordatq; cum communi Theologorum doctrina, qui ad participationem per viam ſatisfactionis, requirunt quidem ſtatum gratiæ (*quia nullus*, vt ipſi aſſerunt, & in ſpecie *Paulus ab omnibus Sanctis par. 3. c. 6. n. 213. liberari poteſt à pœna, niſi abſolutus à culpa*) non autem ad participationem, quæ fit per modum impetrationis: vnde *Doctor Angelicus in Addit. ad 3. part. q. 27. art. 1. Si fieret*, ait, *communicatio per hunc modum, Facio te participem meritorum totius Eccleſiæ, vel vnius Congregationis, vel vnius ſpecialis perſonæ, ſic poſſet valere ad merendum aliquid illi, qui eſt in peccato mortali &c.* ſiue deinde meritum iſtud ſit impetrationis directæ, ſiue indirectę, quod ideò addo, quia *Adrianus quodlib. 8. art. 3.* & *Paludanus* citati à *Ruteo q. 6. ſect. 6. n. 21.* volunt, eos, qui ad participationem bonorum operum Religionis admittũtur, ſi exiſtunt in peccato, participare quidem de fructu impetrationis directę ſeu per intentionem operantis ipſi applicato: nõ autẽ de impetratione indirecta, quę prouenit ex vnione charitatis: *Sic prodeſt* (inquit *Adrianus*) *recipi ad beneficia alicuius hominis, vel multitudinis in ſpeciali, quia ſi peccator eſt, fit particeps per intentionem: ſi iuſtus,* 356

*vbi*

*vbi prius tantùm participaret ratione vnionis, modò etiam participat ratione intentionis. Melius tamen dicendum est* ( respondeo cum *Ruteo* ) *Quemlibet receptum ad Participationem bonorum operum ordinis, siue sit in statu gratiæ, siue non, participare in fructibus per modum impetrationis, siue directæ per intentionem, siue indirectæ per vnionem charitatis*. Cùmque hæc sit ipsa nostra conclusio, ac responsio, probatur quoad primam partem, quòd videlicet fructus impetrationis directæ, seu per intentionem applicantis participetur tam à Iusto, quàm à peccatore, siue non existente in gratia; probatur, inquam, hoc, ipsamet experientia, quia constat, nos ipsos orare pro cõuersione peccatorum, atque non raro Diuinam Maiestatem ob aliorum preces, peccatores sua Diuina gratia præuenire, eisque varia impertiri dona, benedictiones, ac beneficia, &c. Probatur etiam secunda responsionis nostræ pars, quòd nimirum indirectæ etiam impetrationis fructus à peccatoribus participetur, iuuetque eos, qui non sunt in gratia, in quantum procedit ex vnione charitatis; quia ipsi etiam peccatores participant fructus impetrationis indirectæ, prouenientes à Communione Sanctorum, & Ecclesiæ; cùm non sint recisi à corpore, & à Capite Ecclesiæ: idque propter vnionem, cum Ecclesia, vi cuius participes sunt orationum, ac meritorum omnium Fidelium ita quippe Communionem Sanctorum intelligit, ac explicat *Soto de Institutione Christiana l. 3. c. 16. fol. 205. & 206.* relatus à *Corduba l. 1. q. 3. vers. Secundò modo*, in hæc verba: *Etiamsi sint peccatores, non præcisi, dicuntur, & sunt Sancti, sicut & tota Ecclesia dicitur Sancta, vocatione, Sacramentis, & fine, seu etiam instituto, vel officio, vel ministerio ministrorum Ecclesiæ; hæc etenim omnia Sancta sunt, & ad sanctitatem acquirendam, conseruandam, vel præstandam, dedicantur, & ordinantur; ex quibus Ecclesiæ vera vnitas constat: & orationibus, & meritis, omnes omnibus fidelibus prosunt, atque communicant*. Benè tamen distinguit *Ruteus nu. 22. cit.* inter excommunicatum, & inter simplicem peccatorem: *In hoc differunt* (inquit) *Excommunicatus, & peccator, quòd excommunicatus sit membrum mortuum, præcisum à corpore Ecclesiæ, quod proinde non participat in influentijs, & bonis totius corporis: peccator verò licet sit velut membrum moribundum, manet tamen vnitum corpori, & in bonis illius suo modo participare potest; sicut igitur peccator non desinit suo modo participare in fructu impetrationis indirectæ totius Ecclesiæ ob vnionem charitatis: ita participat etiam in fructu impetrationis alicuius Ordinis, cùm receptus est ad participium bonorum operum illius. Præterea peccator est capax effectuum impetrationis indirectæ ( ex vnione charitatis ) de quibus supra, & illis indiget, ergo in illis etiam participat vnà cum Iustis &c.*

## DVBIVM SEXTVM.

### *Vtrùm omnes æqualiter participent de fructibus bonorum operum Ordinis?*

Respondeo, quòd non, sed crescere vel diminui secundùm maiorem, vel minorem dispositionem recipientis. Ita *Cappuccinus in Annotationibus lo. cit. versu, Quartò dicitur, in fine, & Corduba de Indulgentijs q. 42. punct. 3. dict. 9. in fine*: 357
Item secundùm eiusdem maiorem, vel minorem deuotionem: *Non omnes æqualiter participant de bonis, quæ sibi applicantur per Litteras, sed quilibet pro modulo suæ deuotionis*, ait *Miranda in Manual. Prælat. to. 2. q. 59. art. 1. in princ.* & cum eo *Rodriquez tom. 1. qu. 33. art. 6.* & *Bordonus resolut. 84. num. 16.* vbi & ipse quærens, *An benefactores, & alij participent æqualiter bona spiritualia virtute huiusmodi litterarum?* respondet, sicut præfati, eos participare *iuxta deuotionem illius, cui fit bonorum communicatio*. Responsio hæc est certa, nam etiam fructus Sacramentorum, quamuis proueniat ex opere operato, nihilominùs crescit, vel diminuitur (vt Theologi docent) iuxta maiorem vel minorem dispositionem suscipientium. Quare *Corduba in Quæstionario Theologico lib. 1. q. 3. opin. 6. concl. 4. versu, Sextò quia*: *in Sacramentis*, inquit, *fit quantificatio gratiæ, & aliorum fructuum Sacramentalium ex opere operato, secundùm dispositionem suscipientium, vt patet in Sacramento Pœnitentiæ, Baptismi &c.* Igitur & in casu nostro, imò multò magis, quantificatio fructuum per Litteras Filiationis collatorum, fieri dicenda est

da est maior vel minor, secundùm maiorem, vel minorem suscipientis deuotionem, & dispositionem; nec potest vlla ratio disparitatis assignari, nec quidquam in contrarium dici: si enim de fructu satisfactorio loquamur, qui primus ac principalis est ex ijs, qui per Litteras communicantur, hic vsqueadeò dependet à dispositione participantis, vt si iste fuerit in statu peccati, eo totaliter priuetur, tanquam indispositus ac incapax. Si autem loquamur de fructu impetrationis, hic etiam in maiori vel minori copia participatur, iuxta maiorem, vel minorem participantis dispositionem: licèt enim, hic fructus in participante non requirat statum gratiæ, tamen, qui non existit in Dei gratia, certè non est dispositus, ad illum in eo gradu, ac quantitate recipiendum, sicut Iustus quispiam ac Dei amicus: Quare *Ruteus quæst.6. sect.6. num. 22. in fine*, licèt loquatur in ordine ad aliud propositum, dicit tamen perquam appositè in rem nostram: *Non est putandum, peccatores æqualem cùm Iustis fructum impetrationis recipere, quia cum fructus hic ex Diuina liberalitate conferatur, maior indispositio subiectis retardat Deum ad illum conferendum: & hoc est quod Adrianus supra, docet, multa posse occurrere, ob quæ magis congruum sit à parte eorum pro quibus oratur, vt eadem oratio æqualiter pro multis fusa, pro vno magis audiatur, quàm pro altero*. Concludo proinde ipsismet verbis *Paulus ab omnibus Sanctis par.3. cap.6. sub numer. 215. versu, Posteriores verò, &c.* quod nimirum ij, *qui ratione Litterarum Filiationis ordinis spiritualium bonorum participes redduntur, regulariter, & vt plurimum inæqualiter communicant de dictis bonis*: idque ratione inæqualis deuotionis, vel dispositionis eorumdem, vt in responsione dictum.

358 Prætereà etiam ratione inæqualis intentionis Prælatorum, inæqualiter participari possunt ab Associatis fructus Litterarum Filiationis; participatio quippe passiua talium fructuum euadit maior, vel minor nō solùm ob dispositionem, & deuotionem illius, cui fit bonorum communicatio, vt dictum est, sed insuper etiam iuxta intentionem concedentis, vt *Bordenus* quoque asserit *loc. cit.* quia communicatio hæc haud dubiè ab intentione Prælati concedentis, tanquam à prima sua origine, ac fonte principali, & dominatiua, ac dispensante, dependet, qui eam largiorem aut restrictiorem iuxta suum beneplacitum concedere potest. Quamobrem iuxta opinionem eorum, qui intentionem Prælatorum, in concessione talium Litterarum, magis limitant, quàm nos, restringuntque ad solam communicationem fructus satisfactorij subditis superabundantis (prout præter supra citatos *Dub.22. cap. 4* eam quoque limitat *Cappuccinus loc. cit. sub lit. E, versu, Neque etiam*, his verbis: *Neque faciendo ipsi Prælati communicationem bonorum spiritualium suorum subditorum, in quantum satisfactoria sunt, præiudicium aliquod vel grauamen communitati inferunt, cùm solùm superabuntia (nisi aliud expresserint) communicent*. Iuxta hanc, inquam, opinionem, fructus satisfactorius, qui à Litteris Filiationis prouenit, multò inferior est eo, quem nos eodem Dubio admisimus, quandoquidem ibi intentionem, & communicationem Prælatorum extendimus etiam ad fructum non superabundantem operum bonorum communium, atque ex instituto Regulæ factorum, qui certè multò maior est. Adeoque fructus Litterarum Communicationis inæqualiter participari possunt: tum ob inæqualem dispositionem concedentis separatim considerati.

Possunt denique inæqualiter quoque 359
participari causa vtriusque simul considerati: quod tum contingit, quando Litteræ Filiationis cōceduntur causa charitatiui beneficij: tunc enim *valent* (ait *Bordon. n.16. cit.*) *iuxta qualitatem beneficij, quod facit Religioni, si concessio dependet ab huiusmodi causa*: Quando ergo concessio, seu intentio Prælati est huiusmodi, communicatio fructuum non se extendit, nisi ad gradum ipsis charitatiuis beneficijs proportionatum. Proinde fructus spiritualis Litterarum Filiationis hoc modo concessus, quantificatur, & à concedente, qui illum communicat causa charitatiui beneficij, & simul ab eo, cui conceditur, quia hic eum recipit solùm ad mensuram beneficij exhibiti charitatiui. *Cùm enim hæ litteræ* (ait *Pau-*

*Paulus ab Omnibus Sanctis par. 3. capit. 6. sub num. 215. versu, Posteriores verò*, vbi huic sententiæ suffragatur, eamque probat) *ordinariè conferri soleant à Religionis Prælatis, ex reciproco, ob præstita Religioni beneficia, gratitudinis affectu, & in his præstandis non modica communiter soleat intercedere diuersitas, similis quoque diuersitas ordinariè intercedet, inter ipsos possidentes has litteras; & in ipsa participatione; ita vt pro rata solùm participent, seu secundùm numerum, modumque beneficiorum. Ratio quippe motiua, & causa finalis huius communicationis, sunt exhibita beneficia: ergo quo plura, & maiora illa fuerunt, tanto amplius quis percipiet de præfatis bonis, ac meritis.* His adde, *quod iuxta Angelicum Doctorem, teneamur magis benefacere his, cùm quibus maiorem habemus coniunctionem, atque obligationem.* Hactenus ille, & ante ipsum *Peyrinus Tom. 2. de Prælato q. 3. cap. 6. nu. 13.* vbi sic argumentatur: *Nota, quòd huiusmodi Litteris Fraternitatis, conceduntur à Prælatis, illis personis, de quibus habent relationem, quòd sint deuota Ordinis, & Benefactores: vnde si in aliqua cesset ista causa finalis, quia scilicet non sit benefactor, certè ista non fruetur istis bonis: cessante enim causa, debet cessare effectus.* Prius autem vtroque *Cappucinus in Annotationibus loc. citat. versu, Quartò dicitur*, in hunc modum: *Quia talis communicatio, seu receptio ad participationem bonorum Congregationis, communiter fit à Prælatis informatis de talibus, quòd sint benefactores, & ideirco recipiuntur in communicationem bonorum operum ordinis (vt patet ex ipsis Litteris Confraternitatis, seu Filiationis) ideò notetur, quòd si talis causa propter quam recipiuntur, non esset vera, quia scilicet non esset talis benefactor, vt sibi supponitur, non valeret ei talis receptio ad participationem, nisi secundùm ratam: scilicet secundùm quòd fuerit benefactor; quia deficiente causa finali, seu conditione concessionis, deficit ipsa concessio, & non valet nisi, quantum accesserit ad causam talis concessionis. Quòd si sine vlla causa, seu ad libitum, vult recipere aliquem ad participationem bonorum suorum, seu Congregationis, ex pura charitate motus, aut motu proprio; tunc bene valebit ei talis communicatio, & participatio, secundùm intentionem ei sua bona communicantis, quoad vim satisfactoriam, & meritoriam; & etiam secundùm suam dispositionem participantis, quoad vim meritoriam speciatim:* hocipsum etiam aduerterunt eisdem prope verbis *Corduba loc. cit. Rodriquez tom. 1. qq. Regul. quæst. 33. art. 6. Lauorius de Indulg. par. 2. cap. 4. num. 15. pag. 47. & Miranda art. 5. cit.* qui insuper affirmat, hanc doctrinam esse certissimam, & vulgatissimam in materia de Indulgentijs.

## DVBIVM SEPTIMVM.

### *An crescente participantium numero, diminuatur in singulis fructus, qui participatur?*

DVo sunt principales fructus spirituales, qui à Regularibus Participationibus promanant, vt dictum est, satisfactionis videlicet, & impetrationis: de vtroque horum fructuum procedit nostrum dubium, ad quod 360

Respondeo affirmatiuè quantū ad fructū satisfactorium, negatiuè autem, quātùm ad impetratorium, cum ea tamen limitatione, quam modò assignabo: probo responsionem imprimis doctrina, quam paulò antè, ac alibi passim attigimus, communiter admissa, ac fundata in differentia, quæ inter vtrumque fructum intercedit: quia fructus satisfactorius non solùm per hoc differt ab impetratorio, quòd satisfactorius, ad hoc vt applicetur, iuuetque alios, requirat intentionem operantis: impetratorius autem non requirat talem intentionem, saltem si loquamur de impetratorio impetratione indirecta; cùm iste per solam vnionem chariratis applicetur, vt alibi dictum: sed insuper etiam differunt, iuxta Doctores (quod ad nostrum casum facit) per hoc, quòd fructus satisfactorius proueniat à nostris operationibus (supposito tamen, quòd istæ à Diuina gratia procedant) fundeturque in eis; quæ operationes, cùm sint virtutis finitæ, & limitatæ, ideo diminuitur consequenter hic fructus pro multiplicatione participantium: Econtrà cùm fructus impetratorius seu impetratio ipsa Diuinæ infinitatur liberalitati, quæ infinita est, neque quoad eam attendatur æqua-

litas seu proportio, saltem ordinariè: ideò fructus iste non diminuitur ob pluralitatem participantium, prout certe diminuitur alter, scilicet satisfactorius; ergo &c.

361 Subscribunt huic doctrinæ nostræ, authoritate sua, eamque approbant: primò *Paludanus*, *Adrianus*, & *Corduba*, apud, & cum *Ruteo q.6. sect.6. nu.23.* vbi ita disserit: *Explicanda est differentia fructus impetrationis, & satisfactionis, quam tangit Paludanus, supra, Adrianus, & Corduba de Indulg. q.39. quæ duplex est, prima, quòd Participatio per viam satisfactionis requirit specialem aliquam intentionem operantis, ita satisfactio nunquam applicatur alteri citra intentionem aliquam: participatio verò per viam impetrationis, non semper requirit specialem intentionem, licèt enim impetratio directa requirat, non tamen indirecta, quæ alijs applicatur ob solam vnionem charitatis. Secunda differentia est, quòd participatio in satisfactionibus, minuitur ex multitudine participantium, eò quòd in satisfactione nostra, quæ finita est, solutio ex rigore iustitiæ attendatur: in impetratione verò, cùm nitatur infinitæ liberalitati Diuinæ, sæpè non attenditur æqualitas, & proportio, nec fructus minuitur ob pluralitatem participantium.*

Secundò noster *P. Antonius Caracciolus in Annotation. ad Constitutiones Theatinas par. 2. cap. 5. §.14. vers. De nostrorum*: qui ait. *Firmatum est, posse à Prælatis Religionum applicari extraneis participationem suffragiorum suorum subditorum, sed, cùm ea, sicut & omnia Fidelium in gratia existentium opera, habeant vim tum satisfaciendi, tum impetrandi (omitto nunc de ijs loqui; vt meritoria sunt, quandoquidem operis meritum, est operantis tantummodo) si agamus de orationibus, alijsque bonis operibus, vt vim habent impetrandi, dicendum est omnia simpliciter posse applicari absque vllo subditorum detrimento, siquidem non minus alicui prodest oratio propria, si pro pluribus fiat, quàm si pro se tantùm; nititur enim absolutè Diuinæ misericordiæ, quæ infinita est. De satisfactione autem secus (vt dixi) iudicari debet; vtpote cuius vis nititur perfectioni operum, quatenus ex Diuina gratia procedunt; qua operum perfectio sicuti est finita, ita eò minus ad satisfactionem valet, quò pluribus ad hunc finem applicatur.*

Tertiò *Paulus ab Omnibus Sanctis par. 3. cap. 5. sub num. 206. vers. Aduertendum verò*; hisce verbis: *Valor Satisfactorius bonorum operum quò in plures dispertitur, eò minus singuli participant: cùm enim præcipuè nitatur perfectioni operum, quatenus ex Diuina gratia procedunt: & illa operum perfectio sit finita, ita eò minùs ad satisfaciendum valebit, quò pluribus ad hunc finem applicabitur; secus dicendum est de communicatione quoad vim impetrandi, siquidem non minus alicui prodest oratio propria, si pro pluribus fiat, quàm si pro se tantùm, nititur enim absolutè Diuinæ misericordiæ, quæ infinita est. Vnde quoad hanc vim impetratoriam, omnia bona opera à Prælato simpliciter possunt applicari absque vllo Subditorum detrimento.* Subiungit deinde ibidem: *Aliam intercedere, nota, differentiam, inter participantes de bonis aliorum operibus, per modum satisfactionis, & participantes per modum meriti, seu impetrationis. Ad participandum enim primo modo, requiritur specialis intentio operantis, & specialis intentio Prælati, applicantis tale opus bonum quoad valorem satisfactionis tali determinatæ personæ &c. Ad participandum verò secundo modo, scilicet per modum meriti, seu impetrationis, non requiritur talis specialis intentio, imò neque est necessaria scientia operantis, sed potest Prælatus ipse per se, & cui voluerit, applicare, quia in hoc nullum fit præiudicium subdito, imò fit melior conditio operantis ex multitudine participantium. Tum quia incipientes participare, incipiunt etiam de suo alijs communicare, Tum quia Deus, cuius misericordiæ, & liberalitati, quæ infinita est, talis fructus innititur, magis ex hoc honoratur, ex quo bene operans, maiores potest fructus sperare, maiusque augmentum præmij in vita æterna, vt ait Ricardus in 4. dist.45. quæst. 3. in fine.* Idem quoque docent *Corduba lib. 5. de Indulgentijs qu. 42. Peyrinus Tom.2. de Prælato q.3. c.6. n.3. & 4.* Pluresque alij, à Peyrino citati: ob quorum proinde authoritatem, communemque ac certam doctrinam, vera censenda est nostra responsio, atq; sententia.

Vera, inquam, ac certa quoad vtramque partem, quandoquidem quantum ad primam certum est, quòd, *qui pro alio satisfacit, non etiam pro se satisfacit, quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad vtrumque peccatum*, inquit *Doctor Angelicus in Supplemento quæst. 3. artic. 2. ad 3.* quem Theologi communiter sequuntur; quapropter *Suarez de Pœnitent. disput.48. sect. 2. numer. 4.* apertè improbat tanquam nouam, 362

nouam, ac falsam in Theologia hanc sententiam, quòd Iustus quispiam suo opere pœnali satisfaciat simul & semel tam pro suo, quàm pro alterius reatu; *Hanc*, inquit, *sententiam censeo esse falsam, & valdè nouam in Theologia, ideoque omnino vitandam in materia adeò graui; nam omnes Theologi contrarium sentiunt*. Hac proinde de causa, quòd scilicet fructus satisfactorius bonorum operum ex multiplicatione participantium minoris euadat valoris, exhortatur noster *P. Caracciolus l. c.* Prælatos Regulares hisce verbis; *Atque id*, inquit, *causa est, cur Prælati Religionum non debeant esse nimis liberales in concedendo huiusmodi Participationes*; quia videlicet, *operum perfectio est finita, itaque & minus ad satisfactionem valet, quò pluribus ad hunc finem applicatur*. Aduertat Lector id, quòd hìc dicitur de fructu satisfactorio, quòd scilicet, quò pluribus communicetur, eò magis in singulis diminuatur, non contradicere ei, quod superiùs dictum est *Dub. 22. cap. 4. n. 238.* quòd nimirum is, qui omnes suas satisfactiones alijs applicat, non adeò omni satisfactione ipse expers remaneat, vt non habeat, quo proprium debitum exsoluat; hoc enim ibi asseruimus prouenire, non ex natura rei, hoc est, non ex operis exigentia, sed solùm ex intuitu infinitæ Dei Misericordiæ, ac liberalitatis; prætetquam quòd fuerit ibi sermo nobis tantummodo de operante præcisè (considerando nimirum actum ipsius charitatiuum, quod semetipsum quasi exspoliet, vt alteri subueniat) non autem de participante, vt legenti constabit.

363 Porrò vera etiam est nostra responsio quoad Secundam partem; quia certum est, fructum impetrationis fundari in infinita Dei liberalitate, ac misericordia, quæ exhauriri non potest: quocircà prout talis, quantumcunque multiplicentur participantes, in nullo eorum imminui, eneruari, aut depauperari potest; siue enim pauci sint, siue multi, quilibet in æquali cum cæteris participantibus remanet conditione. Quapropter Doctores vt supra insinuauimus, imò communiter loquendo, conueniunt in hoc, quòd fructus satisfactionis in pluribus quidem differat à fructu impetrationis, specialiter tamen in eo, quòd fructus satisfactionis minuatur ex pluralitate participantium; non autem fructus impetrationis; hic enim applicatus pluribus (vt aiunt ipsi) non minus prodest singulis. Cæterùm ratio huius disparitatis inter vtrumque fructum, iuxta hos Doctores naturaliter clara est; quia videlicet satisfactio habet rationem solutionis pœnæ ex iustitia debitæ, quare æqualitas ac proportio inter satisfactionem, & debitum pœnæ internecine necesse est; cùm ergo satisfactio nostra, vt constat, in seipsa sit finita, ac limitata, habeatque certos limitationis gradus; consequens est, quòd applicata pluribus, minus conferat singulis: Cùm autem impetratio sit fructus, qui infinita Dei liberalitate mensuratur, neque aliunde quacunque ex causa limitetur; inde est, quòd applicatus pluribus non minus prosit singulis. Hac ipsa de causa expresè docuit *Paludanus*, eodem, quo nos hìc modo, fructum impetrationis non diminui ijs, qui iam prius associati sunt Ordini, per hoc, quòd alij plures de nouo associentur. En expressa illius verba; *Participium meriti non minuitur ex multiplicatione participantium: & propter hoc, sine præiuditio prius receptorum ad beneficia, possunt recipi, nec minus capiunt nouissimi, quàm primi*. Ita ille *in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. apud Ruteum q. 6. sect. 6. nu. 16. in princip.* qui insuper *n. 17.* subsequenti asserit, fructum impetrationis directæ eò esse maiorem, quoad plures sese extendit: quod ipsum plures quoque affirmant: specialiter *Adrianus quodlib. 8. art. 3.* vbi ait; *Gratior est Deo oratio, quando, cæteris paribus, pro pluribus funditur, quia opus est Deo acceptius, quanto ardor charitatis fuerit maior, censetur autem esse maior, cùm distantiùs scintillas emittit*.

Verum tamen est (& hæc erit limitatio illa nostræ responsionis, quam initio intimauimus) quòd licèt in fructu impetrationis non attendatur æqualitas iustitiæ, sicut in satisfactione; sed solà Dei liberalitas, per quam sæpè maiora ab eo impetrantur, quàm per viam iustitiæ; *plerumque* (ait *Nauarrus Miscell. 12. de Rosar. n. 3.*) *maiora impetrantur per viam liberalitatis, & congruitatis, quàm iustitia*; *Communiter tamen*: subinfert *Ruteus loc. cit. n. 18. in princ.*) *ipsa Dei liberalitas seruat aliqualem* 364

*qualem proportionem inter causam impetratoriam, & effectum*. Quod experientia constat; nam plus haud dubiè à Deo impetrat vir Sanctus; nec tam facile peccator exauditur, ac Iustus: preces quoque, ac pœnitentiæ plurium faciliùs Deum ad misericordiam inclinant, quàm preces, ac pœnitentiæ vnius tantum; neque eadem facilitate Sua Diuina Maiestas concedit magna, qua confert parua. Idque totum non ob aliam causam, quàm quòd Diuina Misericordia, ac liberalitas, quamuis vtraque infinita sit, nihilominus in collatione effectuum impetrationis, obseruat proportionem aliquam inter causam impetrantem, & effectum; cùm hic intuitu illius conferatur; quare vnum idemque opus bonum non æqualiter impetrat à Deo beneficium pro pluribus, ac pro vno tantùm; vnde sicut ex multiplicitate participantium, in singulis diminuitur fructus satisfactionis, ita etiam impetrationis: quamuis in impetratione non tam stricta attendatur æqualitas: *Vnde sequitur* (ait *Ruteus n. cit.*) *quòd quo plures recipiuntur ad participationem bonorum operum Ordinis; sub illo respectu præcisè, minorem fructum communicari singulis. Compensatur tamen illud sufficienter aliunde:* primò, *quia qui incipit participare (iuxta Doctores) incipit etiam de suis bonis operibus, & orationibus alijs communicare; & sicut intuitu bonorum operum aliorum recipit varios fructus, ita & alij ob illius bona opera.* Eandem proinde mentem in nostro casu esse censendum est, tam Associantibus, quàm Associatis ad Ordinem, vti apertè affirmat *Raynaudus par. 1. Scapularis Illustrati c. 4. pag. 49.* vbi ait: *Vicissim Fratres, cùm Religiosi, tum Asciti sy participant meritis, & spiritualibus bonis, ita enim censendum est fore mentem eorum. Et idoneum fundamentum id asserendi petitur ex communione, quæ debet intercedere inter membra eiusdem Corporis Mystici: disertè verò id tradit præstans Theologus Leo à S. Ioanne.* Secundò, compensatur prædicta diminutio; quia (vt verbis *Rutei n. cit. in fine* loquar) *quo plures ad participium bonorum operum recipiuntur, maior est vnio charitatis, & plura merita inter se copulantur, quare simul sumpta, multo plura beneficia à Deo impetrare solent.* Præterquam quòd tanta sit Dei Misericordia, & liberalitas erga homines, vt sæpè, imò plerumq; non attendat præfatam proportionem inter causam impetratoriam, & effectum, sed intuitu solius suæ liberalitatis conferat multa beneficia ob aliorum merita, imò æqualia, tam paucis, quàm multis; quocircà *Adrianus quodlib. 8. art. 3.* apud *Ruteum l. c. n. 19.* ait, quòd *Deus, cùm sit liberalissimus, & summè misericors, quærit, & desiderat nonnunquam rogari vt habeat occasionem, diuitias misericordiæ suæ impertiēdi.* Adeò, vt ob preces, & merita vnius Iusti ex ordine, multas elargiatur gratias non solùm Religioni vniuersæ, sed etiam eisdem Aggregatis: prout intuitu quoque eiuscemodi Iusti Dominus Deus protegit totum Ordinem, ac præfatos Associatos, liberatque à varijs malis, quæ ob peccata sua promeriti erant: similiter liberat nonnunquam Ciuitates, Prouincias, atque integra Regna à malis grauissimis, quæ exigentibus eorum delictis tolerare deberent, quod perpendens *Raynaudus c. 4. cit. §. 2.* in hæc prorumpit verba: *Multùm prodest Republicæ, quòd sit in ea insignis aliquis Iustus. Et est valde dignum luctus argumentum, cùm Iustus de terra tollitur. Quia boni ciues per suam præsentiam in aliqua vrbe, aut Regione, etiam silentes, & nihil tale cogitantes, plurimum commodant oræ, ac Regioni, in qua versantur; quatenus Deus, qui medullas cordium penetrat, & nouit, quanto sint erga eam oram affectu, talium amicorum suorum intuitu indulget aliqua eidem oræ, aut Ciuitati, quæ alioqui non indulgeret. Eoque spectabit Stilico Comes, cum tanto studio tentabat, Sancti Ambrosij iacentis obitum, per ipsum Sanctum Ambrosium auertere. Non ignarus, quanto publico damno esset migraturus: & quantæ vtilitatis foret Reipublicæ, si exoraret incolatum suum ad tempus aliquod prolongari.* Hucusque *Raynaudus* cuius verbis præsens termino Dubium.

CA-

## DVBIVM OCTAVVM.

*An inter Religiosos, & eos, qui per Litteras Filiationis ad consortium bonorum operum Ordinis admissi sunt, mutua intercedat fructuum spiritualium communicatio?*

365 RESpondeo affirmatiuè, idque ob autoritates ac rationes adductas *Dub. 2. 2. cap. 4.* specialiter *num. 239.* & sequentibus: & ob ea, quæ numero quoque antecedenti in ordine ad hoc propositum diximus; quæ omnia breuitatis causa hìc repetere supersedeo, eòque Lectorem remitto, ex quibus clarè perspiciet, quòd qui incipit participare, incipit etiam communicare: *Ita enim censendum est, fore mentem eorum.* (ait *Raynaudus loc. cit.*) *Et idoneum fundamentum id asserendi petitur ex communione, quæ debet intercedere inter membra eiusdem Corporis Mystici.* Idem docet *Hieronymus Platus de bono status Religiosi, libro 1. c. 26.* vbi hanc materiam præclarè tractat, ad quem proinde Lectorem remiserim; is nostram responsionem adeò veram esse asserit, vt contrarium absque temeritatis aut manifesti erroris nota sustineri nequeat.

366 Probatur modò: Fide certum est, in Ecclesia Dei dari Communionem Sanctorum, quæ certè aliud non est, quàm mutua communicatio bonorum operum. *Inter alia credenda, quæ tradiderunt Apostoli, est quòd communio bonorum sit in Ecclesia:* ait *S. Thomas Opusc. 6. c. 13.* vbi etiam docet, hanc communionem in eo consistere, quòd bona spiritualia vnius communicentur alteri, ob vnionem charitatis, vnde subiungit: *Qui in charitate viuit, particeps est omnis boni, quod fit in toto mundo:* idque absque speciali etiam intentione, *ex sola vnione Charitatis.* Iam ex tali supposito principio, hoc deduco argumentum. De fide est per Communionem Sanctorum, omnia bona opera, ac merita Fidelium, prodesse suo modo singulis Fidelibus, omnesque vice versa participare de singulorum bonis operibus ac meritis; etiam absque expressa operantis intentione, ex sola vnione charitatis: Sed communicatio bonorum operum, ac meritorum Religionis, quæ à Prælatis Regularibus per Litteras Filiationis exhibetur, est species Communionis Sanctorum, sed magis restricta, videlicet ad corpus particulare Religionis, magis etiam proficua, vt probatum est *Dub. 6. cap. 1.* vtque etiam affirmat *Miranda in Man. Prælat. Tom. 2. q. 49. art. 2. in fine:* vbi ait: *Licèt multum prosit Communicatio illa Generalis de congruo, quæ fit ipso iure omnium bonorum iustorum per Communem, & generalem omnium Sanctorum Communionem; facta tamen specialis, & actualis Communicatio de aliquibus bonis ab ipso operante, seu à Prælato in id authoritatem habente, absque dubio multum plus prodest, & quàm maximè sunt proinde facienda, & æstimandæ Confraternitatis Litteræ; & Communicatio specialis; quæ specialiter fit de tot millibus bonis Religiosorum, quæ communiter habentur in Religionibus.* Continetur autem hæc specialis communicatio in Communione generali, sicut species in suo genere; qui ergo negat mutuam ac reciprocam communicationem bonorum operum, ac fructuum spiritualium, inter Religiosos, & eos, qui ad consortium bonorum operum Ordinis adlecti sunt, negat consequenter etiam Communionem Sanctorum in Ecclesia Dei, quod est temerarium; ergo vera est nostra responsio.

Cùm autem certum sit in Theologia, 367
opera bona vnius, quoad effectum, & fructum satisfactionis non prodesse alijs nisi id intendat operans, saltem intentione virtuali: Neque certum sit, Associatos intendere, fructum suorum operum pœnalium reddere communem, seu intra se, seu vicissim Religiosis, à quibus ad talem participationem assumpti sunt; idcircò neque nos hìc responsionem nostram ad eum fructum extendimus; sed tantùm ad meritorium de congruo, seu impetratorium tam indirectum, quàm etiam directum; etiam, inquam, directum: quia vt benè *Raynaudus* superiùs relatus ait: *Ita censendum est, fore mentem eorum: Et idoneum fundamentum*

*tum id asserendi petitur ex Communione, quæ debet intercedere inter membra eiusdem Corporis Mystici:* & ob vnionem charitatis: ob contractum spiritualis Societatis, qui inter ipsos ac Religiosos intercedit; ac denique, quia talis reciproca ac directa communicatio non solùm non præiudicat communicantibus, sed potiùs eos iuuat, adaugetque eorum fructum, vt sæpius iam dictum; quæ omnia motiua sunt efficacia, ad concludendum cum *Raynaudo; censendum esse hanc fore mentem eorum &c.*

## DVBIVM NONVM.

### *An reuerà dici possit, admissos per Litteras Filiationis ad consortium bonorum operum Ordinis, participare in meritis totius Ordinis?*

368 RESpondeo affirmatiuè; neq; enim contrarium sustineri potest, maximè ob ea, quæ toto passim Tractatu, vsque ad præcedens Dubium, circa communicationem, ac participationem meriti supposita ac stabilita sunt; adeò vt præsens Dubium prius fuerit resolutum, quàm propositum: non est tamen superflua eius propositio, imò necessaria; insurgit enim quidam apud *Ruteum de Particip. q.8. sect.1. a. n.1.* qui nec proprio nomine audet comparere, neque quis aut qualis sit, edicere; qui temerè ridet, & quasi ludit hunc loquendi modum cœteroquin valde vsitatum; ac omnino verum, quòd videlicet recepti per Litteras Filiationis à Prælatis Regularibus ad Consortium bonorum spiritualium sui Ordinis, reuerà, vti asseruimus, participent in omnibus meritis eiusdem Ordinis. Displicet huic Authori talis loquendi modus, acriterque in eum inuehitur; & damnat vt hæreticum; quia (inquiens) in opere bono inuenitur meritum, & satisfactio; & quamuis satisfactio possit applicari alijs, meritum tamen nequaquam, hoc enim semper est merentis, & incommunicabile, vti communiter tradunt Doctores: quocircà Regulares per suas Litteras Filiationis non possunt merita Ordinis communicare alijs, sed solas satisfactiones. Addit porrò neminem Sanctorum, neq; adeo ipsammet Beatissimam Virginem alijs donasse sua merita, sed ea ipsis à Deo integrè fuisse remunerata in Cœlis: Christum Dominum solum infinita sua merita donasse hominibus, pro quibus & mortuus est; vnde, cum Regulares merita sua per dictas Litteras communicant, omnibus sese præferunt Sanctis, ac per superbiam Deo se similes constituunt. Contra hunc ergo, qui *multa alia exaggerat* (vt *Ruteus* loquitur) *viro graui certè indigna*, nostra directa est responsio, quę probatur.

369 Primò, quia hic modus loquendi, seu asserendi, quòd Prælati Regulares per Litteras Societatis Spiritualis merita suorum Ordinum communicent, neque primò excogitatum, neque recenter inuentum est à Religiosis idiotis, prout is Regularibus imponit, sed suam originem à Sanctis Patribus ac grauibus Doctoribus trahit. *Sanctus Cyprianus Epist. 1. ad Cornelium Papam*, quem *Ruteus loc. cit. n. 10.* refert, apertè ait: *In meritis, ac laudibus vestris, nos quoque participes computamus*. *S. Anselmus l. 1. Epistolarum Ep. 37. ad Frodelinam*, hunc per quem præfixit Titulū: *Precatur Sanctissima Mulieris participare Orationibus, & meritis*. Et in Epistola ipsa inter cętera hæc habet; *Vt qui bonis meis meritis, me video valde indigere, vestris me posse aliquantulum, per charitatis vnionem miscere:* & paulò pòst: *peto etiam, vt vestra beatitudo in eandem charitatem suorum meritorum communionem aliquatenus dignetur admittere:* ita Sanctus iste Vir apud eundem *Ruteum n. cit.* qui etiam *q. 1. sect. 6.* testatur, in Litteris quibusdam Sanctissimi sui Fundatoris *Francisci de Paula*, quas ibi ex integro refert *num. 30.* sequentia contineri verba; *Quemlibet vestrum ad Confraternitatem nostram recipio; plenam, & specialem Participationem omnium charismatum, & operum meritoriorum &c. Gratiosè conferendo*. Non desunt alij Sancti, qui eadem loquuntur methodo, sed breuitatis causa hìc intermittuntur. Pariter neque Classicorum, & quidem grauissimorum

morum nobis deficit authoritas, quorum ſparſim verba in hoc Tractatu ſuis locis retulimus. Et vt denuo aliquos, quamuis ſuperfluum ſit, in medium adducamus: cœterorum Coriphæus ſit doctiſſimus *Thomas VValdenſis* verè Catholicus, qui materiam noſtram de Participationibus bonorum ſpiritualium per Litteras Filiationis contra *VVicleffum* exactè tractauit, eumque acriter conuicit. Hic Doctor Tractatum ſuum iſto inſigniuit Titulo: *De meritorum, & ſuffragiorum per Litteras participatione*. Ita *l.* 3. *de Sacramentalibus tit.* 10. ſub quo Titulo per omnia eiuſdem Capitula, refert textus Sacræ Scripturæ, vtriuſque Teſtamenti, Sententias Sanctorum Patrum; adduciteque rationes probantes, & conuincentes mutuam communicationem meritorum inter Fideles vniuerſim; atque etiam magis reſtrictam, videlicet inter Religioſos, & ijs per Litteras Filiationis aggregatos. *Cappuccinus in Annotationibus, verbo Indulgentia, quoad ſæculares quartò*: proponit Dubium iſtud: *Quis poteſt bona alteri communicare?* reſponde que in hunc modum. *Ad quod dicitur, quòd quilibet poteſt alteri applicare, ſeu communicare bona ſua propria, tam quoad vim ſatisfactoriam, quàm meritoriam de congruo. Et ſimiliter bona ſuorum, ſuper quæ habet authoritatem, vt ſunt Prælati &c.* Deinde nonnullis interiectis proſequitur: *quoad vim autem meritoriam tam ipſe qui facit, quàm Prælatus quicunque, poteſt ſemper communicare, ſeu applicare talia bona &c. quibuſcunque voluerit, vt virtute talium meritorum &c. Corduba in Quæſtionario Theologico lib.* 5. *de Indulg. quæſt.* 42. *puncto* 2. *in princip.* mouet difficultatem ſub tali Titulo; *Ad quid valet tale participium ad merita alicuius, ſeu aliquorum?* Reſpondet *Rodriquez tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 33. *par.* 3. *Valet talis communicatio meritorum alicuius perſona, ſeu Congregationis ad habendam à Deo gratiam conuerſionis &c.* & *art.* 5. *in fine*, repetit ea, quæ *Cappuccinus cit.* dixerat, iiſdem quaſi verbis: *Suarez tom.* 4. *in* 3. *par. diſp.* 55. *ſect.* 5. *n.* 2. nec punctum ab hac doctrina recedit, dum ibidem ait: *Prælati Regulares habent poteſtatem concedendi aliquibus remiſſionem pœnarum, applicando eis bona merita, & ſatisfactiones ſuarum Congregationum, & n.* 6. *Admittunt ergo illos ad applicationem ſuorum meritorum, & operum; præcipuè per modum impetrationis*. Ecce ergo, vt communis ac verus eſt ſenſus Sanctorum Patrum, atque Doctorum, quòd vnus poſſit alteri communicare ſua propria merita: ecce vt modus iſte loquendi, ijs iam pridem fuerit vſitatus, & modò iuxta eorum ſenſum, normam, atque ad eorum imitationem à modernis adhibeatur: quando dicitur, Prælatos Regulares per ſuas Litteras Filiationis, recipere Amicos ad conſortium meritorum Ordinis, prout reapſe ad talem Participationem meritoriam eos recipiunt: vera itaque eſt reſponſio, quam dedimus, quæ

Secundò probatur, tranſeundo à mo- 370
do loquendi, qui reuerà communis eſt, Catholicus, & apud Sacros Doctores perquam vſitatus, ac frequens, ad ipſam rei veritatem. Quando ergo Prælati Regulares quempiam recipiunt ad conſortium meritorum Ordinis, neque ſenſus, neque mens illorum eſt, quod ipſis intendant communicare, vel vnicam ſtillam de merito proprio perſonali, quod gratiam, ac gloriam Cœleſtem aſpicit, ſiue, vt communiter vocatur, de merito, de condigno: cùm proinde præfatus Author (vt ex ipſius argumentis colligitur) mentem Prælatorum in communicatione meritorum Ordinis, in hoc ſenſu interpretatur; grauiſſimam certè illis facit iniuriam, eoſque clariſſimæ, ſupinæ, atq; intolerabilis ignorantiæ damnat. Quis autem (Deus bone!) inter Theologos adeò nouitius eſt, vt ignoret, totum meritum Gratiæ, & Gloriæ, qui eſt fructus ſpecialiſſimus bonorum operum, eſſe ſolius merentis, & ab ipſo alijs incommunicabile (vt dictum eſt *Dub.* 22. *capitis* 4.) & quòd nullus vnquam purus homo, neque Beatiſſima Virgo ipſa vlli alteri vel minimam indiuiſibilem particulam proprij meriti communicauerit? Hæc quippe ſpecialis eſt Prærogatiua ſolius Chriſti Domini Noſtri, qui infinita ſua merita, & ſatisfactiones humano generi donauit. Non eſt, inquam, hæc Prælatorum mens, quod diſertis tibi verbis conteſtabitur vnus Regularium, videlicet *Rodriquez art.* 3. *cit. in princ.* vbi de noſtro caſu differens, ita loquitur: *Participium ad merita, non valet ad hoc, vt ipſi participantes ex*

hoc

*hos immediatè sine vno bono opere, & dispositione, habeant gratiam gratum facientem, seu charitatem: sicut neque ad meritum, aut præmium gloriæ: quia loquendo de lege ordinaria, nullus potest alteri de condigno mereri gratiam, & gloriam, sed tantùm de congruo. Potest enim de congruo mereri, & per bona opera impetrari, vt Deus &c. vt tenent communiter Doctores.* Intentio itaque Prælatorum Regularium, prout Regularis hic, atque etiam Classicus Author, cum omnibus Catholicis Doctoribus communiter, nullo excepto, docent; non est (prout inconsideratè, & absque meriti distinctione Aduersarius interpretatur) quòd velint per Litteras Filiationis, iis quos ad consortium bonorum spiritualium admittunt, communicare meritum proprium, personale, & de condigno Religiosorum sui Ordinis, id enim extra eorum est potestatem: sed solùm meritum de congruo impetratorium, vt sæpiùs iam dictum, quod iuxta solidam atque Catholicam doctrinam procul dubio communicabile est: de hoc ergo merito solo sermo est, quando merita totius Ordinis dicuntur participari ab Aggregatis eidem per Litteras Filiationis vt in Dubio proposuimus: quod pluribus passim locis huius Tractatus, imò & Dubio antecedenti sat superque probatum est; vnde apparet, temerarium esse, qui huiusmodi participationem meritorum Ordinis per viam sæpè dictarum Litterarum negauerit.

## DVBIVM DECIMVM.

### *An aliquid requiratur, ad consequendam Spiritualem Filiationem?*

371 BOrdonus *res.84. n.21.* in ordine tamen ad aliud intentum loquens, ait: *Nihil spirituale habet facere, pro consecutione huiusmodi bonorum spiritualium, sed se merè passiuè habet in illorum receptione:* atque ita reuera est; quod etiam ex ipsis verbis Litterarum huius Consortij spiritualis apparet, quæ nihil ad earum consecutionem exigunt; maximè si eas Prælati concedunt ex mera charitate, atque amicitia. Quare quisquis demum sit, dummodo non exclusus, tamquam membrum præcisum, ab Ecclesia, & à generali Communione Sanctorum, capax est particularis Communicationis, seu spiritualis Filiationis Religionum; quandoquidem reipsa quilibet *pro consecutione huiusmodi, & receptione, merè passiuè se habet.*

Dixi, *maximè si eas Prælati concedunt ex mera charitate, atque amicitia:* quia si eas ex gratitudine benefactoribus Ordinis conferunt; supposita persona vt tali, & causa beneficij charitatiui censetur conditio necessaria ad validam consecutionem talis spiritualis participationis, quòd persona reipsa sit verè benefactrix; & non se res secus habeat; quapropter quærit *Bordonus res. cit. quæst. 4. n. 11.* an is, qui se fingit benefactorem, cùm tamen talis non sit, validè consequatur spiritualem Filiationem, & resoluit quòd non, si conditio charitatiui beneficij fuit causa concessionis, sine qua Prælatus cæteroquin eam non concessisset; cessante enim causa, cessat effectus, *Cap. Et si Christus de iureiur. & quia non subsistente, datum restituitur; seu non censetur datum c. 5. de donat. inter vir.* Alij quoq; Authores *Bordono* antiquiores eodem modo hanc resoluunt quæstionem; qui videri possunt superiùs *Dub. 6.* huius Capituli sub *n. 359.* Admoneo tamen Lectorem, aliter resoluendum esse cum *Bordono loc. cit.* & alijs apud ipsum; *Si superior sit facilis ad recipiendum quoslibet ad participationem, & allegata causa non est finalis, neque motiua, sed tantùm impulsiua, & occasio libenter inducens ad concessionem, quod aliàs etiam indulsisset, licèt non ita libenter.* Sunt verba *Bordoni n. 11. cit.* 372

## DVBIVM VNDECIMVM.

### *An aliquid requiratur ad consequendum effectum, ac fructum Litterarum Filiationis?*

REspondeo, nihil requiri ad eorum consecutionem, nam admissus ad eorum participationem, vti benè 373

*Bor-*

*Bordonus n. 2 1. cit. nihil spirituale habet facere pro consecutione huiusmodi bonorum spiritualium, sed se merè passiuè habet in illorum receptione.* Quod & verum est; nam vterque effectus, ac fructus Spiritualis, qui ex Filiationis Litteris promanat, tam satisfactorius scilicet, quàm impetratorius, merè passiuè se habendo participantur, vt constat; ergo &c.

374 Vnum adhuc admoneo pro conclusione tam Dubij, quàm totius Capitis: effectus videlicet, ac fructus spiritualis Filiationis, participari etiam iuxta mensuram deuotionis, seu charitatiuæ beneficentiæ, qua erga Religionem vtuntur ij, qui ab eiusdem Prælatis ad participationem bonorum spiritualium recepti sunt. Ex quo sequitur, quòd quò maior fuerit effectus eorum deuotionis erga Religionem, eò etiam copiosiores erunt supradicti fructus, atque effectus, quos consequentur: cùm certum sit, & iure quidem, intentionem tam Prælatorum, quàm Subditorum esse, vt maiora dona spiritualia, magis de Ordine meritis conferantur, vti etiam obseruant *Cappuccinus in Annotationibus Verbo Indulgentia quoad sæculares quarto, vers. Quartò dicitur, Corduba lib. 5. de Indulg. q. 42. punct. 3. dicto 9. Rodriquez tom. 1. qq. Regular. qu. 33. art. 6. Miranda in Manual. Prælatorum, tom. 2. q. 50. art. 5. Peyrinus tom. 2. de Prælato q. 3. cap. 6. n. 13. Bordonus resf. 84. n. 16.* vbi ait etiam: *pro his* (videlicet veris amicis ac benefactoribus) *in mea Religione, celebrantur officia singulis annis, & qualibet feria sexta dicuntur in Choro post Completorium quadam particularia suffragia, tam pro viuis, quàm pro defunctis.* Et *Paulus ab Omnibus Sanctis l. c. sub n. 15. versu, Posteriores verò:* allegans ibidem in fine, appositè ad hoc propositum, quòd *iuxta Angelicum Doctorem teneamur magis benefacere his, cum quibus maiorem habemus coniunctionem, obligationem &c.* quod nos etiam facere docet *Vrbanus V.* in suo Priuilegio, dum in eo solis Benefactoribus Ordinis concedit Indulgentias per Litteras Filiationis Spiritualis, de quibus Indulgentijs modò sit

# CAPVT OCTAVVM.

## *DE INDVLGENTIIS,*

Quæ per Litteras Filiationis conferuntur.

375 PRælati Regulares, quando per Litteras Filiationis Spiritualis communicant satisfactiones ordinis, non conferunt, aut efficiunt Indulgentias (sumpto nomine Indulgentiæ in sensu proprio) concedere enim Indulgentias, propriè, vt præter alios docet *Lezana V. Bona Regularium num.* 8. aliud non est, quàm partem aliquam satisfactionum superabundantium Christi, ac Sanctorum, in Ecclesiæ Thesauro, siue in Mente Diuina repositarum, in suorum, aut alienorum peccatorum satisfactionem elargiri: huiusmodi autem non est communicatio satisfactionum ordinis, quæ à Prælatis per Litteras Filiationis fit; his enim non competit potestas dispensandi ea bona, siue sua, siue suorum subditorum, quæ iam in Ecclesiæ Thesauro reposita sunt, cùm non resideat penes ipsos: Cùm ergo communicant Ordinum satisfactiones; non conferunt Indulgentias, sed simplicem exercent donationem, vt communis est Theologorum sententia; quare *Gabriel à S. Vincentio in Tract. de Sacram. par. 3. de Sacr. Pœnit. disp. 13. q. 7.* ait; *Regularium Prælati, dum extraneis concedunt communes satisfactiones, non faciunt Indulgentias, sed simplices largitiones: hac conclusio est communis inter Theologos: videatur Nugnus qu. 26. art. 1.* & *Passerinus de Indulgentijs q. 88. n. 641.* subiungit: *Prælati concedunt suis familiaribus, & amicis, remissionem pœnarum, applicando eis bona merita, & satisfactiones suarum Congregationum, & efficiendo illos participes illarum, & eos ad quandam vnionem admittendo, vt ex vsu Ecclesiæ est manifestum. Sed dicitur; quòd hoc non est*

*Indulgentias concedere, sed suorum subditorum suffragia donare*. Accedit ratio, nam si hæc Prælatorum concessio foret, non tantùm simplex spiritualis donatio, sed vera, ac iuridica absolutio, hæc fieri deberet per clauium potestatem, quod præstari ab ipsis nequit, nam vt docet *S. Thomas in 4. dist. 20. qu. 1. art. 3.* potestas clauium Ecclesiæ, vnicè penes Summum eius Pastorem residet, adeoque non penes Prælatos Regulares; igitur cùm isti bona spiritualia Religionis communicant, simplicem tantùm exercent elargitionem, eorum bonorum, quæ nondum ad Ecclesiæ Thesaurum deuoluta sunt; non veram, ac iuridicam absolutionem; hæc enim dicit communicationem præfati Thesauri, qui non nisi vsu clauium Sancto Petro, ac eius Successoribus, consignatorum, distribui potest. Attamen negari nequit, vt idem *Gabriel à Sancto Vincentio* notauit, in hac gratiosa satisfactionum Ordinis communicatione, non etiam quamdam interuenire misericordiam, ac iustitiam, qualis interuenit in iuridica absolutione, facta per Indulgentias; Iustitia quippe interuenit, in quantum Prælatus tantum de præfatis satisfactionibus conferre potest, quantum solùm debet ei, cui fit communicatio: interuenit etiam misericordia, quia hanc alieni debiti solutionem, Prælatus gratiosè facit, absq; vllo pretio. Id tamen adhuc nondum eleuat hanc communicationem absolutè & propriè, loquendo ad naturam Indulgentiarum, quia nondum est iuridica absolutio, facta per potestatem clauium. Cœterùm quamuis hæc non sit propriè dicta concessio Indulgentiarum; nihilominùs Prælati Regulares præter alia bona spiritualia, quæ vi suarum Litterarum communicant, etiam Indulgentias Ordinis elargiuntur, quandoquidem etiam istæ expresè in Litteris contineantur; quod euidenter apparet in Litteris Theatinis; quæ inter alia dicunt; *Vos in charissimarum nostrorum numerum cooptamus; & cùm inter viuos, tum inter mortuos numeramus; atque Sacrificiorum, precum horariarum, Meditationum, Vigiliarum, Ieiuniorum, Indulgentiarum &c. Consortes volumus esse, atque participes*. Et in Carmelitanis Patrum Discalceatorum sic legitur; *Te, peculiari charitatis significatione complectentes, ad participationem omnium priuilegiorum, Indulgentiarum &c. totius nostræ Congregationis admittimus*. Porrò licèt in aliqua huiusmodi Litterarum, participatio Indulgentiarum non esset posita expresè, intelligitur tamen in ijs contenta, ac communicata semper; cùm Prælati absque formali huius rei expressione id facere queant, teste *Peyrino tom. 2. de Prælato q. 3. cap. 6. num. 9.* vbi de talibus Prælatis ait: *possunt omnes Indulgentias concessas Regularibus, Benefactoribus applicare, etiamsi in illis* ( Litteris ) *nihil tale dicatur*: & paucis interiectis prosequitur: *Duobus autem modis intelligo posse fieri hanc applicationem. Primò, applicando fructum dictarum Indulgentiarum, eo modo, quo applicantur defunctis. Secundò, concedendo, vt dicti Benefactores possint per seipsos dictas Indulgentias lucrari, faciendo ea, quæ ad id requiruntur*: quod etiam obseruauit *Lezana Verbo Indulgentia quoad Regulares nu. 15.* vbi ait: *possunt autem Prælati communicare suis Benefactoribus Indulgentias sui Ordinis, primò quidem; præcipiendo suis subditis, vt pro illis Indulgentias lucrentur. Quod fieri potest supposita sententia Suarez disput. 52. sect. 7. num. 6. Bonacinæ & aliorum, asserentium posse vnum hominem viuentem pro alio etiam viuente, lucrari Indulgentias, si Pontifex id concedat, prout contingere videtur in hoc casu. Secundò, vniendo, & aggregando dictos Benefactores cum suis Religiosis, ac ita faciendo, quod quemadmodum Religiosi dictas Indulgentias consequuntur faciendo opus à Papa præscriptum, ita & i lli Benefactores, si illud fecerint*. De hac modò Indulgentiarum concessione, quæ à Prælatis Regularibus per Litteras Filiationis fit, præsenti tractabimus Capite, cuius sit

DV-

### DVBIVM PRIMVM.

### *Vtrùm Prælati Regulares communicent per suas Litteras, Indulgentias Ordinis, Iure proprio?*

376 NOn desunt, qui asserunt Prælatos Regulares, ordinario pollere iure ac potestate, etiam de Iure Diuino, concedendi Indulgentias: horum vnus est *Rodriquez*, qui id disertè affirmat *Tom. 2. qq. Regul. qu. 86. art. 1.* hisce verbis: *Dico, loquendo de Prælatis Religionum, habentibus Iurisdictionem Episcopalem, quales sunt Generales, & Prouinciales, eos habere authoritatem Ordinariam, iure Diuino concessam, ad largiendas Indulgentias; & idem tenet Frater Michael Medina cap. 29. de Indulg.* cum Rodriquez, & illius *Compendio ref. 77. de Indulgent. num. 5.* qui etiam ait; *Prælati Regulares habentes Iurisdictionem quasi Episcopalem, quales sunt Generales, & Prouinciales, habent authoritatem Ordinariam largiendi Indulgentias, & à Iure Diuino ea potestas emanat &c.* His non obstantibus

377 Respondeo ad propositum Dubium negatiuè, iuxta communem ac veram sententiam, quòd Prælati Regulares absolutè non habeant tale ius, nec potestatem ordinariam communicandi Indulgentias Ordinis per Litteras Filiationis. Eiusdem mentis est *Paulus ab Omnibus Sanctis par. 3. cap. 4. num. 200.* in simili Dubio, quod ipse sibi proponit, agens de Prælatis Generalibus sui Ordinis, hisce verbis: *Quo iure, & authoritate per memoratas sæpiùs Litteras, Indulgentias etiam Ordinis, Præpositus Generalis communicet? Non desunt Doctores, qui opinentur posse Generales, & Prouinciales Religionum de Iure Diuino Indulgentias concedere. Verùm, cùm iuxta communem sententiam, potestas concedendi Indulgentias plenè resideat in solo Papa; ideò respondeo per Litteras Filiationis, authoritate propria, non concedi Indulgentias ab Ordinis Generali.* Vnde & *Filliucius tract. 8. num. 94.* quærens, An Prælati Regulares possint concedere Indulgentias? respondet *ex communi DD. sententia, iure ordinario non posse:* cui responsioni etiam suffragatur *Passerinus*, quamplurimis citatis Authoribus *lib. de Indulgentijs quæst. 88. n. 640.* atque circa hoc, Dubium esse non potest, talis enim potestas ipsis non conuenit, neque iure Diuino, teste *Filliucio loc. cit. Pellizario in Manual. Regul. tom. 2. tract. 9. cap. 3. sect. 6. num. 241.* & nostro *P. Quarti* in suo *Tractatu de Anno Sancto cap. 1. punct. 3. Dub. 5. pag. 27. Cùm nullibi reperiatur tale Ius*; quod solummodo penes Summum Pontificem residet, teste præfato *P. Quarti loc. cit.* Neque etiam Iure humano, cùm de hoc non constet, nec tale Ius in vniuersis Sacris Canonibus exstet; imò potiùs oppositum reperiatur *Cap. Accedentibus de excessibus Prælat.* vbi quidam Abbates, qui eiusmodi potestatem vsurpauerant, reprehenduntur; & meritò quidem, cùm elargiri Indulgentias, spectet ad potestatem Clauium, & Thesaurum Ecclesiæ respiciat. Remittere enim per Iuridicam absolutionem reis debitas pœnas, solius est Summi Pastoris, authoritate à Christo Domino ipsi concessa: quare cum nostro *P. Quarti loc. cit.* concludo, Prælatos Regulares non habere facultatem concedendi Indulgentias: si enim haberent; vel à Deo, vel à Summo Pontifice haberent, videlicet, vel Iure Diuino, vel humano; neutrum horum dici potest: Iure enim Diuino solus Pontifex habet; Iure autem humano æquè parum ipsis competit, nam in toto iure Canonico non nisi Episcopis hæc potestas concessa reperitur, & quidem limitata &c.

### DVBIVM SECVNDVM.

### *An eas communicent per Indultum Pontificium?*

RESpondeo affirmatiuè; per priuilegium videlicet *Vrbani V.* relatum 378
*à Casarubio in Compend. Priuilegior. Mendican-*

*dicantium*, *Verbo Indulgentia quoad seculares 4. num. 6.* Vbi inter cætera sic loquitur: *Vrbanus V. concessit, vt Generales, & Prouinciales totius Ordinis Minorum, possint communicare Suffragia, Indulgentias, Orationes, & bona spiritualia Benefactoribus Ordinis.* Idipsum confirmat *P. Bonagratia Cappuccinus in sua Summula qq. Regularium, Verbo Indulgentia nu. 234. & 235. in principio*, hisce verbis: *Virtute eiusdem Priuilegij Vrbani V. per quod Generalis, & Prouincialis totius Ordinis Minorum possunt communicare suffragia, Indulgentias, Orationes, & bona spiritualia Benefactoribus Ordinis, possunt dicti Prælati communicare suis benefactoribus Indulgentias omnes, ipsis Regularibus concessas, vniendo, & aggregando eos cum suis Religiosis, quòd quemadmodum Religiosi dictas Indulgentias consequuntur, faciendo opus à Papa præscriptum, ita & illi benefactores easdem lucrantur, si illud fecerint; Lezana Verb. Indulgentia n. 15.* Priuilegium istud summopere extollit *Peirinus tom. 2. de Prælat. quæst. 3. cap. 6.* his verbis: *Ista est magna concessio, quam ex iure humano non habebant. Cùm ergo in dicto Priuilegio concedat Pontifex, quòd Prælati possint Indulgentias communicare, certum est, quòd Superiores nominati in Priuilegio præfato possunt omnes Indulgentias concessas Regularibus, dictis Benefactoribus applicare.* Idem asserit *Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 55. sect. 5. in fine num. 13.* confirmatque *Layman lib. 5. tr. 7. cap. 4. in fine*, sic disserens: *Nota quòd participantibus bonorum alicuius Religionis interdum per gratiam Sedis Apostolicæ, eadem Indulgentia conceduntur, quæ ipsismet Religiosis, vti videre licèt apud Henriquez lib. 7. cap. 19. n. vlt.* vbi expressè ait, Indulgentijs Ordinis frui inter alios iam ab ipso enumeratos; *etiam eos, quos Generalis, aut Prouincialis, tamquam fratres admittit ad participationem bonorum.*

379 Aliud Priuilegium pro Generalibus suæ Religionis concessum à *Clemente VII.* refert *Paulus ab Omnibus Sanctis num. 200. cit.* in hæc verba: *Inquirebatur quo iure, & authoritate, per memoratas Litteras, Indulgentias etiam Ordinis Generalis Præpositus communicet? Resp. per Litteras Filiationis authoritate propria non concedi Indulgentias ab Ordinis Generali, sed ex concessione Sedis Apostolicæ eas communicari, & extendi ad illos, prout constat ex Clem. VII. in Bulla, cuius principium est: Ex Clementis Sedis Apostolicæ: qui Ordini indulsit communicare easdem gratias per Litteras Fraternitatis, seu Filiationis, quibus ipsi Confratres nostri, qui Scapulare gerunt, fruuntur. Quòd verò hic nomine gratiarum, intelligantur etiam Indulgentiæ, ipsemet Pontifex Clemens declarat in eadem Bulla, in qua postquam inter alia, Indulgentias Confratribus nostri Scapularis concessas à varijs Pontificibus, innouasset, & approbasset, postmodum subiungit, ijsdem gratijs posse frui quoscumque alios, si ita visum fuerit.*

Patet igitur, Aggregatos Religionibus per Litteras Filiationis, reddi participes Indulgentiarum, quas Sedes Apostolica illis Religionibus concessit; in quantum videlicet eadem Sancta Sedes huiusmodi Indulgentias præfatis Aggregatis communicari permiserit, prout fecit *Vrbanus V.* Quare non Prælati sunt ij, qui iure proprio per Litteras concedunt Indulgentias, sed Summus Pontifex, supposita per Litteras aggregatione; vti obseruat *Suarez n. 13. cit.* & cum eo *P. Quarti loc. cit. pag. 30.* & *Gobat de Indulgentijs par. 1. cap. 9. num. 111. in fine.* Quibus adde *Lezzanam Verbo Indulgentia quoad Regulares num. 15.* Vbi agens de hac Indulgentiarum communicatione, vi Priuilegij *Vrbani V.* per Litteras Gratiosas facta, addit insuper, vnàcum *Gobat numer. cit.* Primò, priuilegium istud extendi per communicationem, etiam ad alias Religiones, quamuis primariò Generalibus, ac Prouincialibus Ordinis Minorum concessum fuerit. Secundò, non fuisse reuocatum à Paulo V. neque comprehensum in illius reuocatione Indulgentiarum. Constat hoc (ait præfatus *Lezzana*) quamuis enim concessum fuerit *intuitu Regularium, reuerà tamen non pro ipsis, sed pro sæcularibus est concessum; tum etiam, quia Paulus V. solùm reuocauit Indulgentias Regularibus concessas, facultas autem communicandi Indulgentias, quæ in hoc priuilegio conceditur, non est Indulgentia; & ex diuersis non fit illatio. Cap. ad Audientiam de Decimis. Peregrinus Theatinus par. 2. sui Compendij, Verbo Visitatores. Peyrinus*

tom. 1.

*tom. 1. Priuileg. Minimor. in Constit. 14. Leonis X. n. 12.*

## DVBIVM TERTIVM.

### *An limitatum sit indultum Pontificium?*

380 DE Indulto Vrbani V. præsens procedit Dubium, ad quod affirmatiuè respondeo, ac dico, illud triplici subesse limitationi. Primò enim limitatum est ad solos Prælatos Generales, ac Prouinciales: *concessit, vt Generales, & Prouinciales possint communicare Indulgentias &c.* ita habet ipsummet Indultum apud *Casarubium loc. cit.* Secundò ad solas Indulgentias Ordinis, vt communiter loquuntur Doctores: vnde *Peyrinus tom. 2. quæst. 3. cap. 6. num. 9.* ambas has coniungens limitationes, inquit: *Cùm ergo in dicto Priuilegio concedat Pontifex, quòd præfati Prælati possint Indulgentias communicare, certum est, quòd Superiores nominati in præfato Priuilegio, possunt omnes Indulgentias, concessas Regularibus, dictis Benefactoribus applicare*: vbi vides, postremis verbis tertiam assignari limitationem, nimirum ad solos benefactores Ordinis; ita, vt ad eos, qui non sunt Benefactores, Indultum hoc non extendatur, neque potestas communicandi ipsis Indulgentias tribuatur. Atque reapse ita est. Rationem affert *Peyrinus loc. cit. Cùm enim* (inquiens) *Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, non possunt applicari, nisi ijs, qui in eis nominantur expressè:* Isti autem sunt soli Benefactores Ordinis, cùm indultum expressè dicat: *Vrbanus Quintus concedit, quòd possint prædicti Prælati, communicare Benefactoribus Indulgentias*: ita *Peyrinus*; quod etiam confirmatur à *Tamburino de Iure Abbatum Tom. 2. disp. 9. quæsito 4. num. 5. Versu, Non est tamen*: cùm ait: *Quòd si Prælatus velit aliquem non benefactorem ad participationem bonorum admittere, hoc casu non poterit communicare Indulgentias, iuxta Priuilegium Vrbani V. concedendas tantùm Benefactoribus*. Idem asserit *Peyrinus l. cit. n. 13. in fine: sed hoc casu non poterit Prælatus communicare Indulgentias, cùm solis Benefactoribus communicare concesserit Vrbanus V.* Certa est hæc vltima limitatio; prout clarè exhibent verba Indulti Pontificis; qui etiam solus est, qui Ordinis Indulgentias expressè concedit Benefactoribus: *vt possint* (verba sunt Priuilegij) *communicare Indulgentias Benefactoribus Ordinis*. Vnde & *Lezzana verbo Indulgentia quoad Regulares n. 15.* agens de hoc indulto, ait, quòd vi huius Priuilegij *possunt dicti Prælati communicare suis Benefactoribus Indulgentias (intellige sui Ordinis.)* subiungit deinde: *Quo casu Prælati nihilominus non dicuntur concedere Indulgentias, sed solùm Papa.*

Ex quo proinde sequitur, quòd sicuti 381 Prælati Regulares, cùm bona spiritualia sui Ordinis Benefactoribus per Litteras Gratiosas conferunt, cùm eis vnà quoque communicant Indulgentias Ordinis, quamuis de harum communicatione in eiusmodi Litteris expressa mentio non fieret, cùm regulariter (vt Doctores alibi relati interpretantur) intendant per eas prodesse, quantum possunt; quandoquidem vt benè aduertit noster *P. Quarti in suo Tractatu de Anno Sancto pag. 30.* cùm non Prælati, sed Summus Pontifex, has conferat Indulgentias, posita conditione Gratiosæ Aggregationis, & quòd verè Benefactores Ordinis sint, Indulgentiæ intelligantur concessæ, quamuis in Litteris id non exprimatur: Ita pariter ex opposito, cùm ab ijsdem conceduntur Litteræ Filiationis non Benefactoribus, non intendunt communicare vnàcum eis Indulgentias Ordinis, quantumuis earum communicatio in formula (cùm typus tam facilè mutari non possit) expressè contineretur; cùm certum sit, quòd *Prælati applicantes bona communitatis, intendant applicare, quantum valere possunt*, inquit *Laurius de Indulg. par. 2. cap. 4. sub num. 16.* & quia non valet in casu nostro applicatio Indulgentiarum Ordinis non benefactoribus, ideò certum est, quòd nec eas intendant non benefactoribus applicare, vti nec possunt, quamuis in Litteris exprimatur. Totum hoc indubitatum est.

Maior difficultas est definire, quinam sint veri Ordinis benefactores, qui- 382 bus participatio Indulgentiarum communicari possit. Benefactor dicitur

& est ille, qui beneficium præstat, qui v. g. ex charitate temporalia donat subsidia, qui commodat, qui adiutorium vel obsequium impendit, qui famam tuetur, ac promouet, qui seruitia exhibet &c. respectu talium beneficiorum reducit *Cardinalis Caietanus in sua Summa, verbo Simonia* Benefactores ad tres classes, iuxta tria nimirum genera beneficiorum ab ipsis prouenientium. *Nota*, inquit, *quòd triplex est muneris genus, scilicet à manu, vt pecunia & alia bona mobilia, vel immobilia: ab obsequio, vt seruitia; & à lingua, vt laus, preces, &c.* Tres ergo iuxta Caietanum benefactorum distinguuntur species, secundùm trina beneficiorum genera, nimirum; à manu, ab obsequio, & à lingua. Hos tamen ipsos, minutiùs adhuc distinctos, in quatuor classes partitur *Peyrinus num. 13. cit.* eosq; omnes participationis Indulgentiarum Ordinis per Litteras Gratiosas esse capaces, asserit hisce verbis: *Aduerte, quòd Benefactores sunt in quadruplici differentia; Alij enim benefaciunt opibus, & eleemosynis suis, Religiosorum paupertatem subleuando. Alij eis benefaciunt ab iniurijs defendendo, à calumnijs liberando, de eis bene semper loquendo, reuerentiam illis exhibendo. Alij iura eorum tuentur, & sustentant in iudicio vt Doctores, Procuratores, Sollicitatores, Aduocati. Alij illis benefaciunt officium Lectoris intra Ordinem gratis præstando, aut in eorum fauorem similem scientiam, vel artem exercendo, vt Medici, Chirurgi, Notarij &c. Isti omnes possunt ad Participationem admitti &c.* Cui iisdem prorsus verbis consonat *Tamburinus q. 4. tit. n. 5. in princ.* Quibus & ego absque vlteriori ambage lubens subscribo.

## DVBIVM QVARTVM.

### *Quænam sint Indulgentiæ Ordinis?*

383 PRæcedenti Dubio vidimus, per Litteras Filiationis communicari ipsasmet Ordinis Indulgentias; meritò ergo hìc quæritur, quænam sint istæ Indulgentiæ, vt Aggregatus, earum habeat notitiam; ac simul certò stabiliri possit, quænam in particulari Ordinis Indulgentiæ per Litteras Gratiosas ei communicentur.

Sunt penè innumerabiles Indulgentiæ, quæ à liberalitate Summorum Pontificum Religiosis Ordinibus concessæ fuerunt; vt videri potest apud *Casarubium Verbo Indulgentia; & Hieronymum Rodriquez in Compendio qq. Regul. res. 77.* adeò quidem, vt quasi impossibile euadat, eas recensere; quare meritò *Augustinus à Virgine Maria in Compend. Priuilegiorum Ordinum Religiosorum, Verbo Indulgentiæ concessa Carmelitis in particulari, in princip.* ait: quòd *opus foret immensum, & velut impossibile, cunctas referre Indulgentias, quæ singulis Religiosis Ordinibus, vel eorum intuitu fuerunt concessæ.* Quoniam verò tanta Indulgentiarum multitudo eis fuerat concessa, vt immensa earum copia denique generarit confusionem, plurimasque reddiderit dubias, atque incertas; hæc proinde causa extitit, quòd Sanctissimus Pontifex *Paulus V. Anno 1606.* Pontificatus verò sui anno secundo, *die 23. May* Constitutione quadam in forma Breuis Apostolici edita (quæ incipit: *Romanus Pontifex in Beati Petri Sede constitutus*, inuenitur que *in tertio Tomo Bullarij Romani, Laertij Cherubini Benedictini Cassinensis*, & est *Constitutio 21.* huius Pontificis) reuocarit, atque annullarit omnes antiquas Indulgentias, à suis Prædecessoribus concessas Personis Regularibus vtriusq; sexus, & cuiuscunque Instituti, vel Religionis. Id autem fecit graui præmisso examine, auditis partibus, & plurimis habitis consultationibus, adhibitis ad eas etiam ipsismet Regularibus; imò *ex iudicio eorundem etiam Regularium*, inquit Constitutio ipsa §. 3. qui, *cùm circa easdem Indulgentias, varia dubia, incertitudines, & confusiones adesse comperierint*: proposuere ipsimet Sanctitati suæ, *valde expedire, pro eorum maiori securitate, & beneficio, vt Indulgentias ipsis Religionibus, & Ordinibus, adinstar, vel per Communicationem, aut alio modo hactenus concessas, annullaret, & reuocaret, ac alias particulares illis concederet:* ita citato §. 3. Quare Sanctitas sua ad tollendam Religionis vtriusque sexus, omnem ambiguitatem, incertitudinem, atque confusionem, reuocauit in præfata Constitutione, omnes antiquas Indulgentias, & in ea, illarum loco, concessit nouas, adeoque certas, & indubitatas.

Considerandum tamen est id, quod 384
docet

docet *Hieronymus Rodriquez in Compend. resol.77. n.45. §. His non obstantibus:* quòd nimirum præfatus Pontifex *Paulus V.* post generalem Indulgentiarum reuocationem : confirmauerit denuo Fratribus Minoribus omnia antiqua Priuilegia; in qua Confirmatione expresse quidem Indulgentias non nominat, ait tamen confirmare se *etiam gratias, concessiones, & indulta spiritualia: Et sub nomine (Indulta spiritualia) veniunt Indulgentiæ secundùm aliquos,* inquit, *Rodriquez.* Addit insuper Pontifex, innouare se, & concedere de nouo Priuilegia à *Clemente VIII.* ipsis Fratribus Minoribus confirmata, qui *Clemens* in sua Bulla Confirmationis Priuilegiorum, apertè, & expresse concedit Indulgentias. *Vnde cum Decretum innouans* (sic argumentatur præfatus *Rodriquez*) *intelligendum sit secundùm tenorem innouati decreti, sequitur manifestè, Indultum Pauli V. esse intelligendum iuxta formam, & tenorem Clementis VIII. atque adeò confirmasse Indulgentias, quas expresse confirmat idem Clemens.* Ex hac, & ex alijs rationibus ibidem adductis, sustinet hic Author constanter, restitutas, ac denuo concessas esse ab ipsomet *Paulo V.* omnes Indulgentias à se paulò ante reuocatas; posseq; istud probabiliter teneri, & absque dubio practicari, etiam iuxta mentem aliquorum Doctorum, & Magistrorum Salmanticensium, quos ipse hac super re consuluit, quique huic opinioni subscripsere; de qua etiam ait *Quintannaduenas in Appendice ad Iubilæum tractat. 4. Dub. 2. numer. 1. in fine:* quod *probabilitate non caret,* quamuis oppositum *certius existimet:* admittit eandem *Gobat* quoque, tanquam probabilem, *de Indulgentijs par. 2. cap.27. numer. 547.* Item *Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regularium par. 1. tract. 2. disput.5. sect. 2. §. 2. num.26.* qui etiam pro se citat *Martinum à S.Ioseph in Regulam S. Francisci fol. 419.* hoc tamen non obstante

385 Contrarium tenet *Portellus in Dubijs Regularium, Verbo, Indulgentia sub numer.13. versu; Ego constanter teneo:* ac pro certo, & indubitato habet, *Paulus V.* nunquam ampliùs prædictam Constitutionem suam reuocasse, nec antiquum valorem Indulgentijs impertiuisse: *Ego,* inquit, *constanter teneo, ibi per illa verba (gratias, concessiones, & indulta spiritualia) non confirmasse antiquas indulgentias à se reuocatas, &c.* quod etiam probat sequentibus rationibus: *quia non est,* inquit, *credendum de Sanctiss. D. Papa, tam citò mutasse sententiam in re grauissima, quam in prædicta Bulla dicit iam intentatam à Clem. VIII. (consultis Cardinalibus, de quorum numero, & ipse Paulus erat) & sibi etiam à Procuratoribus Ordinum postulatam, vt ipsemet Dominus Paulus V. dubia Religionis quietaret in re tam confusa antiquarum tot Indulgentiarum: cùm ergo in generali concessione non veniat id, quod verisimiliter non esset concessurus, si aduertisset; credendum est, noluisse in illa confirmatione includere Indulgentias.* Addit deinde in maiorem huius rei confirmationem: Quòd dum *post hanc reuocationem generalem & concessiones prædictas, Dominus Paulus V. concessit nobis Minoribus Indulgentiam plenariam dicentibus Coronam Beatæ Mariæ, idq; ad instantiam Oratoris Hispaniæ in Curia Romana, Agentis & Commissarij nostri in eadem Curia: dicebat in litteris testimonialibus, quas vidi impressas, se id denuo concedere, non obstante sua generali reuocatione Indulgentiarum: si ergo pro concessione vnius tantùm, fecit mentionem suæ reuocationis; cur non faceret mentionem eiusdem reuocationis recentis, confirmans postea non vnam, sed tot, tantas, ac tam faciles, de quibus Religiosi ipsi postularunt decisionem?* Cùm ergo Pontifex in præfata sua Confirmatione Priuilegiorum Fratrum Minorum, talem mentionem reuocationis Indulgentiarum non fecerit, certum est eas non restituisse; concludit denique *Portellus: Et huius* (inquiens) *meæ opinionis fuerunt graues ac docti Religiosi, hac de re consulti in præcipuis Conuentibus Olyssiponensibus, & in Academia Eborensi.* Quibus iuxta mentem *Dianæ* annumerari possunt omnes reliqui Doctores: sic enim ait *par.4. tract.4. resol. 20. Adde omnes Doctores constanter asseruisse & asserere, Indulgentias Regularium esse iam reuocatas.* Et huic sententiæ aduersus *Rodriq.* etiam ipse subscribit *resol. cit.*

386 Cæterùm, multò probabiliùs credi posset, antiquas Indulgentias restitutas fuisse per amplissimam confirmationem *Clericis Regularibus Theatinis* collatam *à Gregorio XV. Ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis, &c.* quæ videri potest in nostris Priuilegijs *Anno 1633.* impressis.

sis. *Verbo Confessarius* §. 4. Vt cuius omnia quidem Priuilegia, inquit *Bordonus*, ab omnibus eius Antecessoribus, quibusuis alijs Religionibus concessa de nouo confirmantur, *ob communicationem aliarum Religionum vsque ad diem 16. Octobris Anni* 1621. quo confirmatio edita fuit: at non per eam restitutæ pariter sunt (prosequitur *Bordonus*) Indulgentiæ à *Paulo V.* reuocatæ: hæc enim reuocatio facta est ad instantiam, & in fauorē eorumdemmet Religiosorum, vt ex verbis Bullæ superius relatis apparet: *Ex iudicio etiam eorundem Regularium, vel aliquorum ex illis; cùm propofuerint expedire valde, pro maiori eorum securitate, & beneficio &c.* quocircà reuocatio hæc maiori compensatur beneficio; cùm loco dubiarum, ac incertarum, securæ atque indubitatæ conferantur Indulgentiæ. Præterquā quòd neq; Sanctissimus Pontifex *Gregorius XV.* in sua confirmatione nostrorum Priuilegiorum, Indulgentias expresè nominet, sed solùm *Gratias & Indulta*: proinde cùm incertum sit, an nomine Gratiarum, etiam spiritualium veniant, ac intelligantur Indulgentiæ, maximè cum oppositum sentiat *Suarez de legibus lib.*8. *cap.*9. *num.*10. *in princip.* hisce verbis: *Indulgentia habet specimen quoddam Priuilegij, communi tamen vsu non ita vocatur, nec solet comprehendi sub nomine Priuilegiorum in Generalibus rescriptis Pontificum, nisi mentio illius proprio nomine fiat*: item *Peyrinus in Addit. ad Constit. Vrb. VIII. cap.* 12. *Constit.*18. *n.*1. *versu Noto* 1. *Indulgentiæ non nominantur, nec venire commodè possunt nomine Priuilegiorum, aut gratiarum, sed sunt omnino diuersa*: *Angelus* quoque *de Lantusca in Theatro Regularium Verbo Indulgentiæ, de magna Indulgentia Stationum, versu: No sub: Indulgentia comprehendi nequeunt sub nomine Priuilegiorum, aut Gratiarum, cùm sint res totaliter diuersa*. Ac denique *Passerinus de Indulgentijs q.*102. *à num.*795. ac passim alij: ex alia autem parte, prædicta reuocatio tranquillitati Animarum faueat, vt dictum est, firmiter tenendum est, nec per Confirmationem *Pauli V.* nec per aliam *Gregorij XV.* annullatas Indulgentias denuò restitutas fuisse. Quid, quòd ipsemet *Hieronymus Rodriquez* post plures pro sua sententia adductas rationes, denique concludat, *in fine numeri* 45. *citati*. *Vellem equidem, quòd hic articulus clariùs & apertiùs, tanquam res grauissima à Domino Papa, per suas Litteras nobis innotesceret*. At ecce, vt satisfactum denique fuit voto huius Authoris à *Sanctissimo D. N. Papa Alexandro VII.* qui in vna, inter alias à se damnatas propositiones quæ numero trigesima septima est, hanc ipsam tractans controuersiam, litemque decidit, ac sententiam fert in fauorem *Portelli*, & omnium communiter Doctorum; dum ipsius *Rodriquez* propositionem, sequentibus verbis comprehensam, damnat: *Indulgentiæ concessa Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodie sunt reualidatæ*. Quo supposito, tanquam re certissima: cum trinæ Indulgentiarum classes in præfata *Pauli V.* reuocatione non fuerint comprehensæ; videlicet Indulgentiæ, quę erant communes Regularibus ęquè ac sæcularibus: item quæ concessæ erant Religiosis in Articulo Mortis: ac denique, quæ iisdem in beneficium animarum in Purgatorio detentarum collatæ sunt, vt in processu videbimus, ideò, antequam ad ennarrationem Indulgentiarum, quæ ab eodem *Paulo V.* loco reuocatarum concessæ sunt, deueniamus, præmittendum est

Primò, sub reuocatione *Pauli V.* eas 387
solùm comprehendi Indulgentias, quæ directè, & immediatè Regularibus concessæ erant, ex verbis Bullæ clarè constat, quę §.19. sic habet. *Cæterùm omnes & singulas Indulgentias, quibuscunque Ordinibus, & Institutis Regularibus hactenus concessas, perpetuò reuocamus, &c.* Quod propter alios aduertit etiam *Portellus verbo Indulg. sub numer.* 13. *versu circa hanc*; vbi ait: *Circa hanc verò reuocationem aduerto, in illa solùm reuocari Indulgentias olim concessas ipsis Religiosis, & Monialibus, seu Religionibus; patet ex Verbis motus proprij, cùm loquitur de reuocatione* §. 9. Has autem Indulgentias soli Religiosi consequi poterant; huiusmodi erant, iuxta *Portellum*, exempli gratia, Indulgentiæ plenariæ, quas lucrabantur Fratres Minores, toties, quoties celebrant Missam, aut communicabant diebus Dominicis, aut in Festiuitatibus Christi Domini, & Beatissimæ Virginis; item illę, quas lucrabantur Religiosi, quoties Psalmum *Miserere mei Deus* recitabant, ac alię similes.

Qua-

Quapropter Indulgentiæ, quæ erant communes tam Religiosis, quàm sæcularibus, in hac reuocatione non continentur: *At non videtur* (inquit *Portellus*) *in dicta reuocatione prohiberi, quo minus Religiosi lucrentur alias Indulgentias, concessas à Pontificibus vniuersis Christi Fidelibus*. Confirmatur id à *Bordono resf.* 81. *n.*22. à *Quintannad. In appendice ad Iubilea tract.* 4. *dub.*2. *num.*2. & alijs. Militant pro hac opinione etiam rationes: primò, quia & Religiosi sunt Fideles. Secundò, quia illi non sunt peioris conditionis, quàm Sæculares. Vnde omnes Indulgentiæ Ecclesijs Regularium concessæ, quas sæculares eas visitando consequi poterant, pro Religiosis quoque in antiquo adhuc perseuerant vigore: assignat rationem *Portellus verf. cit. in fine*. Quia huiusmodi Indulgentiæ non sunt primariò & directè concessæ personis Regularibus, sed omnibus Christi Fidelibus absque limitatione, & restrictione: vnde *nec dicuntur Indulgentiæ Regularium*, ait *Bordonus numer.* 21. *cit. in princip. sed sæcularium, & aliorum visitantium Ecclesias Regularium:* quocirca bene concludit *Paulus ab Omnibus Sanctis par.*4. *capit.*5. *numer.*233. *in fine*. *Quòd licèt Paulus V. reuocauerit omnes Indulgentias personales Religiosis cuiusuis ordinis à suis Prædecessoribus concessas, aliasque nouas elargitus fuerit; nihilominus nihil prorsus innouauit de Indulgentijs localibus, Ecclesias Regularium visitantibus, concessis, quæ propterea in suo adhuc antiquo robore, & vigore perseuerant.*

388 At enim, quid fatigamur in adducendis Doctorum testimonijs; cùm pro huius rei probatione omni exceptione maior sit declaratio, ipsiusmet Sacræ Congregationis, Indulgentijs, Sacrisque Reliquijs præfectæ; quæ expressis suis Litteris, ad Episcopum Senensem directis, quas refert *Peyrinus de Priuileg. tom.* 3. *in Addit. ad Constitut. Clem. VIII. cap.*9. *n.*82. ita scribit: *Cùm multi dubitent, an per Constitutionem Suæ Beatitudinis, quoad Indulgentias nouissimè personis Religiosis concessas, cum reuocatione antiquarum; reuocatæ etiam fuerint Indulgentiæ, Ecclesijs Regularium, & eas visitantibus concessæ; quamuis Constitutio solas personas Regulares expressè comprehendat, quin sese extendat ad eorum Ecclesias: nihilominus Congregatio, vt omnis tollatur ambiguitas, declarat, Indulgentias, visitantibus Ecclesias Regularium, in suo adhuc robore, ac vigore perseuerare: donec Sanctitas sua secus decreuerit &c. Romæ* 7. *Septembris* 1607. *Cardinalis Arigonius Datarius &c.* Similem sacræ Congregationis Declarationem, iisdem comprehensam verbis, ac datam *die* 21. *Augusti Anno* 1615. *à Cardinale Galli, ad D. Vicarium Generalem Genuensem*, recitat idem *Peyrinus de subdito tom.*1. *in fine*. Consulatur *Angelus de Lantusca in Theatro Regularium Verbo Confraternitates num.* 4. *& Verbo Indulgentia Titulo, Quoad visitantes Ecclesias ordinis Minorum*. Vbi easdem refert Declarationes, & plura alia huic proposito deseruientia.

Ex his euidenter constat, Indulgentias ab antiquis Pontificibus concessas Ecclesijs Regularium, & illis, qui eas visitauerint, à *Paulo V.* non fuisse vllatenus reuocatas. Quantumuis illæ Sæcularibus concessæ fuissent, *intuitu Fratrum, vel ordinis*, subiungit, *Portellus verbo Indulg. sub Tit. Circa Indulgentias & Iubileum num.*4. & cum eo *Gobat de Indulgentijs par.*2. *c.*28. *n.* 569. atque alij. *Quòd autem*, inquit, *concessa fuerint intuitu Fratrum vel Ordinis, non facit quòd concessa sint Fratribus*. Quod vlterius confirmantur ex eo, quod refert *Hieronym. Rodriq. in Compen. resf.* 77. *numer.* 57. *in princip.* Quòd nimirum *Eugenius IV.* concesserit Procuratoribus Fratrum Minorum, eorum substitutis Filijs, Parentibus, fratribus, ac sororibus, quòd lucrari possint Indulgentias stationum, atque alias etiam Indulgentias, eisdem Fratribus concessas, si in eorum Ecclesijs quinque Pater Noster, & quinque Aue Maria, pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ recitauerint, *neque istud reuocatum est*, inquit, *Rodriquez, per Paulum V. quia non fuit concessum Fratribus, sed intuitu Fratrum*. Quibus proinde Fratribus ac Religiosis consequenter Indulgentiæ illæ haud dubiè reuocatæ non sunt, quibus fruuntur Sæculares, eorum Ecclesias visitantes, cæteroquin peioris forent conditionis, quàm ipsi sæculares, vt superiùs diximus cum *Portello, Bordono*, & alijs. Atque ideò, cùm Sæculares, visitantes Ecclesias Patrum Minorum, recitando ibi Psalmum *Miserere mei Deus* cum oratione *Deus, qui inter Apostolicos, &c.* aut si litteratum ignari sint, orando flexis genibus *Quinques Pater* 389

*Pater & Aue*, ingentes illas consequuntur Indulgentias Vrbis & orbis, vt ait *Rodriquez ref. cit.77. num.* 72. quas concessit *Innocentius VIII. & confirmauit Alexander VI. & Iulius II.* Easdem procul dubio Indulgentias, lucrari etiam poterunt Regulares non obstante Constitutione *Pauli V.* si vel suas proprias, vel aliorum Regularium Ecclesias visitauerint, & iuxta præscriptum orauerint. Quapropter generaliter loquendo Religiosi participes sunt Indulgentiarum localium (si præscripta adimpleuerint) quæ concessę sunt vniuersis Fidelibus, aut in proprijs eorum Ecclesijs, aut in aliorum. *Peyrinus de Priuil. tom.2. Constit.8. Pauli V.* §.10. *num.2. Quintannaduennas in Append. Tract.* 4. *Dub.2. num.2. Lezzana Verbo Indulgentia quoad Regulares n.* 18. & alij penes hos, imò communiter: nam istæ indulgentiæ non concessæ sunt Regularibus, vt Regularibus, sed vniuersis Christi Fidelibus absque vlla restrictione: quapropter concludendum est, cum *Angelo de Lantusca l. c. sub numer.* 3. Regulares consequi posse Indulgentias omnibus Fidelibus Christianis concessas, in quibuscunque orbis Ecclesijs, prout faciunt sæculares, cùm quoad spiritualia non sint deterioris conditionis, quàm illi: *Paulus V.* enim eas solùm reuocauit Indulgentias, quæ ipsis tantummodo concessę erant.

390 Secundò præmittendum est, sub reuocatione *Pauli V.* non comprehendi eas Indulgentias, quas ipsimet Regulares concedere possunt tam sæcularibus, quàm Regularibus: sed eas præcisè, quæ ipsis immediatè concessæ sunt: id præter quamplures alios aduertit *Quintannaduennas Dub. 2. cit. nu. 8. Nec reuocatæ sunt* (inquit) *Indulgentiæ, quas possunt Regulares concedere tam Regularibus, quam sæcularibus pro aliquo opere; solùm enim pro seipsis concessæ reuocantur hic*. Cuiusmodi sunt illæ quas Fratres Minores, Prædicatores, imò & ij, qui ad communionem Priuilegiorum ipsis aggregati sunt, vi Pontificij indulti concedere possunt auscultatoribus suarum concionum; de quibus in *Compend. Minorum tit. Indulgentia quoad sæculares* §. 5. *Hieronymus Rodriquez ref.* 77. *citata numer.* 58. *Bordonus ref.* 81. *numer.* 16. & alij. Item illæ, quas Religiosi virtute Pontificij Indulti *Pauli III.* ac aliorum Pontificum in partibus infidelium elargiri possunt, vt videre licet in *cit. Compend. Rodriquez l. c. numer.* 75. Atque etiam illæ Ordinis Indulgentię (vt benè ad nostrum propositum annotauit *Gobat l. c. num.363.*) quas Generales ac Prouinciales sæpè communicant sui ordinis Benefactoribus, mediante Spirituali Filiatione, id concedente *Vrbano V.*

Tertiò, neque etiam reuocatas esse 391 Indulgentias, Religiosis in articulo Mortis concessas, piè saltem, ac probabiliter id credendum, asserit *Lezzana l. c. nu.*10. dum ait: *Loquendo de Indulgentijs, pro Regularibus in Articulo Mortis, constitutis, pium & probabile est, illas reuocatas non fuisse, per generalem reuocationem à Paulo V. factam: nam quæ speciali nota digna sunt, censentur tacitè esse sublata*. Eiusdem opinionis, ob eandem rationem est *Peyrinus loc. cit. numer.* 10. vbi quærit: *an per istam reuocationem reuocentur Indulgentiæ concessæ pro Articulo Mortis? Respond. Non reuocari: Nam, quæ speciali digna sunt nota, non censentur tacitè esse sublata, vt dicitur in leg. Item vt apud Labeonem* §. *Ait Prætor. ff. de Iniurijs*. Subscribunt insuper *Nouarius in Lucerna Regularium verbo, Indulg. num.*3. *Pellizzarius in Man. Regularium tom. 2. tr.* 8. *cap.*5. *sect.*5. *subsec.*1. *n.*181. *Petrus Murga tom.*2. *qq. Canonicarum Tit.*3. *q.*8. *n.*19. *fol.* 109. Quibus annumerantur & ij, qui asserunt in anno Iubilæi non suspendi Indulgentias pro Articulo Mortis: *cùm sit par ratio, ac in præsenti casu*, vt infert *Pellizzarius, cum Peyrino*: sunt autem sequentes: *P. Alphonsus de Leone de. Iubilæo par.* 1. *numer.* 242. vbi etiam testatur, ita declarasse *Vrbanum VIII. Pontificem, anno*, videlicet, *Iubilæi, non suspendi Indulgentias concessas pro articulo Mortis; ex qua declaratione* (infert ille accommodè proposito nostro) *sequitur, remanere firmas Indulgentias pro tali articulo concessas Regularibus. Gauantus in Man. Episcoporum Verbo Indulg. in Addit. num.*8. *Gobat de Iubilæo cap.*9. *numer.*44. *Pasqualigo de Iubilæo qu.*147. Huc etiam inclinat *P. Quartus de Iubilæo anni Sancti cap.*3. *punct.*1. *Dub.*3. vbi ait; *Indulgentiæ pro articulo mortis, præ omnibus alijs, dignæ sunt specialissima nota. Cùm ergo Sanctitas sua earum specialem non fecerit mentionem, non censentur suspensæ*: consequenter neque

neque etiam reuocatæ iuxta casum nostrum: *Cùm sit par ratio*, vt ait *Pellizzarius* adeoque bene monet *Peyrinus nu. 10. cit.* posse Regulares consequi in articulo Mortis Indulgentias plenarias, eligendo sibi Confessarium, qui eas ipsis impertiatur, aut casu, quo copiam Confessarij non habuerint, si fuerint in gratia, posse eas consequi à seipsis, iuxta concessionem *Sixti IV. Eugenij IV.* & aliorum Pontificum: de hac Indulgentia scribit etiã *Casarubius in Compend. Verbo Indulg. quoad Fratres nu.* 1. aitque, eam concessam fuisse à *Martino V. Gregorio IV. Nicolao V. Callixto III. Pio II. & Sixto IV.*

392 Quartò præmittendum; non esse reuocatas Indulgentias, quas Regulares lucrari possunt pro Animabus in Purgatorio, quæ sunt quamplurimæ, vt videre licet apud *Rodriquez ref.77. cit. à nu. 62.* & alios. Quare sicubi extet Priuilegium, quòd si quis Religiosus celebrauerit Missam pro Defuncto, etiam Regulari, eam ex Purgatorio liberet; talis Indulgentia in suo adhuc persistit vigore, generalis enim reuocatio Indulgentiarum cadit solùm super eas, quæ in vtilitatem viuorum, non verò defunctorum concessæ sunt: idque ab ipsomet Summo Pontifice declaratum est, vt refert *P. Peregrinus in Compend. Priuil. Theatin. Verbo Indulg. quoad Fratres §.7. in Scholio pag.203.* hisce verbis; *Aduerte, quòd Indulgentiæ, & priuilegia pro defunctis concessa; non censentur reuocata per Bullam Pauli V. reuocatoriam omnium Indulgentiarum Regularibus concessarum, sed permanent adhuc in suo robore, prout declarauit Summus Pontifex Congregationi Sanctæ Mariæ Fuliensis viuæ vocis oraculo facto Eminentissimo Cardinali Bandino die 23. mensis Februarij* 1609. Idipsum confirmant *P. Diana par.4. tract at.4. resol.20.* ita scribens: *Nota, quòd indulgentiæ, & priuilegia pro defunctis concessa non censentur reuocata per dictam Bullam Pauli V. sed permanẽt adhuc in suo robore, & firmitate, prout declarauit idem Summus Pontifex Congregationi Sanctæ Mariæ Fuliensis, ita Peregrinus.* Cui etiam innixus fundamento, siue declarationi concludit *Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regularium par. 1. tract. 2. disp. 5. sect. 2. §. 1. num. 21. Certum est adhuc durare omnes Indulgentias concessas pro defunctis Regularibus ante Paulum V. Nam huiusmodi Indulgentiæ non fuere comprehensæ in illa reuocatione Pauli V. & cum Peregrino testatur Lezzana tom. 1. c. 3. n. 19. Quintan. dub. 2. cit. num. 5.* Quibus addo eundem *Lezzanam Verbo cit. Indulgentia quoad Fratres numer. 11. Nouarium numer. 3. cit. Peyrinum to. 2. Priuilegiorum in Constitut. 4. Clem. VIII. num. 2. Bordonum ref. 81. num. 21.* vbi ait: *An sub reuocatione Pauli V. comprehendantur Indulgentiæ ipsis Regularibus concessæ fauore defunctorum? Resp. Non fuerunt reuocatæ, quia non dicuntur concessæ immediatè fauore Religiosorum, sed directè mortuis Paulus V. reuocauit præcisè concessas ipsis Religiosis pro seipsis: Ita respondit ipsemet Papa &c. Pellizzarius loc. citat. Gobat de Indulgent. part. 2. capit. 27. num. 548. & cap. 37. à nu. 670. vsque ad n. 674. inclusiuè. Paulum ab Omnibus Sanctis p. 1. c. 7. n. 112. Pasqualig. de Sacrific. tom. 1. quæst. 760.* & alios inter quos recentissimus omnium *Passerinus de Indulgentijs q. 108. num. 881.* hoc ipsum assertum sustinet ob sequentes rationes. Primò, quia *Paulus V.* in dicta sua reuocatoria Constitutione nullam prorsus mentionem facit Indulgentiarum pro Defunctis, vt clarè ex eadem apparet. Deinde, quia, sicuti pro regula communiter approbata habetur, quòd sub concessione Indulgentiarum, quantumuis amplissimis clausulis collatarum, non comprehendatur facultas eas applicandi alijs, neque etiam defunctis, nisi specialiter exprimatur: ita pariter æquitas expostulat, quòd neque sub reuocatione Indulgentiarum iam concessarum (quæ res est odiosa, & strictissimæ interpretationis) cadant etiam Indulgentiæ, iam aliquando pro Defunctis concessæ, quando id expressis verbis non asseritur. Tertiò, quia hoc colligitur ex Verbis *Bullæ* §. 4. quæ sic sonant: *cupientes Personis Regularibus quibuscunque &c. spirituale solatium & iuuamen afferre, infrascriptas Indulgentias & gratias, quas Personis Regularibus &c. tantummodo suffragari, debere declaramus &c. Constat enim ex his verbis* (concludit *Passerinus*) *mentem Summi Pontificis fuisse, respicere solas Indulgentias Regularium viuorum, de quibus loquitur: & ita eum loqui de Indulgentijs personalibus, quas Regulares pro seipsis consequi possunt, non verò de illis, quas lucrari possunt pro defunctis.*

Quin-

393 Quintò, & vltimò præmittendum est neque etiam reuocatas fuisse Indulgentias, concessas Pontificibus, Cognatis, benefactoribus, & seruis Regularium, tam in vita, quàm post mortem in Purgatorio: hæ enim concessæ non sunt immediatè Regularibus, vt asserunt Doctores, quamuis collatæ sint eorum intuitu, & personis ad eos spectantibus: *Nec item reuocantur* (ait *Quintannaduennas dub. cit. numer. 2.*) *concessa Patribus, Fratribus, Cognatis, Benefactoribus, Seruitoribus, ac alijs huiusmodi personis ad eos spectantibus: cùm enim hæ non sint Religiosis concessæ, sed intuitu tantùm illorum; reuocata non sunt à Paulo V. qui Indulgentias Fratribus immediatè, & directè concessas, solùm reuocauit*. Quod etiam docuit *Petrus Murga tom. 2. qq. Canonicarum Titul. 3. quæst. 8. numer. 17. fol. 109.* & adnotauit *Hieronymus Rodriquez resol. 77. numer. 57.* circa Indulgentias *Eugenij IV* qui concedit, Procuratores Religiosorum, eorum substitutos, filios, Parentes, Fratres, ac Sorores, consequi posse Indulgentias Stationum, atque alias ipsis Religiosis concessas; si in eorum Ecclesijs quinquies Pater, & Aue orauerint pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: *Nec hoc fuit reuocatum* (inquit) *per Paulum V. quia non fuit concessum Fratribus, sed intuitu Fratrum*. Idipsum asseuerant *Lezzana verbo Indulgentia quoad Regulares numer. 12. & 13. Gobat de Indulg. par. 2. cap. 28. num. 562. Antonius à Spiritu Sancto loc. cit. §. 2. num. 33.* & alij. Ideò *Peyrinus* in præfatam Constitutionem quartam *Clementis VIII.* eidem ad litteram inhærendo, ait: *Potest quilibet Sacerdos Ordinum mendicantium celebrare Missam defunctorum pro anima Patris, vel Matris, vel vtrorumque alicuius Religiosi, eamque, vel eas liberare à pœnis Purgatorij per modum Suffragij: similiter potest etiam Missam celebrare pro animabus illorum Benefactorum, seu benefactricum, qui, vel quæ, ipsos fratres recipiunt hospites in suis domibus, quando illac contigerit transire. Et similiter pro habentibus litteras Fraternitatis*. Ita *Peyrinus in dictam Constitut. numer. 3. versu, Noto 3.* & alij, qui de ea mentionem faciunt: in specie *Diana par. 4. tract. 4. resolut. 20.* vbi ait: *Certum est apud me Indulgentiam plenariam concessam à Clem. VIII. parentibus Fratrum; existentibus in Purgatorio, si pro illis Minorita dixerit vnam Missam, non esse reuocatam per Paulum V. quia talis Indulgentia, non est concessa Fratribus, sed eorum Parentibus*.

Quamuis autem Indulgentia hæc concessa sit Parentibus, Benefactoribus, &c. Fratrum Minorum, nihilominùs per communicationem extendit se etiam ad alias Religiones, vt idem *Diana loc. citat.* aduertit tractans de alijs Indulgentijs à Calixto III. Parentibus Fratrum Minorum concessis; dum asserit: *Idem dicendum est de Indulgentia plenaria à Calixto III. concessa Parentibus Fratrum Minorum, in qua possunt eligere Confessorem, per quem absoluantur plenariè à culpa & pœna: quo priuilegio gaudent Parentes aliorum Religiosorum*: idem affirmat *Rodriquez* apud, & cum *Portello de Dubijs Regul. Verbo Indulg. sub titulo circa Indulgent. & Iubilaa num. 4. versu, Credo quòd, in fine*: agentes de hac ipsa Indulgentia plenaria *Calixti III. & eodem* (asserunt) *priuilegio frui Parentes non Mendicantium, per communicationem: neque hoc reuocasse Paulum V.* huius porrò communicationis fundamentum inferius sub alio Dubio afferemus: supponatur hìc solùm cùm *Quintan. In Append. tract. 4. Dub. 9. num. 1. & Dub. 10. nu. 6.* Quòd Indulgentiæ, & Priuilegia, quæ à Summis Pontificibus conceduntur personis spectantibus ad aliquem ordinem, & intuitu illius Ordinis: sese extendant ad omnes alias Personas, spectantes eodē modo ad quascunque alias Religiones, quæ cum ipsis Priuilegiorum communicationem habent. 394

An autem Tertiarijs quoque Religionum per Constitutionem *Pauli V.* reuocatæ sint Indulgentiæ prius à Summis Pontificibus ipsis concessæ? Respondet *Lezzana Verbo Indulgentia, quoad Regulares num. 16. & 17. & cum eo Passerinus de Indulg. q. 108. n. 874.* negatiuè, quantum ad Indulgentias Congregationibus Tertiariorum immediatè concessas; affirmatiuè autem quoad illas Indulgentias, quas ab illis Religionibus participant, quarum sunt Tertiarij & Tertiariæ; *loquendo de Indulgentijs* (inquiunt) *concessis Congregationibus Virorum, seu fœminarum, qui Tertiarij & Ter-* 395

*& Tertiaria appellantur, quatenus ipsis Congregationibus fuerant concessæ, procul dubio reuocatæ non sunt per dictam Bullam Pauli V. cùm in ea solùm reuocentur, quæ pro ipsorum Regularium personis concessæ erant, non aliæ. Loquendo verò de ijs Indulgentijs, quas participant ratione Religionum, quarum sunt Tertiarij, & Tertiariæ, cùm istæ sint ad instar Indulgentiarum talium Religionum, & accessorium sequatur principale, id eo consequenter censeri debent per dictam Constitutionem Pauli V. reuocatæ; & concessæ illis eæ, quas idem Pontifex Religiosis concessit*. Ita præfati Authores *l. c.* ad quos Lectorem remitto.

396 Addo præterea in maiorem huius præmissæ corroborationem id, quod cum *P. Peregrino in Compendio Cler. Regul. Theat. par. 1. Verbo Indulgentia* §. 15. referunt *P. Alphonsus de Leone de Iubilæo par 1. n. 249. & P. Pasqualigo de Iubilæo quæst. 150. numer. 6.* posse nimirum Religiosos liberare ex Purgatorij pœnis per modum suffragij, animas suorum consanguineorum intra tertium gradum, si in Altari propriæ Ecclesiæ à Superiore ad hoc destinato tria Sacra celebrauerint, haud secus, ac si Romæ in Altari Sancti Gregorij, aut Sancti Sebastiani celebrassent, idque ex Priuilegio, vt in *cit. Compendio l. c.* videre est. Non desunt alia Priuilegia etiam pro defunctis Parentibus Religiosorum, quæ in dicto Compendio Religiosorum videri possunt, atque etiam apud *Rodriquez*, vt refert *P. Alphonsus de Leone l. c. Latius* (inquiens) *de alijs Priuilegijs pro defunctis Parentibus, Rodriquez tom. 3. qq. Regul. q. 27. art. 2. Et pro alijs defunctis adsunt alia priuilegia, quæ referuntur in Compend. Priuilegiorum Ordinis Sancti Hieronymi, titulo Animæ à Purgatorio: & in Compend. Priuilegior. Sanctæ Mariæ Fulrensis, Titulo Indulgentiæ pro Defunctis. De illo priuilegio, quòd scilicet singulis secundis, & quartis ferijs, Regulares celebrantes pro defunctis, sint Missæ priuilegiatæ, est videndus Rodriquez tom. 3. qq. Regular. quæst. 44. art. 2. Peregrinus supra* §. 14 *cit. in Scholio* aduertit, duo hæc Priuilegia, de tribus videlicet Missis pro defunctis consanguineis, in Altari à Superiore deputato: & de ijs, quæ secundis, & quartis ferijs à Regularibus leguntur, indifferenter de omnibus Missis, quamuis non sint de *Requiem*, intelligenda esse: *Hi duo Superiores Paragraphi* (inquit) *sunt intelligendi de quibuslibet Missis, quamuis non sint de Defunctis. Nam ita sunt concessa Priuilegia Altari Sancti Gregorij, Sanctæ Pudentianæ, & Sancti Siluestri in Monte Quirinali. Et multa alia Altaria similiter priuilegiata repereriuntur intra, & extra muros Romæ*. Cæterùm, quantum ad deputationem Altaris à Superiore Regulari faciendam, videatur *Thomas Hurtado par. 1. resolut. Moralium. Tractat. 2. Titul. de obligatione Sacerdotum &c. Capit. 4. resolut. 10. numer. 104. pagin. mihi 63. Column. 1. Impressionis Lugdunens. sub Anno 1651. & Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regularium par. 1. tractat. 2. disput. 5. sect. 2. §. 3. num. 42. vers. Dico septimò, pag. mihi 94. col. 1.*

Hisce proinde sufficienter tam rationibus probatum, quàm authoritatibus corroboratum videtur; Indulgentias concessas Regularibus, directè in beneficium Animarum Purgatorij, nullatenus esse reuocatas: quod & *Bordonus* confirmat *numer. cit.* his verbis: *sub reuocatione Pauli V. non comprehenduntur Indulgentiæ ipsis Regularibus concessæ fauore defunctorum, quia non dicuntur concessæ immediatè fauore Religiosorum, sed directè mortuis; Paulus autem V. reuocauit præcisè concessas ipsis Religiosis pro seipsis*: prout idem Pontifex declarauit apud *P. Peregrinum*: affirmantque *Peyrinus, Lezzana* & alij Doctores superiùs citati: quod denuo hìc repetere volui, quia *P. Alphonsus de Leone l. c. n. 251.* doctrinam hanc extendit, etiam ad illas Indulgentias, quæ licèt directè Religiosis viuis pro seipsis fuerint concessæ, tamen ex Priuilegio Pontificis possunt applicari per modum suffragij defunctis: ratio huius (inquit ipse) certa est; quia nimirum *Paulus V.* solùm reuocauit Indulgentias Religiosis concessas, quas sibi tanquam viuis applicare possunt: quare in quantum vi Priuilegij sunt applicabiles defunctis per modum suffragij, sub tali applicabilitate reuocatæ non sunt; fauet huic opinioni *P. Peregrinus in Compend. Priuileg. Theat. par. 1. Tit. Indulg.* §. 11. *in Scholio*, vbi ait: *Huiusmodi Indulgentias concessas pro viuis, licèt nostri lucrari non possint per se; cùm sint reuocatæ per Breue Pauli V. tamen possunt pro defunctis applicari per priuilegium &c.* Ego tamen opinioni huic, quantum- 397

uis piæ non subscribo; ex præcedentibus enim constat quidem Indulgentias defunctis directè concessas, nullatenus fuisse reuocatas: at illæ, quæ defunctis indirectè concessæ sunt, videlicet sub eadem concessione, quæ Regularibus per se immediatè facta est, reuerà reuocatæ sunt, prout insinuat *Bordon. resol. cit. 82. num. 22.* dum ait: *non esse sublatas defunctorum Indulgentias* (scilicet) *quæ non veniunt simpliciter sub Indulgentijs Regularibus concessis*: prout certè veniunt illæ, de quibus loquuntur *P. Peregrinus*, *& P. Alphonsus*: His enim reuocatis, sublatum iam est fundamentum (prout arguit *P. Pasqualigo* contra *P. Alphonsum*) destructaque materia, circa quam priuilegium applicabilitatis versabatur. Adde cum *P. Pasqualigo de Iubilæo quæst. 151. nu. 4. Cùm omnes Indulgentiæ concessæ Regularibus sint sublatæ à Paulo V. & alias ipse concesserit, & pro his de nouo concessis non adsit priuilegium, vt possint pro defunctis applicari, nulla remanebit Indulgentia ex concessis specialiter Regularibus, quæ possit pro defunctis applicari: vnde ex subtractione materiæ, circa quam versabantur, priuilegium desijt.* Iam, vt proposito Dubio satisfaciam, ad enarrandum ordinis Indulgentias procedo.

398 Sunt igitur imprimis sequentes, quas Sanctissimus Pontifex *Paulus V.* in sæpedicta sua Constitutione: *Romanus Pontifex &c. Die 23. Maij 1606.* concessit vniuersis ac singulis Religiosis, cuiuscunq; Regulæ, aut approbati Instituti sint; atque etiam Monialibus omnibus, siue subiectæ sint ordinarijs locorum, siue ipsis Regularibus; loco earum, quas illius Prædecessores ipsis concesserant, nimirum:

*Primò ea die, qua Habitum Religionis Canonicè perceperint, eo fine, vt in illo suo tempore professionem emittant, si verè contriti, ac confessi, Sacramentum Eucharistiæ sumpserint, Indulgentia plenaria.*

Aduerto hic cum *Bordono ref. 81. num. 17.* quòd *qui ingrediuntur ordinem cum proprio habitu, vt moris est apud quasdam Religiones, non lucrantur hanc Indulgentiam* eo temporis, sed tunc primùm, quando Religionis Habitum induunt; sic, vt cum *P. Peregrino* loquar, *par. 1. Priuileg. Theat. Titul. Indulgentiæ §. 2. in Scholio: Theatini, gaudent dicta Indulgentia, quando suscipiunt habitum Religionis, quia tunc incipit annus probationis causa profitendi. Nam quando ingrediuntur, per quatuor menses, dicuntur, & sunt hospites.* Idem dicendum de Laicis, qui plerumque longiori tempore, quàm Clerici per modum hospitum in ordine habentur, antequam eis Religionis habitus tradatur. Hoc ipsum de suæ quoque Societatis Candidatis adnotauit *Sanchez libr. 5. Moral. capit. 5. numer. 8.* His verbis; *Nomine autem ingressus bene intelligit Manuel 2. tom. qq. Regularium in quæst. 87. art. 1. priorem ingressum per habitus susceptionem. Et cùm in nostra Societate non sit habitus susceptio, intellige tunc obtineri, quando finita prima probatione, admittitur ingrediens ad Nouitiorum consortium. Tunc enim reputatur verè eius admissio.*

Quantum ad vllam particulam, *confessi*, aduertendum, quòd Confessio non requiratur ab eo, qui nullius peccati mortalis sibi conscius est: 399
*Suarez de Pœnitent. disput. 52. sect. 3. numer. 5.* vbi ait *ita declarat communis Ecclesiæ sensus, & vsus*, loquitur autem hac posita quæstione, an, vt quis Indulgentias consequatur, necessariò confiteri debeat, etiamsi nullius peccati mortalis conscius sibi sit, si aliàs non constet, confessionem iniunctam esse, vt opus pium, vti certè iniungi potest à Summis Pontificibus: *quod tamen nunquam*, inquit ipse, *aut rarò fit, etiamsi confessio prærequiratur; intelligendum enim est, quando pœnitens habet conscientiam peccati mortalis: ita declarat communis Ecclesiæ vsus, & sensus*: in eandem concedit sententiam *Diana* imprimis *par. 3. tractat. 4. resolut. 75.* vbi cum eodem *Suarez de pœnitent. disput. 36. sect. 6. numer. 1. in fine*, cum *Becano de Sacrament. capit. 36. quæst. 6. num. 3.* & alijs asserit: *nec quis tenetur confiteri venialia ex præcepto Ecclesiæ de annua confessione*; additque rationem: *quia Ecclesia non fecit nouum præceptum de confessione, sed solùm determinauit Diuinum præceptum ad certum tempus. Ergo si non tenemur præcepto diuino confiteri venialia, non tenemur etiam determinationi huius præcepti. Vnde in casu, quo aliquis non potest confiteri mortalia, propter aliquod periculum, vel infamiam, non tenetur ad implendum præceptum annuæ confessionis alia peccata ve-*

*ta venialia quæ habet, confiteri*. Deinde agens de confessione requisita ad consecutionem Indulgentiarum, hoc modo definit. *Quando in Bulla exprimitur confessio: sermo est de confessione illius, qui Conscientiam habet peccati mortalis, nisi aliud exprimatur: Ecclesia enim non consueuit præcipere Confessionem, nisi pro Confessione illorum*. Ita ipse *par.1. tract.11. resolut.* 107. vnàcũ multis alijs classicis Doctoribus, quos ibi adducit: confirmat denique hoc ipsum *par. 3. tractat. 4. resol.* 125. vbi asserit, eum, qui est in statu gratiæ, non obligari ad Confessionem, etiam pro consecutione Iubilæi; ei suffragatur *Pasqualigo in Praxi Magni Iubilæi quæst. 62. numer.* 3. vbi *numer.*3. penè viginti quatuor Doctores adducit, qui idipsum sentiunt, loquendo in genere de quibuscunque Indulgentijs; quocircà opinio hæc communis est, eique vt tali subscribit *P. Quarti in sua Tractatu de Anno Sancto Capit. 2. puncto 1. dub.* 3. cum quo tamen dico, consultissimum fore, confiteri etiam sola venialia, quando alia materia non adesset, & elicere cum Diuina gratia verum de ipsis dolorem, præterquam enim quòd securiùs lucretur Indulgentiam, maius etiam meritum, & augmentum gratiæ consequitur. Videatur *Passerinus de Indulg. qu. 27. & 28.*

400 Quoad Communionem docet *Bordonus resol.*81. *qu.*13. *num.*32. & cum eo *Pellizzarius in Manuali Regular. tom. 2. tractat. 8. Capit. 5. sect. 5. subsect. 1. num.* 184. *versu docet item*: Quòd si Nouitius quispiam heri confessus fuisset, ac communicasset, credens se heri vestiendum Habitu Religionis, id autem superueniente aliquo impedimento non contigisset, consequatur nihilominus plenarias indulgentias, si hodie Habitum recipiat, etiamsi de nouo non confiteatur, nec communicet: *Eo die* (ait *Bordonus*) *quo habitu induitur, lucratur Indulgentiam, licet præcedenti die perfecerit opera requisita, quia Indulgentia conceditur eo die, quo induitur habitus; non tamen eidem diei præscribuntur opera pia, immo illa antecedenter semper præstantur*: imò hanc præuiam operum piorum executionem vlteriùs adhuc extendit Comitolus *libr. 1. Responſ. Moralium quæst.* 39. apud, & cum *Portello de dub. Regul. Verbo Indulgent. numer.* 5. vbi ait: *Quando Indulgentia conceditur, tale, vel tale facienti hoc die: v. g. ingredienti talem Ecclesiam, vel quid simile, si fit confessus, quatuor ante diebus, & non habet mortalem culpam, lucratur Indulgentiam*. Ita præfati. Ratio ipsorum est, quia, quod parum distat, distare non censetur: item quia Communio æquè ac Confessio iniungitur vt dispositio; ergo sicut ad consecutionem Indulgentiarum sufficit confessio facta ante concessionem Indulgentiarum, ita etiam communio antecedenter facta sufficit. At contrarium sentiunt *Zerola libr. 2. de Iubilæo dub. 17. & 48. Laurius par. 1. de Iubilæo capit. 21. numer. 18. Bossius de Iubilæo sect. 4. Casu 19. §. 3. numer.* 45. apud & cum *Pasqualigo de Iubilæo quæst. 77. à nu. 3. & Passerinus de Indulg. quæst.* 45. vbi *numer.* 351. disertè ait: *Si indulgentia conceditur, vt incipiat à primis Vesperis, sufficiet quidem Communio habita eo die manè: quia cùm in Vesperis possit acquiri Indulgentia, & Communio debeat haberi de manè, Pontifex requirens Communionem, non requirit eam vt habitam in Vesperis, sed in manè: sed non sufficiet alia debita in die antecedenti, quia qui communicauit heri, non potest hodie dici Sacra communione refectus, & potest communicari hodie*; hæc ille, qui deinde *n.*253. subiungit: *vbi verò Confessio requiritur vt conditio, nec illa sufficit, si habeatur ante tempus Indulgentiæ. In hoc tamen est discrimen, quod si non habet conscientiam peccati mortalis, non teneatur confiteri, quia obligatio ad confessionem, obligat solùm habentes peccatum mortale, quod non fuit confessum, sed debet subijci clauibus in Confessione*. Concludit denique quæstionem his verbis; *in hoc non sunt attendenda opiniones DD. sed standum est Bullis Pontificum, & seruanda, quæ in illis præcipiuntur*.

Vnum adhuc moneo, quòd si quis edita canonicè professione in vno Ordine, legitimè deinde transiret ab eo ad alium, facturus in eo nouum Nouitiatum, easdem denuo consequeretur Indulgentias, dum Habitum alterius Religionis suscipit, præmissa Confessione, & Communione, idemque sentit *Pellizzarius loc. citat. numer.* 185. quod etiam cum eo probo: 401

nam concessio huius Indulgentiæ non restringitur ad vnam tantùm vicem, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; deinde versamur etiam in materia fauorabili, quæ proinde amplianda est iuxta doctrinam *Filiucij tract. 8. num. 229.* qui asserit, concessionem Indulgentiarum, si de potestate constet, latissimè debere interpretari ( sistendo tamen intra eam latitudinem, quam verborum proprietas patitur ). vbi enim eadem ratio militat, eadem militat quoque dispositio iuris; atqui in receptione noui habitus Religiosi transeuntis ab vna Religione ad aliam, clarum est, eandem, quæ in prima Habitus Religiosi assumptione, militare rationem; ergo &c. *Et ita Docti viri à me consulti* concludit *Pellizzarius citat. numer.*

402 *Secundò Nouitijs, qui pœnitentes, confessi, ac communicati, finito Probationis anno Professionem emiserint; Indulgentia plenaria.*

Aduerto etiam hìc, quòd si quis emissa Professione in vno ordine transeat ad alium, atque in eo legitimam emiserit Professionem, de nouo easdem lucretur Indulgentias, vt superiùs de ingressu noui Nouitiatus alterius Religionis, diximus, idque ob easdem rationes. *Pellizzarius loc. cit. numer. 186.* quod *Sanchez Moral. lib. 5. cap. 5. numer. 5.* extendit etiam ad eos, qui ab vna Religione expulsi, in alia profitentur, en ipsius verba; *Si professus transeat ad strictiorem. vel expulsus in perpetuum, à strictiori transeat ad laxiorem, & in noua illa Religione profiteatur, credo obtinere plenam condonationem. Quia est omnino noua professio, nouaque traditio*: Loquitur hìc *Sanchez* de condonatione pœnæ, quæ ratione Professionis, tamquam actus heroici, ex opere operantis acquiritur, sed pari ratione argumentum currit etiam quoad Indulgentias. Easdem plenarias Indulgentias consequitur, qui ante completum Nouitiatus annum Professionem anticipat, aut ob infirmitatem, aut ex Priuilegio. *Bordonus resol. 81. numer. 17.* vbi insuper notat, *quod si nulla fuit professio, nulla quoque censetur Indulgentia: ratificatione autem acquiritur remissio pœnarum, & Indulgentia, quia reuerà ratificatio est professio.* An autem quotiescunque priuatim quis renouet professionem, toties easdem lucretur indulgentias? clarè patet, quòd non, ex ipsis verbis, & voluntate concedentis.

Alias etiam plenarias Indulgentias 403 probabiliter obtinet Nouitius per actum suæ Professionis, nimirum remissionem omnium suorum peccatorum non quidem quoad culpam, hæc enim per pœnitentiam iam sublata supponitur, sed quoad pœnam in Purgatorio adhuc exsoluendam, idque vi Professionis, vtpote actus in se perfectissimi, & heroici. Communis hìc est Sanctorum Patrum sensus apud *Bordonum de Professione Religiosa Capit. 20. quæst. 17. numer. 37.* qui idcircò Professionem vocant secundum Baptismum, in specie *Sanctus Hieronymus, & Sanctus Bernardus*: in eo videlicet sensu, quòd sicuti per Baptismum homo renascitur Christo, renuntiat omnibus diaboli pompis, & consequitur remissionem omnium pœnarum, quarum debitor existit: ita Nouitius, per Professionem renascitur Christo, moritur mundo, renuntiat omnibus sæculi pompis, & obtinet remissionem omnium, quarum reus est, Purgatorij pœnarum. Cæterùm remissionem hanc pœnarum consequitur ex vi Professionis, & operis operantis; Professio enim Religiosa, opus est excellentissimum, excedens quoscunque alios actus humanæ vitæ, inquit *Bordonus l. c. n. 38.* cùm Nouitius per eam non tantùm bona externa, sed etiam interna, imò seipsum relinquat: se enim ipsum & quidquid habet, Deo in Holocaustum offert. Quare condonatio omnium pœnarum, inquiunt Sancti Patres, & Doctores communiter apud *Sanch. c. 5. cit. n. 2.* prouenit ex dignitate, & præstantia excellentissimi, & Eminentissimi actus Professionis.

Subinferet hìc quispiam; si Profes- 404 sio ipsa plenam secum affert pœnarum Purgatorij remissionem; vt quid Sanctissimus Pontifex *Paulus V.* plenariam

riam etiam Profitentibus pœnarum cõcessit remissionem? Si professio omne debitum delet, in quem finem plenaria hæc adiungitur Indulgentia? De concessione Indulgentiarum certò constat; igitur dubitari solùm potest, an Professio certum huiusmodi habeat effectum, quem Sancti Patres ac Doctores communiter ei attribuunt: neque incassum dubitatur; si enim effectus foret certus, hic solus sufficeret, absque vllis indulgentijs, quæ proinde frustra omnino concederentur; cùm idem numero effectus à duabus causis totalibus prouenire non possit, iuxta mentem *S. Thomæ*, & *Scoti*, quos refert *Suarez disp.26. sect.* 4. & alij communiter huic opinioni fauent, in specie *P. Morandus, Cursus Philosophici Anno* 2. *tract.* 7. *qu.* 2. *nu.* 233. & *P. Bagatta in* 2. *lib. Physicor. disp.* 2. *sect.* 5. Hanc difficultatem enodat etiam *Bordonus loc. citat. numer.* 39. cum quo & ego eam resoluo, ac respondeo, non esse hoc casu superuacaneas Pontificias Indulgentias; nec propterea eundem effectum à duabus causis prouenire; si enim vna non operatur, alia operari potest, maximè, cùm de remissione pœnarum, vt est effectus Professionis, proueniens ex vi operis operantis, non constet, neque ex Sacra Scriptura, neque à Christo Domino, per traditionem; sed Sancti Patres piè eam credant, ob actus huius excellentiam, vt Doctores asserunt. Neque inconueniens etiam est, eundem effectum prouenire à duabus causis totalibus, non solùm diuersi ordinis, vt Philosophi communiter admittunt, sed etiam eiusdem Ordinis, vt multi apud *Suarez*, & citatos *P. P. Morandum*, & *Bagattam* sustinent: quamuis in casu præsenti Professio Religiosa, & Thesaurus Ecclesiæ, quorum vtrumque est causa Indulgentiarum, siue remissionum pœnæ, sint reuerà diuersi Ordinis, vt constat: Indulgentia enim operatur, virtute applicationis satisfactionum Christi, ac Sanctorum, quæ à Romano Pontifice ex Thesauro Ecclesiæ extrahuntur: Professio autem debitum pœnæ remittit ex vi, & merito ipsius Excellentissimi actus profitentis, & ex opere operantis. Atque de hac plena pœnarum condonatione loquitur *Sanchez* superius *Capit.* 5. *cit. numer.* 5. dum asserit, quòd transiens ab vno ordine ad alium, in eoque Professionem emittens etiamsi ab eo in perpetuum fuisset exclusus, tamen, vi nouæ Professionis, eandem plenam pœnarum condonationem consequantur: qua non minus gaudet (subiungit *Bordonus*) *etiam in ratificatione eiusdem aliàs inualidæ Professionis, quia reuerà est propriè professio tam transeuntium, quàm ratificantium.*

405 Cæterùm an easdem plenarias Indulgentias Religiosus lucretur, quoties priuatim vota sua, ac Professionem renouat, controuersia est inter Authores: Affirmatiuæ adhærent, *Sà verbo Religio numer.* 7. *Layman in Theologia morali libr.* 4. *tractat.* 5. *capit.* 10. *numer.* 2. & *Villalobos in Summ. tom.* 2. *tractat.* 35. *diffic.* 26. *numer.* 2. quos citat *Diana par.* 4. *tractat.* 4. *resolut.* 180. ratio illorum est: quia vota, quæ in Professione emittuntur, in tantum plenariam conferunt pœnarum remissionem, in quantum perfectam continent Profitentis in Dei seruitium traditionem; hæc autem traditio non vnà tantum vice, sed sæpiùs ac sæpiùs fieri, & renouari potest; igitur remissio quoque pœnarum similiter cum renouatione Professionis denuo acquiri potest. Negatiuam ex aduerso amplectuntur *Sanchez numer.* 5. *cit. Tabiena, Verbo Nouitius, in fine, Bartholomæus de Vecchis in praxi Nouitiorum disputat.* 13. *dub.* 5. *numer.* 7. cui etiam sententiæ ipsemet *Diana resolut.* 180. *cit.* subscribit, vbi hoc eodem, de quo agimus proposito Dubio, in hæc verba resoluit; *Ego puto, non esse recedendum ab opinione negatiua*, quam præ cæteris tenet *Sanchez num. cit.* hac motus ratione: quòd cùm Indulgentia hæc plenaria conferatur intuitu actus Professionis, qua Profitens integrè se Deo donat; renouatio autem huius traditionis non sit opus tantopere meritorium, neque adeò satisfactorium, vti est prima traditio; tum quia in ea non inuenitur tanta difficultas, ac in prima traditione: tum quia primus actus intensior est, & ardentiori, efficaciorique adimpletur vo-

luntate, quàm secundus, qui solùm complacentia quædam est actus iam de præterito facti: quare vnàcum eo concludatur: hanc condonationē non obtineri, quoties Professio renouatur, sed sola prima vice, qua emissa est.

406 *Tertiò Cuilibet Religioso, intra claustra sui Monasterij viuenti, qui in principali Festo sui ordinis confitebitur, ac communicabit, siue Missam celebrabit; & pias ad Deum preces fundet pro concordia Principum Christianorum, extirpatione hæresum, salute Romani Pontificis, & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, Indulgentia plenaria.*

Per id quod dicitur (*intra claustra sui Monasterij viuentis*) non excluduntur, inquit *Bordonus resol.*81. *num.*17.*versu Tertiò*. & cum eo *Pellizzarius loc. citat. num.* 188. *versu; Nota autem*, illi Religiosi, qui ex obedientia, aut legitima superiorum suorum licentia, ad tempus extra Monasterium degunt, velut in Oratorijs, Capellis, Possessione, seu territorio Monasterij aut huiusmodi locis: quia extra manens per aliquod temporis spatium, vt communis habet doctrina iuxta mentem *Bordoni*, censetur degere in Monasterio, qui deinde in hunc modum concludit: *Papa ergo ibi loquitur de illis, qui perpetuò extra manent, vt sunt Parochi, & alij exempti à iugo obedientiæ: qui, si omnes in Festo principali ad claustra se reducunt, puto lucrari Indulgentiam*. Non esse tamen necessarium, vt ad Monasterium accedant, docet *Quintanadu. in Append. ad sing. tr.* 4. *dub.* 4. cùm Indulgentia hæc concessa sit Personis Regularibus, independenter à loco: & Pontifex, per præfatam clausulam, eos solùm à consecutione Indulgentiæ excludere intendat, qui sine obedientia extra Monasterium degunt. Cætera, quæ ad hanc Indulgentiam pertinent, per se clara sunt, & sufficienter ex proprijs terminis constant, quapropter vlteriori glossa non egent: sufficiet cum *Pellizzar. num.* 188. *cit.* aduertisse, quòd nomine Festi principalis Ordinis videtur venire Festum illud, quod in toto ordine maiori cum solemnitate celebratur, videlicet Sancti Fundatoris Religionis; & quòd quoad hoc, attendi debet vsus vniuscuiusque Religionis. Casu autem, quo festum istud transferatur (prout ex. gr. subinde contingit S. Francisci de Paula, Fundatoris Minimorum, si in septimanam Sanctam incidat, quod proinde vltra octauam Paschatis transfertur) transferatur etiam vnàcum Festo prædicta Indulgentia. Consulantur, quantum ad hoc Dubium, Doctores, qui id promouent, ac resoluunt, in specie *P. Diana par.* 6. *tract.*7. *res.* 31. *& tract.*8. *res.*31. *& Gobat de Indulg. par.*2. *cap.*7.

*Quartò Ei, qui in vero mortis articulo, ex corde pænitens, confessus ac communicatus fuerit; & si id efficere nequeat, saltem contritus, deuotè Nomen Iesu inuocauerit, si possit, sin autem, saltem corde, Indulgentia plenaria.* 407

Articulus Mortis ille est, in quo, moraliter loquendo, imminet mors. Distinguitur autem à Doctoribus duplex articulus mortis, vnus præsumptus, alter verus: præsumptus est, in quo quis in tali statu infirmitatis positus est, vt iuxta humanam æstimationem, & Medicorum iudicium, mortem sit subiturus, in effectu autem non moriatur. Verus articulus mortis est, in quo quis reipsa moritur. Porrò hìc à Pontifice non intelligitur primus, ac præsumptus; sed verus, ac realis mortis articulus: ita sentiunt etiam *Bordonus num.*17. *cit. vers. Quintò & Pellizzzarius l.c. numer.* 189. Vnde locum hìc non habet præsumptus mortis articulus, seu graue vitæ periculum: idque deducitur, ait *Bordonus, ex subiecta materia, cùm agatur præcisè de casu mortis. Et ex mente coniectura ta Papæ*, addit *Pellizzarius*; hoc est, quantum in hac re, de mente Summi Pontificis coniecturare licet, videtur Sanctitas sua has indulgentias, eo fine concedere intendisse, vt quantum in ipsa est conducat Religiosum morientem immediatè ad gloriam, ita vt ei nihil supersit amplius, pro quo in Purgatorio satisfaciat. Quinimò ex textu ipsiusmet Bullæ videtur id mihi indubitatum, cùm in ea §.8. articulus mortis expressis verbis coarctetur ad verum mortis articulum, hisce verbis: *In cuiuslibet vero mortis articulo*: Quòd si Pontifex Indulgentias istas extendere voluisset etiam ad articulum mortis præsumptum (vt notauit *Pellizz. n. c. in fine*) & ad quodlibet mortis

mortis periculũ, haud dubiè non dixisset: *In cuiuslibet vero mortis Articulo*; sed *in quolibet mortis Articulo*: quare, si infirmus conualescit, non lucratur has indulgentias, eò quòd *Articulus verus mortis sit ille, in quo infirmus verè moriturus est*. ait *Quintannad. in appendice ad singul. tract.9. Dub.2. n.1.* vbi etiam asserit (quod in confirmationem cedit eorum, quæ hactenus diximus) quòd Indulgentiæ plenariæ pro articulo mortis concessæ independenter ab aliorum applicatione, ac ministerio, velut Episcopi, Confessarij, aut alterius Religiosi, qui in tali articulo eas nobis communicet (qualis est ista, de qua in præsenti agimus) intelligantur solùm concessæ pro vero mortis articulo: idem affirmant apud ipsum *Nauarrus Miscell. 18. n.4. Bonac. de Indulg. disp. 6. q. 1. punct. 8. n. 10. Reginal. lib.7. n. 156. Trullench in Bullam Cruciatæ lib. 1.§.7. cap.2. dub.29.* quibus adde *Pellizarium n. cit. 189.* (qui pro eadem opinione citat *Suarezium tom.4. de Relig. tract.8. lib. 2. cap. 19. n. 13.*) & *Gobat de Indulgentijs par.2. cap. 34. n. 620.* qui ita disserit; *Indulgentiam, quam tibi ipsi applicare potes, applicabis validè in solo vero mortis articulo, quia videtur esse mens concedentis tunc Indulgentiam, vt infirmus decedat ex hac vita absque onere luendi pœnas in Purgatorio; huic intentioni satisfit communiter in solo vero mortis articulo*: benè ait *communiter*, nam iuxta *Quintannad.* est hæc communior Doctorum sententia, hunc scilicet esse finem concedentis Indulgentiam: acquiritur autem, vt censet *Pellizarius loc. cit. n. 190. cum Filliucio tract. 8. n. 139.* quando mors adeò vicina est infirmo, vt iam sit illi ineuitabilis, & statim futura; quod & *Gobat* confirmat hisce verbis: *Indulgentia consequitur in eo instanti, in quo infirmus est ita defectus viribus, vt mortem naturaliter euitare non possit. Bonacina* verò *punct. 5. n. cit.* vt refert *Gobat n. cit. in fine*, vult, quòd *Indulgentia consequatur in eo instanti, in quo desinit* (scilicet homo viuere) *eò quòd videatur tunc impleta conditio, & Anima sit capax Indulgentiæ, licèt non sit capax (secundùm ordinariam Dei legem) primæ gratiæ*. Idem & alij censent.

408 Cur autem Indulgentias plenarias, concessas quidem etiam pro articulo mortis, sed tamen dependenter ab alterius applicatione, & ministerio, specialiter Confessarij, probabiliter quis consequi possit, etiam in periculo mortis præsumpto, quando videlicet infirmus, iudicio Medicorum, confiteri debet, vt Sanctissimum recipiat Viaticum: reddunt rationem *Pellizarius n. cit. 189. Gobat loc. cit. n. 621.* & alij; quia nimirum si semper verus mortis Articulus exspectandus foret ad consequendum has etiam Indulgentias, *talis concessio sæpè redderetur inanis: cùm mors sæpe superueniat, aut phrenesis, & priuatio vsus sensuum, quæ impediunt effectus huius concessionis*: ita *Pellizarius l. c.* vbi pro hac quoque opinione citat *Suarezium tom. 4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.19. n.13.* vbi insuper docet, quòd si infirmus in tali casu Indulgentiam consequatur, etiamsi mors tunc non sequatur, eam de nouo etiam consequi possit in omni alio simili euentu, *vsque ad verum articulum mortis, idque ex præsumpta voluntate Papæ concedentis*: cui suffragatur, non tantùm ipsemet *Pellizar.* sed etiam *Gobat n.621.* in hæc verba: *Indulgentiam, quam alterius opera percipere debes, toties validè percipies, quoties erit probabile mortis periculum, vt, verbi gratia, quando Medici dicunt, te esse disponendum ad Confessionem*. Nec fundamento caret doctrina hæc, nam, vt communiter Doctores, Beneficium Principis latè interpretandum est; maximè quando ipse illud non limitat: prout nec Pontifex præfatas Indulgentias limitat, sed indefinitè concedit in articulo Mortis: dispositio autem indefinita, in iure, æquiualet vniuersali; & est idem, dicere, in mortis articulo, ac dicere, in quouis mortis articulo: istud autem specialiter procedit in dispositione fauorabili, & ex qua nemini præiudicium emergit; quæ proinde applicari debet omnibus casibus, ad quos ipsa dispositionis verba, secundùm propriam significationem sese extendere possunt. Cùm ergo Priuilegium Indulgentiarum pro articulo mortis, perquam fauorabile sit, animæque salutiferum, neque vlli exinde oriatur præiudicium aliquod *ampliandum est ad omnes casus, ad quos eius verba, secundùm propriam significationem extendi possunt, cùm autem sint* (vt hìc supponitur) *indefinite prolata, absque vlla limitatione ad vnum tantùm articulum, intra limites propriæ significationis, ad quemcunque arti-*

*articulum extendi possunt* : ita concludit *Paulus ab Omnibus Sanctis par.4. cap.6. sub n. 246. versu, Nihilominus ego, in fine* : vbi etiam pro se citat *Dominicum à SS. Trinitate tract. de Anno Iubilei, controuers. 9. c. 1.* cui ego addo *Gersonem in tractat. de absol. Sacram. p. 2. Alphab. 33. litt. X.* & *Cordubam lib. 5. de Indulg. qu. 39.* qui pariter affirmant, quòd cum à Pontifice conceditur Indulgentia aliqua pro articulo mortis absolutè absque addito restrictiuo, intelligatur tam de vero, quàm de præsumpto mortis articulo: cùm rationabiliter præsumatur talis fuisse voluntas Pontificis, nisi aliud obstet: & ob rationes superiùs adductas; & insuper etiam, quia sicut alia, quæ conceduntur pro articulo mortis (vt ipsi ratiocinantur) veluti absoluere infirmum à casibus reseruatis, à censuris, communicare eum in suo domicilio, ministrare illi extremam Vnctionem &c. intelliguntur in articulo mortis, & tamen in quouis mortis articulo percipiuntur: ita pariter idem prorsus dicendum est de Indulgentia, quando de contraria voluntate concedentis non constat. At verò, doctrina hæc in casu præsenti, vt dictum est, non procedit, quantum ad præfatas Indulgentias, concessas Regularibus in articulo mortis à *Paulo V.* cùm sufficienter sese declarauerit Pontifex, quòd eas coarctet, ac limitet ad verum mortis Atticulum, hisce verbis: *In cuiuslibet vero mortis Articulo.*

409 Procedit autem tradita hactenus doctrina probabiliter (suppositis ijs, quæ ab initio Dubij diximus) quantum ad aliam Indulgentiam, de qua superiùs quoque mentionem fecimus, vbi eam ex *Casarubio* adduximus *in Compend. Mendicant. Verbo Indulg. quoad Fratres n. 1.* concessa illa fuit à *Martino V. Eugenio IV. &c.* Fratribus Minoribus in hæc verba: *Concesserunt omnibus Fratribus Minorum de Obseruantia, quòd possint eligere Confessorem, qui ipsis possit concedere Indulgentiam plenariam in articulo mortis.* Quæ indulgentia, per participationem, communis est omnibus Regularibus, in articulo mortis constitutis; cùm igitur hæc (vtpote iuxta Doctorum Doctrinam non reuocata, quia in articulo mortis concessa) communicetur ministerio Confessarij, procedit, inquam, pro ea probabiliter, præcedens fauorabilis doctrina, quòd nimirum ob rationes ibi adductas, percipiatur in quocunque etiam mortis Articulo; vtpote indefinitè concessa, neque ad verum mortis Articulum restricta, vt præfata *Pauli V.* Nisi fortè etiam hìc obstet, quòd ijdem Summi Pontifices eam concesserint etiam absque ministerio Confessarij si fortè eius non habuerint copiam: *Et quòd si occurrerit casus, quòd non possint Confessorem eligere, seu habere, tunc etiam consequantur prædictam Indulgentiam, si sunt in statu gratiæ*: ita refert *Casarubius loc. cit.* Sed neque hæc additio obstat, quandoquidem est concessio conditionata, in eo videlicet casu tantummodo, si in huiusmodi mortis articulo Confessarius nec eligi, nec haberi posset, qui eam infirmo applicet, quòd si haberi possit, ipse certè eam applicare debet. Cùm igitur ministerium istud ad verum mortis articulum coarctatum non sit, vt ex verbis concessionis constat; proinde atque etiam ob rationes superiùs allatas, Indulgentia hæc haud dubiè probabiliter extendi potest ad quemlibet etiam præsumptum mortis articulum, absque vlla limitatione. Nisi tamen fortassis concedatur cum *Quintannad.* non requiri amplius hanc Confessarij applicationem, cùm absq; ea *Paulus V.* hanc eamdem Indulgentiam concesserit: *Hanc tamen applicationem per Confessorem electum, aut non electum, &c. iam non requiri certum est; eò quòd postea Paulus V. sine illa, hanc Indulgentiam concesserit*: ita ille: *In Append. ad singul. tractat. 9. dub. vlt. n. 3.*

Quæres, an huius Indulgentiæ, Nouitij quoque participes fieri queant? Respondet præfatus *Quintannad. loc. c.* affirmatiuè: *obtineri autem hanc à Nouitijs non dubito*: eo nixus fundamento, quòd Nouitij in fauorabilibus sub nomine Religiosorum veniant. *Cap. Religio. §. Quamuis*; idque probat apud ipsum *Bordonus* authoritate Doctorum *de Professione Regulari cap. 12. q. 1. & 3. n. 4. 5. 6. & 7.* vbi in specie asserit, eos gaudere Priuilegijs Professorum, hancque esse communem sententiam: *Ita omnes cum Nouarto &c.* Quòd autem inter hæc priuilegia numerentur etiam Indulgentiæ, affirmat idem 410

*Quin-*

*Quintannad. in Append. tract. 7. dub. 3. nu. 3. in fine* vbi aperte ait: *in fauorabilibus Nouitij, sub Religiosorum nomine veniunt. Cap. Religio. §. Quamuis, illisque conceduntur omnes Indulgentiæ, ac Iubilæa, alijs Religiosis Professis concessa.* Idipsum confirmat *tract. 4. dub. 3. n. 1.* sequentibus verbis; *Nouitios omnes frui Indulgentijs concessis Religiosis, vel in vniuersum, vel in particulari Religiosis talis Religionis, in qua Nouitius existit; nisi expressè notetur (Professis concedi) non dubito: Quia hæc conceduntur Religiosis, vt patet in Bulla Pauli V. sed in communi loquendi modo; imò & iuxta stylum Cancellariæ Apostolicæ, Nouitij dicuntur Religiosi, & censentur tales in fauorabilibus, vt notant DD. Ergo eis conceduntur.* Adeoque ipsis Nouitijs communicatur prædicta etiam Indulgentia, in Festo principali Ordinis, quæ vniuersis Religionibus concessa est. Neque contra hanc Indulgentiarum ad Nouitios extensionem militant verba ipsiusmet Bullæ *Pauli V.* §. 18. quibus sua Sanctitas videtur, contentas in ea Indulgentias solis Religiosis vtriusque sexus Professis concedere; dum ibidem ait; *Volumus autem, vt omnes etiam concessæ sint omnibus Religiosis, Monialibus, Regularibus cuiusuis Regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus:* non, inquam, obstant hæc verba, quia per ea, vt ex eorum sensu patet, aliud non intendit Pontifex, quàm declarare quòd Indulgentias in hac Bulla contentas concedat omnibus approbatis Religionibus, in quibus Religiosi tria solemnia vota profitentur; & sic etiam ea explicat, ac interpretatur *Quintann. Dub. 3. cit. n. 3. in fine.*

411 5. *Qui ad Presbyteratus Ordinem canonicè promotus, & confessus primam Missam celebrabit, nec non etiam ijs Religiosis, qui pariter confessi, ac Sacra Communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam plenariam Indulgentiam.*

Omnes Religiosi, siue eiusdem, siue diuersi sint Ordinis, qui ad dictas Primitias occurrerint, obtinebunt plenarias Indulgentias (inquit *Pellizzarius loc. cit. n. 191.*) nam Pontifex loquitur hìc generaliter & *vbi lex non distinguit; neque nos distinguere debemus:* ita ille cum alijs, quos hac super re consuluit. Nouitij quoque, & Tertiarij ibidem assistentes, si confessi ac communicati fuerint, eandem lucrabuntur Indulgentiam; *Nomine Religiosorum interessentium, veniunt etiam Nouitij, & Tertiarij,* inquit *Bordonus res. 81. num. 17. Verb. Sextò lucratur:* vbi insuper addit; quòd alij Sacerdotes debeant vel interesse primo Sacro, vel saltem in eadem Ecclesia celebrare; quare qui neutrum horum facit, Indulgentiam non lucratur; eam autem acquirit, si in eadem Ecclesia celebrabit, quamuis ipsis Primitijs non intersit, vt ex verbis Bullæ colligitur, dicentis; *etiam ijs Religiosis, qui pariter confessi, ac Sacra Communione refecti, eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam plenariam &c.* Quamuis autem hìc Pontifex mentionem nullam faciat loci, in quo alij Sacerdotes celebrare debeant, vt proinde videatur deduci posse, solùm ab ipsis requiri, vt in aliquo loco celebrent; debent nihilominùs in eadem Ecclesia celebrare, vt videlicet aliqua intercedat connexio inter primam Missam, & celebrationem requisitam ad consecutionem Indulgentiarum ob primam Missam; aliàs quotiescumque Regularis aliquis Primitias celebret, quicunque alius Religiosus, vbicunque terrarum degeret, modò eo die celebret, lucraretur præfatas plenarias Indulgentias, quod valde alienum videtur à mente Summi Pontificis, & dissonum sensui ipsius Bullæ. Idipsum adnotauit *Pellizzarius n. 191. cit.* hisce verbis; *Noto, non fieri mentionem de loco, in quo celebrare debent alij Sacerdotes, sicque videri solùm requiri, vt Missa alicubi celebretur; tamen puto probabile, celebrandam esse Missam in illa eadem Ecclesia, in qua dicitur prima Missa: idque, vt extet aliqua connexio inter primam Missam, & celebrationem Missæ requisitam ad consecutionem Indulgentiæ concessæ occasione primæ Missæ, alioquin quilibet Regularis Sacerdos, Regulari quolibet primam Missam dicente (vbicunque eam diceret) posset hanc obtinere Indulgentiam, etsi celebraret extra ciuitatem, in qua diceretur prima Missa: quod non videtur intentum à Papa concedente hanc Indulgentiam: imò videtur esse absurdum, vt consideranti patebit.* Admoneo quoque, antequam finiam numerum, Sacerdotem non legitimè ordinatum, nec canonicè promotum

tum

tum has Indulgentias in suo primario Sacrificio minimè lucraturum, cùm concessæ solùm sint ei, qui ad Presbyteratus Ordinem canonicè promotus fuerit; vnde *Bordonus vers. cit.* ait; *malè promotus, neque inconfessus lucratur.*

412 *6. Iis omnibus, qui de suorum Superiorum licentia, à negotiis per decem dies alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati, in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium, animos ad deuotionem & spiritum inducentium, lectionibus operam suam dederint, addendo sæpè considerationes, & meditationes Mysteriorum fidei Catholicæ, Diuinorum beneficiorum, quatuor nouissimorum, Passionis D. N. IESV CHRISTI, & aliorum exercitiorum, Orationum iaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in diem, & noctem Orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut Missam celebrauerint, quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum Plenariam Indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum.*

Particulæ illæ (*in cella commorabuntur*) necessitatem quidem inducunt, continuè ibi remanendi, præcisis tamen corporis necessitatibus; *Necesse autem est* (inquit) *Bordonus n. cit. 17. vers. Septimò plenariam:) quòd ibi continuè maneant, seclusis necessitatibus corporis:* Imò iuxta doctrinam *S. Francisci Salesij*, licitum quoque est, tempore huiusce spiritualis receptus, pro solatio personæ deuotioni totaliter intentæ, interesse per diem, vnius horæ spatio, cum licentia sui Directoris, honestæ, ac modestæ recreationi cum suis domesticis. En ipsa huius Sancti verba, qui loquens, conformiter casui nostro, de personis, decem dierum spatio solitudini, atque exercitijs spiritualibus vacantibus, ita disserit; *Credo, Patrem vestrum spiritualem, ita benignum, atque humanum fore, vt ex diurnis horis certo modo distributis, saltem vnam (quæ forsitan illa erit, quæ prandium consequitur) vestræ relaxationi, ac recreationi deputet: quantumuis per eam solitudo intereà nonnihil interrumpenda foret, dum cum domesticis hoc temporis spatio conuersatio instituitur.* Ita ille in Opusculo, cui titulus; *Exercitia spiritualia, per decem dies Solitudinis, Cap. 6.* quo tractat, *de recreatione, & solatio: circa initium.* Vbi dictum Capitulum per hæc verba terminat: *En quàm sanctè, simul ac delitiosè recreare vos possitis hoc breui spatio, quod vobis pro aliquali relaxatione concedetur.* Quare *verba illa: in cellis commorabuntur:* (subiungit *Pellizzarius*) *debent intelligi moraliter, sicque per ea non tollitur, quòd Religiosus non possit deambulare in horto, aut alio loco extra cellam: aliqua enim deambulatio necessaria est ad sanitatem corporis:* ita *Pellizarius*; qui sequentia quoq; verba (*quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum Plenariam Indulgentiam*) congruè interpretatur in hunc modum *n. 193.* intelligenda videlicet esse quoties collectiuè exercebuntur, & complebuntur præfata exercitia spatio decem dierum, Indulgentiam plenariam. Non autem distributiuè pro quolibet prædictorum exercitiorum in particulari, v. g. quoties per duas horas meditationi vacabit &c. Plenariam Indulgentiam: nam hæc (vt benè glossatur *Pellizarius*) *non videtur posse referri nisi ad omnia dicta exercitia simul sumpta in tenore concessionis requisita, non autem ad quodlibet eorum exercitiorum seorsim: vt satis apertè constabit consideranti.* Admoneo tamen Lectorem, quòd *Alexander VII.* exercitia hæc spiritualis recessus, ad solos octo dies reduxerit, vt refert *Sanctorus de Melfi in Constit. & Statuta S. Francisci cap. 2. statuto 13. in fine*, hisce verbis: *Pro Indulgentia plenaria præfati spiritualis exercitij, ad octiduum redacti, emanauit concessio Alexandri VII. ad instantiam Reuerendissimi Sambucæ; in cuius Gener. Stat. 1663. impressis, habetur per extensum pag. 374. Cum sicut nobis &c. (vbi Pontifex concedit omnibus) Qui de suorum Superiorum licentia exercitia prædicta per octiduum quandocumque peregerint: Et intereà temporis, verè pœnitentes, & confessi, Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam suorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem.* Eandem Indulgentiam plenariam concessit defacto regnans Summus Pontifex *Innocentius XI.* nostræ Theatinæ Religioni, per Bullam specialem, quæ incipit: *Cùm sicut dilectus Filius Præpositus Generalis Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum &c.* Datam sub die IX. Iulij 1683. omnibus eiusdem Religiosis præsentibus, & futuris, qui semel in anno per octiduum spiritualia exercitia peregerint; vt ex sequentibus Bullæ ver-

verbis apparet: *Omnibus, & singulis memorata Congregationis Religiosis, præsentibus, & futuris, qui spiritualia exercitia per octidui spatium semel quotannis peregerint, & intereà temporis verè pœnitentes, & confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint; quolibet anno, quo id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus in perpetuum valituris.*

41 Aduertat prætereà Lector, exercitia hæc à Religiosis fieri posse vbique locorum, etiam *in domibus, ac prædijs sæcularium*, teste *Quintan. in Append. tract. 4. dub. vltim. n. 5.* Cœterùm si quis ad hæc spiritualia animæ Pascua, bonum, ac expertum viæ ducem desideret, qui eum ad dicta exercitia cum fructu peragenda, quasi manu ducat, vti poterit, singulari illo imprimis exercitiorum spiritualium libro, ex scriptis *S. Francisci de Sales* extracto, inscriptoque, *Exercitia spiritualia per decem solitudinis dies*. Aureo prætereà Opusculo deuotissimi ac rerum spiritualium expertissimi *P. Nouarini*, quod in hunc præcisè finem edidit: hoc præfixo titulo: *Decem sacræ solitudines*: Item alio fructuosissimo pariter libello, *P. Bernardi Finetti*, similiter cum hac intentione recenter composito, cui titulus: *Conceptus, atque occupationes Animæ spiritualis per decem dies &c.*

414 7. *Illis Religiosis, qui intra claustra viuentes, suam Ecclesiam deuotè visitauerint, & vt præfertur orauerint, concedit easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extra eam diebus Stationum consequuntur, in omnibus diebus perinde, ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitarent.*

Religiosi manentes extra Monasterium non lucrantur has Indulgentias, *cùm suam Ecclesiam non possint vt sic visitare*, inquit, *Bordonus num. cit. 17. vers. Quartò intra.* Et *Pellizzarius; cùm sic non possint dici visitare suam Ecclesiam, sicut requirit Paulus V. & alioqui ad consecutionem Indulgentiæ, impleri debeant in specifica forma opera à concedente iniuncta*. Cùm ergo Pontifex visitationem propriæ Ecclesię iniunxerit, id certè non exsequitur, qui aliam extra Monasterium visitauerit, consequenter neque Indulgentiam lucrabitur: *idque* (subiungit *Pellizzarius*) *etsi visitet Oratorium priuatum Conuentus, ibi constructum, cùm hoc verè non sit Ecclesia.*

Totum hoc verum est, persistendo in rigore huius Bullæ; aliud tamen dicendum, si respiciatur Priuilegium à *Pio IV.* Religioni Theatinæ concessum, & à *Pio V.* atque *Paulo V.* confirmatum, viuæ vocis oraculo, ipsimet Theatinorum Præposito Generali *D. Ioanni Antonio Angrisano*, post Indulgentiarum reuocationem, *die 12. Martij, Anno 1608.* vt refert *P. Peregrinus 1. p. Compend. Tit. Indulg. nu. 7.* vi cuius tam nostri imprimis Religiosi, quàm etiam per participationem alij, extra propria Monasteria positi, easdem possunt lucrari Indulgentias, si Ecclesiam, vbi degunt, visitauerint, quas lucrarentur, si domi propriam visitarent: neque hoc viuæ vocis oraculum hucusque fuisse reuocatum, cùm non sit gratia, sed collatæ iam gratiæ declaratio, affirmat *Peyrinus de Priuilegijs Tom. 2. Const. 8. Pauli V. §. 4. n. 1.* in hæc verba: *Noto, quòd Indulgentijs hic concessis possunt etiam frui Religiosi, quando extra proprias domos, & Ecclesias commorantur; visitando Altaria Ecclesiarum illorum locorum, in quibus commorantur, siue ibi sint per modum itineris, siue per modum status ad breue tempus. Ita refert Peregr. par. 1. sui Comp. Tit. Indulg. n. 7. concessisse suæ Congregationi Pium IV. & confirmasse Pium V. & viua vocis oraculo declarasse Paulum V. post hanc Indulgentiarum reuocationem. Quod viuæ vocis oraculum, quia factum Generali dictæ Congregationis Clericorum Regularium suspicabitur quispiam esse reuocatum per Bullam huiusmodi viua vocis oracula reuocantem, de qua infra à Gregorio XV. Constit. eius 3. sed perperam: nam solùm ibi reuocat indulta, facultates, priuilegia, gratias & concessiones quascumque viua vocis oraculo factas, de quibus non testatur aliquis S. R. E. Cardinalis. In ista autem declaratione, nulla continetur gratia, solùm declarat Pontifex, per suam Constitutionem non esse derogatum huic priuilegio, quod est valdè diuersum à concessione gratiæ; qui enim declarat, nihil de nouo concedit &c.* ita *Peyrinus*, & ante ipsum *P. Alphonsus de Leone, de Iubil. par. 1. n. 247. vers. Quartò fauet*: vbi ait: *Ista non est concessio, gratia, indultum, priuilegium, vel facultas, sed tantùm declaratio, quæ est valde diuersa, cùm qui declarat, nihil de nouo inducit: Naldus verbo declarare.*

415

Aliam

Aliam porrò rationem affert *Pellizzarius l.c. n. 205. & 182. in fine*, qua probat per generalem illam oraculorum viuæ vocis reuocationem factam primitùs à *Gregorio XV.* & deinde multò rigorosiùs ab *Vrbano VIII.* non esse derogatum huic viuæ vocis oraculo; quia nimirum, sub generali reuocatione Priuilegiorũ, Gratiarum, & Indultorum, non intelliguntur reuocatæ Indulgentiæ, hæ enim speciali nota dignæ sunt; proinde nisi specialiter exprimantur, non censentur reuocatæ: quod etiam *Passerinus* affirmat *de Indulg. q. 108. n. 882. in fine*: hisce verbis: *Concessio Indulgentiæ facta viuæ vocis oraculo, non cadit sub reuocatione Constitutionum illarum Gregorij XV. & Vrbani VIII, prout etiam tenuerant Lezzana ad Mare Magnum Seruitarum n. 180. & apud eum Quintann. tra. 4. de Iubilæo num. 5. Idem tenuit Lantusca in Theatro Regularium, Verb. Indulg. primo n. 2.* atque hoc ideò, quia (iuxta *Passerinum*) in illis Constitutionibus reuocãtur Priuilegia, generaliter concessa viuæ vocis oraculo, Gratiæ, Indulta, Licentiæ &c. sub his autem communibus nominibus non comprehenduntur Indulgentiæ. Idem expressis hisce verbis docet *Bordonus ref. 81. quæst. 14. n. 33. Indulgentiæ nunquam intelliguntur reuocatæ sub generalibus reuocationibus priuilegiorum, gratiarum, & indultorum, qui elegans, & speciale nomen habent, & ideo speciali expressione reuocandæ sunt*: sub communibus enim nominibus non comprehenduntur Indulgentiæ, vt probat *Suarez tom. de legibus lib. 8. cap. 9. ad finem*, & insinuat *Nauarrus lib. 5. Consil. tit. 1. de pænit. & remiss. Consil. 2. n. 3.* citati à *Portello tom. 2. Moral. Respons. casu 13. num. 19.* Cùm ergo per præfatas duas Bullas reuocentur quidem oracula viuæ vocis, nulla tamen Indulgentiarum expressa mentio fiat, hæ consequenter in ijs non comprehenduntur, nec per eas reuocantur.

416 At verò *Portellus n. cit.* hanc rationem non admittit; nam Pontifex (ait ille) in Bulla reuocat omnia oracula viuę vocis, absque vlla distinctione, & vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; igitur reuocat etiam oracula viuæ vocis, per quæ Indulgentię concessæ sunt; *& hæc opinio est securior*, inquit, *& consulenda in praxi*: Attamen ibidem *n. 13. vers. Dubium tale*: affirmat: quòd *Bulla reuocatoria priuilegiorum concessorum viue vocis oraculo, non reuocat declarationem alicuius Papæ oretenus factã circa aliquam Bullam prius à se editam; quia declaratio alicuius Papa circa aliquam suam legem præteritam, neque est priuilegium, neque est noua lex, vt patet, sed explicatio contentorum in Bulla præterita.* Quibus verbis apertè confirmat, quòd nos superiùs cum *Peyrino* asseruimus; nimirum, puram illam Pontificis declarationem, cùm nec Priuilegium, nec gratia sit, etiamsi versetùr circa Indulgentias; non esse reuocatam; Atque ideò, vt testatur *Peregrinus l. c. Tit. Infirm. §. 1. Infirmi & decrepiti nostræ Congregationis, qui non possunt Ecclesiam adire ad lucrandas Indulgentias à Paulo V. Regularibus concessas, possunt eas consequi in lectulo suo, dummodo agant aliquod opus pium, arbitrio Confessarij. Ita declarauit Paulus V. Congreg. S. Mariæ Fuliensis anno 1609. Pontificatus sui anno 5.* Hæc *Peregrinus*, & cum eo *Peyrinus l. c. n. 2.* vbi hoc ipsum ijsdem prorsus verbis adnotauit: Suffragatur etiam *Quintan. in Append. tra. 4. dub. 4. n. 4. in fine: ex Compend. Priuileg. Societatis, Verbo Indulg. §. 2.*

Quantum ad illa verba: *suam Ecclesiam deuote visitauerint*, notetur cum *Suarez de pænit. disp. 52. sect. 1. n. 4. Rodriquez tom. 2. q. 98. art. 6. Peyrino tom. 1. Priuileg. Constit. 8. Leone X. §. 1. n. 7. Gobat de Iubilæo cap. 20. q. 56. n. 127.* & cum alijs ab his citatis, quod ille deuotè dicitur visitare quoad Indulgentiam lucrandam, qui modestè, ac deuotè ingreditur, precatur, & exit Ecclesiam, etiamsi reliquum itineris immodestè faciat: neque singula particulatim Altaria visitanda sunt necessariò, sed sufficit, visitare Ecclesiam in qualibet parte, vt aduertit *Peregrinus in Compend. edito 1633. verbo Indulgentia quoad Fratres §. 5. in Scholis*. Imò *satis est* (inquit *Bordonus ref. 81. n. 17. vers. Octauò Religiosus*) *stando in Choro dirigere suam orationem, vel etiam simpliciter in Ecclesia orare*. 417

Dubium verò iam est, cùm satisfit stando in Choro dirigere mentem suam ad visitandam Ecclesiam, vtrum sufficiat etiam, quando Religiosus in Choro cum alijs Diuinas laudes decantat, formare intentionem, per illam psalmodiam 418

diam visitandi Ecclesiam, & per preces Diuini Officij satisfacere orationibus à Summo Pontifice iniunctis pro lucrandis Indulgentijs? Iuxta opinionem *P. Alphonsi de Leone de Iubilao par. 1. numer.* 174. & aliorum, quos ipse citat; imò iuxta communem Doctorum sententiam, vt asserit *P. Pasqualigo de Iubilao qu. 43. num. 2.* pro affirmatiua equidem definiendum esset; quandoquidem communiter supponatur; vti plures testantur apud *Passerinum de Indulgent. q. 41. n.* 327. quod per opera pia, etiam aliàs debita vel ex præcepto, vel voto, aut alio quocunque titulo possit quis lucrari Indulgentias: prout per idem opus pluribus præceptis satisfieri potest. Atque eò magis, quòd Pontifex iniungens opus pium, non exigat opus, aliàs nullo titulo debitum. Nihilominùs ego negatiuam absolutè amplector cum *Passerino de Indulg. q. 41. à n.* 328. hanc etiam *P. Pasqualigo quæst. cit. à num.* 3. dissertis verbis, tenet, dum docet, opus ex præcepto, aut alio quopiam titulo debitum, non posse adhiberi ad consecutionem Indulgentiarum, exceptó hoc solo casu, quo præsumatur talis voluntas in iniungente opus; quod contingere potest, quando v. g. publicatur Iubilæum, cum obligatione triduani Ieiunij præscripti pro diebus, quibus Fideles etiam ex præcepto Ecclesiæ ieiunare tenentur. Quòd si verò talis voluntas in concedente non præsumatur, opera aliunde debita non valent pro consecutione Indulgentiarum: quamuis enim *spectata sola potentia* (vt verbis *Passerini de Indulg. qu. 41. in princip.* loquar) *indubitatum sit, quòd sine impositione alicuius operis, possit dari Indulgentia; ac multò magis, si absolutè loquamur dari possit pro opere aliàs debito:* seclusa tamen, inquam, tali expressa voluntate concedentis, aut saltem præsumpta, opera aliunde debita, absolutè loquendo, non valent ad lucrandum Indulgentias; idque probo cum *P. Pasqualigo q. cit. num.* 6. quia nimirum, opus pro consecutione Indulgentiarum præscriptum, iniungitur non tantùm pro exercitio virtutum, & Dei honore, sed etiam sub ratione oneris, ita vt hìc interueniat pactum onerosum, quo Pontifex sese obligat ad concedendum Indulgentias cum onere huius taxati, & iniuncti operis: igitur non sufficit opus aliàs debitum: consequentia hæc probatur; primò, quia mens Pontificis est, imponere onus, vnde cùm maiores concedit Indulgentias, maius etiam plerumque imponit onus; quare finem hunc non sortiretur, si opera aliunde debita sufficerent. Secundò, quia opera sub titulo oneroso iniuncta, adeò ab huiusmodi titulo absorbentur, vt non remaneat ampliùs penes liberam dispositionem operantis, per ea alteri satisfacere obligationi: quod constat ex doctrina *Sanchez lib. 1. Summ. cap. 14. nu. 6. Bonartij de Horis Can. lib. 2. cap. 5. num. 17.* & aliorum, qui volunt, opera ex voto, aut præcepto debita non posse adhiberi ad satisfactionem Pœnitentiæ Sacramentalem, in qua haud dubiè Confessarius; nisi aliter de eius intentione constet, intendit nouum onus imponere; *in dubio* (inquit *Bonartius nu. cit. in fine*) *tam votum, quàm Sacramentalis pœnitentia, intelligitur de opere non debito:* adeòque pœnitens iussus audire Missam Sacramentali pœnitentiæ non satisfacit, si eam solummodo audiat Missam, ad quam ratione diei Festi aliàs tenetur. Pari igitur ratione in casu nostro, in ordine ad lucrandum has Indulgentias non sufficit, quòd Religiosus, cantans in choro Diuinas laudes, & persoluens preces Canonicas, ad quas ex alio iam titulo obligatur, eas offerat, & applicet in ordine ad visitandam Ecclesiam, & ad satisfaciendum precibus à Pontifice pro consecutione Indulgentiarum iniunctis. Sufficiet tamen, si finito Diuino officio, aliquantulum ibi remanserit, & orauerit; animo adimplendi, quæ iussit Pontifex, cùm ad visitationem Ecclesiæ necessarium non sit, de nouo eam accedere, quia vt bene *Nauarrus de Iubil. & Indulg. Notab. 32. num. 46. vers. Secundò quòd, in fine*: visitatio Ecclesiæ ad lucrandum Indulgentias, fieri etiam potest ab ijs, qui intra Ecclesiam habitant: vnde & *Gobat de Iubil. c. 20. n. 127. in fine*, cum eodem *Nauarro* in hunc modum ratiocinatur: *Bullæ non præscribunt quidquam circa iter ad Ecclesiam, sed circa visitationem ipsam;*

*vnde etiam ij, qui intra Ecclesiam habitant, possunt illam visitare, nil itineris faciendo; vt notat Nauarrus &c.* & *P. Pasqualigo q. cit. n. 8. Visitatio Ecclesiæ non includit per se accessum, sed tantum per accidens, quatenus est necessarius, vt ibi exerceatur opus iniunctum, nempe effusio precum ad Deum &c.*

419 Per illa verba (*& vt præfertur, orauerint*) intelligitur, vt superiùs *nu. 3.* pro Indulgentijs in Festo principali ordinis præscriptum est; quod etiam aduertit *P. Peregrinus in Compend. secund. editionis verb. Indulg. quoad Fratres. §. 5. in Scholio*: videlicet; qui pias ad Deum preces fundet pro concordia Principum Christianorum, extirpatione hæresum, salute Romani Pontificis, & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ. Haud tamen necessarium est, quod asserit *Peregrinus loc. cit.* quod *vltra preces, quæ sunt effundendæ ad Deum, sit etiam exorandum pro Principum concordia, Hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione*. Sufficit enim si Deus deuotis precibus exoretur, vt præfata concedere dignetur, neque enim Pontifex aliud requirit, quod confirmat *P. Quartus de Iubileo pag. 183.* dum ait; *orationem dirigendam esse, ad eam gratiam impetrandam, quam intendit Pontifex, & sat esse, preces fundere iuxta illius mentem.*

420 Quoniam verò, vt *Peregrinus* quoque *loc. cit.* adnotauit, Orationes dicendæ in dicta visitatione Ecclesiæ à Sua Sanctitate non sunt determinatæ, remanet ad arbitrium cuiusque, quot qualesque dicere velit; imò oratio mentalis sola sufficeret; quæ, præterquam quòd sit opinio communis apud *Quartum de Iubileo c. 2. punct. 3. ponderat. 2. dub. 1.* & apud *Passerinum de Indulg. q. 59. num. 403.* eam probat *Pasqualigo de Iubileo q. 98.* quia nimirum Pontifex iniunxit præcisè Orationem, neque specificauit, an hæc vocalis esse debeat, vel mentalis; igitur sola mentalis sufficit, quandoquidem hæc proprijssima sit oratio; imò verò oratio vocalis ex se non est oratio, sed solùm ratione mentalis; vnde ille in veritate non diceretur orare, qui recitaret Psalmum, memoriæ tantùm probandæ causa, & experiendi, an illum calleret memoriter. Confirmatur, quia sufficit facere, quod iubet Pontifex, is autem iubet fieri orationem; neque ad vnam plus obligat, quàm ad alteram; ergo per quamlibet ex dictis satisfit, tam per mentalem, quam per vocalem, imò potius per hanc, quæ est vera, & perfectior, imò proprijssima Oratio; vt *Passerinus* ait de *Indulg. qu. 59. nu. 403.* qui pro confirmatione adducit verba *Sancti Hieronymi*, vt habentur *in cap. cantantes 93. dist. Oratio mentalis solam vocalem præcedit: & benè ibi aduertit Glossa, quòd non vox, sed votum; non chordula musica, sed cor; non clamans, sed amans cantat in aure Dei. Cùm igitur Pontifex iniungit Orationem absolutè, intelligitur vniuersaliter de oratione.* Verum quidem est (vt etiam notauit *Pasqualigo l. c.*) quòd cùm homines spiritu constent, ac sensu, communiter per actus externos, & sensibiles sese ad deuotionem excitare soleant; vnde, oratio vocalis frequentior est in praxi, ac facilior.

Quoniam verò Oratio hæc vocalis quoad quantitatem non est determinata, atque ideo est *ad libitum cuiusque*, vt ait *Peregrinus*; quæri hìc potest, num sufficiat quælibet breuis oratio? Opinio aliquorum est, etiam classicorum Authorum apud *Pasqualigo de Iubileo quæst. 99. num. 3.* & *Passerinum de Indulg. quæst. 60. n. 413.* sufficere breuem quamcunq; orationem; quia Pontifex præcipit, fieri orationem indefinitè, ad verificandam autem propositionem indefinitam, sufficit pars quælibet singularis, quàmuis minima, *L. quæsitum §. illud fortasse ff. de legatis*; atque adeo quælibet minima oratio deuota sufficiens erit adimpletio requisitæ conditionis, nimirum, vt deuotè oretur. Confirmatur hoc ex Bulla *Pauli III.* quæ incipit: *Licèt debitum, Anno 1549.* relata à *Quintanadu. in Append. Tract. 1. dub. 13. nu. 4.* in qua conceditur Indulgentia plenaria visitantibus Ecclesias Societatis Iesu, modò ibi vnum solum *Pater noster*, & vnum *Aue Maria* dicant. Hanc tamen opinionem non amplectitur *Pasqualigo quæst. cit.* imò eam refellit *num. 5.* neque vt sic crudè sumpta approbatur à *Quarto l. c. dub. 2.* quamuis enim, vt ille discurrit, breuis aliqua oratio, facta cum feruore, satisfacere possit menti Pontificis, quia tamen breui- 421

breuitas orationis communiter procedere solet, aut ab exigua deuotione, aut ab affectu ad spiritualia exercitia languente, aut à tædio, & negligentia, non videtur securum asserere, pro lucrandis Indulgentijs, quamcunque minimam orationem sufficere. Aliàs enim, si quis intrans Ecclesiam S. Petri aliud non faceret, quàm diceret: *S. Petre, ora pro nobis:* talis; (inquit *Quartus*) satisfecisset obligationi pro lucrando Iubilæo; quod non videtur verisimile; prout neque in casu nostro verisimile apparet, per vnum *Pater noster, & Aue Maria* satisfieri menti *Pauli V.* hæc enim ex modo concessionis colligenda est, vt affirmat *Bonacina de Sacram. disp. 6. q. 1. punct. 5. n. 29.* & alij: ac ponderanda verborum proprietas, quæ hisce continentur verbis: *Qui pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint:* nec crediderim, per hanc loquendi formam (pias ad Deum preces fundere) propriè loquendo, à Pontifice intelligi posse quamlibet minimam precationem, veluti vnius *Pater noster, & Aue Maria*, quidquid in huius rei probationem dicat *Passer. de Ind. q. 60. n. 415.* Quare

422 Ad quæsitum respondeo cum *P. Quarto l. c.* non esse necessariam orationem valde prolixam, veluti vnius horæ: sed & nimis breuem suspectam esse, viderique insufficientem. Oportet igitur, vt sit saltem mediocris, ita vt neque negligentiæ, neque tædij notam incurrat: ratio est, quia debet esse proportionata fini, à Summo Pontifice intento, & digna, quæ à Domino Deo exaudiatur: vt autem talis sit, oportet esse perseuerantem, & replicatis instantijs Deum interpellantem. Ideò oratio perbreuis, vnius videlicet *Pater noster, & Aue Maria*, properanter, & absque feruore prolata, non est sufficiens, cùm dici non possit oratio perseuerans, & fini à Summo Pontifice intento proportionata. *Quintannad. n. 4. cit.* ait: se pro quibuscunque Indulgentijs, & Iubilæis lucrandis semper consuluisse recitationem *quinque Pater noster, & quinque Aue Maria*; quod tamen de illis Indulgentijs intelligendum est, pro quibus, vt in casu nostro, determinatæ preces, aut certa orandi forma præscripta non est: cùm enim preces pro consecutione præscribuntur, Indulgentia non conceditur cuiuis quidlibet oranti, sed hoc vel illud determinatè oranti, consequenter ad implendam Pontificis mentem, absolutè & omnimodis præstandum, quod ipse præscripsit: qui autem alias oraret preces, quantumuis æquiualentes, aut etiam abundantiores, Indulgentias non consequeretur, quia formam præscriptam non obseruaret: vt in specie notant *P. Alphonsus de Leone de Iubil. p. 1. n. 170. Bossius de Iubil. sect. 4. casu 17. à n. 14. pag. mihi 392. Passerinus de Ind. q. 60. in princ. & P. Pasqu. q. cit. n. 1.* qui deinde *num. 7. & 9.* cum eodem *Alphonso de Leone l. c. n. 176. 177. & Bossio loc. c. n. 17. & 18.* aduertit, consecutioni Indulgentiarum non obstare, si quis præscriptas preces cum alijs, & in communi recitet; talis enim orandi modus sufficit ad satisfaciendum obligationi præcepti, vt constat in recitatione Horarum Canonicarum: vnde si oratio in se sufficiens sit, nihil interest, an eam solus, an verò cum socio dicas. Porrò, quocunq; corporis situ, tuam peragas orationem, parum obstet, modò talis non sit, qui irreuerentiam contineat; siue ergo ores capite aperto, siue operto: seu manibus expansis, seu coniunctis: siue genuflexus, siue stans, aut sedens, Indulgentijs haud frustraberis; oratio enim præcipitur, non autem hic, vel ille corporis situs in orando. *Decet tamen, quòd situs corporis talis sit* (inquit *Pasqualigo l. c. n. 9.*) *quòd contineat reuerentiam, quia hæc auget vim impetratiuam orationi.* Hoc ipsum adnotauit *Passerinus de Indulg. q. 60. nu. 412.* vbi ait: *Non interest quoque, an oratio fiat stando, vel sedendo, vel cooperto capite, vel cum socio alternatim recitando preces, sed sufficit, quòd oratio sit deuota, & pia.*

At verò, ex hac vltima clausula (*sed sufficit, quòd oratio sit deuota, & pia*) nolim 423
deducat Lector, debere esse feruidam, atque intensam; sufficit enim, *si sit deuota, & pia*, vt ea mediante Indulgentia obtineatur, nec plus à Pontifice requiritur; vti benè notauit *Passerinus quæst. cit. n. 415.* his verbis: *Ex vi concessionis Indulgentiæ, non est necessaria oratio magis*

*feruida, quàm fit oratio deuota, pia, & attenta*. Quare qui præscriptas à Pontifice preces maiori cum feruore exsequitur, meretur quidem plus ex opere operantis; ex opere autem operato, & quantum ad Indulgentias, plus non meretur quàm ille, qui minori feruore, ac deuotione eas peregit; quod etiam insinuat *Suarez de pœnitent. disput. 52. sect. 9. n. 2. in fine*, dum ait: *Dispensator absolutè concedit Indulgentiam facienti tale opus, ergo infallibiliter habet effectum in eo, qui adimplet, & est in gratia, quantumuis aliàs fuerit negligens: quia sola carentia gratiæ, & duratio culpæ, est obex per se impediens effectum remissionis pœnæ; illa autem negligentia, non est obex, quia non reddit hominem incapacem remissionis pœnæ*. Ex quo sequitur, dummodo oratio sit deuota, & pia, & orans in statu gratiæ, quòd eamdem æquè lucretur Indulgentiam orator minus feruens, ac feruentior, in eumdem prorsus modum, ac *si per Iubileum* (vt glossatur *Duardus in Cap. Omnis vtriusque sexus disp. 20. sect. 9. n. 6.*) *expostuletur eleemosyna v. g. parem Indulgentiam consequitur, qui dat centum, quàm qui vnum Aureum*: assignat deinde huius rei rationem, quæ eadem ipsa est, qua nostrum probatur assumptum, quia nimirum *Indulgentia operatur, non ex opere operantis; sed ex opere operato; nempe ex meritis Christi, & Sanctorum eius, atque adeò maior, vel minor deuotio, quoad remissionem promissam in Iubilæo, nihil addit, vel minuit; aliàs non esset vera Regula illa, quòd Indulgentia tantum valet, quantum sonat*.

424 Addo prætereà, pro maiori consolatione Lectoris, Indulgentiarum studiosi, ac deuoti; quòd licèt ad Indulgentiarum consecutionem omnimodè necessarium sit, adimplere conditiones à Pontifice præscriptas, & opera iniuncta, vt expressè etiam docet *Angelicus Doctor Sanctus Thomas in Addit. ad 3. part. quæst. 27. artic. 3.* vbi sic argumentatur: *Remota causa remouetur effectus, vnde qui non facit hoc, pro quo Indulgentia datur, quod est Indulgentiæ causa, Indulgentiam non consequitur*: nihilominùs quando quoad opera præscripta, non est adeò clara mens Pontificis, & circa hanc diuersitas insurgat opinionum, ita vt vnus Author eam in hunc, alius in alium modum interpretetur: quocunque tandem modo, probabili tamen, ac rationabili, illam interpretetur; secundùm quamcunque talem probabilem opinionem opera perficiantur, Indulgentia percipitur: exempli gratia, est opinio probabilis, iuxta superiùs dicta, quòd pro obtinendis Indulgentijs, Confessio non sit necessaria, licèt fuerit præcepta; si quis culpæ mortalis non fuerit reus; stante hac opinione, verè probabili, per solam communionem, & adimpletionem cœterarum præscriptarum conditionum, absque Confessione, Indulgentia obtinetur: idem de alijs similibus casibus dicendum: docet hoc *Quartus de Iubil. cap. 2. puncto 1. Quæst. accessoria*: estque doctrina *Patris Pasqualigo de Iubil. quæst. 60.* in qua hanc ipsam proponit quæstionem, an quoad opera iniuncta quilibet sequi possit opinionem probabilem; ibique contra *Bonacinam disput. 6. de Sacrament. quæst. 1. punct. 5. num. 27. Faustum de Iubilæis extraord. libr. 4. quæst. 120. vers. Hinc qui, Graf. lib. 2. Append. cap. 5. numer. 65. Leon. par. 2. de Iubil. num. 122. Bossium de Iubil. sect. 4. casu 8. numer. 5.* & alios, resoluit pro parte affirmatiua, ob hanc fundamentalem rationem: *Quia tunc solùm adest diuersitas opinionum circa opera iniuncta, quando non est clara mens Pontificis; sed potest accipi hoc, vel illo modo. Ergo quocumque modo accipiatur, censebitur mens Pontificis haberi, atque adeò Indulgentia, seu Iubilæum cum effectu, qui semper sequitur, quando secluso obice implentur, quæ sunt de mente Pontificis: consequentia probatur: voluntas Pontificis, vt mente retenta, non operatur effectum Iubilæi, L. repetendi ff. de condict. ob causam; & L. Quidam cum ff. de hæredib. instituen. Sed vt explicata in Bulla concessionis: atque adeò omni eo modo, quo sic explicata operari potest; sed operari potest secundùm omnem rationabilem, & probabilem interpretationem, si quidem omnis talis explicatio conuenit verbis: & mens Pontificis est, quòd voluntas ipsius operetur, quatenus verbis explicata. Ergo quando capax est plurium explicationum probabilium, operabitur secundùm omnes*. Hucusque *Pasq. q. cit. n. 2.* qui & alijs ibidem subtilissimis rationibus docti-

ctrinam suam confirmat; quas tamen breuitatis studio hic non afferimus.

425 At resumamus filum, hactenus nonnihil interruptum. Vltima concessionis pars, scilicet; *concedit easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extra eam diebus Stationum consequuntur in omnibus diebus perinde, ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitarent:* duas secum difficultates affert satis considerabiles. Imprimis, an sub hac generali concessione Indulgentiarum, quæ in diebus Stationum acquiruntur, comprehendantur etiam Indulgentiæ plenatiæ (supponitur hic id, quod plures affirmant,& à nobis decidetur, num verum sit, inferiùs *Dubio 12. huius Capitis*, an videlicet aliquæ Indulgentiæ plenariæ per Stationes concessæ fuerint?) non solùm pro viuis, sed etiam pro defunctis, liberatio scilicet animarum ex Purgatorio (si hæc quoq; per Stationes concedatur.) Secundò, an has Indulgentias, quas hic Pontifex concedit Religiosis visitantibus proprias Ecclesias, ipsi lucrari possint, singulis anni diebus, an verò tantùm in diebus Stationum? Prima difficultas à pluribus Doctoribus promouetur, in specie à *Pellizzario in Manual. Regul. to. 2. Tract. 8. cap. 5. sect. 5. subsec. 1. num. 194. in fine*, per hæc verba: *Hac occasione quæres, utrùm in hac generali concessione Indulgentiarum, quæ acquiruntur in diebus Stationum, veniant etiam Indulgentiæ plenariæ, imò & liberationes Animarum è Purgatorio, quæ interdum conceduntur in dictis Stationibus*. Secundam attingit *Peyrinus Tom. 2. priuil. in Constit. 8. Pauli V.* §. 11. n. 3. hisce verbis; *Quæres, an Indulgentijs, de quibus hic, possint Regulares gaudere singulis diebus totius anni, an verò solùm diebus Stationum?*

426 Ad primam difficultatem respondet *Passerinus de Indulg. q. 99. n. 775. mihi dicendum videtur, eam esse de subiecto non supponente: supponitur enim, ex vi concessionis Indulgentiarum Stationum, concedi etiam non Stationales; imò omnes Indulgentias Ecclesiarum Vrbis, quod in præcedentibus satis improbatum est;* & à nobis improbabitur *Dub. 12. huius Capit.* pergit *Passerinus n. cit. Quæstio etiam supponit, inter Indulgentias Stationales, aliquas esse plenarias, quod est incertum, & imò cùm non ostendatur aliquod huius asserti fundamentum, neque allegetur aliqua Bulla Pontificia, per quam in diebus Stationum & Stationum intuitu, alicui Ecclesiæ concessa sit Indulgentia plenaria, talem Indulgentiam esse concessam, & non est asserendum; neque confundi debent Indulgentiæ Stationales, cum non Stationalibus:* ita Passerinus, qui tamen concludit, posse etiam id, quod non est, supponi sub conditione quòd sit, seu posito, quòd esset. Quo tamen deinde realiter supposito, tanquam vero in sua opinione *Pellizzarius*, respondet difficultati à se propositæ, quòd quamuis Indulgentiæ plenariæ secundùm stylum ordinatium, & praxim non veniant sub concessione generali, vtpote speciali nota dignæ, vt propterea specialiter exprimendæ sint, veniunt tamen sub hac concessione, & sufficienter etiam in ea exprimuntur, per dictionem *perinde* scilicet, ac si ipsas Ecclesias Vrbis personaliter visitarent, quæ particula iuxta *Tuschum verbo dictio conclus. 375. n. 13.* omnem importat similitudinem. Ita sentit *Pellizzarius loc. cit. n. 195.* & ante ipsum *Peyrinus loc. cit. n. 4.* per hæc verba; *Meo videri in prædictis diebus Stationum possunt Regulares lucrari Indulgentias etiam plenarias: tum quia dictio (Perinde) omnem similitudinem importat, Tusch. &c. tum quia cùm constet de potestate concedentis, & solùm dubitetur de voluntate; latè est interpretanda; tum quia, ita videtur intellexisse communis Religiosorum vsus.* Videatur *Diana par. 5. tract. 12. res. 2. Quintannad. in Append. tr. 6. dub. vlt. Paulus ab Omnibus Sanctis par. 4. cap. 9. n. 260.* & alij; sed videatur etiam in contrarium *Passerinus* ipse *q. cit. 99. n. cit. 775.* vsque ad finem quæstionis.

Cùm autem sub hac generali con- 427
cessione comprehendantur Indulgentiæ plenariæ, concessæ diebus Stationum, veniunt consequenter etiam (inquit *Pellizzarius n. cit. 195. in fine*. quibus confundit Indulgentias stationales cum non stationalibus, quæ priuatim Ecclesijs Romæ concessæ sunt,) Indulgentiæ plenariæ, & liberationes animarum ex Purgatorio; nam *dictæ rationes* (ait) *non minus probant in generali concessione Indulgentiarum, venire, liberationes animarum è Purgatorio, quàm probent, in ea venire Indulgentias, quantumuis plenarias;* nam, teste *Quintan. dub. vlt. cit. num. 6. in fine, concesserunt Pontifices applicari posse pro Defunctis In-*

*dulgentias, quæ Stationibus Romæ &c.* Circa quam applicationem nouerit Lector, quòd licèt (vt affirmat *Andreas Mendo in Epitome Opin. Moral. verb. Indulgentia n.12. pag. mihi 357.*) *possit concedere Pontifex, vt ob idem opus, viuens & pro se Indulgentiam obtineat, & simul liberet Animam e Purgatorio, vt videre est in aliquibus diebus designatis in Bulla Cruciatæ ad visitationem Altarium. Quippe etiam Pontifex solet concedere pro vno opere Indulgentias, quæ Romæ, Hierosolymis, & Compostellæ obtinentur.* Licèt, inquam, istud possit concedere Pontifex, aduertit tamen *Pasqualigo de Iubil. qu. 151. n. 2.* quòd, quando Summi Pontifices concedunt Indulgentiam pro viuis, liberum relinquentes fidelibus, vt eam pro suo arbitrio applicare possint etiam pro Defunctis, in tali casu duplex interueniat concessio, vna, qua Indulgentia conceditur viuis; altera, qua conceditur pro mortuis, concessio multiplicatur, extenditur enim etiam ad mortuos, ad talem quippe extensionem faciendam, nouus requiritur modus concessionis; Indulgentia enim pro mortuis conceditur solùm per modum suffragij & solutionis, non autem per modum absolutionis, vt habetur *ex Decretali Leonis X. de Indulgentijs apud Caietanum 3. par. q. 48. artic. 5. ad hoc dicitur*, affirmantque Doctores communiter in materia de Indulgentijs: vnde *Gobat de Indulg. par. 1. cap. 2. qu. 6. n. 14. & 15.* de hac re loquens ait: *Indulgentiæ concessio facta à Prælato respectu viuorum est vera solutio, nam Prælatus dum Indulgentiam concedit pro viuis, depromit ex Ecclesiæ Thesauro, tanquam Dei ærario, suæ dispensationi commisso, particulam vnam, quam veluti argentum igne examinatum, probatum septuplum offert Deo pro exsolutione pœnæ debitæ à misero peccatore. Idem Prælatus tanquam Vicarius Christi acceptat solutionem, & virtute illius, reum liberat à reatu pœnæ; vt proinde Indulgentiæ concessio, facta alicui mortali, sit vera, tum solutio, tum absolutio. Quod Indulgentiæ concessio respectu mortuorum, quibus aut pro quibus conceditur, dumtaxat solutio est, non autem absolutio; quandoquidem absolutio est actus iurisdictionis, iurisdictionem autem in mortuos non habet Prælatus Ecclesiæ:* inde est, quòd posse Indulgentias applicari pro Defunctis, sit noua concessio, per modum videlicet simplicis solutionis, & suffragij, vt ait *P. Pasqualigo loc. c.* qui ibidem subiungit: *Vnde concessio talis Indulgentiæ, includit alternatiuam, & dat electionem, vt possit quisque vna, aut altera concessione vti.*

Noua ergo, ac duplex est hæc concessio iuxta mentem dicti *P. Pasqualigo*, qui hoc idem alio loco confirmat, scilicet, *de Sacrificio Missæ to. 1. q. 760. n. 6.* vbi, quamuis in ordine ad alium finem, ita loquitur: *Hæ indulgentiæ continent duas concessiones inuicem separabiles: vnam per modum suffragij pro Defunctis: alioquin nisi adesset hæc secunda concessio, non possent applicari pro defunctis, nam pro ipsis concedi possunt solum per modum suffragij.* Ita vt Indulgentiam concessam viuis applicabilem tamen etiam pro mortuis (nisi aliter constet de mente, ac concessione Pontificis) non possit quis lucrari pro se simul, & pro mortuis; sed alterutro tantùm modo, nimirum vel pro se solo, vel solùm pro mortuis; quibus suffragatur *Gobat de Indulg. par. 2. c. 24. n. 501.* dum ait: *Cùm quis defunctis applicat Indulgentiam: privatur toto fructu Indulgentiæ formaliter, & in se spectatæ:* quod etiam innuit *Cardinalis de Lugo de Pœnit. disput. 27. sect. 5. num. 73.* & cum eo *Quintan. in Append. tr. 1. dub. 14. n. 3.* videturque confirmare *Trullench. in Bullam Cruciatæ lib. 4. dub. 10. n. 2. in fine:* dum ait: *Is qui lucratur aliquam Indulgentiam alteri, nullo modo prius sibi lucratur aliquam satisfactionem, vt eam alteri præbeat; sed solùm exhibet conditionem postulatam, vt Pontifex alteri concedat Indulgentiam* (scilicet vi applicationis, factæ ab eo, qui opus requisitum exhibet:) *hæc autem conditio non est, nisi executio talis operis quoad substantiam eius:* ita *Trullench. l. c.* Dixi, vi applicationis, factæ ab eo, qui opus requisitum exhibet; nam qui pro defuncto lucratur Indulgentiam, determinatam debet formare intentionem, eam lucrandi pro illo: rationem huius reddit *Eminentiss. de Lugo loc. cit. num. 74. sicut enim requiritur intentio determinata ad applicandum proprium suffragium defuncto; sic requiritur ad applicandum ei Indulgentiam, quæ solùm potest ei aduenire per modum suffragij.* Ita *Eminentiss. de Lugo* qui tamen *disput. 26. sect. 3. numer. 29.* intentionem etiam habitualem sufficere ait: quod probat insuper *disput. 8. de Sacram. in Genere sect. 6.* 428

Idem

429 Idem *Cardinalis de Lugo* citata superiùs *disput.* 27. *sect.* 5. *num.* 78. *vers. vltimò reijciendum est*, improbat vnàcum *Suarez* opinionem aliquorum, qui dixerunt, ad consequendum effectum Indulgentiæ, requiri penes Animas defunctorum acceptationem; quod ipse refellit in hunc modum: *reijciendum est, quod aliqui dixerunt requiri ad effectum huius Indulgentiæ, quod Anima Defuncti eam acceptet. Hoc autem bene reijcit Suarez, & repellitur, quia cùm hoc fiat per modum suffragij, non magis requiretur talis acceptatio ex parte illius, pro quo offertur, quàm requiretur ad effectum suffragiorum, ad quæ non requiritur talis acceptatio; sed ignoranti etiam acquiritur fructus Sacrificij, vel ieiunij pro eo oblati*: Hæc *Lugo l. cit.* cui consonat *Passerinus quæst.* 121. *nu.* 929. *in fine*, in hunc modum concludens: *non est ergo huiusmodi cognitio in Animabus illis necessaria, ad hoc, vt fructum Indulgentiæ obtineant; remitti enim potest pœna, etiam nesciente illo, cui remittitur. Et aliàs incertum est, an cùm aliquis sumit Indulgentiam pro aliqua Anima, Deus hoc illi manifestum faciat, per specialē reuelationem Suarez, Palaus, &c.* Cæterùm etsi acceptatio hæc in Animabus necessaria esse dicatur, illa haud dubiè in ipsis supponitur, in quantum sufficit, vt à viuentibus quæcunque suffragia percipiant, cùm ipsæmet incessanter eorum pietatem atque adiutorium inclament hac miserabili voce; *miseremini mei, miseremini mei, &c.* Et si viuentium quilibet, generali saltem, ac implicita voluntate, aliorum acceptat suffragia, & satisfactiones pro ipso exhibitas, vt docet *Suarez de pænitent. disput.* 48. *sect.* 3. *num.* 11. *in fine*; *& vult liberari à pœna, quacunque iusta ratione sibi possibili*: cur non idem acceptabit quilibet defunctorum in Purgatorio; maximè cùm hi iuuare se ampliùs nequeant; isti autem possint: quod etiam aduertit *Passerinus de Indulg. qu.* 121. *num.* 929. dum asserit, Defunctorum animas acceptare Indulgentias, quin de ijs habeant notitiam: probat autem talem acceptationem absque notitia; *quia*, inquit, *vt illam liberè acceptent, sufficit voluntas illa generalis, qua summè desiderant satisfacere Diuinæ Iustitiæ, vt quàm citissimè Deo frui possint*.

430 Noto hìc obiter ad lucrandum Indulgentias pro Defunctis, non requiri statum Gratiæ: quare etiam existens in statu peccati mortalis lucrari potest Indulgentias pro Animabus Defunctorum, easque liberare è Purgatorio: status quippe gratiæ requiritur qu idem, vt dispositio necessaria ad effectum Indulgentiæ, sed solùm in eo, qui eas percipit (probat hoc præter alios, authoritate Doctorum, ac rationibus *Passerinus, de Indulg. qu.* 24.) in casu autem nostro, non qui opus præscriptum exhibet, debet Indulgentiam percipere, sed Anima in gratia existens, cui ea applicatur: qui verò opus, quod Defuncto applicatur, perficit, id non facit nomine proprio, sed nomine Ecclesiæ, quæ nunquam est extra Gratiam: idipsum sentiunt *Diana par.* 5. *tract.* 12. *res.* 38. *& Naldus in Summ. verbo Indulg. numer.* 7. cum alijs compluribus, quos citant. *Ratio* (inquiunt) *est, quia ratio satisfactionis, seu pretium pœnarum, non est opus illius, qui est in peccato, sed Indulgentia ipsa, & Thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum; illud autem opus particulare, per quòd Indulgentiæ applicantur, fit nomine Ecclesiæ, in qua nunquam deest Gratia.* Hanc eandem sententiam sustinet *Passerinus de Indulg. q.* 119. *num.* 924. & alij plures apud ipsum; qui tamen *num.* 925. addit, & rationabiliter quidem; quòd si opus peccatoris, per quod Indulgentia pro Defunctis obtineri debet, ex aliqua circumstantia efficeretur peccaminosum (ita vt *nedum esset opus peccatoris, sed peccatum*, exempli gratia, communio sacrilega) tale opus non sufficeret, inquit ipse contra *Pellizzarium, & Ottonium*. Subscribit præterea *Trullench dub.* 10. *cit.* Videatur hic Author *dub.* 9. antecedente, *à n.* 5. vsque ad finem: vbi asserit, quòd quamuis Indulgentiæ pro viuis, & pro mortuis differant in modo causandi moraliter proprium effectum; vtraque tamen eum causat infallibiliter. Differunt autem in modo causandi (tantùm) moraliter proprium effectum, per *eundem*, per *Petrum de Murga tom.* 2. *Quæstionum Canonicar. Tit.* 3. *q.* 7. *n.* 12. *fol.* 104. & alios: Quia Indulgentia pro mortuis per modum suffragij, non differt ab ea quæ est pro viuis, & per modum absolutionis, eò quòd hæc sit certa, & infallibilis, & seruans iustitiæ leges: cum hæc omnia

nia reperiantur etiam in Indulgentia per modũ suffragij, sed tantũ differũt in modo causãdi illũ effectũ: nã cùm indulgẽtia est per modũ absolutionis proximè, immediatè, directè, & authoritariuè, tanquam Minister Dei, & Iudex, eius locum tenens, remittit pœnam. Quando verò est per modum suffragij, concedens proximè, immediatè, directè, & authoritatiuè, non remittit pœnam, sed offert Deo pretium æquiualens, vt ipse remittat: fundatum tamen in pacto, & promissione Diuina, quæ sufficienter continetur illis verbis: *Quodcumque solueritis super terram, erit solutum, & in Cælis*. Additur per Doctores & alia differentia; nam indulgentia per modum suffragij conceditur non subditis: per modum absolutionis, solùm potest concedi Subditis: quia est actus iudiciariæ potestatis.

431 Docet porrò *Trullench loc. citat.* Indulgentias pro Defunctis, necessariò quidem concedi mediante aliquo viuente, qui opera iniuncta pro ipsis præstet; cùm generaliter loquendo, absque alicuius boni operis impositione, nulla Indulgentia concedatur: quamuis absolutè loquendo, non repugnet rationi suffragij, vt possit concedi Defunctis, sine opere præstando à viuis; sicut possunt concedi Indulgentiæ, sine alicuius operis iniunctione dummodo meritum supponatur sufficiens. Idem sentit. *Passerinus de Indulgent. q.29. & Murga n.12. cit. & 13.* Imò cùm de potentia ordinaria possit Pontifex Defunctis concedere Indulgentias plenarias pro bono aliquo opere, quod in vita præstiterunt. Concedi item Indulgentia, per modum suffragij, non Subditis, id est defunctis, supposita authoritate concedentis supra Thesaurum Ecclesiæ, quem secundùm partem communicat, sicque Deo offert pretium æquiualens, vt ille pœnam remittat, quæ remissio, vtpote fundata in pacto, & in promissione Diuina, sequitur infallibiliter: si tamen opus iniunctum perficiatur, & in concessione Indulgentiæ exprimatur explicitè, eam concedi pro Defunctis: vnde non sufficit, eam absolutè concessam fuisse Fidelibus, communiter enim nomine fidelium, soli intelliguntur subditi, viatores nempe, & viuentes: qui soli immediatè subditi sunt Summo Pontifici. atque ideò in concessione Indulgentiarum pro Defunctis communiter adiungi *pro fidelibus Defunctis*, & intelligi sempet concessionem per modum suffragij, prout taliter etiam concedi consueuit. In hunc modum *Trullench* cum alijs à se citatis *n.5. & 6.*

Proponit deinde *n.7.* hanc obiectionem. Et cum ipso etiam *Petrus Murga tom.2.qq. Canonicar. Tit.3.q.7.n.17.fol.105.)* Si Indulgentia per modum suffragij habet effectum suum infallibilem, non minus ac illa, quæ datur per modum absolutionis; igitur, si quis percepit vnam Indulgentiam pro Defuncto, frustra plures pro eodem percipiet, & incassum alias preces pro eo fundet, cùm iam sit liber à Purgatorio per plenariam Indulgentiam ei applicatam: & dicta vna Missa pro eo in Altari priuilegiato, non est, cur alia dicatur pro ipso; Ad hanc oppositionem (quæ Achilles est eorum, qui laxa viuunt conscientia, qui quamuis per hoc demonstrare velint, eximiam fidem se habere de suffragijs, Indulgentijs, ac Missis pro fidelibus defunctis, reuerà tamen exiguam habent) respondet præfatus Author (& cum eodem *citatus Murga à n. 18.*) admittendo antecedens, & consequentiam negando, ob plures rationes (quas etiam attigit *Nauarrus de Indulg. Notab.22. n.50.*) & sunt sequentes. Prima, quia probabilius est opinio *Cardinalis Caietani tract.2. de Indulg. q.4.* quòd nimirum Indulgentia per modum suffragij Animabus Defunctorum solùm per viam gratiæ, & Misericordiæ Diuinæ prosit Deo videlicet misericorditer, sed non infallibiliter, & *ex iustitia acceptante*, vti etiam tenet *Ricard. 4. dist. a 3. q.203. 3. Durand. q.4. n. 12. Cord. a 6. q.13. & 15. Can. lib.13. de locis cap.13. ad 9. §. errant. Dominic. Soto 4. dist.19. part. 2. art.4. circa finem. Petrus Soto l.3. de Indulg. Henriq. lib.7. cap.7. num.4. Layman lib. 5. tr. 7. cap.7. n.2. Bonac. disp.6. q. 1. punct. 6. circa finem Lezzana Verb. Indulg. n. 5. Amic. tom. 8. disp.20. sect.8. num.176. Bellarm. lib. 1. c. 14. Caietanus*, quos omnes citat, & sequitur *Passerinus de Indulg. q.115. n.903. 4. & 5.* Et quia non constat de Diuina Misericordia acceptante (quamuis piè creden- 432

dendum sit) ideò ad maiorem securitatem multiplicantur Indulgentiæ, & suffragia. Secundò, quia probabilis quoque est opinio, plurimorum Classicorum Authorum, qui affirmant, necessarium esse, vt is, qui pro Defuncto lucratur Indulgentiam, existat in gratia, dum opera præscripta peragit: cùm autem hoc certò non constet: neque pari modo constat, an legitimè ea adimpleuerit, quæ ad effectum Indulgentiarum pro Defuncto consequẽdum requirebantur: quare iure merito suffragia &c. multiplicantur. Tertiò, quia Indulgentia quantumcunque plenaria, non liberat Animam ex Purgatorio, nisi subsit causa rationabilis talis concessionis, & liberationis; quia ad concessionem Indulgentiarum requiritur causa rationabilis, & proportionata, iuxta communem sententiam, cum *S. Thom. in 4. dist. 45. q.2. art.3. q.2. & dist. 20. q.1. art.4.* (quam sententiam solidè admodum probatam inuenies apud *Passerinum de Indulg. quæst. 78.* qui etiam *q. seq.* probat, esse absolutè nullam eam Indulgentiam, quę absque iusta causa concederetur, & hanc communem esse tam Theologorum, quàm Canonistarum sententiam sequentibus dein duabus quæstionibus, nimirum 82. & 83. inuestigat, an necessium sit, quòd causa, propter quam conceditur Indulgentia, pertineat ad communem Ecclesiæ vtilitatem: & an ad valorem indulgentiarum quæcunque causa pia sufficiat, an verò necessariò, & absolutè requiratur causa iusta, & proportionata. Quamuis autem semper præsumendum sit, iustam subesse causam concessionis (vnde *Passerinus de Indulg. q.93. num. 704. causa iusta*, inquit, *& proportionata, debet præsumi quia non debet præsumi, quòd Papa agat iniustè, & inualidè*: idque repetit denuo *quæst.94. numer.714*) expediretque, vt quilibet Indulgentias concessas acquirere procuret; nihilominùs quia contingere potest, vt causa in se non sit sufficiens, & proportionata, ideò vt securitati magis consulatur, expedit multiplicare suffragia. Quartò, quia supposito etiam, quòd Anima Defuncti iam fruatur Cælesti Gloria, ac proinde suffragijs ampliùs non egeat, neque ad pœnarum remissionem eam iuuare queant, iuuare eam tamen possunt quoad gloriam, siue quoad gaudium accidentale: summoperè enim gaudent Beati, quòd eorum amici, per opera pia pro ipsis peracta, Domino Deo per hoc gratiores efficiantur, & Diuina sua Maiestas exinde magis honoretur. Sic Ecclesia ipsa cantat laudes, & psalmos paruulis defunctis, & in Christo baptizatis, licèt eis non indigeant, idque ideò, quia redundat in maiorem Domini Dei honorem, & maiorem ipsorum gloriam accidentalem. Si ergo pro his, vt notat etiam *Rodriquez §. vnico Bulla defunctorum num. 5.* de quorum gloria certi sumus, suffragia fiunt; quid mirum, si multiplicentur pro Animabus fidelium defunctorum, de quibus talem certitudinem non habemus? Huc prætereà quadrat, quod scribit *Iosephus Mariæ Fornarius Carmelita* in quodam suo libello, Mediolani impresso, apud *Ludouicum Monza Anno* 1679. cum requisitis approbationibus; etiam Sacræ Congregationis Romæ supra Indulgentias constitutæ; cui titulus: *Collectarium variorum Documentorum spiritualium, circa gratias, & fauores; quos Beatissima Virgo Maria de Monte Carmelo Deuotis suis præstitit, & circa Indulgentias eiusdem Ecclesiarum, Religiosorum, & Confratrum, sub regnante modò Pontifice Innocentio XI. recenter approbatas*. Documento 17. pag. 175. 176. & 177. sic fatur: *Doctorum sententia est, pro acquirenda Indulgentia de peccatis mortalibus, requiri, vt quis sit sine peccato mortali, siquidem per Indulgentiam non dimittitur pœna, nisi prius per Confessionem, vel contritionem deleta sit culpa. Ita pariter per dolorem, aut per aquam benedictam, aut per tunsionem pectoris, vel per Orationem culpa venialis prius deleri debet; Inde est, quòd pauci Fidelium Indulgentiam plenariam perfectè lucrentur, quia raro sunt absque peccato veniali. Si in vna, aut pluribus Ecclesiis eodem die plures prostarent Indulgentiæ non plenariæ, v. gr. vna centum, altera mille annorum; visitari possent omnes illæ Ecclesiæ, vel eadem sæpiùs, & acquiri dictæ Indulgentiæ non plenariæ. At, si loquamur de plenariis, vnica perfectè acquisita delet omnem pœnam in purgatorio luendam, ita vt altera Indulgentia non sit opus amplius. Poterunt autem, & istæ Ecclesiæ iteratò visitari, vt si quis Indulgentiam plenariam lucratus non fuisset prima vice, lucretur secunda*. Cæterùm

Edicto

*Edicto Sacræ Congregationis Reliquiarum, & Indulgentiarum, dat.7. Martij 1678. habetur, quòd Indulgentia plenaria quolibet die non possit sæpiùs, quàm vna vice acquiri.* Porrò, quantum ad Indulgentias pro fidelibus defunctis; Plenariæ, totaliter exsoluunt pœnam Purgatorj, aut saltem sufficientes sunt, ex eo penitùs eximendi Animam, cui applicantur. *Summus Pontifex nobis in terra viuentibus Indulgentias concedit absolutè, quia sumus ipsius immediati subditi super terram: Pro Defunctis autem eas concedit per modum suffragij, dum videlicet per Indulgentiam Deo offert Sancta Ecclesia thesaurum, pro redemptione Animarum, in igneto illo Carcere detentarum. Exempli gratia, ego offero Iudici Mediolanensi pecuniæ summam, quæ sufficiat, ad redimendum Petrum amicum meū è Carceribus. Ita pariter Pontifex offert Deo præfatum Ecclesiæ thesaurum pro defunctis, ad redimendas ex Purgatorio illarum animas. Licet autem Iudex Mediolanensis dicere possit; nolo tuam, ò Pater pecuniam; sed volo, vt Petrus, vel soluat ex suo, vel remaneat in Carcere, quanto tempore ad illud condemnatus fuit. Nihilominùs tamen Dominus Deus (prout multi docent Authores) non creditur procedere taliter, ob infinitam suam bonitatem, & misericordiam, quam hucusque, tam viuis, quàm defunctis semper impendit. Verum postea equidem est, quòd nos viuentes sæpiùs Deo offeramus Sacrificium Missæ, aut Indulgentiam plenariam pro Anima Petri v.g. aut Pauli in Purgatorio existente, nihilominus Deus, iustissimo suo Iudicio, & optimo fine* liberet Animam Antonij, ipse namque solus optimè intelligit omnia, & sæpiùs aliter disponit, ac nos voluimus, & intendimus: quippe attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, vt cantat Ecclesia: quapropter multiplicare necesse est illas oblationes, Missas, Eleemosynas, & Orationes cum Indulgentijs, vt tandem aliquando nostrum obtineamus intentum, & Diuino occurramus beneplacito, cui omnis creatura totaliter in omnibus conformari debet. Ita præfatus Author. Ex quibus colligere licet, non posse Summum Pontificem pro suo arbitrio euacare totum Purgatorium, cùm Indulgentiæ Animabus prosint per modum suffragij extra territorium Papæ, & requiratur ad eas ritè conferendas, causa iusta, ac proportionata, iuxta intentionem Christi, vt docet *Henriquez l. 7. de Indulg. capit. 3. num. 1.* apud, & cum *Trullench l. c. num. 8.* vbi tamen etiam refert opinionem *Ludouici à Cruce in Bulla Cruciata disp. 2. dub. 2. num. 7. qui non improbabile censet Papam, data legitima, & rationabili causa, qualis esset vrgentissima necessitas totius Ecclesiæ, posse concedere Indulgentiam plenariam omnibus, & singulis existentibus in Purgatorio, consequenter illud euacuare.* Idem docet *Petrus Murga Quæstionum Canonicar. tom. 2. Tit. 3. q. 7. n. 24. fol. 106.* Verùm *Andreas Mendo in Epitome opin. Moral. Verb. Bulla Defunctorum, num. 4. pag. mihi 92.* censet, hunc esse casum potiùs metaphysicum, in quo de sufficientia causæ semper dubitari possit: *An possit Pontifex* (ait ipse) *euacuare Purgatorium, concedendo Indulgentiam plenariam per modum suffragij omnibus, & singulis Animabus, quæ in eo cruciantur, est casus Metaphysicus, & dubitari valdè potest de sufficienti causa ad id præstandum.*

Ad secundam difficultatem, superiùs 433
cum *Peyrino n. 3. citat.* intimatam, an videlicet Sanctissimus Pontifex *Paulus V.* Regularibus hìc concesserit Indulgentias Stationum pro singulis diebus totius anni, quibus Ecclesiam suam visitauerint; an verò solùm in diebus Stationum? Respondeo cum eodem *Peyrino*, concessionem hanc factam esse solummodo pro diebus Stationum; *Meo videri* (inquit) *solùm posse frui diebus Stationum*: redditque rationem, quia videlicet, quando Pontifex concedere vult Indulgentias pro singulis diebus, id disertis verbis explicat, prout in duobus sequentibus paragraphis, quos immediatè subiungemus, videre licet. *Lex enim, vbi aliquid vult, id exprimit.* ait *Mandos. in reg. 32. Cancell. q. 28. num. 2. Guttier. lib. 1. Can. q. c. 30. num. 21. c. Ad audientiam de decim.* ita *Peyrinus*: cui suffragatur *Lezzana, verbo, Indulg. quoad Regulares n. 21.* vbi de hac ipsa agens Indulgentia, ait, quòd *intelligitur pro ipsis diebus Stationum*: Videtur his contrarius *Passerinus de Indulgent. q. 202. num. 786.* vbi ponderans hæc eadem verba, quibus *Paulus V.* concedit Regularibus Indulgentias Stationum, ait contra *Peyrinum* debere ea extendi ad singulos anni dies; *& hoc fuisse satis expressum*, ait, *in concessione Stationum facta Regularibus per Paulum V. & colligi videtur ponderando, quòd absolutè dicit,*

Reli-

*Religiosi, qui suam Ecclesiam deuotè visitauerint, absque aliqua dierum designatione, & postea expressè concludit, quòd ipsi consequantur Indulgentias Stationum, in omnibus diebus; pariude ac si Vrbis Ecclesias personaliter visitarent. Et sic in omnibus diebus possunt, Religiosi has lucrari Indulgentias.* Ita concludit præfatus Author, qui idcirco *Peyrino* videtur esse contrarius; anceps tamen hæret & ipse hac in re, ac dubius, vnde terminat numerum hisce denique verbis. *Res*, inquiens, *est incerta*: confirmat deinde dubium suum hac super re sequenti *n.* 788. At in *Peyrini* fauorem sustulit dubium istud Sacra Indulgentiarum Congregatio suo expresso Declaratorio Decreto *sub die 7. Martij* 1678. dum in eo sic definit: *Indulgentias verò Stationum Vrbis quæ à Romanis Pontificibus, singulari quodam priuilegio, vel communicata sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantùm Stationum, in Missali Romano descriptis, suffragari posse declarat.* Quinam porrò determinati dies Stationum sint, pleniùs declarabimus sequenti *Dubio* 12.

434 8. *Omnibus item Religiosis intra claustra vt supra viuentibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, ante Altare eorum Ecclesiæ orauerint, in quolibet die quinque annos, & totidem quadragenas.*

9. *Easdem Indulgentias concedit Prædicatoribus, & Lectoribus, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes quinquies eandem orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare similiter dixerint.*

In huius concessionis declarationem, aduerto cum *Bordono res. 81. num. 171. vers. Octauo Religiosus*: quòd ad ritè peragendam hanc orationem *non est necesse genuflectere super bradellam Altaris, sed sufficit stando in Choro dirigere suam orationem ad Altare: vel etiam simpliciter in Ecclesia orare, neque differentia est inter vnum, aut alterum Altare, licet sit Maius: neque hæc oratio applicanda est pro aliqua in specie, sed satis est prædicere*: ita *Bordonus l. c.* &, cum iisdem verbis *Pellizzarius in Man. Regul. l. c. num. 197. in fine.* Aduerto prætereà cum *Toleto in Summa lib. 6. cap. 24. §. 4.* & cum eodem *Pellizzar. n. cit.* Quòd sicut huius Indulgentiæ sensus est, quòd per eam omnis illa Purgatorij pœna remittatur, quæ exsolueretur, si Religiosus ipsemet perageret pœnam à Canonibus taxatam pro quinque annis, & totidem quadragenis; Ita quoad has quoque quadragenas sensus est, quòd computentur vt inclusæ in quinque illis concessis annis; per quadragenas enim intelliguntur ij per annum dies pœnitentiæ à Canonibus taxatæ, quibus asperior agebatur penitentia: Verbigratia, mos erat olim, pro tali peccato imponere pœnitentiam septem annorum, at certis quibusdam anni diebus maior peragenda pœnitentia: ista maior penitentia vocabatur tunc quadragena; quapropter computabatur, vt inclusa in eodem anno, vel in iisdem annis. *Quod verò attinet ad quadragenas* (inquit *Pellizzarius l. c.*) *seu quarantenas, benè monet Toletus, esse quarantenas dierum, nec debere computari extra tempus annorum concessorum; ita vt si concedantur quinque anni, & totidem quadragenæ (vt in præsenti concessione) istæ quadragenæ includuntur in illis quinque annis.*

10. *Eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessi, & Sacra Communione vltima Dominica mensis huiusmodi refecti fuerint, Sexaginta annos, & totidem quadragenas.* 435

Probabile hîc censet *Pellizzarius l. c. n.* 198. *Religiosum obtinere præfatam Indulgentiam, si in decursu totius mensis, vna tantùm die omittat orare mentaliter; idque excusante paruitate materiæ iuxta ea, quæ habet Fagnancius tract. 8. num. 153.* Ego verò contrarium sentio, per omissionem meditationis scilicet vnius diei, Indulgentiam perdi: quia licèt talis omissio respectu decursus vnius mensis æstimetur materia parua, in hoc casu pertinet ad substantiam & ad formam operis iniuncti, quod mense integro durare debet; vnde detracto, & omisso vno die, non remanet amplius idem opus iniunctum, scilicet durans per integrum mensem, consequenter talis omissio impedit effectum Indulgentiæ. Confirmo illud è simili: Si pro consecutione alicuius Indulgentiæ iniungitur recitatio vnius Rosarij, si quis omittat orare vnum *Aue Maria*, quòd certè materia parua est, imò minima; talis (inquit *Pasqualigo de Iubil.*

qu. 41.

*q.41. n.6.*) non consequitur Indulgentiam, quia, quamuis vnicum *Aue Maria*, quod omittitur, sit pars minima respectu totius Rosarij; spectat tamen ad formam operis iniuncti; cùm tot *Aue Maria* in numero determinato debeant recitari, vt ex ipsis absolutè integrum habeatur Rosarium: proinde sicuti numerus componitur ex pluribus vnitatibus; & detracta vna sola talis numerus destruitur: ita cùm Rosarium constet ex certo numero Orationum Dominicalium, & Salutationum Angelicarum, sublata vna sola, sicut destruitur numerus, ita etiam destruitur forma operis iniuncti; pari modo, si ab integro mense vnum diem præscindas, mensis non erit ampliùs integer. Econtra verò (vt idem *Pasqualigo l. c. n.7.* docet) si pro indulgentia iniungatur ieiunium; licet quis illud violauerit leuiter, ita vt in comestione paruitatem materiæ non excesserit, consequitur nihilominus Indulgentiam, quia substantiam ieiunij impleuit, consequenter etiam formam operis iniuncti. Quapropter cum eodem Authore concludo *q. c. à n.3.* (quidquid in contrarium dicat *Passerinus de Indulg. q. 35. & 48.*) tunc impediri effectum Indulgentiæ, quando omittitur pars licèt minima operis iniuncti, cùm hæc ad substantiam operis spectet (vt accidit in casu nostro contra *Pellizzarium*) secùs autem, quando omissio spectat ad esse accidentale operis; en præcisa ipsius verba: *Considerandum est an pars operis iniuncti omissa, pertineat ad substantiam ipsius, ità vt ea omissa non remaneat idem opus iniunctum: in tali enim casu, quæcunque sit pars omissa, impediet effectum Indulgentiæ, quia non amplius aderit forma, sub qua est concessa; conditio enim operis iniuncti inducit formam. Vnde cum corruat actus quando forma non seruatur, corruet etiam acquisitio Indulgentiæ, non seruata forma operis iniuncti. Cùm ergo forma sit indiuisibilis, & proinde in quacunque parte etiam minima, non adimpleta, actus corruat, sequitur, quòd si pars operis iniuncti licèt minima, pertineat ad substantiam operis, eius omissio destruet formam operis iniuncti, atque adeò reddat nullam consecutionem Indulgentiæ. Si verò pars omissa operis iniuncti non pertineat ad substantiam, sed tantum ad quoddam esse accidentale; tunc sicut eius omissio non tollit substantiam operis, ita neque tollit formam; sub qua est concessa Indulgentia: & proinde tenet assequutio illius, nam seruata forma, habetur etiam effectus &c.* Et ab hac postrema parte bene deducitur in fauorem *Pellizzarij*, quòd cùm anni menses, diuerso constent dierum numero, vnus triginta, alius triginta vno diebus: si quis Religiosus in mense triginta vno dierum, hoc orationis mentalis exercitium peragerет, etiamsi vnicum diem omitteret, nihilominùs consequeretur Indulgentiam, quia posita etiam tali omissione remanet adhuc forma operis iniuncti, nimirum orationis mentalis per integrum mensem, triginta dierum, quia etiam totidem dies constituunt mensem: & taliter benigna quoque supponitur mens concedentis, maximè in materia fauorabili, ac proinde amplianda. Cæterùm an vi huius doctrinæ, istud orationis exercitium, cum probabili consecutione Indulgentiarum, ordinariè reduci possit ad solos viginti nouem, aut etiam viginti octo dies, cùm etiam tot constituant vnum mensem, sed solùm Februarium, Doctoribus Religiosis decidendum relinquo.

11. *Iis, qui contrito corde, & pœnitentes,* 436
*suas culpas & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.*

Pro obtinenda hac Indulgentia, non est necesse (vt obseruat etiam *Pellizzarius l. c. n.199.*) quòd accusatio hæc absolutè fiat in Capitulo, cùm aliquæ Religiones vsum Capituli non habeant; vt in specie, ait ipse, nec sua Societas habet; sufficit, vt id fiat in loco ad hoc deputato; sic enim talis locus æquiparatur Capitulo. Addo insuper cum eodem *Pellizzar. n.200.* quòd ad obtinendam hanc Indulgentiam non sufficiat quælibet culparum suarum accusatio; sed illa solùm quæ piè, & religiosè fit, quod videtur innuere voluisse Pontifex, dum ait, *contrito corde, &c. & spiritualiter communicabunt:* requirit prætereà, vt addantur actus aliarum quoque virtutum per illa verba; *& exercitium virtutum facient*; quæ omnia à Pontifice præscripta sunt cum particula non disiunctiua, sed copulatiua; ex quo clarè colligitur, requiri hæc omnia simul sumpta,

sumpta, & per modum vnius: scilicet, vt Religiosus piè, & Religiosè de suis culpis, ac defectibus in Capitulo, seu alio ad hoc deputato loco, sese accuset; & talem accusationem concomitentur actus aliarum virtutum, v. g. humilitatis, pœnitentiæ, contemptus sui ipsius, &c.

437 12. *Illis Religiosis, qui de licentia Summi Pontificis, aut suorum subditorum in ditiones, & terras infidelium aut hæreticorum, ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipsos ad fidem Catholicam conuertendum, & Ecclesiæ gremium reducendum missi fuerint, si pœnitentes & confessi, ac Sanctissima Communione refecti fuerint, vel Missam celebrauerint, vt melius ad huiusmodi opus se se præparare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri se accingent, & quando in Prouinciam, vbi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam.*

Nota hanc Indulgentiam consequi etiam posse Religiosos Fratres Laicos, seu Conuersos; nam & ipsi vt experientia constat, conuersioni Infidelium cooperari possunt; aut instruere fideles recenter conuersos, & doctrinam Christianam eis proponere: Vbi autem eadem militat ratio, eadem quoque militat dispositio iuris, maximè in materia fauorabili, cuiusmodi est concessio Indulgentiarum: *Pellizzarius loc. cit. numer.* 201.

438 13. *Omnibus Illis Religiosis, qui orationibus quadraginta horarum, quas eorum Superiores in visitationibus generalibus, pro bono earum progressu ordinauerint, saltem spatio duarum horarum in diuerso tempore interfuerint. ; & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis Salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non disciplinæ, & obseruantiæ regularis augmento, pias ad Deum preces effuderint, si confessi, & Sacra Communione refecti fuerint, aut Missam celebrauerint, Plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem concessit.*

Circa orationem, pro consecutione huius Indulgentiæ præscriptam, notetur, quòd, vt iam superiùs diximus, cùm neque hîc Pontifex expresserit, an vocalis, an verò mentalis esse debeat, per vtramlibet quis satisfacere menti Pontificis poterit, siue ergo fuerit tota vocalis, aut tota mentalis: siue partim vocalis, partim mentalis, prout deuotioni ac spiritui orantis magis congruum erit, sufficiet; cùm quæuis earum sit vera oratio, maximè verò mentalis, quæ iuxta doctrinam ex Authoribus superiùs adductam, proprijssima est oratio; imò magis fructuosa; vt vltra præfatos docet *Trullench in Bullam cruciatæ lib.* 1. §. 6. *dub.* 2. *numer.* 7. & *Diana par.* 5. *tractat.* 12. *resolut.* 44. vbi ait: *mentalis est magis fructuosa, & cæteris paribus præferenda, nam multum illuminat animos in ijs, quæ ad Deum, & ad salutem pertinent &c.* Quare non approbo id, quod vult *Pellizzarius loc. cit. num.* 202. *in fine*; quod nimirum *consultum sit orare vocaliter, vt hac ratione certior sit consecutio talis Indulgentiæ.* Habes ergo hisce notitiam, & explicationem omnium Indulgentiarum, quas *Sanctissimus D. N. Paulus V.* in sua Bulla reuocatoria concessit vniuersis Religiosis. Comprehenduntur ea, tam quoad reuocationem, quàm quoad concessionem omnes quoque Moniales, etiam subiectæ ordinarijs. Tum quia Moniales verè sunt Regulares, vnde siue exemptæ sint à potestate ordinariorum, siue non, gaudent omnibus Priuilegijs (quorum iuxta statum, ac Sexum suum capaces sunt) non solùm proprij Ordinis, sub quo militant, sed per viam communicationis, omnibus etiam Priuilegijs aliorum ordinum Regularium, vt Doctores affirmant, in specie *Tamburinus de Iure Abbatum, tom.* 1. *disputat.* 17. *quæsito* 1. *à numer.* 49. & *de Iure Abbatissarum disput.* 17. *quæsito* 1. & 2. & 3. Gaudent similiter omnibus Indulgentijs non solùm proprij ordinis, sed etiam aliorum ordinum Regularium: *Pellizzarius de Monial. capit. cit.* 9. *n.* 40. *in princip.* & *in fine*: etiam non exemptæ, sed subiectæ ordinarijs. *Bordonus resol.* 52. *quæsito* 24. *à nu.* 69. & communiter *quia vno Priuilegio ablato* v. gr. exemptione, *non tollitur aliud, per ea, quæ tradunt Syluester, Bartholom. à S. Fausto, Sanchez &c.* inquit *Tambur. l. c. quæs.* 2. Tum etiam, quia Pontifex ipse in præfata sua Bulla eas expresse comprehendit: dum de eis loquens §. 18. ait; *Volumus autem,*

*vt omnes supra dicta Indulgentiæ, & gratiæ, Religiosis Regularibus cuiusuis ordinis tam Monastici, quàm Mendicantis dumtaxat concessa, etiam omnibus Monialibus cuiusuis Regulæ approbatæ, & intra Claustra cum tribus Votis solemnibus viuentibus, & perpetuam Clausuram seruantibus, tam Ordinarijs locorum, quàm etiam Regularibus cuiuscunque Ordinis, Regulæ, & Instituti subiectis, suffragentur.*

439 Indulgentiæ igitur Regularium, vt Regularium, sunt, quas *Paulus V.* in sæpedicta sua Bulla concessit. Porrò aliæ Indulgentiæ; quas vel ipse *Paulus V.* post illam Bullam, vel alij Pontifices eius Successores concesserunt, hactenus reuocatæ non fuerunt; vt testatur *Quintan. in Append. tractat.* 4. *dub.* 2. *numer.* 7. *in princip.* & *Petrus Murga tom.* 2. *qq. Canonicar, Titul.* 3. *quæst.* 8. *num.* 20. *fol.* 110. Sunt autem sequentes

Primò, Indulgentia Plenaria, quam idem *Paulus V.* ad instantiam Oratoris Hispaniarum concessit Fratribus Minoribus, quoties coronam Beatissimæ Virginis recitauerint. Refert huiusmodi concessionem *Portellus in Dubys Regularium verb. Indulgent. sub numer,* 13. *vers, Post hanc* ( vbi testatur vidisse se exemplar eius impressum; *& dicebat*, inquiens, *in litteris testimonialibus, quas vidi impressas, se id concedere, non obstante sua generali reuocatione Indulgentiarum*, ) Item *Hieronymus Rodericus in Compend. resolut.* 77. *numer.* 47. *in princip. Peyrinus in Addit. ad Priuil. cap.* 10. *numer.* 59. vbi ait: *de qua concessione extat publicum monumentum impressum Romæ anno* 1609. *die* 19. *Ianuarij.* Ita testatur *Resighinus, in suo templo Salomonis capit,* 26. *in fine*; quod se quoque vidisse testatur *Passerinus de Indulg. quæst.* 108. *num.* 884. *in fine*: his verbis: *quod folium & ego vidi impressum in Typographia Camerali, & est viuæ vocis oraculum, datum Fr. Ludouico à S. Ioanne Euangelista, Commissario Generali Minorum de Obseruantia in Romana Curia. Bordon. res.* 81. *quæst.* 3. *nu.* 18. *Quintan. num. cit, Ant. à Spiritu Sancto in Direct. Regul. par.* 1. *Tract.* 2. *disp.* 5. *sect.* 2. §. 1. *numer.* 21. *vers. Dico quartò: Murga num. c.* & alij. Notat *Peyrinus* huiusmodi Coronam debere constare ex 72. Aue Maria, & septem Pater Noster, addito in fine vno Pater & Aue pro Anima ipsius Pontificis. *Fratribus*, inquit, *recitantibus Coronam Beatæ Virginis Mariæ, quæ constat ex* 72. *Aue Maria, & septem Pater Noster, addito in fine vno Pater Noster, & vno Aue Maria pro anima ipsius Pontificis, concessit idem Pontifex Paulus V. Indulgentiam plenariam*, Idem post *Peyrinum* refert etiam *Angelus à Lantusca, in Theatro Regularium verbo Indulgentiæ, sub titulo, de Magna Indulgentia Stationum numer.* 3. his verbis; *Indulgentia plenaria concessa à Paulo V. Fratribus Minoribus, & per participationem fratribus, & Sororibus Tertij Ordinis, & Confraternitatis Cinguli, quoties quis ipsorum dicet Coronam Beatissimæ Virginis, constantem septem Orationibus Dominicis, & septuaginta duabus Salutationibus Angelicis, addito vno Pater & Aue pro Sua Sanctitate, vti prius fiebat pro ( sanctæ memoriæ ) Leone X, qui hanc eandem Indulgentiam plenariam concesserat, quæ dein abolita est per generalem Indulgentiarum reuocationem, factam à Paulo V. Anno* 1606. *qui postmodum Anno* 1608. *die* 8. *Iunij eandem restituit ad instantiam P. Ludouici à S. Ioanne Euangelista Commissarij Generalis Vltramontanæ Familiæ Minorum de Obseruantia, vti apparet in folio impresso hic Romæ Anno* 1609. *& testatur Hieronymus Rodriquez, ac alij*: Hæc *Lantusca loc. cit. edit. Veneta* 1665. & *quarta, ac vltima Edicione Romana typis Cameræ Anno* 1679. *verbo Indulgent. numer.* 13. Et ante *Peyrinum* idem notauit *Sorbo in Compend. verbo Indulg. quoad Fratres num.* 7. *Rodriquez tom.* 2. *qq. Regular, quæst.* 87. *art.* 3. *versu: Pro quarum: & Hieronymus Rodericus in Compend. res. cit. num.* 9. *versu, Item eadem, in fine*. Quantum autem ad Coronam, credo sufficere, si modo consueto recitetur, scilicet per 63. Aue Maria, siue per sex decades; vti etiam aliqui affirmant apud *Rodriq. l. c.* qui de hac agens Indulgentia, ita scribit: *Corona verò B. Virginis dicitur ab aliquibus continere Sexaginta tria Aue Maria, & de decem in decem vnum Pater Noster, Ita habetur in Litteris Leonis superiùs allegati, &c.* Confirmat id *Peregrinus in compend. par.* 1. *sub Tit. Indulg.* §. 13. *in princip.* vbi ait; *Quoties nostri Coronam B. Virginis, quæ continet* 63. *Aue Maria, & 7. Pater Noster, recitauerint, Indulgentiam plenariam consequentur,*

Quan-

Quantum ad vltimum Pater, & Aue pro Anima Pontificis, inuenio illud appositum solùm à *Sorbo*, *Rodriquez*, & *Peyrino*: non autem ab alijs supra citatis: Concesserunt autem iam ante hac Pontifices hanc eandem Indulgentiam cum adiuncto Pater & Aue, pro Domino Papa, vt asserunt *Rodriquez*, & *Rodericus* nimirum *Iulius II.* & *Leo X.* Censet proinde idem *Rodericus*, hanc *Pauli V.* concessionem fuisse confirmationem illius, & hac de causa sustinet, etiam hic additum fuisse istud Pater & Aue: sic enim loquitur: *Indulgentia plenaria fruuntur recitantes Coronam B. Virginis continentem septuaginta duo Aue Maria, cum septem Pater Noster, addito vno Pater Noster cum Aue Maria pro Domino Papa, ex concessione Iulij II. & Leonis X. pro Minoribus, & Monialibus S. Claræ. Nota, quòd Indulgentia pro Corona Virginis continente 72. Aue Maria, &c. cum vno Pater noster, & Aue Maria, est confirmata per Dominum Paulum V.* Non tamen eam confirmauit hic Pontifex, quandoquidem eam ipsemet vnà cum alijs Regularium Indulgentijs generaliter reuocauerit: sed nouam fecit concessionem, cui tamen alij Doctores, qui de ea scribunt, saltem quos ego legi, istud Pater, & Aue non adiunguht, quod indicium est, illud à Sua Sanctitate, vltra Coronam, non fuisse præceptum.

440 Secundò celebris illa, ac magna Indulgentia, quæ vocatur Statio Sanctissimi Sacramenti; vi cuius vniuersi Regulares, quoties ante Altare huius adorandi Sacramenti, sex Pater noster; sex Aue Maria, & Sex Gloria Patri orauerint, pro felici Statu Summi Pontificis, & Sanctæ Ecclesiæ, toties lucrabuntur omnes Stationes, & Indulgentias Vrbis Romæ, Portiunculæ, Hierosolymorum, & Sancti Iacobi in Galitia: quæ Indulgentiæ si solùm plenarias computemus, excurrunt vsque ad quingentas triginta tres, non plenariæ autem sunt innumerabiles. Non miretur Lector tantam Indulgentiarum copiam, siquidem soli Lateranensi Basilicæ Romæ tot à Summis Pontificibus concessæ fuerunt, vt testimonio *Rodriquez tom. 2. qq. Regul. quæst. 89. art. 1.* has solas *Bonifacius IX.* declarauerit esse innumerabiles, & soli Deo notas, quas ipse etiam confirmauit: *Bonifacius*, (inquit) *dixit: Indulgentiæ Ecclesiæ Lateranensis numerari non possunt nisi à solo Deo, & ego omnes illas confirmo*. Et in reliquis Vrbis Romanæ Ecclesijs quotidie inueniuntur tredecim plenariæ pro viuis: & duæ pro defunctis. Vnde præclarum de his elogium protulit Sancta Birgitta in suis Reuelationibus (à Doctissimo Cardinale *Ioanne Turrecremata* examinatis, & approbatis, hoc ipso encomio quod iam olim Bethulienses in laudem triumphantis Iudithæ decantarunt: *Omnia quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio*) in his, inquam, Reuelationibus ait *S. Birgitta lib. 6. cap. 102. Indulgentiæ Ecclesiarum Vrbis Romanæ, maiores sunt apud Deum, quàm credant homines, quia hi, qui perfecto corde venient ad istas Indulgentias, non solùm obtinebunt remissionem peccatorum, sed etiam vitam æternam*. In Hierosolymitanis autem Ecclesijs pro quolibet die plenarias vltra viginti, & vnam reperiri, docet liber aliquis denuo Romæ impressus anno 1663. *de mandato A. Sacrati Episcopi Comalensis Vicesgerentis, & Fr. Raimundi Capisucc. Mag. & Socij S. P. Ap. Mag. Ordinis Prædicatorum*. Vnde meritò *Rodericus in compen. res. 77. num. 47. vers. Tandem idem:* hanc eandem recensens Indulgentiam, eam vocat innumerabilem multitudinem Indulgentiarum: *Idem* (inquiens) *Pontifex Paulus V. concessit nobis Minoribus magnam illam Indulgentiam, seu potius innumerabilem multitudinem Indulgentiarum, Stationis (vt vocant) Sanctissimi Sacramenti; de sex Pater Noster, & Aue Maria cum Gloria Patri ad finem cuiuslibet, in qua continentur omnes Indulgentiæ Stationum Romæ, Ierusalem, S. Iacobi in Compostella, & Portiunculæ &c.* De eadem quoque disserens *Antonius à Spiritu Sancto l. c. num. 22.* ait: *Nec ego inueni aliquid amplius, & facilius*.

Ne, inquam, miretur Lector, tam paruo labore, oratione videlicet sex Pater, & Aue, ac sex Gloria Patri, innumerabiles has acquiri Indulgentias quandoquidem etiam adhuc minore, vno scilicet Pater noster, & Aue Maria de- 441

uotè recitato obtineri possit Indulgentia plenaria, si talis fuerit concessio Summi Pontificis, prout talis reipsa fuit illa *Pauli III.* quam superiùs *num.* 421. retulimus, visitantibus Ecclesias Societatis Iesu, & dicentibus vnicum Pater noster,& Aue Maria.Imò non tantùm sub conditione vnius Pater & Aue, sed etiam absque vlla oratione, aut alio pio opere, Indulgentia acquiri potest; cum simpliciter, & absolutè talis conditio ad hunc effectum necessaria non sit: *Dicendum*, inquit, *Suarez de pœnitent, disput.* 52. *sect.* 4. *numer.* 3. *in princip. non esse simpliciter, & absolutè de necessitate Indulgentiæ vt concedatur sub conditione alicuius operis faciendi, ad effectum Indulgentiæ consequendum*: idipsum confirmant *Layman lib.* 5. *summ. Tractat.* 7. *cap.*6. *numer.* 4. vbi ait: *Nihil obstat, Indulgentias concedi sine impositione alicuius boni operis, vt ostendit Suarez, &c. Passerinus de Indulgent. quæst.* 29. *numer.* 249. *Duardus tom.* 1. *in c. Omnis vtriusque sexus disp.* 10. *sect.* 9. *num.* 3. *in princip.* vbi cum hactenus citatis, & nonnullis alijs asserit: *Non esse simpliciter, & absolutè de necessitate Indulgentiæ, vt concedatur sub conditione alicuius pij operis, sed satis esse, si ex parte concedentis sit pia, iusta, rationabilis, & proportionata causa*, Rationem quoque asserti afferunt, quia iuxta sensum communem & placitum Theologorum (ita argumentatur *Suarez, & cum eo Duardus loc. cit.* vnà cum alijs) *Tria sunt necessaria, ac sufficiunt ad valorem, & fructum Indulgentiæ, scilicet potestas in concedente, gratia in recipiente, & pietas seu proportio in causa, id est, quòd causa propter quam conceditur Indulgentia, sit pia & proportionata, igitur ad valorem, & fructum Indulgentiæ non exigitur, vt concedatur sub conditione alicuius pij operis, nec operis iniunctio consequenter est necessaria per se loquendo ad assequendas Indulgentias: consequentia patet, quoniam illa tria possunt perfectè concurrere, citra nouum aliquod opus; siquidem ad Indulgentiam concedendam multiplex ratio sufficiens considerari potest, absque interuentu pij operis ex parte suscipientis illam*.

442 *Primò enim potest concedi Indulgentia per modum gratitudinis propter obsequia Ecclesiæ exhibita, in quibus potest esse sufficiens ratio concedendi Indulgentiam citra noui operis expostulationem ab eo, cui conceditur; siquidem id non repugnat ex parte talis piæ causæ, quoniam possunt illa obsequia esse multa, & grauissima, quæ superant alia pia opera, quæ communiter expostulari solent in Indulgentijs. Neque etiam repugnat ex parte effectus Indulgentiæ, siquidem remissio pœnæ temporalis non exigit ex se actualem, aut internam dispositionem in recipiente, præter statum gratiæ: imò nec cognitionem vel specialem voluntatem; etenim Sacrificium Missæ oblatum pro alio remittit illi pœnam temporalem, si obicem peccati mortalis non inueniat, citra aliam dispositionem actualem ex parte illius. Et hoc idem accidit in applicatione suffragiorum vnius fidelis pro alio: quoniam etiam illo non cogitante, aut volente, satisfactio vnius pro altero oblata, operatur in eo remissionem temporalis pœnæ; cur ergo non idem fiet per Indulgentias si alioquin sufficiens causa subsit, vt per modum gratitudinis talis remissio fiat?*

*Secundò potest concedi Indulgentia per modum medicinæ, nam is, cui conceditur, ea indiget, vt in spem erigatur, vel vt feruentiùs excitetur ad Deo seruiendum, iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 2. condonandum esse alicui, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur. Etenim in huiusmodi indulgentia potest etiam interuenire sufficiens ratio, eam concedendi, citra noui operis impositionem.* 443

*Tertiò potest concedi Indulgentia per modum liberalitatis, seu donationis ex rationabili causa facta, vt solent Principes in die Coronationis suæ, thesauros effundere, aut debita remittere, & carceribus mancipatos liberare, ergo eodem modo potest Papa in die Coronationis suæ, aut in solemnitate Natiuitatis Domini, aut in alia simili, indulgentiam aliquam liberaliter concedere citra alicuius operis iniunctionem. Vnde ob id, Summus Pontifex feria V. in Cœna Domini solet sua Benedictione concedere Indulgentiam plenariam absque alio opere imposito. Sicut etiam Episcopi benedicendo concedunt 40. annorum Indulgentiam ijs, qui præsentes sunt; igitur per se loquendo, operis iniunctio non est necessaria*. Ita *Suarez, & Duardus*, qui insuper addit *loc. citat. numer.* 7. quòd *communis vsus concedendi Indulgentias sub conditione alicuius operis; est introductus ex eo, quòd talis modus est magis* 444

secu-

*securus ; nam aliquando supplet defectum causæ.*

445 Asserit autem hoc ideo, quia, vt ipsemet *Duardus* affirmat *tom.2. in Cap. Omnis Vtriusque sexus disp. 4. sect.1. nu. 1. Causa concedendi Indulgentias differt ab opere : etenim opus est onus, quod iniungitur ad lucrandas Indulgentias, nempe Ieiunium, eleemosyna, visitatio Ecclesiarum, & alia huiusmodi. Causa verò concedendi Indulgentias, est finis, quo Romanus Pontifex mouetur, ad eas concedendas, nempe Religionis, & charitatis augmentum, pax Ecclesiæ, & alia similes*. Deinde, quia causa in concessione Indulgentiarum, iuxta communiorem Theologorum sententiam apud *Suarez de pænit. disp.64. sect.1. num.2.* & alios, necessariò, ac semper ex parte concedentis adesse debet, aliàs Indulgentiæ nullius essent valoris, adeò vt *Passerinus de Indulg. q.79. n.568.* dicat: In Ecclesia non esse potestatem concedendi validè Indulgentias, nisi concedantur ex iusta causa. Idque constat (concludit *Duardus tom.1. in capit. Omnis vtriusque Sexus disp.20. sect.8. concl.1. n.4. in fine*) *ex vniuersali Ecclesiæ vsu, quæ nunquam consueuit citra iustam causã Indulgentias concedere.* Insuper quia causa, iuxta Theologos communiter, proportionata esse debet effectui Indulgentiarum : *Ad valorem Indulgentiæ non solùm requiritur causa pia, & iusta, verùm etiam debet esse proportionata quantitati Indulgentiæ, ita vt minoribus Indulgentijs minor causa requiratur : maioribus autem maior ; & sic etiam minor causa exigatur ad concedendum Indulgentiam alicui personæ particulari, vel Congregationi, quàm Communitati maiori, aut toti Ecclesiæ.* Ita cum alijs *Duardus disput. 10. cit. sect.8. conclus. 3. & cit. disput. 4. sect. 1. numer. 3.* qui etiam *citata conclus.3. num.13. vnacum Suarez de pænit. disput.54. sect. 3. numer. 10. & 12. & cum Soto in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 2.* declarat, in quo consistere debeat hæc proportio inter causam, & quantitatem Indulgentiarum, in hunc modum: quod nimirum, *Non sit opus, vt expostulata proportio inter causam concedendi Indulgentias, & earum effectum, consistat in aliqua certa & determinata quantitate, & æqualitate, sed satis esse, si consistat in prudenti quadam morali æstimatione illius proportionis, quæ seruari debet inter medium & finem, ita vt illa causa censeatur adæquata Indulgentiæ, ad quam obtinendam, vel procurandam hic & nunc pensatis omnibus circumstantijs, concessio talis Indulgentiæ prudenter æstimetur medium proportionatum, & conueniens. Atque ideò proportio non consistit in indiuisibili, sed se habere debet sicut pretia rerum, quarum quædam sunt rigorosa, quædam media, & quædam infirma intra limites iusti pretij ; & sicut se habet medium ad finem, qui habet latitudinem boni, melioris, & optimi, quæ cadunt sub honestam, & rationabilem electionem.* Quia ergo, inquam, causa in concessione Indulgentiarum absolutè necessaria est in concedente, ad earum valorem & effectum ; & moraliter saltem, ac secundùm prudentem æstimationem, vt citati Authores declarant, debet esse proportionata earum quantitati : ideò Summi Pontifices, vt nonnunquam defectum, seu improportionem causæ suppleant, iniungunt in concessione adimpletionem quarundam orationum, aut piorum operum. Quod totum confirmatur à prædicto *P. Duardo conclus. 3. citat. numer. 16.* vbi ait ; *Quamuis causa concedendi Indulgentias, debeat esse proportionata, vt supra, nihilominùs defectus causæ suppletur per impositionem pij operis, quod tale potest esse, vt per illud causa inadæquata quantitati Indulgentiarum, fiat adæquata, vt colligitur ex ijs, quæ docet Layman lib. 5. Summæ tractat. 7. capit. 5. sub numer. 1. & cap. 6. numer. 4.* Quare concludo cum eodem *Duardo num.7. supracitato quòd per se loquendo operis iniunctio non est necessaria ad assequendas Indulgentias : & quod communis vsus, concedendi Indulgentias sub conditione alicuius pij operis, est introductus ex eo, quòd talis modus est magis securus ; nam aliquando supplet defectum causæ*, quæ in concedente necessariò & absolutè requiritur, vt dictum.

Quòd autem id verum sit, prætérquam quod ipsemet Pontifex *Clemens VI. in Extrauag. Vnigenitus de Pænit. & remiss.* apertè asserat, non habere se facultatem concedendi Indulgentias, nisi ex rationabili causa : *Quem quidem Thesaurum* (ait ipse, loquens de Thesauro Ecclesiæ) *non in Sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cæli Clauigerum, eiusque Successores, suos in terra Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, proptijs* (no- 446

*ta ) & rationabilibus causis , nunc pro totali , nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ , tam generaliter , quàm specialiter , prout cùm Deo expedire cognouerint* . In eo vnanimiter conueniunt Theologi apud *Suarez l. c.* Id insuper clarè probatur ratione , quæ apud Theologos communis est . Quia nimirum ipsemet Deus solus Dominus est Thesauri Ecclesiæ , qui per Indulgentias dispensatur ; Papa autem non est Dominus sed simplex tantùm dispensator eiusdem Thesauri, teste *S. Paulo 1. Corinth. 4. sic nos existimet homo , vt Ministros Christi , & dispensatores Mysteriorum Dei*, & *S. Petro 1. Petri 4. sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei* . Igitur non valet Pontifex ad sui libitum , & absque causa dispensare Thesaurum Ecclesiæ , ac concedere Indulgentias , cùm Dominus eiusdem absolutus non sit ; *& si concedat , nihil agit* ( aiunt Doctores ). *& nulla est Indulgentiarum collatio , & thesauri dispensatio ; quoniam dispensatio Thesauri exigit iustam causam; iuxta illud Apostoli 1. Cor. 10. habentes potestatem in ædificationem ; non in destructionem ; nec potest Summus Pontifex remittere , ac dispensare Iura Domini sui citra voluntatem eius rationabiliter præsumptam; & si contra voluntatem Domini sui saltem præsumptam dispensat , nihil agit* .

447 Confirmant hoc alia quoque ratione: *Quoniam maior* , inquiunt ; *causa requiritur ad dispensandum Ecclesiæ Thesaurum , quàm ad dispensandum super votis , sed citra iustam causam Papa dispensare non potest super Votis ; ergo nec Thesaurum Ecclesiæ absque iusta causa dispensare potest , atque ideò Indulgentiam concedere : Maior patet , quoniam Thesaurus Ecclesiæ, sunt Merita Christi, & Sanctorum , qui thesaurus est commune bonum absoluens fideles à iustitiæ vinculo , quo Dei iudicio constringuntur ad exsoluendas culparum pœnas : Vota verò ortum habent à voluntate voluentis* . Minor probatur ex dictis superiùs *Dub. 22. capitis 4. n. 227.* & expressa Authorum doctrina , in specie *Sayri lib. 3. Thesauri tom. 2. c. 2. num. 26. Duardi in Bullam Cœnæ Domini lib. 2. Canon. 7. q. 37. sub n. 4.* & aliorum, qui vnanimes ostendunt, quòd Papa dispensans in Voto citra iustā causā, non solū peccet , sed etiam dispensatus non est tutus in conscientia , quia per Votum fit promissio Deo , super quem non est Papa. Ita etiam in casu nostro ad concedendā Indulgentiam adeò pia , & rationabilis causa exigitur , iuxta mentem *Duardi tom. 1. cit. disp. 10. sect. 8. concl. 2. n. 7.* vt ea citra iustam , ac rationabilem causam concessa , pęnitens non liberetur ad obligatione implendi pœnitentiam sibi iniunctam à Confessario in Sacramento pęnitentiæ , sicut liberaretur, si talis Indulgentia esset ex legitima causa concessa ; siquidem per ejusmodi Indulgentiam sine causa concessam , non tollitur materia præcepti Confessoris , quæ est debitum satisfaciendi , atque ideò non tollitur præceptum, vt habetur per *Suarez de Pœnit. disp. 54. sect. 2. num. 16.* cum quo *Suarezio* , addit deinde idem *Duardus Concl. 2. citat. num. 8.* quod quoad pęnitentias iniunctas , licèt reipsa pęnitens ab eis non excusetur, per Indulgentiam citra piam , ac rationabilem causam concessam ; nihilominùs stante bona fide ipsius pęnitentis, existimantis Indulgentiam esse validam , excusatur ab obligatione adimplendi illas , durante dicta bona fide, ac ignorantia : nam ob id , atque adeo per Indulgentias superfluas , & inualidas , *Innocentius III. in Cap. Cùm ex eo . De Pœnit. & remiss.* dicit, quòd Sacramentales pœnitentiæ eneruantur , & Claues Ecclesiæ contemnuntur . Dicitur durante bona fide, ac ignorantia ; quia superueniente scientia , prædicta obligatione non liberatur ; nam reipsa non est liberatus per eiusmodi Indulgentiam , cùm nullam vim habeat . In conscientia enim pęnitentis ( inquit *Suarez n. 16. cit. in fine* ) fieri potest , vt obligatio cesset , seu potius ipse excusetur : quia illi non constat de nullitate Indulgentiæ , sed potius bona fide præsumit , Indulgentiam esse validam, & hoc modo maximè fit, vt per superfluas , & inualidas Indulgentias Sacramentales pœnitentiæ eneruentur .

Verum quidem est, quod cum eodem 448
*Suarez l. c. n. 17.* docent *Durandus conclus. 2. cit. num. 9. Soto in 4. dist. 21. q. 1. n. 2. concl. 4. & Layman l. 5. summ. tract. 7. cap. 5. in fine* : quòd nimirum Indulgentiæ, sine causa concessæ , tametsi inualidæ sint , valent tamen quoad alias concessiones , quæ cum eis impendi solent , vt cùm v. gr. datur facultas ad eligendum Confessarium,

rium, qui à reseruatis valeat absoluere, dispensare in votis, &c. Siquidem hæc omnia separantur & separabilia sunt ab effectu Indulgentiæ, eò quòd pendeant præcipuè à voluntate concedentis; atque adeò vtile per inutile non vitiatur, cùm vtile separari possit ab inutili, vt in Regula *Vtile*, *& ibi Dyn.* & alij *de Regulis Iuris in 6.* quibus adde *Passerinum de Indulg. qu. 71. nu. 575.* vbi ait: *Si Pontifex simul cum Indulgentia (nulla ex parte causa) concessit facultatem eligendi Confessarium, qui absolueret à reseruatis, & qui posset commutare Vota, vel alia similia concessit, hæc valida sunt, & validè facta, si aliàs seruanda seruata sint; & sic, qui in virtute talis concessionis absolutus fuit à reseruatis, validè fuit absolutus, & sibi validè commutata fuerunt vota, si seruatis aliàs seruandis, illa commutata fuerunt;* ita *Passerinus loc. c.* qui prætereà *q. 83. n. 590,* ait: quòd *deficiente causa proportionata concessionis Indulgentiæ, talis concessio est quidem inualida, non tamen secundùm totum, sed secundùm partem, qua superexcedit iustum causam: & valida pro ea parte, qua est ex causa proportionata. Nam hìc locum habere potest Regula Vtile de Regul. Iuris in 6. vt scilicet per inutilem excessum quantitatis Indulgentiæ concessæ, non vitietur concessio in quantum est rationabilis. D. Thom. dist. 20. q. 1. a. 3. q. 2. & Quodl. 2. art. 16. Palaus tract. 24. p. 7. num. 7. Cardin. de Lugo disp. 27. n. 145. quia respectu quantitatis proportionata nec deficit causa pia, & proportionata, nec in concedente potestas, aut voluntas, quia concedens, ex parte sua concedit totum id, quod validè concedere potest:* hæc *Passerinus num. cit.*

449 Aduertit tamen idem Author *n. 704.* immediatè sequenti, quòd in Indulgentijs *causa iusta & proportionata semper debet præsumi; quia non debet præsumi, quòd Papa iniustè agat, & inualidè:* quod ante ipsum iam docuerat *Suarez de Pœnit. disp. 56. sect. 3. n. 7.* his verbis: *Nulla Indulgentia quantumcunque magna, & excedens appareat, omnino contemnenda est; quia licèt fortasse non integrè valeat quoad totum effectum, semper valet quoad aliquem; nam ad hoc sufficit quæcunque pia causa. Deinde difficile est priuato homini, quamuis doctus sibi videatur, iudicare, hanc concessionem Indulgentiæ excedere proportionem causæ in hoc particulari facto: quia non potest ipse comprehendere totam causam, quæ mouit Pontificem: quia nec opus iniunctum, nec causa expressa, est sufficiens: quia Pontifex aperit eam causam, quæ gratior, & fauorabilior esse potest ei, in cuius fauorem, vel gratiam Indulgentia conceditur; in animo autem suo retinet alias, quæ maioris momenti sunt. Accedit, quòd vt Indulgentia sit integrè valida, satis est, quòd secundùm practicum Iudicium probabile, & humano modo prudent, sit causa proportionata, etiamsi fortè in re non sit talis: quamuis ergo priuata persona speculatiuè verè iudicet, hanc causam non esse proportionatam huic tantæ Indulgentiæ, nihilominùs fieri potuit, vt Pontifex practicè prudenter iudicauerit, talem Indulgentiam esse concedendam: quod satis erit, vt tota sit valida: nunquam ergo propter priuatum iudicium speculatiuum potest Indulgentia iudicari inefficax ad totum effectum consequendum, Et ratio generalis est, quia Superioris factum semper præsumendum est legitimum, & validum: quod maximè verum habet in Summo Pontifice, non solùm propter Sanctitatem, & prudentiam, quæ in eo esse creditur, sed etiam propter specialius Dei auxilium ad Ecclesiam gubernandam, etiam in practicis & particularibus. Propter quod dixit Gratianus, de iudicio Summi Pontificis nemini licere disputare in §. Qui autem 17. quæ. 4. vbi Gloss. aliqua iura congerit &c.* Quibus omnibus ritè ponderatis, poterit haud dubiè deuotus Lector omnem hæsitationis, aut admirationis vmbram deponere, quomodo nimirum tam exiguo opere ac labore, recitatione videlicet sex tantùm Pater & Aue, & sex Gloria Patri: & nonnunquam vnius solùm Pater & Aue; imò quandoque absque vllo penitùs imposito opere possit quis lucrari tantas, ac tam innumerabiles Indulgentias; stat ergo, authoritatibus ac rationibus Doctorum abundè firmatum, eas taliter obtineri; quod totum incidenter per digressum aliquem dictum sit ad consolationem eorum, qui per Litteras Gratiosas alicui Religioni aggregati sunt. At regrediamur modò ad terminum, à quo nuper digressi sumus.

Concesserunt igitur *Leo X.* & *Paulus* 450
*III.* Fratribus Minoribus, vt possint lucrari Indulgentias Stationum Vrbis Romæ, Portiunculæ, Hierosolymorum, & S. Iacobi de Galitia, tam in Ecclesia, quàm in Monasterio, aut domo, vel in quolibet alio loco, quoties recitauerint quinquies Pater, & Aue cum Gloria Pa-

tri,

*nocentius VIII. in superius allegata Bulla dicens, ad tollendum discursus Fratrum &c.* Huc-usque *P. Bonagratia*, qui etiam paulò antè sub *num.221.* in eundem sensum dixerat, quòd *ad huiusmodi plenam Indulgentiarum concessionem, motus videtur Pontifex, tum ne Religiosi deterioris essent conditionis, quàm saculares, tum ne iisdem Religiosis, prætextu Indulgentiarum Vrbis, extra suos conuentus vagandi daretur occasio: cuiusmodi seu vagationem, seu peregrinationem meritò reprehendit D. Thomas, qui propterea in supplem. 3. par. q.27. ad 2. aduertit, Religiosos existentes in suis Monasterijs promereri amplius, quàm discurrendo, aut peregrinando ad lucrandas Indulgentias.*

452 Refragatur huic opinioni *Passerinus de Indulg. quæst. 108. n. n. 865. 866. 867.868.* eò quòd concessiones, quibus Pontifex aliquibus concedit Indulgentias aliarum Ecclesiarum, iniuncta conditione noui operis (vt in casu nostro) sunt, iuxta ipsum, concessiones Indulgentiarum *ad instar*, siue communicationes Indulgentiarum; itaque cadunt sub reuocatione facta à *Paulo V.* in dicta sua Constitutione; cùm ex ea clarè appareat, mentem suæ Sanctitatis fuisse, reuocare etiam præfatas Indulgentias ad instar, seu Indulgentiarum communicationes, quod præallatæ doctrinæ aduersatur: Id autem *in* §. 3. Constitutionis illius disertis verbis exprimitur, hisce formalibus: *Vt Indulgentias ipsis Religionibus, & Ordinibus ad instar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus concessas annullaremus, & reuocaremus, &c.* Adeoque pro regula habendum, subinfert *Passerinus* Sanctissimum *D. N. Paulum V.* reuocasse Regularibus omnes Indulgentias, prius illis concessas, cuiuscunque ea sint generis, si eiusdem aut similis generis Indulgentias sua Sanctitas in eadem Constitutione ipsis concessit: omnes enim Litteras, & Oracula, quibus Indulgentiæ Regularibus concessæ fuerant, voluit reducere, ac reduxit ad terminos suæ Constitutionis; quocircà in ea §.19. ita loquitur: *Et ad præsentium nostrarum litterarum præscriptum reducimus:* Cùm igitur *Paulus V.* §.11. concedit Regularibus, qui proprias Ecclesias visitauerint, Indulgentias Stationum Vrbis Romæ, commutando hoc modo visitationem harum, in visitationem illarum; consequenter *ad terminos istos* (concludit *Passerinus*) *omnes huiusmodi Indulgentias ad instar, seu per communicationem concessas, voluit esse reductas.* Ponderentur insuper (instat *Passerinus*) verba §.4. in quo declarat Pontifex, suam mentem esse, vt Regularibus non prosit vlla Indulgentia, nisi quæ à Sua Sanctitate in eadem Bulla ipsis conceditur: igitur (concludit ipse denique contra *Portellum, & Lantuscam*) *omnes huiusmodi Indulgentias ad instar, vel per communicationem concessas antiquitus, Paulus V. reuocauit, & dictam quoque communicationem reuocatam esse, dicendum est.* At verò facili modo tota hæc resoluitur oppositio, si pro responsione afferantur præcisa verba citati *de Lantusca*: dicendo, quòd *S. D. N. Paulus V.* non reuocarit dictas Indulgentias, quandoquidem defacto eas consequi possunt tam Regulares, quàm sæculares: *Leo X.* verò solùm dispensauerit cum Regularibus quoad visitationem locorum, in quibus istæ Indulgentiæ obtinentur, eam commutando in recitationem sex Pater; & Aue &c. quę dispensatio cùm non sit concessio Indulgentiæ, non est reuocata; adeoque ruit tota oppositio, per hanc solam doctrinam.

Sed quidquid sit de hac doctrina, nos ea non egemus, ad comprobandam hanc magnam Indulgentiam; cùm ipsemet *Paulus V.* post generalem Indulgentiarum reuocationem eam concesserit: & *Vrbanus VIII.* eam confirmarit, ac de nouo concesserit, qui illam quoad locum restrinxit, vt videlicet prædicta sex Pater, & Aue cum totidem Gloria Patri, &c. dicerentur coram Principali Ecclesiæ Altari: quocircà Indulgentia hæc vulgò vocatur Statio Sanctissimi Sacramenti. Referunt hanc concessionem, *Pauli V. & Vrbani VIII. Rodericus in Compend. num. 47. vers. cit. Quintannad. num. 7. cit. in fine Antonius à Spiritu Sancto num. cit. 22.* & alij. 453

Quamuis autem Passerinus contestetur, se Litteras authenticas huius nouæ concessionis inuenire non potuisse, nec eas exhiberi à citatis Doctoribus, neque etiam à *Roderico*; standum tamen in hoc esse eorum fidei: (*huius tamen, ait, noua concessionis, nullum potui vsque modo videre authen-* 454

*authenticum testimonium*. *Nec præfatus Hier. Rodriq. refert Litteras Pauli V. aut Vrbani VIII. cùm tempore data illarum: aut exprimit, an noua concessio fuerit per oraculum viuæ vocis, vel per Breue. Vnde quantum ad hoc maneat fidès apud D.D. præfatos*. Ita ille *quæst. cit.* 108. *num.* 88. Nihilominùs de eorum fide nemini dubium esse debet, maximè de assertione *Roderici*, vtpote Authoris Classici, & de quo securè supponi potest, quòd rem tanti momenti non temerè, ac gratis retulerit, & affirmarit. Præter quam quòd *cit. num.* 47. *versu*, *tandem idem* reddat rationem, & fundamentum alleget sui asserti, his verbis; *Ita concessum, & indultum fuisse à Domino Paulo V. accepi à duobus Viris, grauissimis Patribus meæ Prouinciæ S. Iacobi; idemque confirmauit, ac de nouo concessit Sanctissimus D. N. Vrbanus VIII. dummodo statio fiat ante Altare principale Ecclesiæ vt etiam accepi à quodam Religiosogaui à curia Romana veniente*, &c.

455 Tertiò, Ingens quoque illa Indulgentia, quam *S. D. Vrbanus VIII.* concessit Eremitis Camaldulensis Congregationis S. Romualdi (quæ per viam participationis alijs quoque Regularibus communis est) vi cuius quilibet eorum, qui confessus, ac communicatus recitauerit *psalmum Exaudiat te Dominus*, &c. cum Orationibus pro Summo Pontifice, & Sancta Marre Ecclesia, aut si hæc ignoret, eorum loco ter Pater Noster, & toties Aue Maria orauerit, pro pace & vnione inter Principes Christianos, & pro exaltatione Sanctæ Fidei, consequitur omnes illas Indulgentias, & peccatorum remissiones, quas consequeretur, aut consequi posset, si in Quadragesima, aut alijs anni temporibus, ac diebus personaliter visitaret omnes Ecclesias, & Pia loca, non solùm intra & extra Vrbem Romam, sed etiam per Vniuersum Orbem Christianum existentia, nullo penitus excepto. Indulgentia hæc adeò certa est, vt de ea dubitandi locus non superfit, cùm Bulla ipsa huius concessionis exstet, *data Romæ* 23. *Decembris*, *anno* 1623. quam ipse Author vidit, & ab alijs etiam recensetur; estque sequentis tenoris;

*Vniuersis & singulis Eremitis Congregationis S. Romualdi Ordinis Camaldulensis, præsentes Litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam Benedictionem*.

*Saluator noster Iesus Christus, Dei Filius, cuius licèt immeritò, vices gerimus in terris, ad hoc nobis ligandi, & soluendi potestatem tradere voluit, vt super eius gregem excubantes, illius saluti paternè incumbamus. Hinc est, quòd nos animaduertentes Eremitas Congregationis S. Romualdi Ordinis Camaldulensis, propria voluntate ductos, in desertis locis vitam gerere, ac solitudini se deuinxisse ac plerosque ex eis senes, valetudinarios, & sponte Cellis inclusos existere, & minimè expedire eisdem causa consequendi Indulgentias, & alias gratias spirituales, vagari & ad loca hominum conuersatione frequentia se contra eorum institutum (qui in solitudine se receperunt) conferre. Eorum tamen animarum saluti prospicere paternè volentes, de Omnip. Dei Misericordia, ac B. B. Petri, & Pauli Apostolorum Authoritate confisi, Omnibus, & singulis dicta Congregationis Fratribus Eremitis, qui confessi, ac Sacra Communione refecti fuerint, Psalmum, cuius initium est, Exaudiat te Dominus &c. cum Orationibus prò Romano Pontifice, & S. M. E. recituuerint. Et qui illa recitare ignorauerint, eiusdem Psalmi, & Orationum loco, ter Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, ac simul pro Vnione & pace inter Principes Christianos, ac Fidei Catholica exaltatione orauerint. Eas omnes Indulgentias, ac peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, & consequi possent; si Quadragesima & alijs anni temporibus, & diebus, Ecclesias, & pia loca quacunque, tam in Alma Vrbe nostra, quàm extra eam, & alibi, vbique locorum, Terrarum, & Gentium in Orbe Christiano existentia, in quibus Stationes essent indicta, ac Christi Fidelibus illa visitantibus, Indulgentia, & alia gratia Spirituales sunt proposita, personaliter visitarent, ac ad illa se conferrent, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die* 23. *Decembris* 1623. *Pontificatus nostri Anno primo*. De hac Indulgentia mentio quoque fit in Constitutionibus Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, reuisis & approbatis à Summo Pontifice Clemente IX. impressis Romæ 456

mæ apud Philippum Rossi Anno 1670. quæ *par. 1. cap. 20. num. 33. pag. mihi* 88. ita habet: *Solliciti sint Eremitæ nostri in acquirenda Indulgentia, quæ vulgò dicitur, Exaudiat, concessa Congregationi nostræ à Papa Vrbano VIII.* Et aduertat hic Lector; pro recitatione dicti Psalmi *Exaudiat &c.* cum adiunctis binis orationibus non existere obligationem ad determinatum locum, v. g. vt oretur in propria Ecclesia; cum Vrbanus Pontifex in sua Bulla nullam faciat mentionem aut restrictionem ad certum locum; vnde ad arbitrium, quouis loco, iuxta cuiuslibet commoditatem, ac deuotionem recitari poterit, vt tantarum Indulgentiarum percipiatur effectus.

457 Similem eisdem Camaldulensibus Indulgentiam concesserat *Clemens VII.* cum obligatione tamen visitandi propriam Ecclesiam (quam tamen obligationem non habet *Indulgentia Vrbana* idque, constat *ex Bulla ipsa*, in qua mentio nulla de loco orandi) vt videre est apud *Hieron. Rodericum in Compend. ref. 77. numer. 3.* qua recensita concludit: *Hac magna Indulgentia gaudent mendicantes communicantes.* Istæ proinde sunt Indulgentiæ magis certæ, quas Regulares, vt Regulares consequi possunt, præter eas, quæ ipsis reuocatæ non fuerunt, vti sunt, quæ eis pro Articulo Mortis concessæ sunt: item, quæ pro fidelibus defunctis lucrari possunt: porrò omnes Indulgentiæ locales, quibuscunque Ecclesijs, etiam Regularium, concessæ generaliter pro omnibus Christi fidelibus, qui eas visitauerint, & præscripta à Pontifice adimpleuerint. Denique omnes Indulgentiæ reales, id est concessæ Imaginibus, Numismatibus, & alijs sacris, ac benedictis rebus, cùm hæ, vt constat, & aduertit *Peyrinus tom. 2. priuil. Constit. 8. Pauli V. §. 19. numer. 11. in fine*, non sint personales: *Idem*, inquit, *existimo dicendum de Imaginibus, Medalijs, &c. Quia Indulgentiæ illis concessæ reales sunt, non personales:* & communes sunt omnibus Fidelibus, consequenter etiam Religiosis. Cæterùm Indulgentiæ Bullæ *Pauli V.* concessæ sunt directè cuiuis Regularium, vtriusque sexus, ac si ipsi immediatè à Pontifice datæ fuissent: aliæ verò Indulgentiæ, quamuis immediatè vni soli Ordini concessæ fuerint, tamen per viam communicationis ab omnibus alijs, si præscripta adimpleuerint, obtineri possunt, æque ac si ipsis directè fuissent collatæ. An verò, tum Indulgentia plenaria recitantibus Coronam B. Virginis (vt supra *num. 439.*) concessa: tum altera item plenaria, concessa, ac superiùs allata *num. 440.* recitantibus *sex Pater Noster, Sex Aue Maria, & sex Gloria, &c.* semel tantùm in die consequi queant: vel toties, quoties in die fiet recitatio? Dico, in hoc standum esse moderno Sacræ Congreg. super Indulgentijs præpositæ Decreto *sub die 7. Martij 1678.* in quo §. *vltimo*, decernit: *Semel tantùm in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.*

Quoniam autem communicatio hæc Indulgentiarum inter Regulares, res est valde implicata, ac varijs difficultatibus obnoxia, quę etiam principaliter mouit *Paulum V.* vt vniuersaliter omnes reuocaret; quapropter operę pretium me facturum censui, si rem hanc paulò enucleatiùs dilucidarem; & manifestiùs patefacerem, quęnam sint illę Indulgentię, quas Religiosi per viam communicationis consequi possunt; & quisnam sit illarum acquirendarum modus, quandoquidem & istę per Litteras Gratiosas à Pręlatis Regularibus Ordinis Benefactoribus communicantur: Sit igitur

## DVBIVM QVINTVM.

### *An Regulares per viam Communicationis Indulgentias lucrari possint?*

Respondeo affirmatiuè, & dico, quòd Regulares consequi valeant Indulgentias, non solùm directè, & immediatè proprio Ordini à Pontificibus concessas, sed insuper etiam per viam communicationis omnes alias quibuscunque Religionibus Congregationibus, Confraternitatibus, ac pijs locis collatas, & quæ imposterum ipsis conferentur. Probatur hoc euidenter: Nam amplissima Priuilegia, hanc inter Regulares communicationem (etiam quoad 458

Indul-

Indulgentias) concernentia, à Summis Pontificibus, vniuersis Religiosis concessa sunt; vt exinde ab omnibus Doctoribus Indulgentiarum communicatio, tanquam res certa, & indubitata admittatur. *Hieron. Rodericus in Compend. resol. 116. à num.38.* Multas recenset Bullas à Summis Pontificibus Regularibus concessas, ex quibus amplissima reciproca communicatio inter ipsos quoad omnia Priuilegia euincitur: quæ etiam vnacum alijs recentioribus Bullis passim inueniuntur in Bullarijs, in Compendijs Priuilegiorum eorumdem Regularium, & sparsim in Authoribus, ijs præsertim, qui materias Regularium tractant, inter quos cùm etiam *Pellizzarius* numeretur, concludamus cum eo *in Manual. Regul. tract.8. cap.1. sect.3. num.41.* quòd *tum Ordines Mendicantes omnes participant de Priuilegijs aliorum ordinum non Mendicantium, Hospitalium, Congregationum, Confraternitatum &c. tum Ordines non Mendicantes, idque ob varias concessiones ipsis factas, vt videre est apud Rodriquez tom.1. quæst.55. per totam, & præsertim ex Bulla Pij V. quæ est in Bullario tom.2. & est in Ordine* 41. Quæ vniuersalis participatio, & communicatio, iure merito *Omnibus tandem, & singulis Ordinibus æqua lance concessa est* (inquit *P. Bonagratia Cappuc. in sua summula qq. Regul. Verb. Priuilegium num.402. in princip.*) *vt quos labor (ita loquitur Sixtus IV. in Mari Magno Augustinens.) & paria merita coniungunt, paria quoque coniungerent Priuilegia, & fauores &c.* Ex quibus deducens cum *P. Cespedes de Exemptione Regul. cap.6. dub.111. num. 2.* & *Pellizzario num.41. cit. in fine*: quòd *Regulares fruuntur priuilegijs etiam concessis Congregationi S. Philippi Nerij, quia gaudent Priuilegijs Congregationum; Congregatio autem S. Philippi, vtique est Congregatio, vt patet.*

459 Quoniam verò sub nomine gratiarum spiritualium, Indultorum, ac Priuilegiorum non veniunt Indulgentiæ, vt superiori dubio dictum est, cùm hæ vtpote speciali nota dignæ, expressè & specificè nominandæ sint; non suspicetur Lector, eiusmodi specificam nominationem cum Pontificijs concessionibus desiderari, quibus communicatio hæc Indulgentiarum, in fauorem Regularium stabiliri possit; hoc enim adeò certum & euidens est, vt *Quintan. in Append. tr. 4. dub.8. numer. 1.* id extra omne dubium constituat, hisce verbis: *Dari hanc Indulgentiarum communicationem, sicut datur in Priuilegijs inter omnes Religiones, priuilegiorum communicationem habentes non est dubium, constatque ex pluribus Bullis, & Indultis Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. Iulij II. Leonis X. Clem. VII. Eugenij IV. Gregorij IX. Pij II. & V. quæ videri possunt in Compendio Mendicantium verbo Communicatio; apud Emmanuelem Rodriq. tom.1. q.55. Roderic. l. c. Mirandam tom.2. quæst.46. &c.* Cæterùm licèt Lectori Sæculari ad aliquam Religionem per Litteras Gratiosas, & consequenter ad participationem Indulgentiarum eiusdem aggregato hæc sufficere possint: nihilominus pro maiori eius consolatione subijciam hìc aliquas Bullas, in quibus hæc Indulgentiarum communicatio in specie exprimitur.

*Leo X. anno* 1519. concessit Mendican- 460
tibus omnibus amplissimam communicationem, hac verborum serie: *Nos ad singulos Ordines prædictos (s. Mendicantium) singulasque ipsarum Ordinum Domos, vbi religiosè viuitur, indifferenter absque acceptione personarum, deuotionis affectum æqua lance gerentes, omnes, & singulas gratias, concessiones, Indulgentias, peccatorum remissiones, &c. qualiacunque illa essent, in Domibus, ac illorum Ecclesijs, Oratorijs, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria visitantibus &c. à Prædecessoribus coniunctim, vel diuisim, in genere, vel in specie, concessa fuerint, aut imposterum concedentur; illa, & omnia singula, &c. pariformiter communia esse volumus.* Diffusiùs hanc Bullam recenset *Quintannad. l. c. num.2.* qui deinde *num.3. in princip.* ait: *& similes sunt omnes communicationes ab alijs Pontificibus concessæ.*

Nobis quoque Clericis Regularibus 461
Theatinis concessit *Clemens VII. die 7. Martij 1533. Pontificatus sui anno* 10. omnia Priuilegia, & omnes Indulgentias hactenus à S. Sede concessas, aut ab ea imposterum quocunque modo concedendas vniuersis Mendicantium Religionibus; vt videre est in eius *Bulla: Dudum §.12. in Bullario Romano to. 1. Bulla 38. sub Clem. VII.* Maiori adhuc amplitudine hanc iisdem communicationem concessit *Greg. XIV. die 5. Aprilis Anno* 1591. in Bulla, quæ incipit: *Ad immarcescibilem,*

*in Bul-*

*in Bullario Romano tom. 2. Bulla* 31. ea §. 14. sequentis est tenoris : *Et præter priuilegia, & alia Congregationi, & Clericis Regularibus concessa, omnibus & singulis alijs Priuilegijs, exemptionibus, facultatibus, indultis, Indulgentijs, & peccatorum remissionibus, & relaxationibus, cæterisque gratijs, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, quibusuis Religionibus, Congregationibus, & Ordinibus, quocunque nomine nuncupentur, etiam Mendicantium, ac tam Virorum, quam Mulierum eorumque Monasterijs, domibus, & alijs Pijs locis, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac nos, dictamque Sedem hactenus quamodolibet concessis, & imposterum concedendis, ac quibus, illorum vtriusque sexus personæ, de Iure, vel consuetudine, aut ex priuilegio, vel aliàs quomodolibet vtuntur potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum in his, quæ eorum Regularibus institutis non aduersantur duntaxat; non solùm ad eorum instar, sed æquè principaliter, ac pariformiter in omnibus, & per omnia, perinde ac si eidem Congregationi, & Clericis specialiter, & expressè concessa forent, vti, potiri, & gaudere liberè & licitè valeant, perpetuò concedimus, & indulgemus, illaque eis communicamus, & ad eos extendimus &c.* Hanc porrò amplissimam concessionem, ac præcedentem *Clem. VIII.* nec non & aliam Sanctissimi Pontificis *Pauli IV.* refert *Peregrinus in Comp. Priuileg. Theatinorum, in Introductione* §. 3. 4. & 5. Cùm autem ipse §. 7. aliud etiam priuilegium proferat eiusdem *Gregorij XIV.* quo sua Sanctitas *sub die 28. Iunij 1591. Congregationi Regulari de Obseruantia S. Bernardini in Regnis Hispaniæ*, concedit, quòd *gaudeat ipsa, omnibus, & singulis priuilegijs, concessis quibuslibet Religionibus, etiam Militaribus, nec non Collegijs, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & locis pijs*: sequitur, quòd cùm nos, sicut & cæteræ Religiones, communicemus, huic & alijs Religionibus, ita reciprocè etiam nos eorum Priuilegijs, & Indulgentijs gaudeamus.

462 Aliud amplissimum Priuilegium, præcedenti per omnia simile concessit Sanctissimus Pontifex *Vrbanus VIII.* Patribus discalceatis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captiuorum Christianorum, *in Bulla*, quæ incipit: *Redemptoris Nostri Iesu: An. 1634. 5. Kal. Aprilis.* Eam ex integro recitat *Fr. Ioannes de Conceptione*, eiusdem Ordinis, in suo libro Instructionum impresso *Romæ in Typographia Cameræ Ap. Anno 1664. Instruct. 6. Tit. de Indulgentijs Ordinis SS. Trinitatis §. 4. numer. 14. pag. mihi 106.* concedit in ea Sanctissimus Pontifex præfatæ Congregationi, quòd possit frui, & gaudere omnibus Gratijs, Priuilegijs, Indulgentijs, &c. concessis, & imposterum concedendis vniuersis Religionibus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militijs etiam, & Hospitalibus &c. idque, etiamsi huiusmodi Gratiæ, priuilegia &c. sint *speciali nota digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt*: insuper quòd talis concessio, *non est solùm per participationem, communicationem, extensionem, & ad instar; sed speciatim, nominatim, pariformiter, & æque principaliter in omnibus, & absque vlla prorsus differentia, ac si dicta fuissent concessa specialiter, expressè, nominatim, etiam per viam, & modum simplicis, & indiuiduæ, ac particularis, & specialis concessionis, etiam motu proprio; & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, &c.* Ex quibus. iure merito concludit præfatus Author *loc. citat.* §. 5. *num. 22. pag. 114. Itaque mea Congregatio habet omnia priuilegia, Indulta, fauores, gratias, Indulgentias omnium Ordinum, dum tamen sint in vsu, & non reuocata, nec sub aliqua reuocatione comprehensa*: Ex quibus omnibus legitimè inferas, veram esse nostram responsionem: quòd nimirum Religiosi consequi possint Indulgencias per viam communicationis. Videatur *Peyrinus de priuileg. tom. 3. cap. 4. num. 6*

Infertur prætereà, non esse necessarium, vt nos Regulares adscribamur, 463
aut admittamur ad Confraternitates; nec vt recipiamus verbi gr. Cingulum S. Augustini, aut S. Francisci, vel Scapulare Carmelitarum, &c. ad hoc vt earum Indulgentijs perfruamur; cùm sine eo illis gaudeamus, vtpotè à Summis Pontificibus per expressum Priuilegium nobis communicatis: in specie per præfatam Bullam *Gregorij XIV.* Hocipsum innuit etiam *Peyrinus l.c. num. 5.*

*num. 5. in fine*; Adde, quòd cùm Indulgentiæ sæcularibus, intuitu alicuius Religionis concessæ, communicentur ipsi Religioni; imò (vt ait *Quintan. in Append. tract. 4. dub. 10. num. 6.*) *absolutè Religioni, & Regularibus dicantur concessæ, ac inter concessas his enumerentur à Pontificibus*: sequitur communicari quoque Religionibus Indulgentias Confraternitatum ab ipsis institutarum; maximè cùm à S. Sede ipsis in specie concedantur intuitu illarum Religionum. Præstanda tamen sunt à Regularibus pro adeptione huiusmodi Indulgentiarum, per viam communicationis, tam Confraternitatum, quàm aliarum Religionum, à Pontificibus iniuncta, & in Bullis expressa, verbi gr. communio, visitatio Ecclesiæ præfixo tempore, à primis Vesperis vsque ad Solis occasum sequentis diei, certus numerus precum, &c. Vi enim priuilegij communicationis, sola fit permutatio Ecclesiæ pro sæcularibus determinatæ, in Ecclesiam Regularium: cæterùm opera præstanda manent eadem. *Quintanadnennas loc. citat. dub. vlt. numer. 1.* Notent hoc Regulares, qui lucrari volunt Indulgentias Confraternitatum exempli gratia *Sanctissimi Rosarij*: *funiculi S. Francisci de Assisio, & de Paula, Cinguli S. Augustini, &c.* Licèt enim pro earum consecutione necesse non habeant, portare huiusmodi Cingulum, aut funiculum, neque talibus inscribi Confraternitatibus: opera tamen iniuncta exequi debent. Ratio clara est, quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, iuxta intentionem concedentis expressam in Bulla; à cuius forma non eximuntur Regulares, seu priuilegiati; vti etiam docet *Pellizzarius in Manual. Regul. tom. 2. tract. 8. capit. 5. sect. 5. subsect. 1. numer. 204.* vbi nostrum discutiens casum: *Vi talis Priuilegij communicationis (ait) censetur solùm virtualiter transferri Indulgentia de alienis Ecclesiis, ac locis, ad Ecclesias ipsorummet Regularium; vnde fit, vt si hi velint obtinere dictas Indulgentias, necessariò debeant implere opera requisita in tenore vniuscuiusque Indulgentiæ, alioquin eas non consequentur. Quod ita verum est, vt si quis impleat solùm partem operis iniuncti, & non totum, nihil consequatur Indulgentiæ, vt ostendemus, &c.* Cùm autem hoc adeò certum, & manifestum sit, *miror* (ait *Fr. Ioannes de Conceptione supra cit. in suo Manuali de Fratribus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, &c. impresso Romæ in Typographia Cameræ Ap. 1669.*) *quomodo aliqui Authores librorum, & Summariorum affirmare ausint, lucrifieri omnes Indulgentias concessas à Paulo V. & omnes etiam Ordinis, recitando quinque Pater, & Aue, & adhuc vnum alind Pater noster, cum Gloria Patri, &c. ad intentionem Summi Pontificis. Nunquid non sunt Indulgentiæ, ad quarum consecutionem requiritur Confessio, & Communio? ad alias comitatio Sanctissimi Sacramenti; aut corporis defuncti confratris; ad alias receptio pauperum, aut aliud charitatis opus &c.? Quomodo ergo istæ per solam recitationem dictarum orationum habebuntur? Talis ignorantia reperitur in Scriptoribus*: ita ille.

464 Sed dicet hìc aliquis: cùm *Paulus V.* in sua Bulla reuocauerit omnes Indulgentias Regularibus vtriusque sexus, à suis Antecessoribus, quouis modo, etiam per viam communicationis, concessas; igitur in sufficiens erit nostra responsio: consequentia hæc certa est, quia, reuocato, seu sublato priuilegio communicationis Indulgentiarum, sicut hæ ampliùs non communicantur, ita nec per hanc communicationis viam acquiri possunt. Antecedens habetur clarè ex ipsa Bulla, quæ §. 3. ita habet: *Indulgentias ipsis Ordinibus ad instar, vel per viam communicationis annullamus, & §. 19. cæterum omnes, & singulas Indulgentias, tam vigore priuilegiorum, quàm viuæ vocis oraculo, aut alio quouis modo, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, & innouatas, perpetuò reuocamus.* Igitur, cùm, inquam, (concludit *Pellizzarius loc. citat. numer. 203.*) *in dicta Constit. Pauli V. reuocentur etiam Indulgentiæ concessæ per viam communicationis: consequens est, vt reuocentur & priuilegia, quæ Regularibus concedebant talem communicationem Indulgentiarum.*

465 Respondeo, negando vtramque consequentiam: ad probationem dico cum

cum *Quintan. in Append. tractat. 4. dub. 13. num. 3. in fine*: quòd *Paulus V.* in Bulla reuocatoria reuocauerit quidem omnes Indulgentias directè & principaliter Regularibus concessas: non autem eorum Priuilegia, & indulta circa Indulgentias, & alia, vti constat ex ipsa Bulla: *In Bulla prædicta ( ait Quintannaduennas ) solùm Indulgentias Religiosis directè & principaliter concessas, reuocat Paulus V. non verò priuilegia, nec indulta religiosis concessa, siue circa Indulgentias, siue circa alia*: idque non inconuenienter asserit hic Author; non enim valet hæc consequentia: reuocatæ sunt Indulgentiæ, etiam per viam communicationis concessæ; ergo reuocata pariter sunt omnia priuilegia communicationis. Negatur, inquam, hæc consequentia; quod autem, sicut non bene deducitur, ita optimè negetur, patet ex eo, quia absque concessione noui priuilegij communicationis, participant Religiosi omnes Indulgentiã plenariam concessam à *Paulo V.* ( facta iam reuocatione, eaque non obstante ) Fratribus Minoribus directè, quoties recitauerint Coronam Beatissimæ Virginis: vt etiam omnes Regulares participant Indulgentias omnes concessas ab *Vrbano VIII.* Camaldulensibus, recitantibus Psalmum *Exaudiat te Dominus &c.* quod sanè fieri nequiret absque noua concessione priuilegij communicationis quoad Indulgentias, si illud per generalem Indulgentiarum reuocationem sublatum supponeretur, vt prætendit *Pellizzarius loc. cit.* Vnde concludo, posse Regulares lucrari Indulgentiam per viam communicationis. Adde porrò, hanc eis facultatem competere etiam ex confirmatione Priuilegiorum facta Patribus Minimis, ab *Vrbano VIII.* ex certa scientia, per Bullam, quæ incipit; *Iniuncti Nobis*, estque prima huius Pontificis apud *Peyrinum to. 2. Priuil.* Vti etiam vi alterius Bullæ eiusdem *Vrbani VIII.* collatæ Religioni Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captiuorum Christianorum, quæ incipit; *Redemptoris Nostri*: recensetur integra *à Ioanne de Conceptione*, eiusdem Ordinis Procur. Generali in Curia Romana, in suo Opusculo Instructionum; *Instruct. 6. §. IV. à num. 14. pag. 106.* Cùm in vtraque hac Bulla tam PP. Minimis, quàm Discalceatis Sua Sanctitas concedat Priuilegium communicationis Indulgentiarum.

Opponet præterea quispiam, Regnantem Sanctissimum Pontificem *Innocentium XI.* recenter reuocasse hanc communicationem, in moderno suo Decreto supra Indulgentias, quod incipit: *Delata sæpius fuere, sub die 7. Martij 1678.* adeòque non existere ampliùs communicationem Indulgentiarum inter Religiones: & quamuis ista adhuc sustineri vellet, non tamen communicari hasce Indulgentias cum Filiatione Spirituali, quod clarè deducitur ex eiusdem Decreti sequentibus verbis: *Ac demum omnes Indulgentias ante Decretum Clementis VIII. &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem, ab Archiconfraternitate vlla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Iesu, Capitulo, vel Cœtu quocunque, vel ab eorum officialibus, Superioribus, alijsque personis, vel persona, etiamsi earum, vel eius mentio specialis, & indiuidua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innouata, aut confirmata, nullius esse roboris, & momenti, pariter declarat.* Ex quibus verbis clarè constat ( ait quispiam è Cœtu etiam Doctorum ) reuocatam modò esse, non tantùm Indulgentiarum inter Religiones Communicationem; verùm etiam facultatem, eas alijs concedendi sub titulo aggregationis, qualis fieri solet per Spiritualem Filiationem; idque expressè continet tenor prædictorum verborum; *Habitas per Aggregationem ab Archiconfraternitate vlla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Iesu, Capitulo, vel Cœtu quocunque &c.* Quibus tamen omnibus suppositis 466

Nihilominùs Respondeo, negando absolutè totum assumptum huius secundæ oppositionis; neque enim verum est, citatum Decretum de Indulgentijs derogare quidquam communicationi earumdem inter Regulares; Neque ex eo euincitur, reuocari Prælatis Regularibus facultatem eas communicandi per *Filiationem Gratiosam*; legatur attentè, ac benè ponderetur totus ille paragraphus; *Ac demum omnes Indulgentias, &c.* nec verbum in eo reperitur, quod in fauorem 467

cedat assumpti nobis oppositi. Quem idcirco totum hic oculis subijciam, vt clarius mens Pontificis, in eo contenta, perspici queat; *Ac demum omnes Indulgentias Concessas ante Decretum Clem. VIII. latum die 9. Ian. 1597. Coronis, Rosarijs, Granis, seu Calculis, Crucibus, & imaginibus sacris: vel ante Breue Pauli V. quod incipit; Romanus Pontifex, &c. editum 23. Maij Anno 1606. Personis Regularibus quarumcunque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante constitutionem 115. Clem. VIII. cuius initium; Quæcumque &c. & 68. Pauli V. Incipientem: Quæ salubriter, &c. Habitas per Aggregationem, vel aliam Communicationem ab Archiconfraternitate vlla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Iesu, Capitulo, vel Cœtu quocumque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, alijsque personis, vel persona; etiamsi earum, vel eius mentio specialis, & indiuidua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis Authoritate innouata, aut confirmata, nullius esse valoris, & momenti, pariter declarat.*

Scire modò velim, ex quibusnam verbis totius huius §. deducatur id, quod nobis obiectum est, vi scilicet illius reuocatam esse Indulgentiarum communicationem inter Regulares, aut has saltem non amplius communicari per Aggregationem, aut *Spiritualem Filiationem*? in substantia aliud non continet dictus §. vt clarè legenti patebit, quàm, quòd recensitæ in eo Indulgentiæ, concessæ ante Decreta ibi citata *Clem. VIII.* & ante Breue & Constitutionem in eo designatam *Pauli V.* nullius sint valoris, ac momenti, à quocunque demum participatæ fuerint, siue ordine, siue Societate, &c. per viam aggregationis, aut communicationis, cùm id haud dubiè communicari non possit, quod nullum amplius esse habet, quia nemo dat, quod non habet: Hoc autem non est reuocare communicationem inter Regulares earum Indulgentiarum, quę omnimodis adhuc in suo vigore ac valore subsistunt, nec vnquam reuocatæ sunt: de his enim non loquitur, nec quidquam definire intendit Decretum. istæ quippe haud dubiè communicantur, non minus ac illæ communicari poterunt, quæ imposterum à Summis Pontificibus concedentur, dummodo tales sint, quæ communicari valeant.

Neque etiam hoc est, reuocare Religionibus Priuilegium, quod habent, communicandi per *Litteras Gratiosas*, sui Ordinis Indulgentias, quas verè habent, ac possident cum actuali etiamnum vigore: cùm ex clausula præfati §. potius oppositum deducatur; in eo quippe priuilegium istud Aggregationis, & Communicationis Indulgentiarum, implicitè admittitur, & supponitur. Quid enim aliud indicant vltima illa verba; (*Nisi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innouata; & confirmata*) quàm veram adhuc & realem existentiam Priuilegij aggregationis apud Religiosos, & communicationis Indulgentiarum, quibus ipsi etiamnum perfruuntur? 468

Quòd autem ex præfatis verbis hoc deducatur, maximè si cum immediatè antecedentibus conferantur, ita demonstro; Declarat, & vult Pontifex in dicto. §. recensitas in eo Indulgentias, nimirum, quæ ante Decretum *Clementis VIII.* &c. concessæ fuerunt, atque etiam participatæ à Religionibus per viam aggregationis, & communicationis, nullius esse vigoris, & momenti, *nisi fuerint denuò Romani Pontificis authoritate innouatæ, aut confirmatæ*, tunc enim in tali casu (& hoc ex conditionali illa clausula consequitur) dictæ Indulgentiæ suum vigorem ex certa concessione Pontificis reassumerent, etiamsi participatæ fuissent à Religionibus, per viam Spiritualis Filiationis; Igitur præfatum Religionum Priuilegium aggregandi, communicandi, &c. firmiùs quàm vnquam subsistit, cùm non solùm à præfato Decreto non sit reuocatum, sed multò magis in eo inclusum, admissum, & implicitè suppositū.

469 Neque etiam, eò quòd in sæpedicto Decreto suspendantur *Summaria Indulgentiarum pro Confraternitatibus: Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum; Nominis Dei, Rosarij Beatæ Mariæ de Mercede, B. Mariæ de Monte Carmelo; Cincturæ S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione fuerint recognita:* in quorum aliquo (specialiter in illo Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione, Capti-

Captiuorum *impresso Romæ in Typogr. Cameræ 1664. sub titulo: Instructiones pro Confraternitatibus Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum, edita per P. F. Ioannem à Conceptione, in Romana Curia Procuratorem Generalem &c.* Et sub alio titulo*: Manuale Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captiuorum Christianorum*, eiusdem Authoris, *Romæ in eadem Typographia Cameræ Ap. impresso, Anno 1669.*) continetur hæc ipsa communicatio Indulgentiarum, & facultas concessa Regularibus, eas communicandi: neque hæc tamen facultas, neque illa communicatio suspenditur; solummodo suspenduntur eiusmodi Summaria, *donec à Congregatione recognoscantur*, vtrùm in ijs non contineatur aliqua ex enumeratis in Decreto de Indulgētijs, quæ nullius valoris, & momenti ibi declarantur, vt expungatur; quarum tamen nullam in toto hoc nostro libro retulimus, intentione, eam approbandi, vt constat. Cæterùm, absolutè loquendo, sæpedictum Priuilegium Communicationis Indulgentiarum, nullatenus est reuocatum, quod clarè deducitur ex *Angelo à Lantusca in supplemento Theatri Regularium, impresso Romæ, typis Cameræ Apostolicæ Anno 1679. vbi Verbo Indulgentia*, præter præfatum Decretum *sub die 7. Martij 1678.* editum supra Indulgentias apocriphas, & falsas, exhibet etiā Summaria Indulgentiarum, quæ concessæ fuerunt Confraternitatibus Cinguli S. Augustini, Montis Carmeli, Sanctissimę Trinitatis de Redemptione Captiuorum, &c. ac recenter à S. Congregatione approbatæ; ex quorum vno, si benè ponderentur, clarè infertur, ac colligitur, communicationem Indulgentiarum modò plus, quàm vnquam aliàs in vigore suo subsistere. Porrò, quòd facultas communicandi non solùm bona Ordinis opera, sed & ipsas Indulgentias, etiamnum penes Regularium Superiores extet, expresè habetur in *Libello* haud ptidem *impresso Romæ in Typographia Cameræ Anno 1680.* cui titulus: *Adoratio perpetua Sanctissimę Trinitatis, ac Redemptio Captiuorum R. P. Iosephi Duxios Congregationis Reformatę Sanctissimę Trinitatis de Redemptione Captiuorum*. In quo Author enumerat dies, quibus singulis annis præfatæ participationes tam bonorum operum Ordinis, quàm Indulgentiarum conferuntur: idque cum facultate Summi Pontificis. Adeò, vt modò circa facultatem quam habent Prælati Regulares, vt possint communicare Indulgentias Ordinis, prout per totum hunc Tractatum, & specialiter præsenti Capite asseruimus, dubium superesse non possit. Difficultas modò solùm consistit in hoc, vt definiamus, quomodo hæc communicatio fiat, & qualium Indulgentiarum: quare sit

## DVBIVM SEXTVM.

### *Quomodo Regulares consequantur Indulgentias per viam communicationis?*

Modum, quo Indulgentiæ inter ordines Regulares communicentur, declarauit Sanctissimus Pontifex *Iulius II.* in Bulla, quæ incipit: *Alias ad supplicationem*, eam refert *Rodriquez tom. 1. priu. Constit. 12. Iulij II.* vbi circa eam, inter alia, & hoc aduertit *num. 1. Noto, quòd in ista Constitutione declarat Pontifex, quomodo intelligatur communicatio Priuilegiorum (adde, & etiam Indulgentiarum) quæ est inter Mendicantes; exemplo enim Prædicatorum, & Minorum, possunt reliquæ Religiones, communicationem habentes, priuilegia ipsis concessa (& Indulgentias) sibi proportionaliter applicare, vt docet Passarell. in margine ad istud priuil. & Rodriq. q. 55. art. 20.* Declaratio autem huius Pontificis, sequentis est tenoris: Postquam sua Sanctitas in dicta Constitutione reciprocam communicationem inter illas duas Religiones, Prædicatorum videlicet, & Minorum concessit, declarauit deinde modum eiusdem, per hæc verba: *Et quod de Prælatis ad Prælatos dictum est, ita de Congregationibus vnius Ordinis ad Congregationes alterius Ordinis: & de fratribus priuatis id est sine Prælatura, ad Fratres priuatos. Et de festiuitatibus ad festiuitates. Ita vt quod ea quæ in honorem Sanctorum Domini, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catharinæ de Senis, Fratribus, vel locis Prædicatorum sunt concessa, omnia illa Fratribus Minoribus, eorumque locis, ac festiuitatibus Sanctorum Francisci, Antonij, Ludouici, Bernardini, Bonauenturæ,* 470

*Quinque Martyrum dicti Ordinis Minorum, qui apud Marrochium Coronam adepti sunt, & Sancta Clara, ac in alijs Festiuitatibus dicti Ordinis Minorum, licèt sint in maiori numero, quàm festa ipsorum Fratrum Prædicatorum, sint concessa*. Ex qua declaratione, & concessione infert *Emmanuel Rodriquez art. 20. cit.* quòd sicut in Festiuitatibus S. Francisci, S. Antonij &c. ijs, qui Ecclesiam aliquam Fratrum Minorum visitauerint, confessi quoque ac communicati fuerint concessa est Indulgentia plenaria; eadem concessa censeatur etiam ijs, qui Ecclesias Fratrum Prædicatorum in Festiuitatibus illorum Sanctorum, Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, &c. visitauerint. Et *Rodericus in Compend. resol. 116. num. 32. in fine*; insistens doctrinæ citati *Rodriquez*, eandem deducit illationem, hisce formalibus. *Vnde Indulgentia plenaria concessa à Sixto V. visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum in Festis suorum Sanctorum, eadem censetur concessa pro Ecclesiis Prædicatorum in festis suorum Sanctorum, & econtra*. Porro, hac supposita Bullæ explicatione, *Quintannaduenas in Append. tract. 4. dub. 8. numer. 5.* eandem consequentiam trahit etiam ad Sanctos, non tantùm suæ Societatis, verùm etiam omnium aliorum Ordinum, dum ait *loc. cit. Iuxta hanc ergo explicationem dictæ Bullæ, eædem Indulgentiæ concedentur Societati in festis S. Ignatij Francisci Xauerij &c. quæ concessa sunt Religionibus Minorum, & Prædicatorum in suis festis: Et idem potest dici eodem tenore in alijs Religionibus communicatione fruentibus; ita quòd Iubilæa concedantur de Patriarcha vnius Religionis ad aliarum Patriarchas; de Sanctis Confessoribus ad Confessores; de Martyribus ad Martyres; de Beatificatis ad Beatificatos*: Idem sentit *Peyrinus numer. cit.* de Sanctis, ac Festiuitatibus sui Ordinis.

471 Infertur præterea, omnes Indulgentias concessas vni Ecclesiæ Regulari, communicari etiam alijs Ecclesijs Regularibus; ita vt, quemadmodum tam Religiosi, quàm sæculares, imò omnes Christi Fideles, consequuntur Indulgentias in Ecclesia Regulari, cui primitùs, ac directè concessæ fuerunt; ita pariter iijdem lucrari valeant has ipsas in alia Ecclesias alterius Ordinis. Hoc expressum cernitur in *motu proprio*, seu Priuilegio *Leonis X.* concesso Ordini Prędicatorum apud *Cæsarubium in Compend. titulo Communic. Priuilegiorum numer. 20. & Pellizzarium in Manual. tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 2. subsect. 2. num. 220.* qui etiam notat *num. 222.* in fine: quod *Vi talis concessionis Fratres Minores possent in proprijs Ecclesiis exponere Indulgentias Rosarij: & econtra Fratres Dominicani in suis, Indulgentias Cinguli S. Francisci, easque promiscuè possent à sæcularibus obtineri in dictis Ecclesiis: cùm in præfata concessione dicatur (ac Ecclesias ipsas, & Oratoria visitantibus, cuiuscunque status, aut sexus existant:)* idipsum dici potest de alijs Religionibus, quę in ijsdem Priuilegijs communicant, vti reipsa factum à PP. Minimis fuisse in expositione sui Cinguli refert *Peyrinus de Priuil. tom. 3. cap. 4. num. 5.*

At verò, si hoc modo explicentur Indulta Pontificia circa communicationem Indulgentiarum, quis non videt, plurima ex tali praxi oritura absurda, confusiones, ac inconuenientias, posseque exinde haud leues inter Religiosos emergere rixas, & iurgia, cum graui sæcularium scandalo, quod magnopere cauendum ac detestandum est; Proinde *Quintan. in Append. tr. 4. dub. 8. num. 6.* prudenter censet, *quòd hæc explicatio à praxi omnino abhorret, & eam detestatur consuetudo, secundùm quam priuilegia esse interpretanda, communis est Doctorum sententia, vt docet Miranda tom. 2. quæst. 44. art. 4. siquidem ea declarat, quando lex obligat vel non obligat, vt cum S. Thoma 2. 2. quæst. 97. art. 3. & qu. 186. art. 9. docent Theologi*. Quare communicatio hæc Indulgentiarum inter Religiones, haud dubiè absque graui confusione, & incertitudine, in praxi exerceri non potest; si enim (vti etiam argumentatur *Quintannad. nu. cit.*) pro quinque Sanctis Confessoribus alicui Ordini totidem Indulgentiæ plenariæ concessæ sint, & in alio septem celebrentur Festiuitates, duo procul dubio ex his Sanctis Confessoribus absque Indulgentijs remanebunt; quinam autem ex eis carere debebunt? & cur potius iste, quàm ille? aut in nostra forsan potestate tali casu situm erit, vnum diem præ alio eligere, si id omnimodè iuris Pontificij sit? quis vmquam asserere audebit, Indulgentias Portiunculæ in nostris Ecclesijs tali, aut tali die haberi posse? vnde concludit 472

*Quin-*

*Quintannad. num. 7. cit. in fine: Hæc, & plura absurda, quæ praxi, ac communi omnium sensui omnino repugnant, ex hac communicatione sequentur; ergo concedenda non est.*

473 Opponet tamen aliquis in contrarium; si hæc ita se habent, frustrabitur Pontifex sua intentione, ac voluntate; quod grauissimum absurdum est, maximè in Priuilegijs Pontificijs *aque principaliter* concessis, vt communiter notant Doctores, & habetur *in Cap. Si Papa de Priuileg. in 6.* ibi (*cùm verba aliquid operari debeant.*) Et quia vt notat *Suarez de legib. lib. 8. cap. 28. num. 2. Restrictio priuilegij numquam debet esse tanta, vt reddat illud inutile.* Quid ergo operabitur Priuilegium *Iulij II. & Leonis X.* si hæc communicatio inter Sanctos Ordinum Regularium tolletur?

474 Respondebit *Pellizzarius num. 222. cit. in princip.* dictum priuilegium in se, & per se, non esse inutile, renuntiasse tamen illi ipsosmet Regulares, & per voluntarium non vsum illud perdidisse, cùm ex communi doctrina certum sit, Priuilegium per non vsum perdi, quando videlicet occasio datur, illud adhibendi, & habetur eiusdem notitia, nec tamen adhibeatur, idque spatio centum annorum. Adeoque cum Regulares sufficientem habuerint notitiam huius Priuilegij, nec ab eius vsu impediti fuerint, neque tamen vsi sunt per decursum integri sæculi, signum atque argumentum est euidentissimum, ei omnino renuntiasse, ea potissimùm de causa, quòd illius vsus valde sit odiosus, & aptus ad excitandam inter Regulares haud leuem perturbationem. Et si adhuc insistatur, non constare de tali renuntiatione; imò oppositum probari per factum Patrum Minorum superiùs à *Peyrino* relatum; Respondet idem *Pellizzarius l. c. num. 225.* quidquid sit, siue subsistat de facto hoc priuilegium, siue non subsistat; omnino tamen ab illius vsu abstinendum esse, multis de causis, & specialiter ob iurgia, & contentiones, quæ ex hac praxi insurgere possent, non absq; graui fidelium Scandalo.

475 Respondeo ego insuper huic argumento; Priuilegium illud communicationis inter Regulares, concessum à *Leone X.* neque inutile; neque frustraneum esse, si attentè consideretur; cùm autem interpretari legem pertineat ad eius promulgatorem seu conditorem. *Leg. fin. C. de legib.* idcirco ab eodem Pontifice vera interpretatio huius concessæ communicationis desumenda nobis est. Pro cuius intelligentia aduertendum, quòd præfatus Pontifex *Leo X.* mediante Bulla, quam *Peyrinus to. 1. priuil. Constit. 25. Leonis X.* refert, inter Ordines Mendicantes, eorum Domos ac Ecclesias, reciprocam Priuilegiorum, & Indulgentiarum communicationem concesserit, ac statuerit. Cùm autem facta hac concessione, ad aures suæ Sanctitatis peruenisset, nonnullos è Religiosis Mendicantibus, non tantùm priuatim sed etiam publicè in Concionibus docere, posse sæculares in quauis ipsorum Ecclesia lucrari omnes Indulgentias, à Summis Pontificibus Ecclesiæ S. Mariæ de Populo Romæ concessas, quæ est Patrum Ordinis S. Augustini, idque vi amplæ communicationis inter ipsos, à Sua Sanctitate concessæ. Hac de causa Sanctissimus Pontifex mentem suam circa hoc, atque intentionem declarauit, ac pariter etiam constituit, quomodo inter Regulares Indulgentiæ per viam communicationis participentur; quousque hæc communicatio sese extendat; & quomodo explicari debeat; quod sequentibus verbis præstitit.

*Et deinde sicut accepimus, nonnulli Fratres dictorum Ordinum, volentes sapere plusquam oportet sapere, atque ad ipsorum nutum verba ipsa interpretantes: diuersis, tam sæcularibus, quàm etiam alijs personis publicè, & priuatim suggesserunt, quòd ipsi sæculares visitando vnam dictorum Ordinum Domum, omnes & singulas Indulgentias, & remissiones peccatorum, tam per dictos Prædecessores nostros, quàm per Nos, B. Mariæ de Populo de Vrbe concessas, consequi poterant, perinde ac si dictam Domum S. Mariæ de Populo visitarent, quòd præter ipsorum prædecessorum, & nostram mentem fuisse, & esse dignoscitur. Attendentes igitur, quòd Indulgentia intuitu Religionis concessa, ad sæculares extendi non debet; volentes mentem prædecessorum, & nostram declarare, & omnem ambiguitatem, & occasionem tollere; Motu proprio, & ex certa scientia nostra volumus, & Authoritate Apostolica declaramus, quòd vniuersi, & singuli di-*

*li dictorum Ordinum Fratres & Moniales, Tertiariyque omnes vtriusque sexus, & familiares duntaxat, omnibus & singulis Indulgentijs & gratijs per eosdem prædecessores, & Nos, Domui B. Mariæ de Vrbe, vt præfertur concessis, & concedendis, vtantur potiantur, & gaudeant, ac vti, potiri, & gaudere possint quomodolibet in futurum, perinde ac si ipsi Dictam Domum B. Mariæ de Populo, his diebus, & Festiuitatibus, quibus Indulgentiæ huiusmodi concessæ fore dignoscentur personaliter visitarent; quodque vigore prædictarum litterarum, sæculares gratys, & Indulgentijs huiusmodi, vti gaudereque non possint. Inhibentes nihilominus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub Excommunicationis latæ sententiæ pœna, eo ipso per contrafacientes incurrenda, omnibus & singulis Fratribus cuiuscumq; Ordinis existentibus, & quibuslibet alijs personis, ne deinceps Indulgentias, & gratias huiusmodi S. Mariæ de populo de Vrbe, ad sæculares extendi prædicent, aut publicè, vel priuatè nuntient.* Vides igitur per hanc declarationem stabilitum, qualis inter Religiosos Indulgentiarum communicatio detur, & quomodo ea intelligenda sit, quòd ex sequentibus dilucidius patebit: Quapropter

476 Dico primò; Indulgentiæ concessæ Ecclesiæ vnius Religionis, se extendunt, & communicantur omnibus Ecclesijs aliarum Religionum, quæ communicant in Priuilegijs; hoc autem intelligitur de solis Personis Regularibus: exempli gratia, Indulgentiæ concessæ Romæ Ecclesiæ S. Mariæ de Populo communicantur omnibus Ecclesijs meæ Religionis: quare nos in nostris Ecclesijs, tam Romæ, quàm vbiuis locorum eas lucrari possumus: idem dicendum de omnibus alijs, Ordinis, qui in Priuilegijs communicant. Clarè hoc constat ex dicta declaratione *Leonis X.* & est conclusio *Quintannad. in Append. tract. 4. dub. 9.* Notent priuilegij huius magnitudinem ij præsertim Religiosi, quos prætextu lucrandarum Indulgentiarum, extra Monasterium vagari delectat; sufficere eis deberet, posse illas lucrari in proprijs Ecclesijs, & quidem maiori animi recollectione, ampliori merito, ac minori distractione: maximè cùm eis dicat *Angelicus Doctor in supplem. 3. part. quæst. 27. art. 2. ad 2,* quod *Religiosi, existentes in suis Monasterijs, promerentur amplius, quàm discurrendo, aut peregrinando ad lucrandas Indulgentias. Vnde* (subiungit deinde *Peyrinus tom. 2. priuil. Constit. 8. Pauli V. §. 19. num. 11. in fine*) *deberent esse contenti de Indulgentia, quam consequuntur, suas Ecclesias visitando.*

Opponetur hìc denuo; *Paulum V.* generaliter Regularibus reuocasse omnes Indulgentias, etiam concessas ad instar, vel per viam communicationis, cùm in Bulla sua reuocatoria dicat §. 3. *Indulgentias ipsis Ordinibus ad instar, vel per viam communicationis annullamus* & §. 19. *Cæterùm, omnes & singulas Indulgentias, tam vigore Priuilegiorum, quàm viuæ vocis Oraculo, aut alio quouis modo, per quoscunque Romanos Pontifices concessas, perpetuò reuocamus.* Quamuis ergo Regulares ante hanc reuocationem dictas Indulgentias absque vlla dubitatione in proprijs Ecclesijs per viam communicationis consequi potuerint, iam tamen ampliùs non possunt, eò quòd à *Paulo V.* sint reuocatæ, etiam concessæ ad instar, vel per viam communicationis. 477

Respondeo oppositioni cum *Quintan. in Append. tract. 4. dub. 13. num. 3.* reuocasse quidem *Paulum V.* omnes Indulgentias Religiosis ante hac directè concessas, & defacto hæ remanent reuocatæ etiam per viam communicationis, quandoquidem, cùm non amplius existant, consequenter neque communicari valeat. In nostro autem casu non conceduntur Regularibus Indulgentiæ; solummodo quoad locum dispensatur, cui primitùs à Summis Pontificibus fuerunt concessæ, conceditúrque ipsis, vt Indulgentias defacto sæcularibus, & vniuersaliter omnibus Christi Fidelibus in aliqua Ecclesia concessas, ipsi in proprijs Ecclesijs consequi possint. Quocircà, ista non est concessio Indulgentiæ, sed priuilegium, & indultum, seu facultas obtinendi in proprijs Ecclesijs Indulgentias, quæ alijs Ecclesijs concessæ fuerunt: quin Religiosi teneantur visitare illas, quibus primitus directè, ac primariò sunt concessæ: Cæterùm *Paulus V.* reuocauit Indulgentias Regularibus cōcessas, non autem Indulta circa Indulgentias, prout etiam *cit. Quintannad.* respondet hisce verbis: *Respondeo in præfatis indultis, non concedi Regularibus Indulgentias, sed*

*sed facultatem ad lucrandum iam concessas sacularibus, seu Omnibus Christiani Orbis Fidelibus; ne scilicet Regularibus necessarium sit ad Ecclesias, & pia loca accedere, ac ea visitare quibus sunt concessæ: sed satis sit, vt loco harum Ecclesiarum propriam visitent: in Bulla autem prædicta, solùm Indulgentias Religiosis directè, & principaliter concessas reuocat Paulus V: non verò Indulgentias sacularibus concessas, nec priuilegia, & indulta Religiosis concessa, siue circa Indulgentias, siue circa alia*. Eandem tenet doctrinam, vnàcum alijs *Angelus à Lantusca in Theatro Regularium*, quem supra citauimus *Dub. 4. huius Cap. sub numer.* 388. suffragatur etiam *Ioannes de conceptione in suo Manuali Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis*, impresso *Romæ in Typographia Cameræ Ap. Anno 1669. c. 6. in princip.* Quòd autem prædictæ Indulgentiæ, Regularibus per se non fuerint concessæ, certum est, & constat ex ipsa directione Litterarum Apostolicarum, quæ non immediatè Regularibus mittuntur, sed *Vniuersis Christi Fidelibus præsentes litteras inspecturis*.

478 Dico secundò Indulgentiæ vni Ecclesiæ Regularium concessæ, quoad personas sæculares, communicantur omnibus alijs Ecclesijs eiusdem Ordinis æqualiter, & principaliter, etiam ijsdem sæcularibus; quapropter, si vnam ex his visitauerint, easdem lucrabuntur Indulgentias, quas obtinerent, si illam visitarent, cui immediatè sunt concessæ ita *Pellizzarius loc. cit, numer. 226. quæsito 4. Indulgentia concessa vni Ecclesiæ alicuius Ordinis, quoad sæculares, eoipso censentur concessa etiam alijs Ecclesijs, & Oratorijs eiusdem Ordinis*. Idipsum affirmat *Quintan. in Append. tract. 4. dub. 4. nu. 2. in princip.* sequenti assertione: *Sit 2. Conclusio; omnes Indulgentiæ, & Iubilæa concessa immediatè, & directè sæcularibus quibuslibet, seu Omnibus Christi Fidelibus visitantibus Ecclesiam aliquam alicuius Ordinis, conceduntur, seu communicantur, visitantibus quamlibet Ecclesiam eiusdem Ordinis, nisi oppositum in Iubilæi indulto exprimatur. In Ecclesijs verò aliorum Ordinum possunt illud Regulares lucrari, non sæculares*. Hæc conclusio expressa reperitur in Priuilegio, per modum Bullæ dato à *Clem. VII.* Patribus Minimis, quod præter alios refert *Peyrinus tom. 1. priuil. Constit. 3. Clem. VII.* hisce verbis:

*Omnia, & singula priuilegia, immunitates, Indulgentias, & indulta, vni, aut pluribus domibus Ordinis huiusmodi specialiter concessa, ad omnes & singulos ipsius Ordinis Domos de nouo susceptas, & suscipiendas authoritate Apostolica per præsentes de nouo extendimus, & ampliamus, ipsasque domos susceptas, & suscipiendas, eisdem priuilegijs, gratijs, Indulgentijs, & indultis, alijs domibus specialiter concessis pariformiter & æquè principaliter potiri, & gaudere, ac si singulis domibus susceptis, & suscipiendis, & Christi Fidelibus illarum Ecclesias visitantibus specialiter concessa fuissent*. Priuilegium istud magni æstimat *Pellizzarius num. cit.* asseritque communicari ab alijs Religiosis communicantibus &c. neque reuocatum esse à *Paulo V: Hoc Priuilegium utique magnum est, eoque frui possunt etiam alij Religiosi communicantes de Priuilegijs P.P. Minimorum: nec, quòd ego sciam fuit reuocatum; constat enim Paulum V. in illa sua constitutione non reuocasse Indulgentias locales (quas respicit præsens concessio Clem. VIII.) sed solùm personales, quæ scilicet concessæ fuerant personis ipsorummet Regularium, quod etiam notauit Portell. &c.*

Hoc priuilegio gaudent etiam Ecclesiæ Monialium: Vnde Indulgentiæ concessæ vni Ecclesiæ Ordinis ipsarum, si pro omnibus Christi Fidelibus concessæ sint, poterunt obtineri à Sæcularibus, etiam in alijs earum Ecclesijs; idque, etsi Moniales non Regularibus sui Ordinis, sed locorum Ordinarijs, atque Episcopis subiectæ sint. Probatur hoc euidenter, tum quia, vt superiùs in alio Dubio diximus, Moniales, etiam subditæ Ordinarijs, verè sunt Regulares, & communicant de Regularium priuilegijs, maximè de Indulgentijs. Tum etiam, quia nuper sub *Clemente X.* à sacra Congregatione hoc recenter decisum fuit, expresso ac speciali decreto, sequentis tenoris. 479

*Cùm à nonnullis locorum Ordinarijs dubitaretur; vtrùm in Ecclesias Monialium, quæ sub ipsorum cura sunt, Indulgentiæ conuenirent generatim concessæ Ecclesijs Fratrum pariter, & Monialium Ordinis Eremitarum S. Augustini, tum in diebus Festis Sanctorum Ordinis, tum in alijs huiusmodi solemnitatibus: Reuerendiss. Ioseph Eusanius Episcopus Porphyriensis, & sacrarij Apostolici Præfectus; vt omnis dubitatio, & contentionum occasio tollatur inter Locorum*

Ordi-

*Ordinarios*, & *Regulares*, *petijt super eo dubio à Sacra Congregatione responsum*. *Quæ*, *Re diligenter examinata*, *censuit Christi Fideles*, *Ecclesias Monialium visitantes*, *quæ Regularium*, *vel Episcoporum curæ subduntur*, *æquè in vtrisque iam dictas Indulgentias lucrari*, *Die 27. Februarij Anno 1673. Fr. Cardinalis Brancatius Michael Angelus Riccius Secretarius*. Idipsum, quòd hic pro Eremitanis Monialibus S. Augustini deciditur, decisum etiam censetur pro omnibus alijs Monialibus, cùm omnes communicent &c. Deducas ex eodem Decreto contra *Pellizzarium de Monial, cap. 9. sub numer. 40. in fine, versu, Dubium maius*: Moniales tum subiectas Regularibus, tum Ordinarijs, posse in suis Ecclesijs exponere Indulgentias concessas generaliter pro sæcularibus, sui Ordinis Ecclesijs; qualis exempli gratia est illa Portiunculæ, loquendo de Monialibus Ordinis Minorum. Existimo tamen consuetudinem stare in contrarium.

Præter Indulgentias locales pro sæcularibus, qui Ecclesias Regularium visitauerint, concessæ fuerunt à Summis Pontificibus intuitu eorumdem Regularium, etiam Indulgentiæ personales: quare

480 Dico tertiò Omnes Indulgentiæ concessæ intuitu alicuius Ordinis Regularis, Oblatis, Parentibus, Cognatis Procuratoribus, Benefactoribus, Ministris & similibus personis ad illum Ordinem spectantibus, communicantur & similibus personis, similiter ad alium Ordinem, communicatione gaudentem, spectantibus. Ita *Quintannad. in Append. tr. 4. dub. 9. num. 1.* Exempli gratia *Iulius II.* concessit Fundatoribus, Fundatricibus, Procuratoribus, & Procuratricibus Ordinis Minimorum duas Indulgentias plenarias, vnam in vita, & alteram in Morte: item quòd recitantes quinquies Pater & Aue, in diebus Stationum lucrentur omnes Indulgentias, quas obtinerent, si actualiter visitarent omnes Ecclesias intra, & extra muros Vrbis Romæ: ita apud *Peyrinum tom. 1. priuil. Constitut. 1. Iuly II. §. 39.* Iam istæ Indulgentiæ eodem modo & ordine communicantur etiam Fundatoribus, & Procuratoribus aliarum Religionum communicantium. Ratio in promptu est, quia cùm istæ ac similes Personæ pertineant aliquo modo ad Corpus Religionis, consequenter gaudent Indulgentijs ipsis concessis intuitu Ordinis, cum reciproca suarum communicatione, vt fit inter ipsos Regulares: vnde *Quintan. l. c. dub. 10. num. 6.* ait: *Datur Indulgentiarum communicatio inter oblatos*, *Seruos*, *Famulos*, *Procuratores*, & *Parentes Regularium*, *similis illi*, *quæ datur inter ipsos Regulares*: *hi enim pertinent aliquo modo ad Corpus Religionis*, *ac ita Indulgentiæ istæ*, *absolutè*, *Religioni*, & *Regularibus dicuntur concessæ*, *ac inter concessas his*, *enumerantur à Pontificibus*. Præfatæ personæ, visitando Ecclesiam sui Ordinis, cui sunt quasi incorporatæ, lucrantur Indulgentias, iuxta concessionem *Leonis X.* supra relatam *n. 471.* Imò iuxta *Quintan. l. c. dub. 9. num. 1. in fine*, omnes Indulgentias concessas visitantibus Ecclesias omnium aliorum Ordinum. *Etenim* (inquit) *personæ*, *ita visitantes Ecclesiam sui Ordinis*, *lucrabuntur omnia Iubilæa concessa visitantibus eodem die Ecclesias omnium aliorum ordinum*.

## DVBIVM SEPTIMVM.

### *An omnes Indulgentiæ, tam perpetuæ, quàm temporales communicentur inter Religiosos?*

Respondeo negatiuè, & Dico primò, communicari solùm perpetuas, excludi à communicatione temporales: affirmat hoc *Bordonus ref. 52. num. 77. & 78.* dum ait: *Priuilegia non sunt communicabilia*, *quando sunt ad tempus aliquod determinatum*, *quia communicatio intelligitur de priuilegijs perpetuis*. *Quare Indulgentiæ*, *quæ per tot annos conceduntur particularibus Ecclesijs in honorem certorum Sanctorum*, *seu solemnitatum communicabiles non sunt*. Quare, cùm Priuilegium communicationis Indulgentiarum perpetuum sit, ad solas Indulgentias perpetuas sese extendit, non autem ad illas, quæ solùm ad determinatum aliquod tempus conceduntur, quæ proinde vocantur temporales. 481

Dico secundò, Neque omnes Indulgentiæ perpetuæ inter Religiosos communicantur; excluduntur enim ab hac com- 482

communicatione illæ, quæ, licèt perpetuæ, sunt tamen concessæ alicui Ecclesiæ, siue Imagini, ob specialem aliquam causam, v. g. specialissimam populi deuotionem, ob frequentia miracula, aut ob aliam similem rationem, quæ in alijs Ecclesijs locum habere non potest. Sit pro exemplo celebris Indulgentia Portiunculæ, quæ obtinetur Assisij in Ecclesia S. Mariæ de Angelis, die 2. Augusti; hæc haud dubiè est perpetua, & nihilominus non communicatur non tantùm alijs Regularium Ecclesijs, sed neque ipsiusmet Ordinis Minorum, quidquid dicat *Rodriquez tom. 1. qq. Regul. art. 18. in suo Compend. res. 116. n. 51.* Contrarium enim ei sentit *Portel. verbo Indulgentia, Titulo circa Indulgentias, & Iubilæa alia, sub num. 2. versu Quæris*: & *Lezzana tom. 2. cap. 1. nu. 52.* vbi ait: extensionem talium Indulgentiarum valde exorbitare à iure communi, & excedere intentionem concedentis, & concludit: *Quis enim credat Indulgentiam concessam alicui Ecclesiæ, ob magnam populi deuotionem erga aliquam imaginem deuotissimam, à Pontificibus communicari, & extendi ad alias Ecclesias, vbi talis ratio non subest?* Quibus nostram apertè probat sententiam, quæ & vlteriùs confirmatur à *Bordon. res. cit. num. 79.* sequentibus verbis: *Priuilegia communicabilia non sunt, quando concessa fuerunt ex aliqua specialissima ratione, quæ non potest habere locum apud alias Religiones, quibus non fuerunt concessa, exemplum in illa celebri Indulgentia S. Mariæ Angelorum die secunda Augusti, dicta de Portiuncula, ea enim nullo modo est communicabilis, ob illam specialitatem, quia Papa eam concessit expressè nomine Iesu Christi; & non alia ratione, nisi quia præcepit Beato Francisco, vt eam nomine suo peteret à suo Vicario.* Hactenus *Bordonus*, qui, & addit *nu. 80.* Hanc Indulgentiam non fuisse reuocatam à *Paulo V.* non enim concessa fuit directè Religiosis, sed omnibus Fidelibus; imò quamuis Religiosis directè concessa fuisset, *adhuc non contineretur sub illa generali reuocatione, cùm quæ habent specialissimam notam, non veniant sub generali reuocatione, sed speciali, & individua reuocatione indigeant. argum. &c. Imò puto nullum Summum Pontificem audere illam reuocare, cùm potius dicatur concessa à Christo Domino concessam fuisse.* Atque adeò, satis perspicuum esse credo, Indulgentias perpetuas, si ex specialissima causa concessæ fuerunt, non communicari. Cœterùm illæ, quæ causam communem continent, communicantur; ideò *Bordonus num. 81.* ait: *Aliæ verò Indulgentiæ perpetuæ sunt communicabiles, quia continent generalem rationem, nimirum, auxilium Sanctorum, augmentum Christianæ Religionis, splendorem Ecclesiarum, quæ omnibus Ecclesijs, & personis Regularibus competunt, ideò inter se illarum communionem habent:* Ex quibus ipse infert *num. 82. quòd illa Indulgentia septem Altarium, quam aliquæ Religiones in specie impetrarunt pro suis Ecclesijs, intelligitur extensa ad alias Ecclesias eiusdem, vel alterius Ordinis, qui illam non petijt de iure; licèt oppositum in praxi seruetur speciali petitione.*

483 At verò, quantum ad Indulgentiam Portiunculæ, notandum, eam non esse quidem communicabilem, in quantum à Christo per specialem fauorem Ecclesiæ S. Mariæ de Angelis concessa fuit; in præsenti tamen, existimo, eam communicari omnibus Regularibus, & quemlibet in propria Ecclesia eam obtinere posse, quandoquidem à *Gregorio XV.* ad omnes Ecclesias Ordinis S. Francisci extensa fuit, & per specialem Bullam perpetuò in ipsis concessa omnibus Christi Fidelibus: vt testatur *Portel. verbo Indulg. in Addit. nu. 1. in fine.*

484 Dico tertiò. Indulgentiæ Altaris Priuilegiati, aut priuatæ alicuius Cappellæ, non sunt communicabiles: *Peyrinus de priuil. tom. 2. Const. 8. Pauli III. in Notabili num. 2. Bordonus loc. cit. num. 85.* quia *ex stylo Curiæ, Altaria priuilegiata non communicantur cæteris Ecclesijs Ordinis* ait *Peyrinus*; *nec in generali concessione veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, vt dicitur in Regula, &c.* Prætereà, vt asserit etiam *Bordonus, Priuilegium locale communicabile, intelligitur sub nomine totius Conuentus, aut totius Ecclesiæ, Altaria autem priuilegiata non sunt totius Ecclesiæ, sed talis Cappellæ.* Ita ille. Idem sentiunt *Lezzana in Summ. Verbo Altare num. 19. Roman. de Priuil. Relig. lib. 2. cap. 2. num. 13. Diana part. 9. tractat. 2. res. 2. Tambur. de Iure Abbat. tom. 1. disp. 17. quæst. 2. numer. 4. Merol. tom. 3. Theol. Moral. disput. 6. cap. 4. dub. 7. numer. 64. & Gobat de Indulg. par. 2. cap. 26. num. 535.* quos refert *Pasqualigo de Sacrif. Missæ tom. 1. quæst. 756.* vbi ta-

vbi tamen fundamentum eorum, hìc à *Bordono* allatum, ratum non habet: sed alio solidiore negat inter Regulares communicationem Altarium Priuilegiatorum, quia nimirum hæc Indulgentia est in ordine ad sæculares, & *est vniuersalis pro omnibus fidelibus defunctis, & tantùm ad defunctos*. Indulgentiæ verò, quæ communicantur inter Regulares, non extenduntur ad sæculares: ita enim declarauit *Leo X. in Const. superiùs relata dubio præced. numer. 475. in fine: vigore prædictarum litterarum (sæculares) gratijs, & Indulgentijs huiusmodi vti, & gaudere non possint*. Videatur hic Author *qu. cit.* & etiam q.760. subsequente, in quibus sustinet, Altaria priuilegiata Religiosis concessa non fuisse reuocata per Constitutionem *Pauli V.* in qua reuocat Indulgentias concessas Regularibus, cum *Peyrino*, *Lezzana*, *Peregrino &c.* Videatur item q.757. vbi quærit, An Regulares possint erigere Altaria priuilegiata in suis Ecclesijs: vi huiusmodi priuilegiorum Patribus Dominicanis concessorum, quæ referuntur à *Ioanne à Cruce*; qua super re consuli etiam possunt *Thomas Hurtado p. 1. resolut. Moral. tract. 2. Tit. de oblig. Sacerdot. cap. 4. resol. 10. nu. 104. & Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regular. par. 1. tract. 2. disp. 5. sect. 3. §. 2. numer. 42. & 43. pag. 94.* Finem impono præsenti Dubio, referendo priùs, qualiter *Patri Bonagratiæ Cappuccino* videatur res valde inconueniens, quòd supposita tanta communicatione, quam inter se habent omnes Regulares Ordines, ac generali participatione Priuilegiorum, Indulgentiarum (etiam pro Defunctis) remissionum, &c. hæc tamen communicatio negetur circa Altaria Priuilegiata: Vnde ipse *in sua Summula qq. Regularium, Verbo Priuilegium sub n. 412.* ita rem hanc exaggerat: *Quæ* (communicatio videlicet Indulgentiarum) *si ita se habet, non video, cur Altarium Priuilegiatorum communicatio inter Regulares Ordines impugnetur, res adeò fauorabilis, & nemini præiudiciosa: Eccur enimuerò tam simus immisericordes versus afflictissimos Purgatorij Incolas? cum experiamur indies multiplicari hoc priuilegium, contra id, quod dicti scriptores participationem abnegant, quia rariùs concedatur.*

## DVBIVM OCTAVVM.

### *Quænam in specie sint illæ Indulgentiæ, quas de facto consequi possunt Regulares per viam communicationis?*

485 PRiusquam ad istarum Indulgentiarum enumerationem deueniam, resumo hìc paucis, quæ superiùs dicta sunt *Dub. 4. & 6. sub n.n. 450. 475.* videlicet Indultum, vi cuius possunt Religiosi in proprijs Ecclesijs lucrari Indulgentias per viam communicationis (quod Priuilegium ipsis gratiosè collatum fuit à Summis Pontificibus, in specie à *Leone X.* qui Priuilegium vni Monasterio, aut Ecclesiæ concessum, ad omnes alias cuiuscunque Religionis extendit) non esse nouam concessionem Indulgentiarum, factam Religiosis; consequenter non cadere, nec comprehendi sub generali reuocatione Indulgentiarum, per se, & immediatè concessarum personis Regularibus. Est quidem virtualis quædam translatio illarum Indulgentiarum, cùm, quæ omnibus Christi Fidelibus in certa Ecclesia alicuius ciuitatis concessæ fuerunt, conceditur obtineri posse à Religiosis etiam extra eam, imò subinde dispensando ab omni loco. Probatur hoc euidenter, certum enim est, quòd si alicui Ecclesiæ, v. gr. S. Mariæ de Populo Romæ, concedatur Indulgentia plenaria pro Festiuitatibus eiusdem Beatissimæ Virginis, omnes Regulares ibidem existentes, haud secus ac ipsi sæculares, eam poterunt lucrari, si in dictis Festis eam Ecclesiam visitauerint; hoc à nemine in dubium reuocatur, cùm sub nomine Fidelium veniant & Religiosi, & quidem, vt Doctores, *Peyrinus*, *Filliucius*, & alij aiunt, magis principaliter. Iam Summus Pontifex, vi sui Indulti, nouam facit translationem harum Indulgentiarum, in fauorem Religiosorum, & cùm ipsis communicantium, dispensando quoad locum, ita vt nemo eorum proficisci Romam teneatur pro earum consecutione, sed in proprijs Ecclesiis, imò

subin-

subinde cum dispensatione ab omni loco, eas obtinere valeat; quare per huiusmodi Indultum seu Priuilegium, sua Sanctitas non condit Bullam concessionis nouarum Indulgentiarum pro Religiosis: sed iam prius ipsis, vna cum sæcularibus, in dicta Ecclesia S. Mariæ de Populo directè concessas, extendit ad omnes alias Regularium Ecclesias: idem dicendum de alijs Indulgentijs, quæ in Ecclesijs Regularium per viam communicationis obtinentur: aut cum dispensatione ab omni loco per simplicem commutationem Operum, & Orationum determinatè iniunctarum. Hæc doctrina non est noua, sed iuxta mentem plurium Doctorum, vt *n. n. cit.* 450. 475. visum est, admissa quoque, & impressa Romæ, cum approbatione ipsiusmet Magistri Sacri Palatij, vt ibidem diximus: exactè proin notanda, vtpote basis & fundamentum, cui plurimæ Indulgentiæ per viam communicationis participatæ, innituntur, quas proximè enumerabimus.

86 Supponatur secundò cum Pellizzario *Tractat. 8. capit. 5. sect. 5. subsect. 2. num.* 244. Quod licet quædam Indulgentiæ non fuerint concessæ omnibus Regularibus in communi, sed vni soli particulari Ordini: per Indulta tamen superiùs allata *Iulij II. & Leonis X.* qui id expresse concesserunt, communicantur, & alijs Regularibus: idque, non obstante, quòd tale priuilegium, vt supra diximus, videatur amissum ex non vsu, aut ad cauendas offensiones, & rixas, ex eius praxi probabiliter secuturas, omnimodè ab eo abstineant, vnde per non vsum ei videantur renuntiasse; siquidem contingere potest, priuilegium aliquod fuisse amissum, quoad vnam partem (verb. gr. in nostro casu quoad illas Indulgentias, quarum communicatio non leuem gigneret offensionem inter fideles ac Regulares) non autem quoad aliam partem, nempe quoad alias Indulgentias, quarum communicatio fieri potest sine dicta offensione. Vnde cùm præfata indulta communicationem Indulgentiarum extendant etiam ad eas, ex quarum vsu iurgia, ac dissensiones, vt dictum est, prouenire possent, proinde cessere Regulares Indulto quoad istas: non verò quoad alias, quarum communicatio absque tali offensione fieri potest; cuiusmodi sunt, quæ hic adducuntur, vt constat ex Compendijs Priuilegiorum Regularium, in quibus mentio fit de his, non autem de illis, quibus suppositis:

Respondeo ad propositum Dubium, & dico, posse Regulares, præter Indulgentias ijs omnibus vniuersim, comprehensis etiam Monialibus, directè, & generaliter à *Paulo V.* concessas, & à nobis superius exactè explicatas, consequi etiam per viam communicationis, si iniuncta adimpleuerint, sequentes. 487

Primò celebrem Indulgentiam, seu Indultum Stationum, collatum à *Leone X.* & *Paulo III.* qui concedunt Fratribus Minoribus, quòd possint lucrari Indulgentias Portiunculæ, Stationum Romæ, Hierosolymorum, & S. Iacobi in Galitia, quoties orauerint quinquies Pater noster, & Aue Maria, cum Gloria Patri, pro exaltatione S. Ecclesiæ, hæresum extirpatione, & pace inter Principes Christianos, addito etiam alio Pater noster, Aue Maria, & Gloria Patri pro sua Sanctitate. Licèt hæc insignis Indulgentia directè solis Fratribus Minoribus concessa fuerit, per participationem tamen, communis est omnibus alijs Religiosis. Porro confirmata denuo fuit hæc stationum Indulgentia (vt iam superius intimauimus *Dub. 4. huius Cap. num.* 453.) ab ipsomet *Paulo V.* & *Vrbano VIII.* qui eam quoad locum limitauit: prius enim, quocunque loco recitarentur dictæ Orationes, Indulgentia acquirebatur: modo autem voluit locum recitationis non esse alium quàm Principale Altare Ecclesiæ, qua de causa hæc Indulgentia vocatur Statio Sanctissimi Sacramenti. Iterum aduertat hic Lector, quòd ly, *Quoties orauerint quinquies Pater noster, &c.* explicari, ac intelligi modò debet iuxta modernum *S. Congregationis Decretum*: & iuxta ea, quæ superius diximus

Dd *Cap. 4.*

*Capit. 4. in fine sub numer. 457.*

488 Secundò, Regulares, qui communicant in Priuilegijs, recitando quinquies Pater, & Aue, consequuntur Indulgentias S. Mariæ de Angelis, & quascunque alias generales, tam plenarias, quàm non plenarias Almæ Vrbis Romæ, ac si personaliter visitarent loca, in quibus sunt Indulgentiæ istæ diebus suis. Has concessit *Sixtus IV.* Fratribus Minoribus. Ita testatur ex Compendio Minorum *Rodriquez Quintannad, in Append, tractat. 4. dub. 13. num. 1.* cuius verba hic recenseo: *Sixtus IV. concessit Fratribus Minoribus, &c. Indulgentiam S. Mariæ de Angelis, atque quascunque alias Indulgentias generales, tam plenarias, quàm non plenarias Almæ Vrbis, dicendo quinque Pater noster, cum totidem Aue Maria in suis Ecclesijs, ac si visitarent loca personaliter vbi sunt istæ Indulgentiæ diebus suis. Ita habetur in Compend. Minorum Verbo Indulg. quoad Fratres; & affertur ab Emmanuele Rodriq. tom. 1. q. 58. art. 3.*

489 Tertiò, omnes Religiosi communicantes &c. quocunque loco morati fuerint, si coram Altari venerabilis Sacramenti in suis Ecclesijs precabuntur pro exaltatione S. Ecclesiæ, hæresum extirpatione, & pace inter Principes Catholicos, aut alias, pro cuiuscunque deuotione, preces fuderint, consequentur omnes, & singulas Indulgentias, etiam plenarias, quas consequerentur, si Indulgentiarum ipsarum diebus, Ecclesias, & loca pia, quibus tales gratiæ concessæ fuerunt, in locis, in quibus eos tunc moram habere contigerit, visitarent *Gregorius XIII.* Patribus Societatis Iesu in Bulla, quæ incipit: *Cùm sicut accepimus, anno 1579.* relata à *Quintan. dub. cit. n. 2.* hisce verbis: *Vniuersis & singulis dictæ Societatis personis, nunc, & pro tempore in qualibet Mundi parte existentibus, vt ante Altare Sanctiss. Eucharistiæ Sacramenti in ipsius Societatis Ecclesijs, orationes ad Deum pro Sancta Romana Ecclesia exaltatione, hæresum extirpatione, & inter Principes Christianos fouenda pace, aut alias pro cuiusque peculiari deuotione fundendo, omnes & singulas Indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remissionem consequantur, quas scilicet consequerentur, si Indulgentiarum ipsarum diebus, Ecclesias & loca pia his decorata in locis, in quibus eosdem Religiosos, moram habere contigerit, visitarent, &c. tenore præsentium concedimus, & largimur.*

Quartò, per viam communicationis lucrantur Religiosi Indulgentiam plenariam. quoties Coronam Beatissimę Virginis recitauerint (ly *quoties* & hic pariter explica, atque intellige, vt supra) id concessit *Paulus V.* Fratribus Minoribus, post reuocationem Indulgentiarum, vt dictum superius *Dub. 4. huius Cap. num. 439.* Hæc vera, ac noua est Indulgentiæ concessio, directè, & immediatè facta Religiosis, cuiusmodi non sunt binæ præcedentes *Sixti IV. & Greg. XIII.* quæ potius Indulta quoad Indulgentias vocari possunt, & virtualis earum translatio, seu dispensatio quoad locum, vt dictum initio huius Dubij, atque etiam *n. n. 450. 475.* quàm concessio Indulgentiæ; quæ proinde, ob rationes, è Classicis Authoribus superius à nobis adductas, non comprehenduntur sub generali Indulgentiarum reuocatione. Atque hæc doctrina, non solùm in se probabilis est, verùm etiam approbata *Romæ à Magistro Sacrij Palatij*, vt euidenter constat: quo nos nixi fundamento, admitimus, præter alias subsequentes, etiam binas antecedentes: prima enim *Leonis X. & Pauli III.* vtpote à *Paulo V. & Vrbano VIII.* vt dictum est, cofirmata extra omnem ambiguitatem constituta est. Quæ omnia denuo inculcare volui, vt apertè nouerit Lector, mihi animum non esse, sustinendi hic aliquam Indulgentiam, quæ in generali reuocatione *Pauli V.* comprehensa sit. Et si doctrina hæc (quam censurę Sanctę Ecclesię submitto) reprobaretur: certum est, casuras tunc Indulgentias, quæ hic afferuntur, ab ea dependentes, prout etiam expresse intendo, vt in tali casu nullius habeantur valoris, & tanquam hic non apportatæ in ordine ad earum effectum, & valorem consequendum. 490

Quintò, Religiosi per eandem communicationis viam, si confessi, ac communicati recitauerint Psalmum *Exaudiat te Dominus*, cum Orationibus pro Summo Pontifice, & Sancta Romana Ecclesia: aut si hæc ignorauerint 491

eorum

eorum loco, *ter Pater*, *& Aue*, pro pace, & vnione inter Principes Christianos, & pro Sanctæ Fidei Exaltatione, orauerint, consequuntur omnes illas, & peccatorum remissiones, quas consequerentur, aut consequi possent, si in Quadragesima, aut alijs anni diebus personaliter visitarent, omnes Ecclesias; & omnia pia Loca, non solùm intra, & extra Romam, sed etiam per vniuersum Christianum orbem, nullo prorsus excepto. *Vrbanus VIII.* Eremitis Camaldulensibus Congregationis S. Romualdi, per expressam Bullam, quæ incipit: *Saluator Noster Iesu Christi* superiùs retulimus *Dub. 4. huius cap. num. 456.*

492 Sextò, in Festiuitatibus Resurrectionis, & Ascensionis Domini, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, & Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, à primis Vesperis vsque ad Solis occasum diei subsequentis, si Regulares deuotè visitauerint proprias Ecclesias, verè pœnitentes, ac confessi, aut saltem cum firmo id faciendi proposito, plenariam acquirunt Indulgentiam, dicendo ter Pater noster, & ter Aue Maria, in honorem Sanctissimæ Trinitatis: *Leo X.* Patribus Minimis apud *Peyrinum Constitut. 8. Leon.* X. per hæc verba: *Omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, seu firmum confitendi propositum habentibus, qui Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis in Monte Piceno de Vrbe Ordinis Minimorum, diebus Resurrectionis; & Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, Pentecostes, & eiusdem Sanctissimæ Trinitatis, ac Natiuitatis eiusdem D. N. Iesu Christi, à primis Vesperis vsque ad occasum Solis deuotè visitauerint, & ibidem in honorem Sanctissimæ Trinitatis ter Orationem Dominicam, & totidem Salutationem Angelicam recitauerint, annuatim, singulis earumdem festiuitatum diebus huiusmodi, plenariam & veram omnium peccatorum remissionem, & Indulgentiam concedimus.* Aduerto hic cum *Peyrino*, ad obtinendam hanc Indulgentiam, sufficere, esse contritum, & in statu gratiæ sub recitatione tertij, & vltimi *Aue Maria*, in quo supponitur Indulgentia consumari, & eius conferri effectus: nam opera etiam in statu peccati mortalis facta, sunt satisfactoria, quamuis non meritoria: *In nostra Indulgentia* (ait ipse) *in qua requiritur visitatio Ecclesiæ, & recitatio trium Pater noster, & totidem Aue Maria, non est necesse ex vi talis operis, quòd sit in gratia, quando pergit ad visitandum, neque quando visitando diceret 1. & 2. aut 3. Pater noster &c. sed sufficit, quòd conteratur, & sit in gratia, quando dicit vltimum Aue Maria, in quo supponitur dicta Indulgentia consumatio, & collatio eius effectus. Et ratio est, quia etiam opera facta in peccato mortali satisfactoria sunt, licèt non meritoria, vt Nauarr. comm. de Iubilæo not. 32. n. 46. versu 3. quod ea, tom. 3.*

Cæterum, an hæc Indulgentia à Re- 493
gularibus sæpiùs eodem die obtineri valeat, hactenus controuersum fuit. Voluere potior, ac communior Doctorum pars, *si Indulgentia concessa sit cum determinatione, & explicatione temporis ex. gr. ad vnum, vel paucos dies* (ait *Bonacin. de Sacram. disp. 6. quæst. 1. punct. 5. num. 32. vers. Dixi in respons.*) *concessam esse pro vna tantum vice, nisi aliud exprimatur. Ratio est, quia breue tempus præscribitur, vt ostendatur, non posse sæpius eamdem Indulgentiam obtineri:* adducit pro se *S. Thom. Cordubam, Toletum, Reginaldum, Nugnum, Henriquez, Graffium, Suarez, Sanchez*, & alios quibus addatur, *Gobat de Iubilæo Cap. 20. quæst. 57. num. 135.* cum alijs ab ipso citatis. Contrarium nihilominus, pluries si eodem die obtineri posse eandem Indulgentiam, sensere, *Angelus Verbo Indulgentia, numer. 4. Rosella num. 12. Nauarr. de Indulgentijs not. 32. nu. 46. Rodriquez in Bullam Cruciatæ § 8. nu. 15. Vega par. 2. Summ. Cap. 7. Casu* 30. & alij, citati à *Pasqualigo de Iubil. q. 21. num. 7.* Hæc tamen sententia, teneri amplius nequit, stante in contrarium Declaratione, ac Decreto recenter edito à Sacra Indulgentiarum Congregatione, *die 7. Martij* 1678. approbato à *Sanctissimo D. N. Innocentio XI.* in quo declarat, Indulgentiam plenariam, concessam certis diebus visitantibus aliquam Ecclesiam, aut peragentibus aliud pium opus, non nisi semel de die obtineri posse; idque fortassis ad tollendum abusum eundi, ac redeundi, spatiandi, ac circumuagandi: *semel autem duntaxat in die* (verba sunt ipsius Decreti) *plenariam Indulgentiam, in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri declarat.* Huic conformiter Decreto, quamuis

iam pridem, amplexus est ad priorem opinionem, tanquam magis communem etiam *P. Alphonsus de Leone*, *de Iubil. par. 1. q. 5. n.* 208. quantum scilicet ad illam Indulgentiam quæ ad vnum solum determinatum diem, à primis vesperis vsque ad solis occasum alterius diei, concessa est. At quoad illam, quæ pro tribus diebus conceditur qualis est præfata Patrum Minimorum pro tribus Festis Resurrectionis, & Pentecostes, aut etiam octo, probabiliter tenet oppositum hisce verbis: *Quæ quidem opinio quoad eam Indulgentiam, quæ pro determinata die à Vesperis primis vsque ad secundas, omnino videtur amplectenda, & si quoad illam quæ conceditur pro tribus diebus, vel octo diebus contraria opinio videatur probablitate, & verisimilitudine non carere:* à quo non dissentit *Peyrinus* citatus à *Pellizzario tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 5. *n.* 234. his formalibus: *Alphonsus de Leone, non dissentiente Peyrino, probabile censet, Indulgentiam determinatam ad 3. 5. vel octo dies, comparari posse ab vnoquoque singulis illis diebus*; Id verò absolutè affirmat *Gobat loc. cit. numer.* 136. vbi ait: *Ego cum Reginaldo post Nauarrum generatim dico, quoties aliqua Indulgentia proponitur pro pluribus diebus posse eam quouis illorum dierum obtineri à quolibet repetente præscriptam visitationem, nisi fiat in Bulla limitatio expressa. Ratio est, quia non video causam restringendi, hic, verba Pontificum*; quod vlterius confirmari potest doctrina *Patris Pasqualigo quæst. citat. num.* 6. & ipsomet præfato declaratorio, ac moderno Decreto.

494 Aduertit *Bonacina numer.* 33. *cit.* quòd si Indulgentia concedatur absolutè, & absque limitatione temporis: verb. gr. qui talem, aut talem Ecclesiam visitauerit, & ibi, &c. talem Indulgentiam consequetur, sæpiùs etiam vno die, imò quoties eam visitauerit (humano tamen, & non nugatorio modo) eam obtinebit: qui enim præscripta adimpleuerit in ordine ad lucrandam Indulgentiam (ait *Bonacina*) eam lucrabitur: & si opera iniuncta sæpius vno die adimplere poterit, consequens est, quòd etiam sæpius Indulgentiam vno die lucrifaciet: nisi tamen ipsemet concedens, Indulgentiam restringeret ad vnam tantùm vicem de die (prout restricta modo declaratur in supradicto Decreto) subscribunt huic opinioni præter alios *Pellizzarius numer. citat.* & *Gobat loc. citat. numer.* 134. vbi ait: *Quando Indulgentia est perpetua, promittiturque omnibus talem, aut talem Ecclesiam visitantibus, toties illam consequeris, quoties prædictam Ecclesiam visitabis, humano, non nugatorio modo, Hoc vt minimum docet S. Thom. quæst.* 1. *artic.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad* 4. *Ratio est; quia Indulgentia tantum valent, quantum sonant, illa autem de qua agimus, sonat sine restrictione ad vnam vicem in vita; ergo toties consequeris quoties visitabis Ecclesiam prædicto modo vt si egrediens domo illam visites, & rediens iterum visites, vt loquitur Cardinalis de Lugo. Hinc apparet, quid sentiendum de illis Indulgentijs in quibus dicitur: qui orauerit ter Pater, & Aue; qui recitauerit Rosarium; qui exercuerit hunc, aut illum actum, consequetur hanc & illam Indulgentiam*, Idipsum affirmat *Andreas Mendo in Epitom. Opinion. Moralium, verbo Indulgent. numer.* 8. *pagin.* 355. hisce verbis: *Quoties non exprimitur vna solùm vice posse obtineri Indulgentiam, poterit obtineri toties quoties, nempe quoties quis visitet Altaria, aut Ecclesias, aut similia perficiat: & in Iubileo duplicis hebdomadæ poterit is obtineri in vtraque. Quia dum concedens Indulgentiam ad vnam vicem non restringit, nec nos restringere debemus: & in fauorabilibus extendenda sunt verba dispositionis, quantum iuxta propriam significationem possunt; & Indulgentia concessio, est Principis beneficium, non ambitiosum, nec in tertij præiudicium, atque adeò latissimè interpretandum. Et quamuis sermo prolatus simpliciter, de primo actu intelligatur, id in onerosis solùm locum habet*. Ita dictus *Mendo*: Ex cuius, vti ex præcitatorum (& aliorum Authorum) doctrina patet, quòd quando Indulgentia est perpetua, promittiturque omnibus talem, aut talem Ecclesiam visitantibus, toties per ipsos consequitur, quoties Ecclesia visitatur (humano, non nugatorio modo) & quoties opus præscriptum adimpletur: ni exprimatur vna solùm vice obtineri illam posse. Vti fit in supra relato *Innocentiano moderno Decreto*, in quo apertè declaratur, *semel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam, in certos dies Ecclesiam visitan-*

*visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri*. Vnde modò quotiescunque Pontifex in concessione plenariæ Indulgentiæ non apponit particulam, *toties quoties*, vel alia verba æquiualentia, eandemque particulam, vel clausulam indicantia, vi eiusdem Declarationis, ac decreti, semel tantùm in die acquiri potest. Verum quidem est, quòd plus postea merebitur, si pluries visitatio ipsa Ecclesiæ, vel opus idem iniunctum propter quod Indulgentia conceditur, adimpleatur. Quod optimè innuit etiam *Faber* sub his verbis: *Nam illud, quod plus fuit, & non est requisitum ad consequendam Indulgentiam, sed est idem opus pluries repetitum; sed non requisitum, licèt non consequatur fructum Indulgentiæ, cùm iam illum obtinuerit: consequitur tamen augmentum gratiæ, & gloriæ: & hoc modo intelligendus est Bonifacius VIII. in Extrauaganti antiquorum, in cuius fine habet hæc verba: (Vnusquisque autem plus merebitur, & Indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & deuotiùs frequentabit.) Non vult enim, quòd plus merebitur de Indulgentia, cùm iam ibi plenissimam Indulgentiam concedat omnibus: sed vult dicere, quòd quoad opus operantis plus merebitur: & quò certius, & magis in effectu adimplebit opus iniunctum, propter quod concedit Indulgentiam, eò plus merebitur*. Hæc *Faber in 4. disp. 38. nu. 225*. Quibus tamen item *in 4. dist. 12. disp. 38. nu. 332.* addit sequentia: *Consuetudo autem, quæ in concessionibus Indulgentiarum ad vnum diem, vel totam octauam, intelligitur pro vna vice in illa die, vel octaua, non est, quia credatur, quòd si quis pluribus vicibus visitet, & indiget, non possit pluries illam Indulgentiam lucrari: sed quia non præsumitur, quòd cùm quis semel obtinuit Indulgentiam plenariam tam breui tempore ceciderit, iterum illa indigeat. Quòd si casus occurrat, vt indigeat, hæc consuetudo non potest illi præiudicare, si in concessione Indulgentiæ non apponatur specificatio pro vna vice tantùm*: ita *Faber*. At quia apposita modo vtique est huiusmodi specificatio, seu limitatio, in præcitato videlicet *Innocentiano moderno Decreto*, idcircò quælibet Indulgentiæ plenariæ ad vnam diem concessio, intelligitur, ac intelligi hodie debet pro vna tantùm vice absolutè facta: nisi in ipsa apponeretur *toties quoties*, vt supra, vel aliqua alia clausula, seu verborum forma huic eidem consimilis, aut æquiualens.

495 Septimò in Festo Natiuitatis, Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, & Assumptionis Beatissimæ Virginis à primis Vesperis, vsque ad secundas Religiosi deuotè visitando proprias Ecclesias, verè pœnitentes, & confessi acquirunt Indulgentiam plenariam. Concessit *Sixtus IV.* Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Populo Romæ Patrum Eremitarum; Bullam ipsam recenset Emmanuel *Rodriquez in suo Bullario Bulla 35. Sixti IV.* quæ inter cætera sic habet: *Omnibus & singulis Christi Fidelibus, vtriusque sexus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam B. Mariæ de Populo iuxta Portam Flamineam de Vrbe Ordinis Fratrum Eremitarum Diui Augustini, in Natiuitatis, Conceptionis, Purificationis Annuntiationis, & Assumptionis eiusdem Virginis festiuitatibus à primis Vesperis, vsque ad secundas deuotè visitauerint: annuatim, singulis earumdem festiuitatum diebus, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & veniam, authoritate Apostolica, tenore præsentium in Domino concedimus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Dat. &c.* 1476.

496 Octauò, in Festis Annunriationis Beatissimæ Virginis, & SS. Apostolorum Philippi, & Iacobi, Regulares cum deuotione visitantes suam Ecclesiam, & in ea ad arbitrium suum orantes pro felici statu Sanctæ Ecclesiæ, consequuntur Indulgentiam plenariam. *Leo X.* quibuscunque visitantibus Ecclesias PP. Minimorum. *Hieronymus Rodericus in Compend. resol. 77. num. 56.*

497 Nonò, in Festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ, si eam Regulares deuotè visitauerint, & iuxta suum beneplacitum pias ad Deum preces fuderint, obtinent omnes Indulgentias S. Iacobi in Compostella. *Vrbanus II.* Ecclesiæ Cauensi Ordinis S. Benedicti: vt habetur in *Bullario dicti Ordinis, Cornelij Margariti, Const. 9. quæ est 2. dicti Vrbani*: refert præfatus *Rodericus resol. cit. num. 54.* per hæc verba: *Vrbanus II. concedit Indulgentiam S. Iacobi in Compostella visitantibus Ecclesiam Monasterij Cauensis Ordinis Sancti Benedicti in die, quo celebratur eiusdem Ecclesiæ Consecratio, seu Dedicatio, & in Vigilia eiusdem Festi.*

498 Decimò, in omnibus Dominicis Quadragesimæ, Regulares verè pœnitentes,

tentes, & confessi, aut firmiter confiteri proponentes, visitando deuotè suam Ecclesiam, & ter Pater, & Aue in honorem Sanctissimæ Trinitatis precando, Indulgentiam plenariam: *Leo X. constit.8.* visitantibus supradictam Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis Romæ Patrum Minimorum.

499 Vndecimò, omnibus diebus à media Quadragesima, vsque ad octauam Paschatis inclusiuè, Religiosi contriti & confessi, vt præcedenti numero, recitando item ter Pater, & Aue in honorem Sanctissimæ Trinitatis, lucrantur omnes Indulgentias concessas visitantibus Ecclesiam S. Mariæ de Populo Romæ: *Leo X. Constit.8. cit.* concessit ijs qui visitauerint eamdem Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis P. P. Minimorum, vt videri potest in ipsa Constitut. apud *Peyrinum*.

500 Duodecimò, omnibus Sabbathis Quadragesimæ Regulares pęnitentes & confessi piè visitando suas Ecclesias, & iuxta suum arbitrium orantes acquirunt Indulgentiam plenariam. *Sixtus IV.* omnibus Fidelibus hisce Sabbathis visitātibus Romæ Ecclesiam S. Mariæ de Populo, vt in sua Bulla *in Bullario Emman. Rodriq. Bulla 36. Sixti Papæ IV.*

501 Decimotertiò, Feria V. Cœnæ Domini, & sexta in Parasceue Religiosi contriti, & confessi, visitando suas Ecclesias, ibique orando obtinent plenarias Indulgentias: *Vrbanus II.* visitantibus supradictam Ecclesiam Cauensem Ordinis Sancti P. Benedicti: *in Bullario Cassinensi Constit.9. Vrbani II.* id etiam referr *Hieronymus Rodericus in Compend. numer. 54 citat.*

502 Decimoquartò, in Festo, seu Anniuersario propriæ Ecclesiæ, & per totam Octauam, si Regulares eam deuotè visitauerint, pœnitentes ac confessi, & ad beneplacitum suum precati fuerint: *centum dies de iniunctis sibi pænitentijs, annis singulis misericorditer relaxamus*: sunt verba *Clementis IV.* ad eos, qui in tali Festiuitate Ecclesias Fratrum Minorum visitauerint: *in Bullario Rodriq. Bulla 14. Clem. Pap. IV.*

503 Decimoquintò, in qualibet Dominica totius anni, Religiosi visitantes propriam Ecclesiam, contriti tamen, & confessi, aut firmiter id facere proponentes, orando ter Pater, & Aue ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, consequuntur Indulgentias trium annorum, & totidem Quadragenarum, *Leo X. Constit. cit. apud Peyrinum*, vniuersis Christi Fidelibus supradictam Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis, quibuslibet Dominicis totius anni.

Decimosextò, in sextis ferijs cuiusuis septimanæ per totum annum, Regulares visitando item propriam Ecclesiam, contriti quoque ac confessi, & vnum solùm Pater & Aue recitando, centum dierum de iniunctis sibi pœnitentijs relaxationem acquirunt. *Clem. VII. Const.4. apud Peyrinum* concessit vniuersis Christi Fidelibus, qui dictis diebus Neapoli Ecclesiam S. Ludouici Patrum Minimorum visitauerint. 504

Præter has Indulgentias, quas sedulò tam in ipsis Pontificijs Bullis, quàm in citatis authoribus reuidi: supersunt adhuc plurimæ aliæ præsertim quas recensèt *Casarub.* sub titulo *Indulgentiæ quoad sæculares* (quas Religiosi quoque lucrari possunt, si proprias Ecclesias visitauerint & præscripta adimpleuerint) non tamen in eis inuenitur vlla Indulgentia plenaria, præterquam in Festis Sanctorum Ordinis: quæ cùm ob sui multitudinem ac prolixitatem haud facilè enarrari queant, apud eundem *Casarubium Tit. cit.* videri poterunt. Asserit *Gobat de Indulgent. par.2. cap.28. q.70. à num. 574. ex ipso Casarubio l. c.* quòd *visitantes Ecclesias Ordinum Mendicantium, in ijsque orantes consequuntur varias Indulgentias. Et inprimis quidem, tot Pontifices partim centum dies, partim vnius anni Indulgentias concesserunt visitantibus religiosè, quocunque die, aut hora diei, Ecclesias quorundam Ordinum Mendicantium, præsertim Minorum, & Carmelitarum, vt excrescant singulis diebus, ad 40. annos & 50. dies, vt videre est in Casarubio, Verbo Indulgentiæ quoad sæculares 3. num.9. & 11. Deinde qui aliquo per annum sublato, vel Dominico, vnam ex eisdem Ecclesijs visitat, fruitur Indulgentia 40. annorum, totidem quadragenarum, & septimæ partis peccatorum. Casarubius l. c. nu. 10. Præterea qui quocunque die Quadragesimæ, visitat aliquod templum Fratrum Minorum, consequitur vt minimum Indulgentiam 40. annorum, Casarubius ibid. At qui feria quarta aut 6. quadrage-* 505

*dragesimæ, visitat templum aliquod Patrum Carmelitarum, obtinet Indulgentiam 80. annorum; & totidem quadragenas, ibid. nu. 7. Denique qui in festiuitatibus Christi Domini, & Beatissimæ Virginis accedit piè ad templum, aut templa alterutrius horum Ordinum, obtinet plusquam 60. annorum Indulgentias adeoque singulis festiuitatibus valde multorum annorum, vt videre est apud Cæsarubium 1. nu. 9. & seqq.* hæc *Gobat*, & ante ipsum *Pellizzarius tr. 8. cap. 5. num. 239.* vbi tamen calculationem suam, specialiùs ad eas restringit, quæ tempore Quadragesimæ, visitando Regularium Ecclesias, lucrifieri possunt, (testimonio etiam *Cajarubij Veri. Indulgent. quoad sæculares 2. num. 3.* summam Indulgentiarum à varijs Pontificibus concessarum, visitantibus in Quadragesima Ecclesias Fratrum Minorum, ascendere ad numerum annorum 3857. & dierum 207. *Non explicat tamen Cæsarubius* (inquit *Pellizzarius*,) *an tales concessiones factæ fuerint viuæ vocis oraculo, nec ne*.

506 Si autem *Pellizzarius* per hæc verba insinuare velit, quòd si talis Indulgentiarum summa, solo viuæ vocis oraculo concessa fuisset, de earum valore dubitari meritò possit, an talis concessio etiamnum subsistat; cùm fortassis reuocata sit per generalem viuæ vocis oraculorum reuocationem, factam *à Greg. XV. & Vrbano VIII.* facilis ad hoc dubium est responsio, duce *Peyrino tom. 3. priuil. Cap. 12. Constitut. 18. Vrbani VIII. Not. 1. num. 1.* qui ibidem sustinet reuocationem oraculorum viuæ vocis, non esse intelligendam de ijs, quæ concessa fuere ante *Gregorium XIII.* ab hoc enim Pontifice PP. Minimis confirmata sunt omnia Priuilegia, etiam viuæ vocis oraculo concessa: confirmatio autem facta fuit *ex certa scientia*, quæ clausula robur habet nouæ concessionis, vnde non remanent amplius viuæ vocis Oracula, sed transeunt in Priuilegia Bullata, teste *Peyrino*, qui ait: *Ista reuocatio non intelligitur de viua vocis oraculis concessis ante Gregorium XIII. seu etiam ab ipso Gregorio ante confirmationem de qua &c. Quia iste Pontifex ea omnia confirmauit per suam Constitutionem primam ex certa scientia, quam habes tom. 2. nostror. Priuileg. in Gregorio XIII. quæ clausula vim habet nouæ concessionis*. Idemque asserit de Oraculis viuæ vocis, concessis ante *Pium V. Nam* (ait) *& iste Pontifex illa omnia innouauit, & de nouo concessit ex certa scientia*. Hinc consequenter concludit: *Cùm itaque isti duo Pontifices per confirmationem, & innouationem ex certa scientia, quæ nouæ concessionis vim habet; priuilegia viuæ vocis Oraculis concessa confirmarint in genere & in specie per suas particulares Constitutiones, iam illa desinunt esse concessa per viuæ vocis Oraculum, sed sunt concessa per nouas dictorum Pontificum Constitutiones: quæ sub ista reuocatione cadere non videntur, saluo semper meliori iudicio, & stylo Curiæ Romanæ aliter interpretante, & sentiente*.

Quinimo ipsemet *Pellizzarius tract. 8. cap. 1. sect. 5. à nu. 131.* huic doctrinæ subscribit, non solùm eam asserendo contra *Bordonum*, sed etiam roborando amplissima confirmatione nostrorum Priuilegiorum, facta à *Greg. XV. die 6. Octobris 1621. in Bulla, In Apostolicæ, &c.* habetur *in Compend. Priuileg. Theatinor. in Editi. Verbo Confirmatio*: quæ à sua Sanctitate concessa est absque clausulis restrictiuis, aliàs in Priuilegiorum confirmatione apponi solitis: vi cuius (ait ipse) *viuæ vocis Oraculo concessa, facta sunt Bullata* quòd fusiùs defendit *in Epistola Typographica ad Lectorem eiusdem tom. 2. Manual. Regul.* 507

At enim, licèt cum citato *Bordono* concedamus contra *Peyrinum*, quòd nec vi prædictarum Pontificiarum Confirmationum, nec quacunque alia de causa Priuilegium viua voce concessum, transire vnquam possit in priuilegium Bullatum, ac proinde generaliter omnia sint reuocata à *Gregorio XV. & Vrbano VIII. Neque tamen cadunt sub ista reuocatione* (subiungit *Peyrinus num. cit.*) *viuæ vocis Oracula, concedentia Indulgentias*: redditque rationem, quam & nos alibi attigimus: *Quia* scilicet *Indulgentiæ non nominantur, nec hæ verè commodè possunt nomine Priuilegiorum, aut gratiarum, sed sunt omnino diuersa, & à diuersis non fit illatio, præsertim in odiosis, qualis est hæc Constitutio, cùm sit reuocatoria to: Priuilegiorum*. Nec dissentit ab hac doctrina *Bordonus*, cum & ipse *resol. cit. qu. 4. num. 4.* aperte eam tradat hisce verbis: *Non sunt sublatæ Indulgentiæ viuæ vocis Oraculo concessæ. Tum quia nulli præiudicant. Tum quia de his non fit expressa mentio in Constit. reuocatoria; sicut enim Indulgentiæ non intelliguntur concess-* 508

*concessa, nisi de illis fiat expressa mentio, ita neque sublata sine illarum expressa mentione: Indulgentia enim est maximum Priuilegium, quod ideò non venit sub communi nomine aliarum concessionum, & gratiarum. Tum quia id videtur intelligi ex Nauarro Consil. 17. de pœnit. num. 3. dum dicit, eas non venire sub nomine Indultorum, & gratiarum, quas solent reuocare Summi Pontifices initio suæ assumptionis per regulas Cancellariæ, & ita tenet Peyrinus, &c.* Adducit hìc *Bordonus* in confirmationem suæ doctrinæ, imprimis, quòd Indulgentiæ nemini præiudicant, adeoque concessas etiam viuæ vocis oraculo non comprehendi in generali viuæ vocis oraculorum reuocatione. Ait autem hoc cohærenter suæmet doctrinæ, à se traditæ *num. praeced. 2. & 3. q. 2. & 3.* quia nimirum causa finalis, quæ Pontificem ad hanc oraculorum reuocationem mouit, alia non fuit, quàm quòd (vt Bulla ipsa reuocatoria loquitur) *minus canonica interpretatione extendantur, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandentur: causa autem finalis est illa, quæ restringit, aut ampliat Constitutionem ad limites suos l. cum pater §. Dulcissimis. ff. de legat. 2. & docet Host. quem refert, & sequitur Panorm. in c. Ecclesia, de Immun. Eccles. num. 5. & 6.* Sed vsus talium oraculorum fauorabilium, cuiusmodi in re nostra sunt illa de Indulgentijs, nullatenus, vt patet, in detrimentum cedere potest disciplinæ Ecclesiasticæ; imò maximum tam sæcularibus, quàm Regularibus affert emolumentum: ergo &c. Id porrò confirmatur cum eodem *Bordono num. 3.* quia reuocatio in malam partem sonat, & in tantum adhibetur, in quantum id, quod reuocatur, cedit in præiudicium at verò Indulgentiæ præfatæ, etiam oraculo viuæ vocis concessæ, adeò præcisè sunt fauorabiles, vt neque per accidens vllum cuiuis nocumentum afferre queant: *ergo* (concludit) *non intelligantur reuocatæ, sed persistere in suo robore, quod valde consentaneum est, cùm sint multùm vtiles:* ita ille: non obstante, quòd apertè asserat contra *Peyrinum resol. cit.* Priuilegia viua voce concessa, quantumuis postea per Bullas Pontificias, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis confirmata, & innouata, cadere nihilominus sub reuocationem *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.*

509 Concessit præterea *Vrbanus IV.* (vt refert *Cæsarubius cit. Verbo Indulg. quoad sæcul. 2. num. 2. de Vrbano IV.*) quadraginta annos Indulgentiarum, ijs, qui in Quadragesima visitauerint Ecclesias Fratrum Minorum; *Non exprimit tamen* (ait *Pellizzarius tract. 8. cap. 5. sect. 5. num. 239.*) *an talis concessio facta sit pro vnoquoque die Quadragesimæ, an verò pro toto curriculo illius, ita vt summa illorum 40. annorum diuidi debeat ad singulos dies Quadragesimæ, non autem tota simul acquiratur vnoquoque die; quod puto esse valde probabile; nimirum vt dicta Indulgentia, diuidi debeat ad ratam singulorum dierum Quadragesimæ.*

510 Affero tandem verbotenus, quantum de Indulgentijs, quæ per visitationem Ecclesiarum Ordinum Mendicantium acquirunt, scripsit *Augustinus à Virgine Maria Carmelita*, in suo opusculo *De Priuilegijs omnium Religionum, sub hoc titulo: Indulgentiæ concessæ Visitantibus Ecclesias Mendicantium, pag. mihi* 377. cuius doctrina tanquam singulariter notanda, ad verbum etiam refertur à *P. Bonagratia in Summula qq. Regularium verbo Priuilegium sub n.* 420. *In Additione pag. mihi* 789. hisce ipsius formalibus.

*Longior essem in recensendo singulas in specie, vnam refero, cæteras virtute complectens, vel saltem excedens.*

*In Libro Priuilegiorum Fuliensium impresso Parisijs, Sumptibus Monasterij S. Bernardi eiusdem Congregationis, Anno 1628. habentur in pag. 97. Litteræ monitoriales datæ anno 1624. Pontificatus Vrbani VIII. anno 2. 25. die Octobris: in quibus Ioannes Dominicus Spinola Prothonotarius Apostolicus, vtriusque Signaturæ S. D. N. Papæ Referendarius, ac Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex Ordinarius; sententiarum quoque, ac censurarum, tam in eadem Romana curia, & extra eam latarum, ac Litterarum Apostolicarum vniuersalis, & merus executor, ab eodem Sanctissimo specialiter deputatus; ex Authenticis instrumentis, per Procuratorem Generalem Fuliensem sibi exhibitis; hoc modo ratiocinatur.*

*Omnia priuilegia, & Indulta, Ordini Cisterciensi, aut quibusuis eiusdem Congregationibus concessa, vel concedenda, communicantur Fuliensibus à Sixto V.* (*Id. Nou. 1587. B. supra specula, 70. apud Cher.*) *& Clem. VIII.* (*4. Septemb. 1592. B. Pastoralis 12. apud Cher.*)

qui

qui, & insuper adijcit priuilegia, & indulta concessa, & concedenda quorumlibet Ordinum, & Congregationum, vtriusque sexus Professoribus: Monasterijs, Ecclesiis tam in Vrbe, quàm etiam in quibuscunque mundi partibus existentibus. Item Greg. XIV. Bulla, Romanus Pontifex (anno 1591. 28. Iunij 3. apud Roder.) Congregationi Regulari S. Bernardi Regnorum Hispaniæ, & illius vtriusque Sexus Monasterijs, Ecclesiis, pijs locis, &c. communicauit omnia Priuilegia, Indulgentias etiam plenarias, &c. concessa, tam eidem Ordini Cisterciensi, quàm alijs Ordinibus, & eorum Congregationibus, Monasterij, Domibus, Ecclesiis, Confraternitatibus, ijs, & charitatiuis locis, eorumque in quibusuis Festiuitatum, ac alijs diebus Ecclesias visitantibus, tam in Vrbe, quàm in quibuscunque Mundi partibus consistentibus,

## Atqui

511 Sixtus V. anno 1587. idibus Iulij (B. Sacro Sancta, 60. apud Cher. Confraternitatis, & Monasterij Monialium sub Regula S. Benedicti Congregationis S. Bernardi Cisterciensis Ordinis, Ecclesiis in Vrbe tunc existentibus, & pro tempore construendis, uniuersisque vtriusque sexus Christi Fidelibus, easdem Ecclesias deuotè visitantibus, nec non Missas in eis, vel earum aliquibus, celebrantibus, vel celebrari facientibus, quouis modo, & quocunque totius anni die in perpetuum, concessit omnia, & singula priuilegia, Indulgentias etiam plenarias, & peccatorum remissiones, &c. quæ concessa fuerunt Confraternitatis Cathecumenorum de Vrbe Ecclesiis, Cappellis, & eas visitantibus. Confraternitatis verò istius Monasterio, Ecclesiæ, & illa visitantibus Paulus III. 11. Cal. Martij an. 1543. (B. Illius qui, 37. apud Cher.) concessit omnia priuilegia, Indulgentias, etiam plenarias, &c. concessa & concedenda Imagini S. Saluatoris ad Sancta Sanctorum, & charitatis, ac Archihospitali S Iacobi in Augusta, & S. Spiritus Hospitalibus. ac Corporis Christi & Sacramenti, ac Campi Sancti, & alijs Confratribus Confraternitatum de Vrbe, nec non eidem Imagini, & Hospitali S. Spiritus, ac Campo Sancto, necnon fabrica Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, illiusque deputatis, eorumque, nec non B. Maria de Populo, & Consolationis ac S. Ioannis Baptista Florentinorum, aliisque eiusdem Vrbis Ecclesiis, ac illa, & illas visitantibus. Nec non Præsbiteris, qui in Monasterio, seu Hospitali, aut Ecclesia prædictis, quocunque anni tempore celebrauerint, & orauerint, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones, quæ celebrantibus in Scala Cœli nuncupata, Monasterio Trium Fontium extra muros Vrbis Cisterciensis Ordinis, cum Capella in Præsepe Domini, sita in Ecclesia B. Mariæ Maioris de Vrbe, ac animabus, pro quibus inibi ijdem Præsbiteri celebrauerint, & orauerint. (Notat hic P. Bonagratia in Margine, Ecce communicationem suffragiorum, & Altarium Priuilegiatorum.

## Ergo.

Fuliensium Ecclesiæ, Monasteria, & illas, 512
aut illa visitantes, gaudent æquè principaliter omnibus priuilegijs, Indulgentijs, etiam plenarijs, &c. concessis, & concedendis, quibuscunque Ecclesiis in Vrbe existentibus, & illa visitantibus,

## Sumptum.

Atqui cunctis Fidelibus notum satis est, non solùm frequentes, verùm etiam quotidianas in Vrbe Indulgentias etiam plenarias in pluribus Ecclesiis, atque Altaria priuilegiata esse.

## Ergo.

(Nulli dubium esse debet, quin Fulienses habeant in omnibus, & quibuscunque Ecclesiis vel Capellis, in quocunque totius anni die Plenariam Indulgentiam atque omnium peccatorum remissionem, ita quòd omnes Christi Fideles vtriusque sexus, qui eorum Ecclesias confessi, & contriti deuotè visitauerint, ibique pro Principibus Christianis, & S. M. E. pias preces effuderint, Indulgentiam plenariam, atque omnium peccatorum remissionem lucrabuntur quocunque anni tempore)

Consequenter Auditor præfatus inhibet, & mandat districtè, sub pœnis, quoad Episcopos suspensionis à Diuinis, interdicti Ecclesiastici; & ingressus Ecclesiæ: quoad alios verò excommunicationis, &c. ne quis audeat, vel præsumat dictos Fulienses contra formam dictarum Litterarum Apostolicarum molestare, &c.

Iam verò patet, eundem discursum præfatum formari posse pro singulorum Mendicantium Ecclesiis, & eas visitantibus, propter amplissimam illis factam communicationem Priuilegiorum, Indulgentiarum, &c. quarumlibet aliarum Congregationum, vt videre est verbo, Communicatio Priuilegiorum Mendicantium simul, & non Mendicantium.

In Præfato libro Priuilegiorum Fuliensium pag. 90. habetur etiam consultatio quædam data Romæ 8. Maij 1605. in qua, ex præfata duplici Bulla Sixti V. idem quod Auditor præfatus, concludunt sub suis signis Franciscus Suarez, Martinus

tinus

*tiltus Fornarius, Benedictus Iustinianus, qui tres sunt Societatis Iesu.*

513 *Aliud argumentum, quo idem concluditur manifestè, ducitur ex nostris Priuilegijs. Etenim Verbo praeced. num.* 4. *Honorius III. & Nicolaus IV. omnibus verè pœnitentibus, & manus adiutrices nostris Domibus porrigentibus, & illarum Fratribus, omnium peccatorum suorum veniam polliciti fuerunt. Atqui ibidem numer.* 9. *Gregor. XIII. eas omnes Indulgentias confirmauit, sic vt clausulam illam, de porrigendo manus adiutrices commutet in visitationem nostrarum Ecclesiarum, cùm certis alijs conditionibus ibidem expressis sub disiunctione, & ad libitum eligendis. (Sunt autem conditiones huiusmodi, vt refertur in dicto numer.* 9. *Qui illas Indulgentias consequi voluerint Ecclesias visitando, sint contriti, & confessi, ac loco Eleemosynæ prædictæ erogandæ, septies Orationem Dominicam, itidemque Salutationem Angelicam recitent; vel habitum dicti Ordinis, sicut in Litteris Apostolicis, &c. continetur, gestent; vel Vesperas pro Defunctis recitent; aut ante Sanctissimum D. N. I. Christi Corpus, terram exosculentur, ac pro hæresum extirpatione, Sanctæque Matris Ecclesiæ tranquillitate, Christianorumque Principum pace, & vnione pias ad Deum preces effundant &c.) Ergo quicunque, & quotiescunque sic nostras Ecclesias visitauerint, Indulgentiam plenariam consequuntur. Quibus ijsdem nostris monumentis ad eandem Indulgentiam statuendam vtitur Compendium Priuilegiorum Fuliensium, verbo Indulgentiæ quoad sæculares,* §.2.

514 *Porrò Paulus V. anno* 1606. *declarauit (per Breue Sanctitatis suæ, datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die* 23. *Maij* 1606. *super reuocatione, seu annullatione Indulgentiarum, Omnibus Ordinibus, & Congregationibus Regularibus concessarum, non fuisse mentis, & intentionis suæ, Indulgentias tam plenarias, & perpetuas, quàm quascunque alias per se, & Romanos Pontifices prædecessores suos, ac Sedem Apostolicam, quibuscunque Christi Fidelibus Ecclesias Congregationis B. M. Fuliensis visitantibus, hactenus concessas, reuocare, & annullare: sed illas in suo robore permansisse) viuæ vocis oraculo sub attestatione Cardinalis Bandini, authentica per Cardinalem Pamphilium Papæ Vicarium Generalem* 8. *in Priuilegijs eorumdem impressis Antuerpiæ* 1630. Hactenus *Augustinus à Virgine Maria Carmelita &c. in suo Opusculo c. Lugduni impresso anno* 1664. & cum ipso *P. Bonagratia Cappucinus loc. c.*

Protestor hic de nouo Lectori, non esse meæ intentionis, sustinere in hactenus enarratis Indulgentijs, aut imposterum adducendis quamcunque comprehensam in Generali Indulgentiarum reuocatione *Pauli V.*

## DVBIVM NONVM.

### *Quænam Indulgentiæ per modum suffragij, à Regularibus obtineri possint pro fidelibus defunctis?*

INdulgentiæ, quas Regulares pro Defunctis lucrari possunt, vel sunt immediatè à Summis Pontificibus concessæ ipsis Defunctis, vel sunt concessæ viuis, cum priuilegio, quòd etiam defunctis applicari valeant per modum suffragij: Cæterùm multæ ex vtraque hac classe, viuæ tantum vocis oraculo concessæ fuere: si autem istæ non cadant sub generalem Indulgentiarum reuocationem *Pauli V.* vt in alio Dubio demonstrauimus; multò minus comprehenduntur sub generali reuocatione oraculorum viuæ vocis, vt præcedenti Dubio docuimus cum *Peyrino, Bordono, Pellizzario, &c.* Quoniam verò circa dicta Priuilegia, & Indulta Indulgentiarum, videtur nonnunquam insurgere dubium, etiam apud homines doctos, & in materijs moralibus versatos, ita vt aliqui integram non præstent fidem, omnibus Indulgentijs à *Cæsarubio* in Compendio Minorum descriptis; aut ob earum multitudinem, aut quod maior illarum pars viuæ tantùm vocis oraculo concessa fuerit; vel certè, eo quòd talia Oraculo in dicto Compendio distinguantur in authentica id est, testimonio alicuius Eminentissimi Cardinalis roborata; & non authentica, id est, quæ tali testimonio carent, illa indicantur per O maius, hæc verò per o minus (vt videre licet in dicto Compendio sub titulo *Declaratio Breuiatarum allegationum.* Quocirca antequam ad enumerationem Indulgentiarum pro Defunctis concessarum deueniam, operæ pretium duxi, Dubium istud, quod etiam supra Indul- 515

gen-

gentias viuis concessas cadere potest, paucis enodare.

Proquo.

516 Suppono, omnia Priuilegia, indulta, & oracula, quæ *Casarubio in Compendio Minorum* recenset, ab eo non gratis ac temerè proferri, sed excerpta fuisse tum ex libris, ac scripturis publicis in Ordinum Archiuijs conseruatis, tum ex Bullis Summorum Pontificum, partim authenticis, partim non authenticis; tum etiam desumpta ab oraculis viuæ vocis, tam authenticis, quàm non authenticis; quo supposito, tanquam re certa, & indubitata, videndum est, quidnam de authoritate dictorum Priuilegiorum sentiendum sit. Quod ad Bullas Pontificias attinet, aduertunt Doctores, illas dici authenticas, quibus creditur absque alio adminiculo *C. cum dilect. de fide instr.* vnde scriptura authentica, illa habetur, quæ testimonijs probari potest, & omnia requisita habet, quibus talis esse conuincitur. Bulla ergo authentica, illa erit, quæ omnia ad sui probationem requisita habuerit, videlicet plumbum, seu bullam plumbeam appensam, nomen Pontificis in fronte, diem quo data fuit in fine, &c. *Bonacina in Bulla Cœnæ disp. 1. q. 1. puncto 1.* Hoc tamen est pro foro externo, quòd se fundat in præsumptione falsitatis, pro foro enim interno sufficit, quod aliqualiter constet, & habeatur moralis certitudo, eam esse Romani Pontificis, nec de ea moraliter dubitari posse, vt apertè docet *Suarez l. 8. de legib. cap. 24. n. 9.* hisce verbis: *Nam in foro conscientiæ sufficit notitia priuilegij moraliter certa, de qua probabiliter dubitari non possit.* Quare ad hoc, vt Priuilegium, siue deinde per Bullam, siue per Breue; seu viuæ vocis oraculo sit concessum, valorem suum obtineat, & eius vsus licitus sit, non requiritur solemnitas aliqua, aut promulgatio, *Suarez c. cit. n. 7. Naldus V. Priuil. n. 1.* cùm sola copia impressa sufficiat, imò neque hæc necessaria sit, quandoquidem scriptura non est de essentia Priuilegij *ex Clem. Dudum.* Vt probatum superiùs *Dub. 4. Cap. 2.* & tenetur communiter. Porro certitudo hæc moralis haberi potest, vel per ostensionem Priuilegij, vel per communem eius vsum, vel per aliam probationem, quæ iudicio viri prudentis sufficiens existimatur: *Suarez n. 9. cit. in fine.* Quòd ergo Bullæ, & Oracula authentica vel non authentica, quæ in publicis Monumentis, & Compendijs reperiuntur, certitudinem moralem efficiant, dubium non est. Id autem, quod omni dubio nos eximit, est Priuilegium ipsum *Leonis X.* Minoritis concessum, cuius tenor continetur in *Compendio Minorum Verbo, Priuilegia Fratrum num. 22.* sequentibus verbis: *Leo X. concessit, quòd Fratres Minores Regularis obser. securâ conscientia possint, vti omnibus eis concessis à Sede Apostolica, & Romanis Pontificibus, siue per Bullas vel Breuia, aut viua vocis Oracula (prout in libris Ordinum reperiuntur) ac si omnia specificè fuissent præfato Summo Pontifici expressa. Et pro maiori conscientiarum securitate, omnia præfata priuilegia de nouo concessit. Voluit etiam quod non sint minoris efficacia, & valoris viuæ vocis oracula, quàm si per Bullam, aut Breue ad perpetuam rei memoriam essent concessa. Sed hoc in foro conscientia tantùm.* Hoc idem Priuilegium præter alios etiam *Suarez* refert, *de legibus lib. 8. c. 2. num. 6.* Vbi præterea etiam notat quod *Hæc gratia fuit concessa ad tollenda dubia, quæ oriri possunt ex varietate opinionum, vt indicant illa verba (pro maiori conscientiarum securitate) Quia ergo valde incertum esse poterat quæ notitia concessionis sufficiat, ideò Pontifex adpacandas conscientias designat modum, dicitque sufficere, quòd per Bullas, aut Breuia, aut viua vocis oraculo sint concessa, & addit (prout in libris Ordinis reperiuntur) itaque vult sufficere, vt in libris Ordinis extet memoria talium priuilegiorum. Et ne fortè quis dubitaret, an aliqua essent aut malè intellecta, & per errorem ibi posita, vel aliter obsoleta, ideo addit, se pro maiori conscientiarum securitate illa de nouo concedere.*

Ex quo colligitur, præfatam distinctionem inter Bullam, Indultum, aut Oraculum authenticum, & non authenticum, pertinere tantùm ad forum externum; in quantum videlicet per eam indicatur, qualia Priuilegia & Oracula in foro externo authenticè probari possint, vel non. Cæterùm in foro conscientiæ, & interno, quoad certitudinem moralem, omnia pro indubitatis haberi debent, vt dictum est; prout etiam insi- 517

insinuat *Bordonus ref. 31. num. 1.* vbi ait, Oraculum viuæ vocis ex sua natura aliud non requirere, quàm, *quòd sit concessio seu gratia oretenus facta sine scriptura à Summo Pontifice*. Quia verò in foro externo, & in iudicio, probatio exigitur talis concessionis in forma authentica, ideo in tali casu, pro eiusmodi probatione, fidem requirit alicuius Cardinalis, aut duorum testium: pro foro autem interno, & ad constituendam moralem certitudinem sufficit quælibet notitia moraliter certa: quibus suppositis

518 Respondeo ad propositum Dubiũ, & dico Indulgẽtias, quas Religiosi per modum suffragij lucrari possunt pro Fidelibus defunctis, esse sequentes.

Primò, quilibet Sacerdos Regularis existens in Conuentu, in quo aliquis Confratrum sui Ordinis ex hac vita migrat, si pro eius Anima Missam pro defunctis celebrauerit, eam de pœnis Purgatorij per modum suffragij liberat similiter si Missam talem de Defunctis celebrauerit siue pro suis, siue pro alterius Religiosi Parentibus, aut ambobus, aut alterutro tantum, in loco tamen, vbi ipsi moriuntur, eos à Purgatorio liberat. Eandem gratiam consequitur celebrans Missam defunctorum pro Animabus benefactorum, aut Benefactricum, qui in vita sua, hospitio excipere soliti erant Religiosos sui Ordinis ibidem transeuntes: Item si quis Regularium celebrauerit Missam de Defunctis pro ijs, qui eorum Litteras Filiationis Spiritualis habuerint, eos per modum suffragij liberat è Purgatorio. Omnes has Indulgentias concessit *Clem. VIII.* Fratribus Minoribus in sua Constitutione, quæ incipit *De omnium salute* & refertur ab *Emmanuele Rodriq. in Bullar. Bulla 8. Clem. VIII. pag. mihi 528. Col. 1. & à Peyrino tom. 2. Priuil. Constit. 4. Clem. VIII.* vbi *vers. Noto 2. num. 2.* ait, hac Indulgentia gaudere Regulares communicationem habentes; neque reuocatam esse à *Paulo V.* in Constitutione reuocatoria Indulgentiarum; quia illa constitutio, non comprehendit Indulgentias concessas pro Defunctis, prout idem Paulus declarauit.

519 Secundò, ex concessione *Innocentij VIII.* teste *Antonio à Spiritu Sancto in Directorio Regular. par. 1. tract. 2. disp. 5. sect. 2. §. 3. nu. 42.* Religiosus Conuentualis celebrando pro Anima alterius Religiosi in Altari Maiori Ecclesiæ, liberat animam illius à Purgatorio; & animam Monialis, si celebret in Altari Maiori chori. Ita concessit *Innocentius VIII. Bulla VIII.*

Tertiò, quiuis Regularium celebrans tres Missas pro Anima Defuncti alicuius sui Consanguinei intra tertium gradum, in Altari suæ Ecclesiæ, à Superiore ad hoc designato, eam è pœnis Purgatorij liberat, haud secus, ac si celebrasset Romæ in Altari S. Gregorij, aut S. Sebastiani: *Peregrinus par. 1. Compend. Priuil. Theatin. Verbo Indulg. §. 15. ibi Leo X. Congregationi S. Iustinæ vt refertur in Compend. Priuileg. Canonic. Regularium Sancti Saluatoris in Lauro de Vrbe, qui eiusdem gratijs & Indulgentijs gaudent. Et in Compend. Priuil. Congreg. Sanctæ Mariæ Fuliensis Tit. Indulg. pro Defunctis §. 6.* Vide superius *Dub. 4. huius cap. num. 392.* 520

Quartò, si tria Sacra à Religioso celebrentur pro anima alicuius Defuncti ex suo Ordine (comprehensis etiam Nouitijs, Conuersis, ac famulis; Monialibus quoque eiusdem Ordinis; imò & aggregatis Fratibus, ac Sororibus per Litteras Gratiosas ad participationem bonorum operum) quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrauerit, liberabitur per modum suffragij à Purgatorij pœnis. Concessit *Gregorius XIII. Congregationi Sancti P. Benedicti*. Bullam refert *Emman. Rodriq. in suo Bullario Bulla 43. Gregor. XIII.* 521

Quintò, Religiosi celebrando pro Defunctis, secundis & quartis ferijs cuiuslibet septimanæ totius anni, lucrantur pro ijs per modum suffragij omnes Indulgentias, quas lucrifacerent, si celebrarent Romæ in Ecclesijs Sanctorum Sebastiani, Laurentij, & Aræ Cœli, S. Gregorij, & S. Pudentianæ, intra & extra muros Vrbis *Clem. VII.* Patribus Minimis, viuæ vocis oraculo, facto *Cardinali SS. Quatuor Coronatorum, 10. Iulij 1524.* vt refert *Peyrinus Const. X. Clem. VII.* vbi *n. 2.* quærit, an hoc priuilegio fruantur, si celebrent extra Ecclesias Ordinis? respondet dein *n. 5.* affirmatiuè; *dico frui vt patet ex illis verbis (vbicunque se transferre ex merito obedientiæ contingerit)* Notat 522

porro

porro *Peregrinus* §. *vltim. in Scholio*, quòd Priuilegium istud *Intelligendum est de quibuslibet Missis, quamuis non sint de Defunctis: Nam ita concessa sunt Priuilegia Altari Sancti Gregorij, Sanctæ Pudentianæ &c.*

523 Priuilegium istud grande est, quandoquidem vi illius, omnia Sacrificia, etiam de Sanctis & tempore, defunctis applicata, efficiuntur priuilegiata. Vtrum autem communicabile sit, patitur aliquam difficultatem: pro cuius resolutione, necessarium existimo, ipsamet Priuilegij verba hic afferre, quo melius considerari possint. Ait itaque: *Dilectis Nobis in Christo, Correctori Domus Sanctiss. Trinitatis de Vrbe, Ordinis Minimorum, ac alijs Fratribus Domus Sanctiss. Trinitatis duntaxat, Generali vero, ac Zeloso, nec non Prouincialibus, & localibus Correctoribus, & alijs Superioribus Ordinis pro tempore existentibus, ac vniuscuiuslibet ipsorum secundum Religionis ingressum antiquiori Socio, vbicunque se transferre contigerit, vt singulis secundis, & quartis ferijs cuiuslibet hebdomadæ totius anni, &c.* Ex horum verborum tenore colligi videtur, non esse communicabile, cum ipsemet *Peyrinus* affirmet, neque etiam extendi, vltra dictam Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis, ad alios Conuentus suæmet Religionis Minimorum extra Romam, vnde postquam proposuisset §. 1. *num.* 2. *An hoc priuilegium concessum Fratribus dicti Conuentus, extendatur ad omnes Conuentus Religionis?* respondet negatiuè per hæc verba: *Respondeo non extendi, nam conceditur Fratribus Domus SS. Trinitatis duntaxat, quæ dictio est taxatiua, de cuius natura est negare non expressè, quia habet negatiuam implicitam, Tuschus verbo Taxatiua, concl.* 23. *Ad quod non aduerterunt quidam, qui existimauerunt omnes Fratres Minimos celebrando dictis diebus, frui hoc Priuilegio, & fortè id practicarunt.* Si ergo per hanc taxatiuam particulam *duntaxat*, excluduntur omnes alij Patres Minimi, degentes extra dictum Monasterium, ab huius Priuilegij participatione: consequenter, à fortiori, alij Regulares Ordines; ergo non est communicabile.

Neque iuuat hic opponere amplissimam Priuilegiorum inter Regulares communicationem, per omnimodam similitudinem ad instar, æquè ac principaliter, ac si essent ipsis in specie concessa: hæc enim tunc solùm suffragatur, quando aliter non constat de voluntate concedentis, quod tamen in hoc casu apertè cernitur ex particula, *duntaxat*, quæ vt Canonistæ, ac Iuristæ definiunt apud *Barbosam dictione* 97. *Taxatiua est significans idem, quod Tantum, aut solùm. Limitat, & restringit. Et ita est taxatiua, & restrictiua, vt concludat negationem in alijs, de cuius natura est excludere omnes alias personas præter expressas.* Adde, quòd per præfatam generalem communicationem Priuilegiorum, illa non communicentur, quæ specialiter excluduntur; neque in clausulis generalibus communicationis, illa priuilegia includuntur, quæ specialiter exprimi debent; nisi peculiari clausula in ea concedantur: vti etiam docet *Suarez de legibus lib.* 8. *capit.* 17. sic argumentans: *Priuilegia, quorum communicatio specialiter prohibetur, valde specialia sunt, & quasi reseruata quoad modum concessionis; ergo nisi vel in communicatione fiat specialis mentio illorum, vel saltem reddatur clausula, per quam comprehendantur omnia priuilegia etiam illa, quorum communicatio specialiter prohibita est, per solam clausulam generalem non existimo talia priuilegia communicari;* huic doctrinæ etiam adhærent *Portellus, Verbo Communicatio Priuilegiorum numer.* 5. *Peyrinus in constit. Pyrrhi* §. 11. *numer.* 52. *in fine, & Bordonus resolut.* 52. *num.* 86.

Ad has oppositiones respondent *Rodriq. tom.* 1. *qq. Regul. qu.* 55. *art.* 7. *Io: de la Cruz in suo Compend. priuilegior. lib.* 2. *cap.* 4. §. 2. *sequitur*, & cum eo *Diana part.* 3. *tractat.* 2. *resolut.* 81. præfatam restrictionem non præiudicare subsequenti communicationi, factæ postea à varijs Pontificibus, qui generaliter, & absque vlla prorsus restrictione omnimodam Priuilegiorum communicationem concesserunt: At necdum per hanc responsionem proposita difficultas soluitur; quamuis enim communicatio absque restrictione concessa fuerit, remanet nihilominus communicatio per clausulas generales concessa, sub quibus non comprehenditur communi- 524

catione eorum, quæ, aut specialiter excluduntur, aut verisimiliter non concederentur, vt communiter Doctores, Et in specie, quod priuilegium vni Ecclesiæ, aut loco concessum, extendi non debeat ad aliam Ecclesiam, vel locum, habetur *Cap. cum Priuilegijs*. Quod si respondeas, hoc intelligendum, præciso Priuilegio communicationis: tibi replicat *Tamburinus de Iure Abbatum disput.* 17. *quæsito* 2. *num.* 7. *versu*, *non obstat*; *Talem communicationem non habere locum in exorbitantibus, & quæ rarò conceduntur*; sic cum *Rhota decis.* 214. *part.* 2. *Recent & decis.* 55. *num.* 14. *&* 15. *part.* 2. *Diuers. &c.*

525 Hoc tamen non obstante, existimo, & quidem absque hospitatione, per Communicationem Priuilegiorum (de Domo, ad Domum, & de personis ad personas, vt de facto habetur) communicari inter Regulares, præfatum priuilegium & absque vllo dubio practicari posse, quantumuis cum clausula restrictiua, *duntaxat*, concessum fuerit: pro cuius probatione, supponendum; quod nos Theatini (idem credo de omnibus alijs Religionibus) amplissimorum habemus communicationis Priuilegium, collatum à *Greg. XIV. sub die* 5. *Aprilis* 1591. registratum in Bullario Romano *tom.* 2. *Bulla* 31. *Greg. XIV.* & incipit; *Ad immarcessibilis*. §. 14. vi cuius conceduntur nobis §. 6. *Omnia priuilegia (etiam speciali nota digna) quibusuis Ordinibus Fratrum, & Sororum Mendicantium, illorumque Congregationibus, Conuentibus, Ecclesijs, personis, pijs locis, &c. concessa; & æquè principaliter, &c.* Per hanc ipsam Bullam, gaudemus nos (sicut & alij Regulares) illo quoque Priuilegio, quod idem Pontifex *Gregor. XIV.* concessit Congregationi Hispanicæ Sancti Bernardi, *sub die* 28. *Iunij* 1591. cuius initium; *Romanus Pontifex*: & refertur à *Rodriquez in Bullario Bulla* 3. *sub Gregor. XIV. de verbo ad verbum*, Priuilegium istud maius est, & amplius præcedenti, per hoc enim concedit sua Sanctitas non solùm communicationem cum omnibus Religionibus, sed eam concedit insuper *Non obstantibus clausulis annullatiuis, cassatiuis, exceptiuis, ac etiam communicationis prohibitiuis, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis irritantibus in genere, vel in specie*. Neque in dubium vocari potest hoc priuilegium, *est enim authenticum apud Patres S. Pudentianæ Romæ*: ait *Peregrinus in Compend. in Scolio Introd.* §. 7. Cùm ergo (vt habetur etiam ex *Suarez cap.* 17. *cit. in fine*) *in parem non habet imperium*, & Summus Pontifex, qui concedit Priuilegium cum clausula taxatiua, aut etiam prohibitiua, non possit præiudicare potestati Successoris, concedentis communicationem eiusdem Priuilegij, si hanc communicationem concedat cum clausulis insolitis, vt hic *Gregor. XIV. Non obstante* (ait) *clausula taxatiua, & communicationis prohibitiua*: cessabit consequenter omnis scrupulus, nec dubio locus relinquetur, quin possint Religiosi, vi huius priuilegij, vti præfato, celebrando Missam secunda, & quarta feria cuiusuis septimanæ &c. præsertim cùm sit maximè fauorabile, nec in præiudicium cuiusquam cedat, vt communiter explicant Doctores.

Sextò, si Religiosus, Sabbatho ante Dominicam Palmarum, & binis Festis Sancti Ioannis Euangelistæ, videlicet 6. *Maij &* 27. *Decembris*, dixerit septem Psalmos Pœnitentiales, aut quinquies Pater, & Aue, ante Altare Sanctissimi Sacramenti, & semel Coronam Beatissimæ Virginis pro sua Sanctitate, liberat vnam Animam ex Purgatorio. Concessit *Leo X.* PP. Minoritis. *Rodriquez tom.* 2. *quæstion. Regular. quæst.* 96. *articul.* 1. *in princip.* & cum eo *Augustinus à Virgine Maria de Priuilegijs omnium Religiosorum, Verbo Indulgentia pro Defunctis numer.* 2. vbi *num.* 1. cum communi Doctorum asserit *Paulum V.* non reuocasse Indulgentias pro Defunctis; *Hinc* (sunt illius verba) *Doctores communiter concludunt, non obstante Indulgentiarum reuocatione facta à Paulo V. Anno* 1606. *posse tamen adhuc Regulares lucrari omnes Indulgentias illis concessas ante annum* 1517. *quatenus vi concessionis præfatæ Leonis X. possunt applicari Defunctis: quia Paulus V. non est credendus per suam illam constitutionem reuocasse Indulgentias pro defunctis concessas* 526

*cessas, & hoc etiam ipse dicitur declarasse, &c.*

527 Septimò, inter Indulgentias Stationum quas etiam Religiosi, vt præcedentibus Dubijs visum est, lucrari possunt, multæ reperiuntur (saltem iuxta opinionem classicorum Authorum) quæ secum portant diuersas liberationes Animarum ex Purgatorio: vt passim videre licet, maximè apud illos (quorum haud exiguus est numerus) qui confecere Summaria Inndulgentiarum Stationum, & Ecclesiarum Romæ, in quibus distinctè notant dies, pro tali liberatione destinatos.

528 Aduertat præterea hic Lector, posse Regulares, quoties voluerint, applicare Indulgentias Stationum pro Animabus in Purgatorio idque ex Indulto *Leonis X.* qui viuæ vocis oraculo dixit FF. Minoribus: *contenti sumus*, quòd omnes Indulgentiæ, etiam plenariæ, tam à Nobis, quàm à Prædecessoribus nostris concessæ, Fidelibus Defunctis applicari possint per modum suffragij. *Die 3. Februarij* 1517. Et apud eundem *Tom. 2. qq. Regular. quæst. 96. artic.* 8. Et in *Compend. Hieronym. Rodriquez resolut.* 77. *num.*72. Habetur etiam *in Compend. Theatin. part.* 1. *Verbo Indulgent.* § 10. *in Compend. priuileg. Sanctæ Mariæ Fulensis Titul. Indul. pro defunctis* §. 4. *in Compend. Societatis Iesu. Titul. Indulgent.* §. 10. Et passim in alijs Authoribus: esseque verum, & indubitatum asserit *Emman. Rodriq. art.* 8. *citat.* Vbi simile aliud adiungit concessum Confraternitati Cinguli S. Francisci, his verbis: *Quod vltra id, quòd verum est, & indubitabile, possumus etiam Indulgentias pro Defunctis applicare per concessessionem à Sixto V. factam in Bulla erectionis Confraternitatis Chordæ B. Francisci, datam Romæ apud Sanctum Petrum Anno Domini 1586. die 7. Maij Pontificatus eius anno secundo, vt patet ex eius verbis: ibi (eisdem Confratribus Chordigeris, vt Indulgentias, & peccatorum remissiones præfatas, per modum suffragij, pro fidelibus, qui in gratia Dei decesserint, consequi, impertiri valeant, decernimus.)* Cum ergo inter Indulgentias à Prædecessoribus *Leonis X.* Minoritis concessas, numerentur etiam Stationes, vt constat, & affirmatur à *Gobat de Indulgent. part. 2. capit.* 43. *numer.* 769. *Inter Indulgentias, quæ à Prædecessoribus Leonis X. erant impertitæ Minoribus, sunt Indulgentiæ quoque Stationum, vt patet vel ex Compendio nostrorum priuilegiorum Verbo Indulgentia.* §. 2. poterunt consequenter Regulares, & qui cum ijs in Priuilegijs, & Indulgentijs communicant, pro Fidelibus Defunctis, præter tot alias partiales, & plenarias, applicare etiam Indulgentias Stationum: hanc eandem consequentiam deducit *Gobat loc. cit. numer.* 770. his verbis: *Vnde deduces, tum plurimas alias partiales, & plenarias: tum singulariter Stationum Indulgentias in Defunctos transferri posse ab omnibus, qui habent Indulgentiarum cum Minoribus communicationem.* Vbi ex eodem indulto hanc insuper iure optimo deducit consequentiam: *Quapropter potest quiuis Religiosus Mendicans quotidie, si velit, non vni duntaxat, sed pluribus Animabus suffragari.* Ita ille *num.* 771. Ratio est, quia *pro illis etiam possunt sumi in vno die multoties, quod est valde notandum*, ait *Diana part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 104. *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 2. *& res.* 45. & alij apud ipsum, in specie *Trullench. in Bulla Cruciatæ lib.* 1. §. 6. *dub.* 4. *num.* 2. (Quod si eorum sermo sit de plenarijs cum visitatione Ecclesiæ, vtique modo explica, ac intellige, *in vno quidem die multoties*, at in diuersis Ecclesijs, non in vna eademque, aliàs moderno Decreto S. Congregationis Indulgentiarum expressè aduersari videremur, quod nec volumus, nec possumus, nec intendimus.) Licèt autem hi Authores loquantur de Indulgentijs Stationum, quæ aquiruntur vi Bullæ cruciatæ, nos tamen hic eorum doctrinam (sub dicta explicatione tamen) nostro casui applicamus, & idem de Regularibus dicimus: affirmando, sæpius eodem die lucrifieri posse (sed in diuersis tantùm Ecclesijs) Indulgentias Stationum plenarias, si præscripta in ijsdem Ecclesijs adimpleantur, atque adeò pluribus succurri Animabus:

Ex quibus inferas, posse Regulares, lucrando pluries (in pluribus Ecclesijs) de die Indulgentias Stationum, & iuuare seipsos, & plures Defunctorum Animas; seipsos, cum lucrantur Stationes per se: Defunctos,

cùm & pro ipsis sæpius de die ( vt supra ) eas lucrantur : hocipsum *Rheita* inferre voluit apud *Gobat Capit. 8. citat. num.* 347. dum asseruit : *Cùm quotidie tribus locis Romæ Indulgentiæ plenariæ Stationum habeantur , omnes qui volunt , possunt sæpius in die ijs iuuare Defunctos* . Et hic etiam ly *sæpius in die* , intellige iuxta *S. Congregationis Decretum* , vt supra , cum *Rheita* de vnica Ecclesia locutus fuerit,

Inferas vlterius , posse eodem modo plures vno die Indulgentias diuersas locales,& reales imprimis pro se, deinde pro Fidelibus Defunctis lucrifieri : imò id absolutè faciendum hortatur . *Andreas Mendo in Epitome Opinion. Moral. Verbo Indulgentia num.* 12. *pagin.* 357. *Quia obtenta vna Indulgentia plenaria , remittitur tota pœna , non manet materia , nec capacitas obtinendi aliam , ideoque non obtinentur plures , & obtenta vna Indulgentia sibi , manet capacitas in Anima Purgatorij vt offeratur pro ea satisfactio ex thesauro Ecclesiæ* . Ita ille . Quamuis vt ait, *Gobat capit.* 8. *citat. numer.* 349. etiam . *Per se potest quis sæpius in die lucrari Indulgentiam ( addo diuersam ) plenariam* ( quia nimirum ) *potest vtique fieri , vt postquam est prima vice lucratus , labatur eodem die in peccatum egeatque nouo lytro* .

530 Inferas tertio , vi diuersarum Indulgentiarum , quas penes se habeat Sacerdos , siue Regularis , siue sæcularis , posse per vnicum Sacrificium , per modum Suffragij , liberare plures Animas è pœnis Purgatorij . Clara est hæc illatio ex doctrina superiùs tradita : quæ ( vt suppono ) alicui Decreto aduersari haud videtur . Sit exempl. grat. Sacerdos Regularis, qui habeat Numisma cum Indulgentijs S. Caroli Borromæi , concessas à *Paulo V.* 18. *Nouembris* 1610. occasione Canonizationis eiusdem : & aliud Numisma cum Indulgentijs quinque Sanctorum , Isidori , Ignatij , Francisci , Theresiæ, & Philippi Nerij , concessis à *Gregorio XV. Anno* 1622. tempore Canonizationis eorundem , quæ certè reuocatæ non sunt , licèt non amplius concedantur , *Lezzana numer. citat.* & alij communiter ; si talis Religiosus, secum habens dicta numismata , celebret Missam secunda , aut quatta feria , quæ pro ipso Priuilegiatæ sunt , aut in altari aliquo priuilegiato , & oret pro Defunctorum Animabus , liberabit , si velit, eodem Sacrificio per modum suffragij ex Purgatorio tres simul Animas : Vnam , quia Sacrificat in Altari priuilegiato : Alteram , per expressam concessionem Indulgentiarum S. Caroli , in qua §.5. ita habetur : *quoties celebrabit Missam , siue ex deuotione , siue ex obligatione , & orauerit pro defunctis , liberabit vnam Animam ex Purgatorio* . Tertiam denique propter Numisma Quinque Sanctorum : cùm in concessione harum Indulgentiarum . §. 1. ita pariter Pontifex loquatur : *Qui habuerit vnam ex prædictis Medalijs , Imaginibus , &c. & celebrauerit Missam , siue ex deuotione , siue ex obligatione , ac orauerit pro Animabus Purgatorij secundum suam intentionem , per modum suffragij , &c.* Et si habuerit adhuc aliud Numisma , diuersum ab istis , cum similibus Indulgentijs , poterit , & quartam Animam eximere pœnis : imò verò vi huiuscemet Indulgentiæ quinque Sanctorum id potest ; si nimirum pro quarta Anima per modum suffragij applicet Indulgentias plenarias eiusdem Numismatis , quas Sacrificans pro se consequi posset : id autem validè fieri posse, patet ex formula harum Indulgentiarum , quæ §. *vlt.* hæc verba terminantur . *Omnes prædictæ Indulgentiæ applicari possint. defunctis per modum suffragij* . Hæc omnia legitimè inferuntur ex premissis doctrinis ; quòd scire , probabilissimum esse, summopere expedit; maximè eos , qui erga Animas in Purgatorio deuoti sunt, vt pietas illorum , in ijs iuuandis, hinc magis incitetur : ac promoueatur : quòd si priùs sciuissent , prius fortè in opus deduxissent. Hanc ipsam doctrinam suo quoque calculo firmiùs adhuc roborat *Lezzana , Verbo Indulgentia quoad Regulares* , vbi ait : *Nota secundum probabilissimam Opinionem quorumdam , quòd habens diuersas Medallias , diuersas benedictiones , à diuersis Pontificibus habentes , potest eodem actu iniunctio ( eodem Missæ Sacrificio videlicet , vel Communione eadem ) diuersas illas Indulgentias conse-*

*consequi*. (Idque intellige, cum limitatione tamen, prout in *citato Decreto Indulgent.* tam pro viuis, quam pro Defunctis, cùm vtrobique eadem currat ratio.) *Ratio est, quia priuilegium, priuilegio non aufertur, & quia non est maior ratio, cur Indulgentia vnius Medallia potiùs, quam alterius, eo actu (Missa videlicèt, vel Communione) obtineatur. Ergo vel omnium, vel nullius, quod esset absurdum. Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 17. num. 5. Sà, in Summa, Verbo Indulg. n. 18. Naldus in Summa Verbo, Indulg. nu. 5.* At meliùs propriè casum nostrum pertractat *Gobat par. 2. de Indulgent. Cap. 25. q. 71. num. 513. 514.* sequenti verborum serie (quē etiam refert, nec etiam refert, nec etiam improbat *Diana par. 10. tract. 16. & Miscell. 6. res. 14. in fine*) *Quoties Sacerdos habens secum Imaginem, Medallium &c. affectum Indulgentijs quinque Sanctorum, sacrificat in Altari priuilegiato orans pro defunctis, liberat si velit, tres Animas à Purgatorio; primam, ratione Altaris priuilegiati; secundam ratione concessionis qua fit expresse in §. 1. Indulgentiarum Quinque Sanctorum; tertiam, ratione concessionis, qua fit §. 13. earumdem Indulgentiarum, nam illic dicitur, omnes Indulgentias ea formula seu Breui concessas, posse applicari per modum suffragij Animabus Purgatorij: Ergo Indulgentiam plenariam, quàm sibi potest sacrificans acquirere, iuxta cit. §. 1. poterit per modum suffragij applicare tertia anima. Quòd si habeat insuper Indulgentias Extraordinarias ab Vrbano VIII. concessas, faciatque sacrum aliquo ex diebus in formula harum Indulgentiarum nominatis, poterit secundum sententiam Henriquez relatam num. 212. quartam animam illis pœnis eximere; & quintam, si præterea adhuc habeat Indulgentias S. Caroli iuxta §. 17. illarum Indulgentiarum. Et idcirco hæc adeò particularia commemoro, quia non dubito, quin multi has doctrinas in vsum redigerent, si nossent esse probabiles.* Hactenus *Gobat l. c.* qui etiam antea *par. 1. cap. 18. q. 68. n. 214.* dixerat, quod habens Numismata, cum Indulgentijs S. Caroli, & Quinque Sanctorum, quoties communicat, & pro fidelibus Defunctis orat, duas Animas è Purgatorio liberare possit, iuxta opinionem *Henriquez*, & aliorum ab ipso relatorum *num. 212.* & si fuerit Dominica Communicationis Generalis, liberabit & tertiam, si tamen iniuncta, pro consequenda Indulgentia Communionis Generalis, adimpleuerit, quæ ipse describit in *Opusculo de Iubilæo q. 73. n. 191.* & *num. 214.* denuò repetit, quòd nimirum *Sacerdos habens Numisma affectum tam Indulgentijs quinque Sanctorum, quam Extraordinarijs ab Vrbano VIII. concessis, liberat iuxta eandem opinionem Henriquez tres Animas à Purgatorio, quando Sacrum facit in Solemnibus Festiuitatibus recensitis in Breui, modò seruet duas conditiones in §. 1. illius Breuis indicatas.* Hæc *Gobat*, quæ, vti & superiùs allata, tum ex ipso, tum ex alijs toto hoc numero, nec non duobus antecedentibus recensita, intelligantur ad normam tantum supra recitati *Indulgentiarum Decreti*, nec aliter, vel alio modo, &c.

531 Opponi hic posset: quod Summus Pontifex iniungendo opus pro consequenda aliqua Indulgentia, intendat imponere onus, ratione cuius Indulgentia aquiratur; ergo per vnicam communionem v. g. aut celebrationem Missæ, vt dictum, non poterunt plures Indulgentiæ acquiri, aut plures Animæ liberari; Antecedens est irrefragabile; consequentia probatur; cùm enim opus iniungatur sub formalitate oneris, non sufficit pro aquirenda alia Indulgentia, aliàs non iniungeretur nouum onus respectu posterioris Indulgentiæ. Et confirmatur, quia quælibet Indulgentia, sicut propriam debet habere concessionem, ita proprium requirit onus, & nouam secum trahit obligationem ad distinctam substantiam operis: quocirca *Quintan. in Append. tract. 9. dub. 6. num. 8.* cum alijs ibidem citatis asserit, infirmum, si plures habeat res benedictas cum diuersis Indulgentijs, posse in Articulo Mortis pluries lucrari Indulgentias plenarias, si pluries repetat inuocationem Nominis Iesu, quia quælibet Indulgentias propriam requirit inuocationem; ergo &c. Videatur etiam, quid circa hanc oppositionem decidat *Passerinus de Indulg. qu. 42.* & quid de ea censeat *Pasqualigo tom. 1. de Sacrificio Missæ qu. 755.* vbi relatam à nobis, & approbatam *Gobati* doctrinam in controuersiam deducit.

532 At respondetur ad hanc oppositionem absque difficultate, distinguendo inter opus & opus; quædam non: quæ

E 3 mul-

multiplicari possunt, vt inuocatio Nominis Iesu &c. toties præstari debent, quoties quis Indulgentias lucrari vult, siue illæ Indulgentiæ concessæ sint ab eodem Pontifice, siue à diuersis; idque ob rationes in oppositione adductas. Cæterum opera, quæ multiplicari non possunt eodem die, v. g. Communio, Ieiunium & valet vnum ex ipsis (etiam iuxta opinionem *P. Pasqual. de Iubil. q.44. Passerini quæst. cit.42.* & aliorum) pro consecutione diuersarum Indulgentiarum, quæ eodem die acquiri possunt: talis enim interpretatiuè censetur fuisse mens Pontificis, qui posteriorem concessit Indulgentiam, aliàs irrita foret hæc Indulgentia, ob concurrentiam cum priore, quod non est admittendum; si enim hoc verum esset, nullus vnquam eodem die lucrari posset vnam Indulgentiam pro se, & aliam applicare pro Animabus in Purgatorio per modũ suffragij, si quælibet earum requireret communionem, quod magnæ inconuenientiæ loco habendum. *Siue illæ Indulgentiæ*, (ait *Pasqualigo quæst. cit. num. 1.*) *sint concessa ab eodem Pontifice, siue à pluribus, cum opus iniunctum non possit multiplicari, censentur concessæ intuitu vnius, & eiusdem operis; aliàs stante vna concessione, alia irrita esset, & proinde ne irrita sit dicendum est, quòd de mente interpretatiua Pontificis concedentis posteriores Indulgentias, fit, quòd eodem opere aquiri possint: si quidem omnis interpretatio facienda est ne actus sit frustratorius, &c.* Concludit postea quæstionem *num. 7.* in hæc verba: *Vnde si sint pro aliqua certa die concessa plures Indulgentiæ visitantibus diuersas Ecclesias, si tamen præcesserit Communio; tunc qui communicatus, eas visitauerit, acquiret illas Indulgentias, vt notat etiam Præpositus 3. part. quæst. 14. de Indulg. dub. 10. num. 95. Quia cum sint concessa pro vno, & eodem die, nec communio replicari possit, censetur esse de mente Pontificis quod eadem communione, coniuncta cum diuersa visitatione, possint omnes acquiri.*

533 Ex quibus denique sequitur, posse Sacerdotem, vi diuersarum Indulgentiarum, per vnum Sacrificium plures Animas è Purgatorio liberare, vt initio asseruimus. Dixi *vi diuersarum Indulgentiarum*: nam qui plura Numismata habet ijsdem affecta Indulgentijs v. g. S. Caroli, aut Quinque Sanctorum, &c. quoad effectum plus non participat, quàm si vnum solum haberet, hæc quippe praxis est prudentum, ex qua proinde colligitur, talem esse Pontificis mentem, vt obseruat *Gobat de Indulgentijs part. 1. cap. 18. num. 211.* ita scribens: *Qui habet duo Numismata prædicta ijsdem Indulgentijs certum est, cum vno actu non lucrari plures Indulgentias, quàm si tantum vnum numisma haberet, nam praxis omnium prudentium declarat, eam non esse Pontificis mentem. Idem dic de illo, qui haberet vnam Imaginem, itemque vnum Numisma, ijsdem planè Indulgentijs affecta.*

Dixi præterea, Indulgentias S. Caroli, 534
& Quinque Sanctorum, Isidori, Ignatij &c. non esse reuocatas, quod etiamnum assero; at, cum non amplius concedantur cessabunt per meram desitionem absque alia reuocatione, iuxta Declarationem *Alexandri VII.* quæ huius est tenoris:

*Declaratio, & Decretum S. D. N. Alexandri Papæ VII. super Indulgentijs, quæ tam à Sanctitate sua, quam ab eius Prædecessoribus, Coronis, Rosarijs, Granis, Calculis, Crucibus, Numismatibus, Medalijs vulgò nuncupatis, & sacris Imaginibus benedictis, hactenus concessa sunt, & imposterum à Sanctitate sua concedentur.*

*Sanctissimus Dominus Noster Alexander Papa VII. declarat, & decernit, quòd quæcunque Corona Rosaria, Grana, Calculi, Cruces, Numismata, Medalia vulgo nuncupata, & sacræ imagines, siue sint S. Caroli Borromei, siue quinque Sanctorum à fel. record. Gregorio XV. Pont. Max. in Sanctorum numerum relatorum, siue quæcunque alia cum Indulgentijs antea à Romanis Pontificibus Sanctitatis suæ prædecessoribus benedicta, & concessa, quæ quidem in hunc vsque diem distributa sunt, non transeant personam illorum, qui eas de præsenti obtinent: neque commodari, aut etiam precariò dari possint; & quæ à Sanctitate sua concessa sunt, vel in posterum concedentur, non transeant similiter personam illorum, quibus ab eodem Sanctissimo concessa fuerint, vel quibus in prædictis de Ordine eiusdem Sanctissimi prima vice fuerint distributa, ita vt à nemine alijs commodato, vel precariò concedi possint, alioquin careant Indulgentijs concessis.*

*Et quantum attinet ad Coronas, Rosaria, Grana, seu Calculos, Cruces, Numismata, Medalias*

*dalias vulgo nuncupata, & Sacras Imagines cum Indulgentijs ab ijsdem Sanctitatis suæ prædecessoribus benedictas, & concessas, quæ vsque in hodiernum diem effectum sortita non sunt, id est nulli hactenus distributa sunt nemini vti benedictæ deinceps distribui possint; quod si de facto distribuantur, careant Indulgentijs iam concessis.*

*Ac aliqua re ex præmissis, vt præfertur benedicta, deperdita, altera pro eo subrogari nullo modo possit, quacunque concessione in contrarium non obstante, etiam si de ea specialis, & expressa mentio facienda esset, cui per præsentes Sanctitas sua derogauit, & derogatum esse voluit. Datum Romæ die 6. Februarij 1657. Pontificatus eiusdem S. D. N. anno secundo.*

Ex quibus habetur præfatas Indulgentias, & omnes alias, quæ ad eum modum, concessæ sunt, cùm non transeant personas, quibus collatæ fuerunt, nec amplius conferantur à Summis Pontificibus, cum ipsis personis desituras absque vlla reuocatione.

## DVBIVM DECIMVM.

### *Quales Indulgentiæ conferantur per Litteras Gratiosas?*

535 Dubium istud ex præcedentibus, à quarto nimirum Dubio, vsque ad nonum inclusiuè, sat superque resolutum existit: cum enim per Litteras Gratiosas communicentur etiam Indulgentiæ Ordini (solis tamen eiusdem Benefactoribus) vt *Dub.* 2. & 3. huius *Cap.* visum est, vi scilicèt Indulti sæpius relati *Vrbani V.* consequens est, Indulgentias, quæ per Litteras Filiationis conferuntur, esse illas, quas à *dicto Dubio* 4. vsque ad nonum explicuimus. Quare

Respondeo, Indulgentias, quæ habentur per Litteras Gratiosas, esse, hactenus recensitas & explicatas. Vnde, qui habet Litteras Filiationis ab aliqua Religione, potest, haud secus ac alij Religiosi, si præscripta adimpleat, consequi Indulgentias tam directè & immediatè Ordini concessas, quàm per viam communicationis, ab eo participata. Cæterùm, & istæ, & illæ in præfatis Dubijs sufficienter relatæ sunt, ita vt eas hic peculiari compendio comprehendere, superfluum videatur: quò proinde Lectorem breuitatis studio remitto.

Aduertat tamen, Aggregatum, eas solùm Indulgentias consequi posse, quę ipsi adaptari valent, & in proprijs terminis accommodari, quare certum est, benefactoribus, vi Gratiosarum, non communicari Indulgentiam plenariam, à *Paulo V.* concessam Religiosis in ingressu Religionis, & in emissione solemnis Professionis: cùm hoc requisitum penes eos verificari non possit: quod etiam aduertit *Pellizzarius in Manual. Regul. Tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 5. subsect. 2. num. 242.* sequentibus verbis: *Quod spectat ad communicationem Indulgentiarum; debet intelligi in terminis accomodis; cùm certum sit Benefactoribus Regularium non competere Indulgentiam, quæ à Paulo V. concessa est Religiosis in ipso Religionis ingressu, ac emissione professionis; cui enim non conueniunt verba dispositionis, nec conuenit ipsa dispositio: de Benefactoribus autem Religiosorum, vtique non verificatur, quod ingrediantur Religionem, aut in ea profiteantur. Quare ego puto per istam concessionem non communicari benefactoribus Regularium, nisi illas Indulgentias quæ ijs adaptari possunt.* 536

Aduertat præterea: Aggregatum pro consequenda Indulgentia plenaria, concessa à *Paulo V.* Regularibus in principali sui Ordinis Festo, non teneri, eo die visitare Ecclesiam illius Ordinis, cui per Litteras est aggregatus: prout etiam nec ipsi Religiosi (vt *Dub.* 4. diximus cum *Quintannadu.*) id facere necesse habent: cum Pontifex solùm dicat: *Qui in Festo Principali sui Ordinis confitebitur, & communicabit, aut Missam celebrabit, & pro concordia Principum Christianorum, extirpatione hæresum, Salute Romani Pontificis, & exaltatione S. Ecclesiæ precabitur, Indulgentiam plenariam, &c.* quocirca hæc, vt apparet, à loco independens est: idipsum obseruat *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui aurea part. 4. cap. 6. nu. 245.* hunc ipsissimum casum tractans, dum ait: *Obseruandum circa Indulgentiam plenariam concessam pro Festo Principali &c. quòd pro illa lucranda Confratres nostri non teneantur aliquam Ecclesiam Confraternitatis, vel Ordinis nostri visitare, cùm talis visitatio à Pontifice non fuerit iniuncta, sed solùm debent, contriti, & confessi, Eucharistiam sumere, & pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione ad Deum preces effundere.* 537

Quare

*Quare in quocunque loco ista pia opera fecerint, præfatam Indulgentiam plenariam obtinere poterunt*. Ita ille: adhortor tamen cum eodem Authore Aggregatos, ad visitandam, illa die, Ordinis Ecclesiam, in eaque communicandum: *si tamen (ait) tunc temporis reperiantur in loco, in quo sit Capella Confraternitatis, vel Ecclesiæ Ordinis, consultum, conueniensque erit, vt illam visitent, in illaque Sacram Communionem recipiant, & præscriptas orationes fundant*.

538 Aduertendum tertiò, Benefactores Religionibus aggregatos, participare, non solùm Indulgentiam omnium Ordinum, quæ ipsi adaptari possunt: verùm etiam locorum piorum, Confraternitatum; Oratoriorum, Societatum, &c. quin ijs inscribantur, aut portent benedictum funiculum, Cingulum, Scapulare, &c. dummodo adimpleant, iuxta mentem Summi Pontificis, quæ ab eo iniuncta sunt. Cùm autem præsenti capite enumerauimus, si non omnes, saltem magis vniuersales, magisque securas Ordinum Regularium Indulgentias, etiam quæ per viam communicationis obtineri possunt, sufficiat id aggregaro: neque necessarium censeo hic loci afferre insuper Indulgentias Confraternitatum, etiam principaliorum v. g. Rosarij, Funiculi S. Francisci, Cinguli S. Monicæ, Scapularis Carmelitani, Seruorum, &c. cum vnaquæque earum proprios ediderit libellos, ac Summaria Indulgentiarum: ad quæ Lectorem Indulgentiarum studiosum remitto. Moneo tamen cum *Paulo ab Omnibus Sanctis in Claui aurea par. 4. c. 4. in princip. n. 237.* quòd *Paulus V. iustissimas ob causas animum suum mouentes, volens vnicuique Confraternitati certas, & peculiares Indulgentias impertiri: omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones quibuscunque Confraternitatibus per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores suos concessas, reuocauit, ac nullius roboris, ac valoris amplius esse declarauit, aliasque nouas, peculiares, & proprias liberalissime concessit, & indulsit*. De qua reuocatione loquens *Lezzana tom. 2. capit. 14. num. 42.* ait: *Probabile forsan est, per huiusmodi reuocationem Indulgentiarum, non esse reuocatas Indulgentias concessas Confratribus defunctis, aut in articulo mortis constitutis, propter ea, quæ dicta sunt tom. 1. Cap. 3. num. 19. in hoc tamen aliorum iudicio me remitto*. Cui etiam subscribit citatus *Paulus ab Omnibus Sanctis par. 4. cap. 3. num. 236.* vbi ait *Aduertendum, quod ab hac Pauli V. reuocatione non excluduntur Indulgentiæ Personales Confratrum pro Articulo Mortis, & Defunctis*. De hac eadem reuocatione agens *Passerinus de Indulg. q. 93. num. 816. & qu. 108. n. 872.* ait: *Quamuis idem Paulus V. Confraternitatum Indulgentias reuocauerit, & alias concesserit. Nihilominus Indulgentias Confraternitatis Rosarij, non obstante eius reuocatoria constitutione, confirmauit, in Constitutione: Cùm olim, data die 20. sept. 1608.* idem affirmat *num. 816.* Notandum tamen, circa præfatas Confraternitatum Indulgentias, & earum Summaria nouum emanasse Decretum à *S. Congregatione supra Indulgent. & Sacras Reliquias constitutum sub die 7. Martij 1678.* sequentis tenoris: *Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis Captiuorum, Nominis Dei, Rosarij B. Mariæ de Mercede B. Mariæ de Monte Carmelo; Cinturæ S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittantur*. Cæterum huiusmodi Summaria quæ postmodum à Sancta Congregatione reuisa, & approbata fuere, recensentur & exhibentur *in Supplemento Theatri Regularium, Romæ impresso in Camerali de Anno 1679. sub verbo Indulgentiæ*. Quò proinde Lectorem remitto.

Aduerto denique quartò, aut potius clarioribus terminis hic repeto, quod præcedenti *Dubio n. 529. cum Andr. Mendo ibi cit.* obiter attigi: nimirum, quòd acquisita vna Indulgentia plenaria, cum per eam omnis pœna remittatur, si quis in tali statu perseuerauerit, nec nouis culpis, noua debita contraxerit, non sit capax recipiendi alias Repeto, inquam, hoc, quia cum *Dub. 4. num. 440.* dictum sit, per Indulgentiam illam, quæ vocatur Statio Sanctissimi Sacramenti, Regulares & Aggregatos, recitando ante illud Sexies Pater Noster, & Aue Maria, cum Gloria Patri, acquirere omnes Indulgentias, Vrbis Romæ, Hierosolymorum, & S. Iacobi de Galitia, quarum numerus, est innumerabilis: & *nu. 456.* per insignem Camaldulensium Indulgentiam Psalmi *Exaudiat te Dominus, &c.* lucrari omnes Indulgentias, quæ per vniuersum Christianum orbem lucrifieri pos- 539

ri possunt, nullo excepto: & cùm insuper sequentibus Dubijs plurimæ enumerentur Indulgentiæ plenariæ, quæ eodem die obtineri possunt (cum limitatione intellige, vt in præcedenti Dubio) Nec Regulares tamen, nec Aggregati, hoc ita intelligant, quasi has omnes Indulgentias, simul, & semel acquirere possint; non quidem ratione insufficientiæ ex parte Indulgentiarum: sed, vt dictum ratione passiuæ incapacitatis Subiecti, quod recepta vna Indulgentia plenaria, incapax est alterius, nisi per nouas culpas, noua debita contraxerit. Hinc meritò *Andreas Mendo* supra relatus, dicto *n. 529.* sic ait: *Quia obtenta vna Indulgentia plenaria, remittitur tota pæna, non manet materia, nec capacitas obtinendi aliam, ideoque non obtinentur plures: & obtenta vna sibi, manet capacitas in Anima Purgatorij, vt offeratur pro ea satisfactio ex Thesauro Ecclesiæ.* Præterea (quod bene ab Aggregatis notandum) quando dicitur, per recitationem *sex Pater noster, &c. aut Psalmi Exaudiat &c.* obtineri tot, & tot Indulgentias plenarias neque id eo sensu accipiendum, ac si omnes simul, per vna recitationem, obtinerentur; rationem præcedenti Dubio *n. 531. 532.* assignauimus: quælibet enim Indulgentia, sicut propriam habet concessionem, ita propriam etiam requirit recitationem, & secum trahit specialem iniuncti operis adimpletionem, pro eius adeptione assignatam: dispensatur quidem, in casu nostro, in dictis duabus Indulgentijs *sex Orationum Dominicarum, &c. & Psalmi Exaudiat, &c.* quoad opus aliàs iniunctum, & quoad locum: ita tamen, vt si quis lucrari velit omnes Indulgentias tam Vrbis, quàm Orbis, toties multiplicet recitationem, quot inueniuntur eiusmodi Indulgentiæ. Quapropter, cùm nec dies, nec hora per totum annum assignati valeat, qua vel per vniuersum Mundum, vel saltem Romæ non inueniatur Indulgentia plenaria; ideo, cum Summus Pontifex & dispensauerit quoad visitationem & omne opus transtulerit in *sex Pater, & Aue &c.* vel Psalmum *Exaudiat &c.* quoties vel Regularis, vel Aggregatus, has preces, cum debitis circumstantijs persoluerit, earum videlicet capax, & in gratia existens: toties Indulgentiam plenariam lucrabitur. Videatur noster *P. Alphonsus de Leone de officio, & potestate Confessarij tempore Iubilæi par. 1. qu. 5. n. 209. pag. mihi 44.* vbi quærens ad præsens propositum: *Dum semel per Indulgentiam est remissa tota pæna debita pro peccatis, quid consequatur, pluries opera iniuncta præstando, posita opinione, esse licitum lucrari pluries?* & quæsitum ipsum resoluit sic: *Respondet Gratianus par. 1. de Iubil. c. 15. fol. mihi 151. aliquid aliud lucrari, nempe augmentum gloriæ; qui subdit, quòd poterit quis lucrando tot Iubilæa, æquare gloria maiores Sanctos, qui multum pro Deo passi sunt; vel alia opera pro Deo fecerunt; non tamen tot Indulgentias acquisierunt.* Fauet etiam *Sorbus in Compend. Priuileg. Mendicantium, verbo Indulgentia, Notab. 1. in fine,* vbi asserit, *quòd quando non est nobis opus Indulgentia ad satisfaciendum, multum confert ad acquirendum præmium essentiale.*

## DVBIVM VNDECIMVM.

### *An in specie nominari debeant Indulgentiæ, quæ per Litteras Gratiosas communicantur: an verò satis sit, vt exprimantur in genere?*

Respondeo sufficere, vt in genere communicentur, & indefinitè; nec ad particulares descendendum: huius enim stili est Indultum *Vrbani V.* quod simpliciter & indefinitè loquitur: talis quoque fuit semper, & etiamnum est praxis, tam Religionis S. Francisci, cui primitùs directè concessum fuit, quàm Theatinæ, & omnium aliarum. 540

Neque hic obstat Constitutio *Clementis VIII.* quæ incipit: *Quæcunque à Sede Apostolica anno* 1604. edita, estque 115 huius Pontificis, in *Bullar. Roman. to. 3.* (confirmata postmodum à *Paulo V. anno* 1610. Constitutione, quæ incipit: *Quæ salubriter* huius Pontificis 68. *Bullar. Roman. tom.* 3. Præcipit in ea Sanctissimus Pontifex *Clem. VIII.* (idem confirmat *Paulus V.*) vt communicatio Indulgentiarum fiat *nominatim, & in specie, & non sub generali forma verborum, sed expressè, &c.* Non, inquam, obstat hæc Constitutio, neque eiusdem Confirmatio: loquuntur enim vt euidenter constat, non de Indulgentijs, quas Prælati

Prælati Regulares per Litteras Gratiosas communicant suis Benefactoribus, sed de ijs, quas Confraternitatibus communicant. Videatur *Lezzana tom. 1. cap. 38. num. 88.* vbi formam exhibet, & conditiones à Sanctissimo D. N. *Clem. VIII.* præceptas, quæ à Prælatis Regularibus, in Institutione, & aggregatione suarum Confraternitatum obseruari debent; idem facit *Pellizzarius in Man. tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 6. num. 264.* at omnium optimè *Paulus ab Omn. SS. in Claui aurea par. 8.* vbi totam refert constitutionem *Clem. VIII.* eamque exponit, & ex professo per plura Capitula tractat de forma, secundùm eam, necessaria, ad instituendum, & aggregandum Confraternitates; communicandum Indulgentias &c. quæ omnia præclarè pertractat, ac demonstrat. Addit denique idem Author *part. 8. cit. c. 5. in fine*, documentum aliquod, circa Indulgentias, quibus gaudent Confraternitates, multum proposito nostro deseruiens; quod inserendum putaui, antequam Dubio huic finem imponerem: *Aduertendum est*, inquit, *Confratres omnes, gaudere alijs sibi per communicationem concessis (si quæ sint huiusmodi) indulgentijs, & gratijs, & si Institutionis Litteris non sint comprehensa. Ita Lezzana tom. 2. qq. Regularium cap. 15. num. 11. & cum illo Irenæus cap. 3. sect. 3. §. 2.* Videatur *Lezzana num. 11. cit.*

## DVBIVM DVODECIMVM,

### *An per Litteras Gratiosas communicentur Indulgentiæ Stationum?*

542 Respondeo affirmatiuè; communicantur enim per Filiationem Spiritualem Indulgentiæ Ordinis; at inter istas numerantur etiam Indulgentię Stationum; hæ quippe concessæ sunt à *Paulo V.* in ipsa Bulla reuocatoria, omnibus Regularibus Ordinibus, vt vidimus *Dub. 4. huius cap. n. 414.* ait enim: *Iis Religiosis, qui deuotè visitauerint propriam Ecclesiam, & ibi orauerint &c. concedit Sua Sanctitas easdem Indulgentias, quas diebus stationum consequuntur illi, qui visitant Ecclesias intra, & extra Romam, ac si eas personaliter visitarent.* Si ergo Aggregatus alicui Ordini Regulari, visitauerit aliquam eiusdem Ordinis Ecclesiam, consequetur diebus pro Stationibus deputatis, Indulgentias Stationum Romæ: easdem quoque obtinebit, per recitationem sex Pater, & Aue, ac totidem Gloria Patri, &c. coram Venerabili Sacramento, vti omnes alij Religiosi

Cæterum cùm *Paulus V.* pro consecutione Indulgentiarum Stationum requirat, vt deuotè visitetur propria Ecclesia: tam Religiosi, quàm Aggregati cognoscant, quanta eas deuotione diebus Stationum visitare debeant: non absre fore censui, tradere hic modum, quem in tali visitatione eos obseruare conueniat, desumptum ex Sancta Mente *Sixti V.* qui in Constitutione sua, quæ incipit: *Egregia Populi Romani: Idibus February 1586.* paterno affectu, eos, qui Ecclesias Stationales Romæ visitant; admonet hisce verbis: *Illud quoque vehementius admonemus, vt verè pœnitentes, & castè & piè adeant: nemini dantes vllam offensionem, ne illis, vsque diebus, quibus aliorum temporum culpa, pijs operibus, & castis Ieiunijs redimenda sunt, inter ipsa Martyrum sepulchra, Deus ad iracundiam magis prouocetur. Sed contra potius, huius Ciuitatis pœnitentia, eleemosynis, Sanctorumque intercessionibus placatus Pater Misericordiarum Deus, nobis, & cunctis Populis, curæ nostræ commendatis (omnes enim vnum sunt in Christo) propitius, & placabilis efficiatur: vt quorum fides Apostolico ore laudata est, & in vniuerso Mundo annuntiata, & etiam modestia, & disciplina, ad pietatis, & Sanctitatis exemplum, omnibus Nationibus proponatur.* Hæc Sanctæ memoriæ *Sixtus V. cum tali quoque modestia* (concludo cum *Paulo ab Omnibus Sanctis part. 4. cap. 9. numer. 257.*) *pietate & Sanctitate* (Aggregatos) *& fideles extra Vrbem, nostras, & aliorum Ecclesias, in quibus Indulgentiæ Stationum concessæ sunt, visitare conuenit.* 543

Aduertendum porrò, cum eodem Authore *n. 258.* aliud esse, Priuilegium, obtinendi Indulgentias Stationum, ijs concessas, qui visitauerint Ecclesias Stationales intra & extra Muros Vrbis Romæ, diebus ad Stationes deputatis: & aliud priuilegium, aquirendi Indulgentias Ecclesiarum Vrbis Romæ intra, & extra eius Muros, quas consequuntur fideles 544

deles, eas visitando iisdem diebus Stationum: maius enim haud dubiè est hoc Priuilegium, quàm illud: cum maior censenda sit gratia, posse lucrifacere Indulgentias Ecclesiarum Vrbis Romæ, quàm concessas precisè pro Stationibus; idque non solùm, quia ingens est numerus Ecclesiarum intra, & extra Vrbem, quæ pro Stationibus non sunt deputatę, in quibus plurimæ, ac prægrandes habentur Indulgentiæ, eas visitantibus concessæ: sed insuper etiam, quia in Ecclesijs Stationalibus multæ reperiuntur Indulgentiæ, diebus, extra Stationum tempora, eas visitantibus, concessæ. Et in specie, Ecclesiæ Lateranensi, quæ omnium prima, & Mater Ecclesiarum est, concessit Sanctus Syluester Papa, ad instantiam Constantini Imperatoris, omnibus Christi Fidelibus, qui eam peccato mortali carentes visitauerint, remissionem omnium pœnarum, quocunque anni tempore, hoc est, singulis diebus ac horis: quam Indulgentiam postea S. Gregorius confirmauit; vt videre licet, in quadam tabula, pendente ex secunda Columna partis dextræ Nauis eiusdem Basilicæ; in qua tabula sequentia leguntur verba (quæ ipsemet sepiùs legi, & recensentur etiam à *Casarubio in Comp. Verb. Indulgentia Septem Ecclesiarum à nu. 4. à Gobat de Indulg. part. 2. cap. 49. art. 1. num. 699. & 700.* & à multis alijs) *Constantinus Imperator, postquam mundatus fuit à lepra, per sacri Baptismatis susceptionem, dixit B. Siluestro; Sancte Pater, domum meam in Ecclesiam ordinaui, infunde in eam tuam largam benedictionem, venientibus ad eam. Et dixit ad eum B. Siluester; Dominus meus Christus, qui te mundauit à lepra, & purificauit te fonte Baptismi, per suam misericordiam, mundet & purificet omnes huc venientes sine peccato, & Authoritate Apostolorum Petri, & Pauli, atque nostra, sit eis remissio omnium peccatorum, quocunque tempore anni. Item Sanctus Gregorius, qui hanc Ecclesiam consecrauit, post destructionem eiusdem, factam per hereticos, confirmauit Indulgentiam positam per Beatum Siluestrum Papam antedictum. Item Bonifacius, dixit, Indulgentia Ecclesia Lateranensis numerari non possunt, nisi à solo Deo, & ego omnes illas confirmo.*

545 Adde cum eodem *Paulo ab Om. SS. nu. cit. 258. versu Addo*: quòd in Ecclesijs pro Statione deputatis, etiam in diebus Stationum habeantur Indulgentiæ aliæ, præter Stationales, seu præter concessas pro Statione: quòd aduertit etiam *Passerinus de Indulg. q. 100. n. 782.* sic prædicta Indulgentia plenaria, exempli gratia, Ecclesiæ Lateranensis, non potest dici concessa pro Statione; tum quia concessa fuit, eam Basilicam visitantibus, quocunque tempore, aut die, cùm tamen Indulgentiæ Stationales, ad certos, & determinatos dies restrictæ sint: tum etiam, quia dictam Indulgentiam concessit S. Papa Siluester, antequam vlla Indulgentia pro Stationibus concessa fuisset. Quamuis autem antiqua iam sit consuetudo Sacrarum Stationum, (vt videre etiam est apud *Passerinum de Indul. q. 97.*) cum ab Apostolorum vsque temporibus deriuet, vt testatur idem Pontifex *Sixtus V.* in supramemorata sua *Constitutione: Egregia Populi Romani, &c. Veterem esse ab Apostolicis vsque temporibus, Sacrarum Stationum consuetudinem, in quibus Fidelium multitudo ad Apostolorum sepulchra, & fortissimorum Martyrum memorias conueniens, hymnis, & Canticis spiritualibus, Deum in Sanctis suis laudabat, & salutaribus immaculata Hostiæ sacrificijs placabat, & aduersus multiplices antiqui hostis impugnationes, tanquam in Castris Dei, Statione tutissima consistebant.* Nihilominus, primus fuit S. Gregorius Papa, qui stationes ordinauit, certos eis dies determinauit, & cuilibet diei septem annorum Indulgentiam largitus est: auctæ sunt deinde hæ Indulgentiæ Succesorum Pontificum liberalitate, confirmatæ postmodum à *Bonifacio VIII.* Diplomate, quod exhibet *Passerinus cit. qu. 97. num. 755.*

Porrò ex huius Authoris doctrina 546 (saltem in illius sententia *qu. 98.*) confirmatur tertiò nostra Additio, quandoquidem non admittit *num. 771.* (contra plures) concessam fuisse, per Stationes, vllam Indulgentiam plenariam; *Nisi ostendatur expressa concessio Indulgentia plenaria pro Stationibus, non debet dici, illam acquiri à visitantibus Ecclesias Stationales. Et eò magis, quòd ad hoc asserendum, non sufficeret communicatio generalis Indulgentiarum concessarum vel Septem Basilicis Vrbis, vel septem Altaribus Sancti Petri.* Ita illæ: probat etiam idem assumptum sequentibus duabus quæstioni-

stionibus, scilicet 99. & 100. postquam paulò ante, nimirum *num.*770. affirmauerat, circa hanc rem, sequentia: *Et ego* (inquit) *licèt hic Romæ, consuluerim peritissimos Ministros Curiæ, & Viros eruditissimos, nihil aliud potui inuenire, nisi quod incertum sit, quantæ & quales, sint Stationales Indulgentiæ concessæ Stationum intuitu*. Eiusdem opinionis est noster *P. Duardus tom.*1. *in Cap. Omnis Vtriusque sexus disput.*10. *sect.*2. *n.* 2. vbi etiam pro se citans *Nauarrum: Facultas* (ait) *lucrandi Indulgentias Stationum Romanarum, non comprehendit plenarias Indulgentias, sed tantùm non plenarias, vt habetur ex Nauarro de Indulg. &c. Not.*8. *nu.*16. & 17. Concludo denique, ac confirmo additionis nostræ assumptum doctrina initio citati *Pauli ab Om. SS. cit. cap.* 9. *num.* 259. *in fine*; vbi ait: quod licet multæ Indulgentiæ non sint concessæ per Stationes; *dicuntur tamen Indulgentiæ Stationum, non quia fuerint concessæ solùm pro Stationibus, sed quia non possunt obtineri nisi in diebus Stationum, & à visitantibus Ecclesias Vrbis, pro Stationibus deputatas*.

547 Ex quibus omnibus clarè apparet (etiam si contra *Passerinum* admittatur id, quòd à plurimis supponitur: concessas scilicet fuisse per Stationes, etiam Indulgentias plenarias) non esse confundendas, neque sub vnam concessionem numerandas, Indulgentias Stationum, & reliquas omnes Indulgentias, quolibet mense, aut die per annum, vni, aut pluribus Ecclesijs, intra & extra Muros Vrbis Romæ concessas, prout eas confundunt *Rodriquez to.*2. *q.*89. *art.*2. (apud quem, vt ex eiusdem verbis, etiam obseruat *Passerinus de Indulg. q.* 97. *num.* 740. *Idem videtur esse Indulgentia Stationum, quod Indulgentia concessa alicui Ecclesiæ, existenti intra vel extra mœnia Romæ*) *Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Regularium part.* 1. *tr.* 2. *disp.*5. *sect.*2. §.3. *num.*34. & 35. & multi alij Authores Summariorum Indulgentiarum Stationum, & Ecclesiarum Romæ, qui & ipsi vtrasque confundunt; cum tamen inter eas sit discernendum vt exactè fecerunt *Casarubius in Compend. Priuileg. Verbo Indulg. Stationum quoad Fratres n.*10. *in fine, sub littera E.* (vbi agens de concessione Indulgentiarum Stationum, facta à *Iulio II.* apertè ait: *Ista concessio est solùm pro Stationibus, & non pro alijs Indulgentijs Romæ.*) *Lezzana in Summa Verb. Indulg. quoad Regulares num.*9. (ibidem *Peyrinus tom.* 2. *Priuileg. in Constitutione* 8. *Pauli V.*) & *num.*21. *Castropalaus part.* 4. *de Bulla Cruciatæ tract.*25. *disp. vnica punct.* 5. *n.* 8. *pag. mihi* 316. *Paulus ab Om. SS.* superius citatus, & alij, apud, & cum *Passerino qu. cit. n.*741. qui cum ipsis aduertit: *Per concessionem Stationum, non aquiri Indulgentias, quæ Romæ sunt singulis diebus, sed quæ ad Stationes pertinent, nimirum, quæ concessæ sunt Ecclesijs Vrbis in diebus Stationum, qui sunt dies signati, & ad certum numerum determinati*. *Quæ quidem subiungit deinde*) *est sententia eorum, qui de stationibus Vrbis tractant, qui licèt non omninò conueniant, vel in numero Ecclesiarum, in quibus sunt collocatæ Stationes: vel in numero Stationum, quia eodem die contingit Stationem esse in pluribus Ecclesijs; omnes tamen conueniunt, quod nec in omni Ecclesia Romæ sit Statio, & quod nec in singulis diebus sit Statio in aliqua Ecclesia; sed Statio solùm sit in certis, & determinatis Ecclesijs, & numeratis; & non in singulis dicbus; sed in certis, & publica lege Pontificia* (*sub nomine Stationis*) *determinatis*. *Sic enim expressè docent Onophrius Panuinius Tractat. de Stationibus, & Pompeius Vgonius in Historia Stationum Vrbis in præambulo discursu*. *Et ex praxi Romanæ Curiæ est notorium, cum in quolibet anno imprimatur, & publicetur Ordo, & numerus Stationum pro certis, & determinatis diebus*. *Et vt hoc manifestum fiat* (sic concludit *nu.* 257.) *ijs, qui extra Romam sunt, pono hic tabellam* (eodem finem & nos hic eam apponamus) *quæ Romæ authoritate Eminentissimi Cardinalis Vicarij publicatur, & in Typographia Camerali impressa distribuitur in lingua vulgari, sequentis tenoris*.

## *Stationes Ecclesiarum Romæ cum solitis Indulgentijs per totum Annum*, 548

Stationes in Quadragesima.

Ad S. Sabinam primo die Mercurij.
Ad S. Georgium die Iouis.
† Ad SS. Ioannem, & Paulum & S. Gregor. die Vener.
† Ad S. Triphonem Sabbatho.

Ad S.

Ad S. Ioannem Lateranensem, Dominica prima.
Ad S. Petrum ad Vincula die Lunæ.
Ad S. Anastasiam die Martis.
Ad S. Mariam Maiorem die Mercurij.
Ad S. Laurentium in Pane & perna die Iouis.
Ad S. Apostolos die Veneris.
Ad S. Petrum Sabbatho.

† Ad S. Mariam de Nauicula,& S. Clementem. Dominica secunda.
Ad S. Mariam Maiorem die Lunæ.
Ad S. Balbinam die Martis.
Ad S. Ceciliam die Mercurij.
Ad S. Mariam trans Tyberim die Iouis.
Ad S. Vitalem die Veneris.
Ad SS. Petrum & Marcellinum Sabbatho.

Ad S. Laurentium extra muros Dominica Tertia.
Ad S. Marcum die Lunæ.
Ad S. Pudentianam die Martis.
† Ad S. Sixtum, & SS. Nereum, & Achilleum. die Mercurij.
Ad SS. Cosmam & Damianum die Iouis.
Ad S. Laurentium in Lucina die Ven.
† Ad S. Caium, S. Susannam, & S. Mariam de Angelis die Sabbatho.

Ad S. Crucem in Hierusalem Dominica quarta.
Ad S. quatuor Coronatos die Lunæ.
Ad S. Laurentium in Damaso die Martij.
Ad S. Paulum die Mercurij.
† Ad S. Martinum de Montibus, & S. Syluestrum apud Moniales die Iouis.
† Ad S. Eusebium, & Bibianam die Veneris.
Ad S. Nicolaum in Carcere Sabbatho.

Ad S. Petrum Dominica Passionis.
Ad S. Chrisogonum die Lunæ.
† Ad S. Quiricum, & S. Ciriacum in S. Maria in via Lata die Martis.
Ad S. Marcellum die Mercurj.
Ad S. Appollinarem die Iouis.
Ad S. Stephanum Rotundum die Veneris.
Ad S. Ioannem ante Portam Latinam, Sabbatho.

Ad S. Ioannem Lateranens. Dom. Palm.
Ad S. Praxedem die Lunæ.
Ad S. Priscam die Martis.
Ad S. Mariam Maiorem die Mercurij.
Ad S. Ioannem in Laterano die Iouis.
Ad S. Crucem in Hierusalem die Ven.
Ad S. Ioannem in Laterano Sabbatho.

Ad S. Mariam Maiorem Domin. Resur.
† Ad S. Petrum, & S. Onuphrium die Lunæ.
Ad S. Paulum. die Martis.
Ad S. Laurentium extra muros die Mercurij.
Ad SS. Apostolos die Iouis.
Ad S. Mariam Rotundam:& S. Mariam supra Mineruam die Veneris.
Ad S. Ioannem in Laterano Sabbatho.
Ad S. Pancratium Dominica in Albis.

Stationes post Octauam Paschatis.
Ad S. Petrum die Ascensionis.
Ad S. Ioannem in Laterano Vigil. Pent.
Ad S. Petrum. die Pentecostes.
Ad S. Petrum ad Vincula die Lunæ.
Ad S. Anastasiam die Martis.
Ad S. Mariam Maiorem die Iouis.
Ad S. Laurentium extra muros die Iou.
Ad S. Apostolos die Veneris.
Ad S. Petrum Sabbatho.

Stationes ab Aduentu, vsque ad Quinquagesimam.
Ad S. Mariam Maiorem Dominica prima.
Ad S. Crucem in Hierusalem Dominica secunda.
Ad S. Petrum Dominica tertia.
Ad S. Apostolos Dominica quarta.
Ad S. Mariam Maiorem apud Præsæpium, in Nocte Natiuitatis Domini.
Ad S. Anastasiam in Missa ad Auroram.
Ad S. Mariam Maiorem Die Natiuitatis.
Ad S. Stephanum Rotundum In Festo S. Stephani.
Ad S. Mariam Maiorem In Festo S. Ioannis.
Ad S. Paulum In Festo SS. Innocentium.
Ad S. Marcum Trans Tyberim in Circumcisione Domini.

Ad S. Petrum in Festo Epiphaniæ.
Ad S. Laurentium extra Muros, Dominica Septuagesimæ.
Ad S. Paulum, Dominica Sexagesimæ.
Ad S. Petrum, Dominica Quinquagesimæ.

Pro quatuor Temporibus.
Ad S. Mariam Maiorem. die Mercurij.
Ad S. Apostolos. die Veneris.
Ad S. Petrum. Sabbatho.

Signum † quod alicubi additum est, vbi plures assignantur Ecclesiæ; denotat, per vnius tantùm visitationem acquiri Stationem.

Ex hac igitur Tabula, & ex prædictis clarè deducitur (ait *Passerinus q. cit. n. 759.* & nos cum ipso) quòd Indulgentiæ Stationum sunt illæ, quæ intuitu Stationum concessæ sunt Ecclesijs, apud quas Stationes institutæ sunt: & quæ in suprascripto Cathalogo numeratæ sunt, quæ etiam dicuntur Indulgentiæ Stationales.

549 Cùm autem ij, qui Religionibus per *Litteras Gratiosas* aggregati sunt, participes efficiantur non solum Indulgentiarum Stationum; sed omnes insuper Indulgentiæ Ecclesiarum Vrbis Romæ per tales Litteras eis communicentur, quæ haud dubiè maior gratia, ampliusque priuilegium est, vt diximus, quàm concessio Stationum: ideo, vt quales quantæque istæ sint, eis innotescat, & exindè magis incitentur, ad eas lucrandum, seruatis nimirum seruandis, vt dictum est maximè autem deuota visitatione Ecclesiarum Regularium; & vt dies pro Indulgentijs deputatos nouerint; eos in sequentibus Dubijs congruo ordine recensebimus, distribuendo (iuxta methodum aliorum) per singulos Anni Menses: atque in hunc modum Compendium aliquod compilabimus Indulgentiarum, quæ inueniuntur in Ecclesijs intra & extra mœnia Vrbis Romæ existentibus, comprehendemus etiam Indulgentias Stationum (iuxta opinionem saltem Authoris Classici, quem hac in re pro Duce elegi, vt filo exemplaris sui nobis præeat.) Præmitto tamen huic Compendio nonnulla, quæ necessario præmonenda censui, priusquam ad Indulgentiarum enumerationem progrediar.

Primò igitur moneo, quòd littera P, quæ nonnunquam à principio apponitur, significat Indulgentiam Plenariam. Quando autem liberari poterit Anima ex Purgatorio, hoc signo †, in margine posito denotabitur. 550

Secundò, cùm viderit, aliquibus diebus, præter Indulgentiam plenariam, concessam simul partialem, tot & tot annorum, dierum, &c. referendum id esse ad diuersas concessiones, diuersorum Pontificum (vti etiam obseruat *Paulus ab Omnibus Sanctis part. 4. capit. 10. numer. 266. versu: Aduertendum etiam:* vbi ait: *referendum est ad diuersa tempora, diuersosque Pontifices, ac concessiones; fieri quippe potuit, vt prius concessa fuerit Indulgentia plenaria, & postmodum addita fuerit tot annorum, vel quadragenarum &c.* Aliam etiam huius rei rationem assignat *Corduba lib. 5. de Indulg. qu. 11. in fine*. Hisce verbis: *Vt si causa Indulgentiæ, non sufficiens fuerit ad Indulgentiam plenariam, saltem lucretur illos dies, vel quadragenas, &c.* quandoquidem, iuxta communem tam Theologorum quàm Canonistarum sententiam (quam & nos nuper supposuimus *numer. 342.* & præter alios, & fundamento probat *Passerinus de Indulg. quæst. 79. à numer. 565.*) ad valorem Indulgentiarum, præter alia requiratur etiam causa sufficiens ac proportionata, ob quam concedantur: ita vt si causa non fuerit sufficiens pro Indulgentia plenaria, ea valebit solùm secundùm partem, iuxta proportionem videlicet causæ. Quamuis autem credere debeamus, causam, propter quam Summus Pontifex concedit Indulgentiam plenariam, semper ei esse proportionatam, & adæquatam: totalem tamen hac de re certitudinem habere non possumus, fortassis enim apud Dominum Deum habetur insufficiens & inadæquata, quo proinde casu Indulgentia hæc plenaria solùm valebit iuxta proportionem suæ causæ: idipsum asserit *Corduba loc. cit.* & confirmat *Suarez In 3. part. tom. 4. disputat. 50. sect. 4. numer. 9.* his verbis; *quamuis causa plenariæ Indulgentiæ non sufficiat ad totam*, 551

semper

*semper sufficiet ad aliquam partem, causæ proportionatam, obtinendam*. Subiungit tamen *Suarez*, non inueniſſe ſe vnquam, *nec in aliquo Decreto Iuris, neque etiam in aliqua Bulla authentica, quæ ad eius manus peruenerit*, Indulgentiam aliquam plenariam conceſſam, quæ acceſſoriam inſuper habuerit Indulgentiam temporalem, ſeu partialem, dierum; annorum, &c. *Et vbi inuentæ fuerint* (ait) *illa verba, dico, conſiderandum eſſe, an illæ duæ conceſſiones, ad diuerſa tempora, vel actiones, poſſint referri, &c.* Quòd ſi verò conſtaret de Indulgentia aliqua, quæ ſub eadem indiuiſibili conceſſione; eſſet plenaria ſimul & temporalis, cum additione videlicet dierum & annorum: eſt veriſimile (ait) in tali caſu, Indulgentiam temporalem dierum, & annorum, eſſe applicabilem alijs per modum ſuffragij, cùm alius non ſuppetat modus, quo talis Indulgentia vtilis reddi queat, vt integrum ſuum effectum cõſequatur.

552 Tertiò admoneo Lectorem, Indulgentias temporales, ſeu non plenarias, quibus tot anni, tot dies, tot quadragenę conceduntur, non abſolutè referendas eſſe ad pęnas Purgatorij, ſeu alterius ſæculi, ſed huius mortalis vitæ; id indubitatum aſſerit *Paſſerinus de Indulg. q. 14. nu. 144. princip. Indubitatum eſt, hos dies, & annos, non eſſe dies & annos Purgatorij, ſed huius vitæ mortalis*; non ergo exiſtimandum, per Indulgentias centum, exempli gratia, annorum, exſolui pœnam totidem annis in Purgatorio luendam; ſed referendæ ſunt ad annos pœnitentiæ Eccleſiaſticæ (iuxta *Suarez tom 4. in 3. part. diſp. 50. ſect. 5. numer. 19.* & communem Doctorum ſententiam apud eundem *loc. c. num. 12.*) ad pœnas videlicet, antiquitùs à Sacris Canonibus taxatas, quibus pro commiſſis peccatis, grauis iniungebatur pœnitentia, certa annorum, ſiue dierum ſerie peragenda. Cùm ergo conceditur talis Indulgentia, pro determinato numero annorum, dierum, aut quadragenarum, ſignificatur, vi talis conceſſionis tantam remitti pœnam Purgatorij, quanta correſponderet prædictæ Eccleſiaſticæ pœnitentiæ tot & tot annorum, aut dierum, quæ iuſtæ & adæquatè tunc impoſita fuiſſet, vel imponi à prudenti Confeſſario debuiſſet. Eandem doctrinam tradit *Ioannes à S. Thoma in Compend. totius Doctrinæ Chriſtianæ part. 1. cap. 9. de Sacram. Pœnit.* §. 3. vbi ait; *Anni, vel dies, non ſunt referendi ad pœnam Purgatorij; quaſi centum annorum Indulgentia, tollat pœnam centum annorum, vel dierũ alterius ſæculi: Sed referri debent ad pęnitentiam ſecundùm veterem ſtylum, aut antiquos Canones, hic peragendam: iuxta illos enim imponebatur pœnitentia tot annorum, vel dierum pro peccato peragenda: & ſignificatur, tantam pœnam purgatorij remitti, quanta correſpondebat tali pœnitentiæ, quæ vel tot annorum, vel dierum ſpatio agenda fuiſſet, ſi adæquatè fuiſſet impoſita, ſecundùm quod in hac vita fieri poteſt.* Ita præfatus *Ioannes à S. Th.* Idipſum affirmat *Andreas Mendo in Epit. Opinin. Moral. Verb. Indulg. n. 3. pag. mihi 353.* hiſce verbis; *Indulgentia tot dierum, aut annorum, remittit pœnam, quę remitteretur, ſi tot dies, aut anni pœnitentiæ agerentur, ſtando conſuetudini antiquæ, qua per Sacros Canones ſtabiliebantur ſuſtinendæ pœnitentiæ pro culpa, iuxta earum qualitatem, pro tot diebus aut annis.* In eandem ſententiam concedit *P. Paſqual. de Iubilæo q. 4. n. 11.* vbi ait: *Quando Pontifices concedunt Indulgentias tot dierum, vel annorum intelligunt de illis pœnitentijs: quæ ſecundùm antiquos Canones ſolebant Sacramentaliter imponi.*

Cœterùm, quanta pęna Purgatorij, per remiſſionem certorum pęnitentię Eccleſiaſticæ annorum, centum verbi gratia, remittatur, controuerſum eſt apud *Suar. ſect. 5. cit. à n. 11.* Ipſe tamen paucis prudenter in ſe expedit, aſſerendo: rem hanc nobis eſſe ignotam; & Authores, quoad hoc, diſputare de re nobis incerta: Eccleſia enim, quando præfatas Indulgentias determinati numeri annorum, vel dierũ concedit, vtitur forma, ſeu menſura ſibi nota; remitendo per eam, tantam Purgatorij pęnam, quanta correſponderet tot annorum pęnitentiæ Eccleſiaſticę huius vitæ, præſcindendo à determinata quantitate pęnę Purgatorij, ac durationis eius tanquam à re ignota, & ſibi incerta. *Breuiter aſſero* ait *Suar. l. c. n. 13. in fine*) *de re nobis incerta Authores in hoc diſputare: Eccleſiam verò vti illa menſura, quæ ſibi nota eſt, remittendo illam pœnam Purgatorij, quæ tot annis pęnitentiæ huius vitæ reſponderet, ſiue illa ſit æqualis durationis, ſiue minoris &c. ſiue omninò ſecundùm noſtrorum annorum durationem computandi ſint: hæc enim nobis incerta ſunt.* Videatur *Diana* 553

*part. 4. tract. 8. ref. 101. Gobat de Indulg. par. 2. c. 3. q. 6. n. 287. & Petrus Murga tom. 2. quæstionum Canonicar. Tit. 3. q. 3. n. 5. & 6.* quem sic concludit: *Nobis non constat durationis tempus, ob idque Ecclesia celebrat Missas anniuersarias, & officia vltra ducentos annos, & amplius.*

## DVBVIM DECIMVM TERTIVM.

### *Quales Indulgentiæ per Filiationem Spiritualem conferantur mense Ianuary?*

554 RESpondeo cum *Rodriquez tom. 2. qq. Regul. q. 90. art. 1.* dicendo: plurimas tam plenarias, quàm non plenarias Indulgentias, posse à Regularibus, consequenter etiam ab Aggregatis lucrifieri, tum diebus Stationum, tum alijs: Mense autem Ianuarij sequentes:

P. In festo Circumcisionis Domini, Indulgentia plenaria apud S. Ioannem in Laterano: similiter in Ara Cœli.

P. In festo Epiphaniæ, Indulgentia plenaria apud S. Petrum. Et remissio omnium pecatorum apud S. Mariam Maiorem.

P. In octaua Epiphaniæ, Indulg. plenaria ad S. Petrum.

Die S. Felicis in Pincis 1000. Anni Indulg. ad S. Sebastianum.

P. Die quinque Sanctorum Martyrum Ord. Minor. & S. Marcelli Papæ, & Martyris, remissio omnium peccatorum: & mille anni Indulg. ad S. Sebastianum.

Die S. Antonij Abbatis remissio tertiæ partis peccatorum: singulis diebus ad S. Mariam Maiorem.

P. Die SS. Fabiani & Sebastiani Indulg. plen. apud s. Sebastianum 158968. Anni, & 285. dies Indulg.

P. Die S. Agnetis Virg. & Mart. remissio omnium peccatorum, & ducenti Anni: item quotidie mille anni Indulgeatiarum, ad S. Mariam Maiorem.

P. Dominica prima post Festum S. Antonij Abbatis monstratur apud S. Petrum Facies Christi in Sudario S. Veronicæ, & tunc aquiritur Indulgent. plenaria. Insuper, Romani lucrantur 7000. annorum Indulgentiam; Vltramontani autem 14000. annorum, & totidem quadragenas, ac remissionem tertiæ partis peccatorum.

Die ss. Vincentij & Anastasij habetur Indulgentia quadraginta millium annorum, apud S. Ioannem in Laterano.

P. In Conuersione S. Pauli, Indulgentia plenaria, & decem millium annorum, apud S. Paulum.

P. Die S. Agnetis secundò, id est, in eius Octaua, remissio omnium peccatorum, ad S. Ioannem in Laterano.

Die ss. Ciri & Ioannis remissio tertiæ partis peccatorum, apud S. Sebastianum.

## DVBIVM DECIMVM IV.

### *Quales Mense Februarij?*

RESpondeo cum *Rodriquez q. cit. art. 2.* conferri sequentes: 555

P. In Festo Purificationis Beatissimæ Virginis, Indulgentia plenaria, apud S. Mariam de Populó. Et 150293. anni 285. dies Indulg.

P. Die S. Agathæ Virginis & Martyris, Indulgentia plenaria, ad S. Crucem.

P. Festo Cathedræ S. Petri. Indulgentia plenaria, & mille anni, ad S. Petrum. Item centies quinquagies mille, nongenti sexaginta octo anni, & 185. dies, Indulgentiæ.

P. Festo S. Mathæi Apostoli, Indulgentia plen. ad S. Mariam Maiorem. Item centies quinquagies nouies mille, ducenti nonaginta anni, & 28. dies Indulgentiæ.

## DVBIVM DECIMVM V.

### *Quænam Mense Martij?*

RESpondeo cum *Rodriquez q. cit. art.* 3. ac dico, esse sequentes. 556

P. Die S. Thomæ Aquinatis Indulg. plen. ad S. Mariam supra Mineruam. Item centies quinquagies octies mille, ac nongenties quinquaginta octo anni; & 185. dies Indulgentiæ.

P. Die S. Gregorij Indulgentia plenaria. Et quolibet die quadraginta anni, & totidem quadragenę; ac remissio tertiæ partis peccatorum. Item mille anni, ad S. Petrum.

P. In

P. In Festo S. Iosephi Indulgentia Plenaria ad S. Mariam Maiorem.

P. In vigilia S. P. Benedicti Abbatis Indulgentia plenaria, ad S. Crucem, in Capella, quę vocatur Hierusalem, & hoc die dedicata fuit.

Die S. P. Benedicti Abbatis, Indulgentia centum annorum, ad S. Petrum: Item centum quinquaginta nouem millium, centum quinquaginta quattuor annorum: & quadraginta dierum ibid.

P. In Festo Annunciationis Beatissimæ Virginis Indulgentia plenaria. Et mille anni, ac totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis peccatorum: item de nouo alij mille anni, apud Sanctam Mariam Maiorem. Insuper centum quinquaginta octo milia, & nongenti quinquaginta octo anni, ac 185. dies Indulgentiarum.

## DVBIVM DECIMVM SEXTVM.

### *Quales Indulgentiæ Mense Aprilis?*

557 Respondeo cum *Rodriquez cit. art. 4.* esse sequentes:

Die S. Georgij martyris mille anni Indulgentiæ. Item centum quinquaginta quattuor millia; & nongenti tredecim anni, ac 260. dies.

P. Die S. Marci Indulgentia plenaria ad S. Petrum: & centum quinquaginta quattuor millia; ac nongenti nonaginta anni; & 200. dies.

P. Die S. Petri Martyris Ord. Prædicat. Indulgentia plenaria, apud S. Mariam supra Mineruam.

## DVBIVM DECIMVM VII.

### *Quales Indulgentiæ Mense Maij?*

558 Respondeo cum *Rodriquez l. c. art. 5.* ac dico, esse sequentes.

P. In Festo ss. Apostolorum Philippi, & Iacobi Indulgentia plenaria, ad S. Mariam Maiorem: & centum quinquaginta octo millia, nongenti septuaginta octo anni, ac 285. dies Indulgentiæ.

P. Singulis Dominicis huius Mensis, Indulg. plenaria, apud S. Sebastianum: Et 186309. anni, & 100. dies Indulg.

P. In Festo Inuentionis S. Crucis: Indulgentia plenaria, ad S. Crucem: & 186039. anni, & cẽtum dies Indulgentiæ.

P. Eodem die, tertio videlicet huius Mensis Indulgentia plenaria, ad S. Mariam Rotundam, cum sit dies Consecrationis illius Ecclesiæ.

† Die S. Ioannis ante Portam Latinam, Liberatio vnius Animæ ex Purgatorio, apud S. Mariam Maiorem. † *Liberatio Animæ ex Purgatorio.*

P. Die apparitionis S. Michaelis Archangeli Indulgentia plenaria, ad S. Mariam Maiorem.

P. A præfato die, vsque ad primum Augusti quotidie tres Indulgentiæ habentur apud S. Ioannem Lateranensem.

Die ss. Nerei, Achillei, & Pancratij; centum anni Indulgentiæ.

P. Die S. Bernardini Indulgentia plenaria ad S. Mariam in Ara Cœli.

P. Festo Ascensionis Domini Indulgentia plenaria, ad S. Petrum. Item Indulgentia ducentorum quinquaginta octo millium: & nongentorum sexaginta octo annorum: ac ducentorum octoginta quinque dierum.

P. Festo Sanctissimi Corporis Christi Indulgentia plenaria, apud S. Petrum. Item centum quinquaginta nouem millium: nongentorum sexaginta octo annorum, & 45. dierum.

Die S. Petronillæ Virg. mille anni, totidemque quadragenæ, apud S. Petrum.

## DVBIVM DECIMVM VIII.

### *Quænam Indulgentia Mense Iunij?*

Respondeo cum *Rodriquez l. c. art. 6.* & dico esse sequentes: 559

Die SS. Marcellini, Petri, & Erasmi, Indulgentia mille annorum, ad S. Petrũ.

Die S. Barnabæ Apostoli Indulg. sexcentorum annorum, ad S. Petrum.

P. Die S. Antonij de Padua, Indulg. plenaria, apud S. Mariam in Ara Cęli.

Die SS. Viti, Modesti, & Crescentiæ, Indulgentia centum annorum, & totidem quadragenarum, ad S. Paulum.

Die S. Pauli Confessoris, & Pontificis Indulgentia septem millium annorum, ad S. Ioannem Lateranensem.

P. Festo Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ Indulgentia plenaria, ad S. Ioannem Lateranensem. Item centum quinquaginta quattuor millium, nongentorum octuaginta quattuor annorum, & 45. dierum Indulgentia.

Die S. Ioannis & Pauli, Indulgentia mille annorum, ad S. Ioannem in Laterano.

Die S. Leonis Papæ, mille anni, & totidem quadragenæ, apud S. Petrum.

P. Festo Gloriosissimorum Apostolorum Petri, & Pauli, Indulgentia plenaria, in qualibet eorum Ecclesia. Item centum quinquaginta nouem millium; & nongentorum sexaginta trium annorum; ac 45. dierum Indulgentia.

P. In Commemoratione S. Pauli Indulgentia plenaria; & mille anni Indulgentiæ in eiusdem Ecclesia.

## DVBIVM DECIMVMNONVM.

### *Quales Indulgentia Mense Iulij.*

560 RESpondeo cum *Rodriq. q.cit. art.*7. & dico, esse sequentes:

P. In Octaua S. Ioan. Bapt. Indulgentia plenaria, ad S. Ioan. Lateranensem.

P. In Visitatione Beatissimæ Virginis Indulgentia plenaria, ad S. Mariam de Populo. Et centum quinquaginta octo millium, nongentorum quinquaginta octo annorum, ac 285. dierum Indulgentia.

P. Die S. Bonauenturæ Indulgentia plenaria, apud S. Petrum. Item Indulgentiæ centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta septem annorum, & 285. dierum.

In Diuisione Apostolorum, duorum millium annorum Indulgentiæ, ad S. Petrum.

P. Die S. Alexij Indulgentia plenaria; & mille anni, apud S. Ioan. in Laterano.

Die S. Margarithæ Virg. & Mart. Indulgentia centum annorum, ad S. Crucem.

Die S. Praxedis Virg. duorum millium annorum Indulgentiæ, ad S. Petrum.

P. Die S. Mariæ Magdalenæ, Indulgentiæ plenariæ; & centum anni, ad S. Mariam Maior.

Die S. Appollinaris Martyris centum annorum Indulgentia, ad S. Ioan. Lateranensem.

Die S. Christinæ Virg. & Mart. 40. annorum Indulgentiæ, ad S. Mariam Maiorem.

P. Festo S. Iacobi Apostoli Indulgentia plenaria, in eius Ecclesia; & ad S. Mariam Maior.

P. Festo S. Annæ Matris Beatissimæ Virginis Indulgentia plenaria, apud S. Mariam Maiorem.

Die S. Pantaleonis Martyris, 40. anni Indulgentiæ, apud S. Mariam Maiorem.

Die Ss. Nazarij, Celsi, & Victoris 300. annorum Indulgentia, ad S. Crucem.

Die Ss. Simplicis & Faustini, 5000. annorum Indulgentia, ad S. Sebastianum.

## DVBIVM VIGESIMVM.

### *Quales Indulgentia Mense Augusti?*

RESpondeo cum *Rodriq. q.cit. art.*8. & dico, esse sequentes: 561

P. Die S. Petri ad Vincula, & per octo sequentes dies, Indulgentia plenaria, in eius Ecclesia. Item centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta octo annorum; & 285. dierum Indulgentia.

P. In Dedicatione S. Mariæ de Angelis, siue Portiunculæ, die 2. Augusti, Indulgentia plenaria ad S. Mariam Maiorem.

P. Die Inuentionis S. Stephani Indulgentia plenaria, ad S. Laurentium.

P. Festo B. Mariæ ad Niues, Indulg. plenar. S. Mariam Maiorem. Item centum quinquaginta octo millium, nongentorum quinquaginta octo annorum, & 285. dierum Indulgentia.

Die ss. Xisti, Felicissimi, & Agapiti, diuersæ Indulgentiæ, ad S. Crucem.

Die ss. Ciriaci, Largi, & Smaragdi, Indulgentia mille annorum, apud S. Sebastianum.

P. Festo S. Laurentij Martyris, Indulg plen. & per totam Octauam. Item centum quinquaginta octo millium: nongentorum quinquaginta octo annorum,

rum, & 285. dierum Indulgentia, in eiusdem Ecclesia. Insuper quouis etiam die mille annorum Indulgentia, & totidem quadragenarum in eadem Ecclesia.

P. Die S. Claræ, Indulg. plen. ad S. Mariam Maiorem; & centum anni ad S. Crucem.

Die S. Eusebij, Indulgentia mille annorum, ad S. Mariam Maiorem.

P. In vigilia Assumptionis Beatissimæ Virginis, ad primas Vesperas, Indulg. plen. apud S. Mariam de Populo.

P. Festo Assumptionis eiusdem Beatissimæ Virginis & per totam Octauam Indulg. plen. Item quadraginta anni, & totidem quadragenæ; ac remissio tertiæ partis peccatorum, ad S. Mariam Maiorem. Præterea centum quinquaginta octo millium, centum sexaginta duorum annorum, & centum dierum Indulgentia, ad S. Petrum.

P. Dominica infra octauam eiusdem Festi Assumptionis, & remissio omnium peccatorum in S. Maria de Ara Cœli.

P. Die S. Ludouici Confessoris Ord. Minorum Indulg. plen. ad S. Mariam de Ara Cœli.

P. In Octaua Assumptionis Beatissimæ Virginis, remissio omnium peccatorum, ad S. Mariam Trans Tyberim.

P. Festo S. Bartholomæi Apostoli, plenaria remissio omnium peccatorum, & Indulgentia septem millium annorum, ad S. Ioannem in Lateranense.

P. Festo S. Augustini Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris, Indulgentia plenaria, in propria Ecclesia; & mille anni ad S. Mariam Maiorem.

P. Die Decollationis S. Ioannis Bapt. Indulg. plenaria. Et centum annorum, totidemque quadragenarum; atque remissio tertiæ partis peccatorum, apud S. Ioannem Lateranensem.

DVBIVM VIGESIMVM PRIMVM.

*Quanam Indulgentia Mense Septembris?*

RESpondeo cum *Rodriq. q. cit. art. 9.* & dico esse sequentes: 562

P. In Vigilia Natiuitatis Sacratissimæ Virginis Mariæ ad primas Vesperas Indulg. plen. ad S. Mariam de Populo.

P. Festo Natiuitatis eiusdem Beatissimæ Virginis, Indulgentia plenaria, ad S. Mariam Rotundam. Item centum quinquaginta millium, sexcentorum nonaginta annorum, & 185. dierum Indulgentia.

Die S. Adriani Martyris Indulgentia ducentorum annorum, ad S. Mariam Maiorem.

P. Festo Exaltationis S. Crucis Indulg. plenaria: Item mille & quadriginta anni, ac remissio tertiæ partis peccatorum, ad S. Crucem. Insuper centum quinquaginta nouem millium, sexaginta quattuor annorum, & 45. dierum Indulgentia.

Die ss. Eufemiæ, Luciæ, & Geminiani, Indulgentia mille annorum, ad S. Ioannem. Lateran.

Die S. Eustachij & Sociorum Indulgentia centum quadraginta annorum, apud S. Sebastianum.

P. Festo S. Mathæi Apostoli, Indulgentia plenaria. Et Indulgentia centum annorum, ad S Sebastianum.

Die SS. Cosmæ, & Damiani septem millium annorum Indulgentia, apud S. Sebastianum.

P. Festo S. Michaelis Archangeli, Indulgentia plenaria, ad s. Mariam Maiorem. Item centum quinquaginta quattuor millium nongentorum nonaginta duorum annorum, & 200. dierum Indulgentia.

P. Die S. Hieronymi Confessoris, Ecclesiæ Doctoris, Indulgentia plenaria, ad S. Mariam Maiorem. Et duo millia annorum. Item centum quinquaginta octo millium, sexcentorum nonaginta annorum; & 285. dierum Indulgentia.

DV-

DVBIVM VIGESIMVM II.

*Quales Indulgentiæ Mense Octobris?*

563 Respondeo cum *Rodriq.q.cit.art.*10. & dico, esse sequentes:

P. Die S. Francisci, & per totam octauam Indulgent. plen. in eius Ecclesia trans Tyberim; *& apud Sanctum Paulum*. Item centum quinquaginta octo millium, & nongentorum sexaginta octo annorum: ac 285. dierum Indulgentia.

P. Die S. Lucæ Euangelistæ, Indulgentia plenaria, & mille anni, *apud S. Mariam Maiorem*.

P. Festo ss. Apostolorum Simonis & Iudæ, Indulgentia plenaria, *ad S. Petrum*, Item quadraginta anni, & totidem quadragenæ; ac remissio tertiæ partis peccatorum. Insuper centum quinquaginta octo millium, & nongentorum, nonaginta octo annorum, & 285. dierum Indulgentia.

DVBIVM VIGESIMVM III.

*Quales Indulgentiæ Mense Nouembris?*

564 Respondeo cum *Rodriq. q. cit. art.* 11. & dico, esse sequentes:

P. In Festo omnium Sanctorum, Indulgentia plenaria, *ad S. Mariam Rotundam*. Item centum quinquaginta octo millium, sexcentorum sexaginta duorum annorum, & 100. dierum Indulgentia.

P. In Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, Indulgentia plenaria, & per octo sequentes dies, *apud S. Mariam Maiorem*; *& in Ecclesia S. Gregorij*. Item cẽtum quinquaginta quattuor millium, nongentorum nonagintauno annorum, & 200. dierum Indulgentia.

P. In Octaua omnium Sanctorum, plenaria remissio omnium peccatorum, *apud S. Petrum*.

Eodem die SS. Quatuor Coronatorum, multæ habentur Indulgentiæ, *apud S. Ioannem in Lateran.*

P. In Dedicatione Basilicæ Saluatoris, Indulgentia plenaria, *ad S. Ioannem Lateranensem*. Item centum anni, Insuper septingentorum quinquaginta quattuor millium, nongentorum octoginta trium annorum; & 285. dierum Indulgentia.

Die Ss. Triphonis, Respicij, & Nymphæ, diuersæ exstant Indulgentiæ, *apud S. Laurentium*.

Festo S. Martini Episcopi, trecenti anni, & totidem quadragenæ, *apud S. Sebastianum*.

P. In Dedicatione Basilicæ S. Petri, Indulg. plenaria. Et vndecim millia annorum, cum totidem quadragenis, ac remissio tertiæ partis peccatorum, *apud S. Petrum*. Præterea centum quinquaginta nouem millium, nongentorum sexaginta quattuor annorum, & 285. dierum Indulgentia.

Die S. Elisabethæ Reginæ Vngariæ, Indulgentia centum annorum, *ad S. Crucem*.

P. Festo Præsentationis Beatissimæ Virginis, Indulg. plenaria, *ad S. Mariam Maiorem*.

P. Die S. Cæciliæ Virg. & Mart. Indulgentia plenaria *in eius Ecclesia*, & *apud S. Mariam in Ara Cœli*. Et viginti annorum Indulgentia. Item centum quinquaginta nouem millium, septingentorum nonaginta annorum, & 285. dierum.

P. Die S. Clementis Papæ & Martyr. Indulgentia plenaria, *in eius Ecclesia*; *& apud S. Petrum*.

Item centum quinquaginta octo millium; nongentorum sexaginta sex annorum, & 150. dierum Indulg.

Die S. Felicitatis Martyris, Indulgentia quadraginta annorum, *ad S. Crucem*.

Die S. Chrysogoni Martiris, Indulgentia mille annorum, *apud S. Mariam Maiorem*.

Die S. Catherinæ Virginis & Martyris, Indulgentia mille annorum, *apud S. Mariam Maiorem*.

Die S. Saturnini martyris, Indulgentia centum annorum, *apud S. Sebastianum*.

P. Festo S. Andreæ Apostoli, Indulgentia plenaria. Item mille annorum, & remissio tertiæ partis peccatorum, *apud S. Petrum*. Denique centum quinquagin-

quaginta millium; nongentorum sexaginta quatuor annorum, & 45. dierum Indulgentia.

## DVBIVM VIGESIMVM IV.

### *Quales Indulgentiæ Mense Decembris?*

565 R Espondeo cum *Rodriq. q. cit. art.* 12. esse sequentes:

Die S. Bibianæ Virginis & Martyris, Indulgentia octo millium annorum, *apud S. Mariam Maiorem*.

Die S. Barbaræ Virg. & Mart. Indulgentia mille annorum, *ad S. Crucem*.

Die S. Sabbæ Abbatis, Indulgentia centum annorum, *ad S. Petrum*.

P. Die S. Nicolai Episcopi, Indulgentia plenaria; & trecenti anni, ac totidem quadragenæ *in eius Ecclesia; & apud S. Crucem*. Præterea annorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum nonaginta & vnius; ac 200. dierum Indulgentia.

P. Die S. Ambrosij Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris Indulg. plenaria; atque etiam mille anni, *ad S. Petrum*.

P. In Vigilia Conceptionis Beatissimæ Virginis, ad primas Vesperas Indulgentia plenaria, ad *S. Mariam Maiorem*.

P. Festo Immaculatæ Conceptionis eiusdem Gloriosissimæ Virginis Mariæ, Indulgentia plenaria, *ad S. Mariam de Populo*. Item centum quinquaginta octo millium, nongenrorum sexaginta octo annorum, & 285. dierum Indulgentia.

In quatuor temporibus, Indulgentia quadraginta annorum, totidem quadragenarum, ac remissio tertiæ partis peccatorum, apud *S. Mariam Maiorem*.

P. Festo S. Thomæ Apostoli, Indulg. plenaria, & trecentorum annorum, ac remissio tertiæ partis peccatorum, *apud S. Paulum*.

P. In Natiuitate D. N. Iesu Christi, Indulgentia plenaria, sub qualibet ex tribus Missis: Et Indulgentia mille annorum, *ad S. Mariam Maiorem*.

Festo S. Anastasiæ Martyris, Indulgenria mille annorum, ad *S. Mariam Maiorem*.

P. Festo S. Stephani, Indulg. plenaria, ad *S. Laurentium*. Item duo millia annorum. Rursum centum anni, & totidem quadragenæ: ac remissio tertiæ partis peccatorum. Exstant insuper multæ aliæ Indulgentiæ, *in eius Ecclesia in Monte Cælio*.

P.†. Festo S. Ioannis Euang. Indulgentia plenaria, *ad S. Ioannem in Laterano*. Et centum anni, *apud S. Paulum*. Item liberatio vnius Animæ ex Purgatorio. Præterea etiam centum quinquaginta octo millium, septingentorum nonaginta annorum, Indulgentia. *Liberatio vnius animæ.*

P. Festo S. Innocentium, Indulgentia plenaria, & quadraginta anni, totidemque quadragenæ, *apud S. Paulum*.

P. Festo S. Syluestri Papæ, Indulgentia plenaria. Item decem millium annorum, ad S. Ioan. Later.

## DVBIVM VIGESIMVM V.

### *Quales Indulgentiæ habeantur ab Aduentu vsque ad quinquagesimam?*

R Espondeo cum *Rodriquez tom. 2. qq. Regul. qu. 91. art. 1.* ac dico, haberi sequentes: 566

Dominica prima, *apud S. Mariam Maiorem* centum quinquaginta octo millium, sexcentorum nonaginta annorum, & 285. dierum.

Dominica secunda, *ad S. Crucem*, centum quinquaginta octo millium, sexaginta quattuor annorum, & 45. dierum.

Dominica tertia, *apud S. Petrum*, centum quinquaginta octo millium, ducentorum sexaginta octo annorum, ac 285. dierum.

Feria quarta quatuor Temporum, *apud S. Mariam Maiorem*, centum quinquaginta octo millium, septingentorum nonaginta annorum & 285. dierum.

Feria 6. *ad S. Apostolos*, centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta octo annorum, & 285. dierum.

Sabbatho *ad S. Petrum*, centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta sex annorum, & 285. dierum.

Dominica quarta, *ad S. Apostolos*, centum quinquaginta octo millium, septingentorum nonaginta annorum, & 285. dierum.

In

In prima Missa Natiuitatis D. N. ad *S. Mariam Maiorem*, centum quinquaginta nouem millium, septingentorum nonaginta annorum, & 285. dierum Indulgentia.

In secunda Missa, *ad S. Anastasiam*, centum quinquaginta octo millium, septingentorum nonaginta annorum, & 285. dierum.

In tertia Missa, ad *S. Mariam Maiorem*, centum quinquaginta nouem millium, septingentorum nonaginta annorum, & 285. dierum.

Festo S. Stephani, *in Monte Cælio*, centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum nonaginta & vnius annorum, ac 200. dierum.

*Liberatio Animæ.* †. Festo S. Ioannis Euangelistæ, *ad S. Mariam Maiorem*, Indulgentia centum quinquaginta nouem millium, septingentorum nonaginta annorum, & 285. dierum. Et liberatio vnius Animæ ex Purgatorio.

Festo ss. Innocentium, *ad S. Paulum*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quinque millium, ducentorum nonaginta; & vnius, ac 285. dierum.

In Circuncisione Domini, *ad S. Mariam de Ara Cæli, & S. Ioannem in Laterano*, Indulgentia annnorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum octoginta trium, & 285. dierum.

*† Liberatio Animæ ex Purgatorio.* †. Dominica Septuagesimæ, ad S. Laurentium Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta octo, & 265. dierum. Item liberatio vnius Animæ ex Purgatorio.

Dominica sexagesimæ, *ad S. Paulum* Indulgentia annorum centum quinquaginta quinque millium, centum nonaginta, & 200. dierum.

Dominica Quinquagesimæ, *ad S. Petrum*, Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nonaginta sex: & 286. dierum.

## DVBIVM VIGESIMVM VI.

### *Quales Indulgentiæ in Quadragesima?*

REspondeo cum *Rodriqrez q. cit. art. 2.* & dico esse sequentes; 567

Feria quarta Cinerum *ad S. Sabinam*, Indulgentia centum quinquaginta quinque millium, ducentorum nonaginta trium annorum, & 285. dierum.

Feria quinta, *ad S. Gregorium*, Indulgentia centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum tredecim annorum, & 285. dierum.

Feria sexta *ad SS. Ioannem, & Paulum*, Indulgētia annorum centum quinquaginta quinque millium ducentorum nonaginta vnius, & 200. dierum.

Sabbatho, *ad S. Triphonem*, Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum octoginta trium, & 285. dierum.

Dominica Prima, *ad S. Ioan. in Laterano*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum nonaginta quatuor, & 285. dierū.

Feria secunda, *ad S. Petrum ad Vincula*, Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta nouem, & 285. dierum.

†. Feria tertia *ad S. Anastasiam* Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta octo: & 285. dierum. Item liberatio vnius Animæ ex Purgatorio. *Liberatio Animæ.*

Feria quarta, *ad S. Mariam Maiorem*, Indulgentia annorum centum quinquaginta nouem millium, ducentorum nonaginta; & 285. dierum.

Feria quinta, *ad S. Laurentium in Pane, & Perna*, Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta octo; & 285. dierum.

Feria sexta, *ad SS. Apostolos* Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta octo; & 285. dierum.

Sabbatho, *ad S. Petrum*, Indulgentia annorum centum quinquaginta sex millium nongentorum sexaginta quatuor; & 45. dierum,

Domi-

Dominica secunda, *ad S. Mariam in Dominica* Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta octo; & 285. dierum.

Feria secunda, *ad S. Clementem* Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum quinquaginta sex & 250. dierum.

Feria tertia, *ad S. Balbinam*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quinque millium, ducentotum nonaginta trium; & dierum 285.

Feria quarta, *ad S. Caciliam*, Indulgentia annorum centum quinquaginta nouem millium septingentorum nonaginta; & dierum 285.

Feria quinta, *ad S. Mariam trans Tyberim* Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, octingentorum quinquaginta octo; & dierum 285.

Feria sexta, *ad S. Vitalem*, Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum quinquaginta octo: & dierum 285.

Sabbatho *ad SS. Marcellum, & Petrum*, Indulgentiæ annorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum sexaginta vnius: & dierum 200.

*Liberatio Animæ.* †. Dominica tertia, *ad S. Laurentium*, Indulgentia annorum centum quinquaginta nouem millium, & viginti quatuor: ac dierum 30. Item liberatio vnius Animæ ex purgatorio.

Feria secunda, *ad S. Marcum*, Indulgentiæ annorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum nouem; dierum 220.

Feria tertia, *ad S. Pudentianam*, Indulgentiæ annorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum nonaginta vnius, & dierum 200.

Feria quarta *ad S. Sixtum*, Indulgentiæ annorum centum quinquaginta quinque millium, septingentorum nonaginta, & dierum 100.

Feria quinta, *ad SS. Cosmam & Damianum* Indulgentię annorum centum quinquaginta quatuor millium nongentorum, nonaginta vnius, ac dierum 200.

Feria sexta, *ad S. Laurentium in Lucina*, Indulgentiæ annorum centum quinquaginta quatuor millium; nongentorum sexaginta duorum; ac dierum 200.

Sabbatho, *ad S. Susannam*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quatuor millium nongentorum, & vndecim annorum; ac dierum 200.

† Dominica quarta, *ad S. Crucem*, Indulgentia annorum centum quinquaginta nouem millium, & sexaginta, ac dierum 45. Item liberatio vnius Animę ex Purgatorio. *Liberatio Animæ.*

Feria secunda, *ad SS. Quattuor Coronatos*, Indulgentia annorum centum quinquaginta nouem millium; nongentorum nonaginta; & dierum 200.

Feria tertia, *ad S. Laurentium in Damaso*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum nonaginta vnius; ac dierum ducentorum.

Feria quarta, *ad S. Paulum*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quinque millium ducentorum nonaginta vnius; & 200. dierum.

Feria quinta, *ad S. Syluestrum*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum nonaginta vnius; & 200. dierum.

Feria sexta, *ad S. Eusebium*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum nonaginta vnius; & ducentorum dierum.

Sabbatho *ad S. Nicolaum in Carcere*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quinque millium, nonagentorum nonaginta vnius; & 200. dierum.

Dominica quinta, siue Passionis, *ad S. Petrum*, Indulgentia annotum centum quinquaginta nouem millium, nongentorum sexaginta quatuor & 35. dierum.

Feria secunda, *ad S. Chrisogonum*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum nonaginta vnius; & 200. dierum.

Feria tertia, *ad S. Ciriacum*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum vndecim, & 200. dierum.

Feria quarta, *ad S. Marcellum*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quinque millium, ducentorum nonaginta vnius; & 200. dierum.

Feria quinta, *ad S. Appollinarem*, Indulgentia annorum, centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum, nonaginta vnius; & ducentorum dierum.

†. Fe-

Liberatio Animæ. † Feria sexta, *ad S. Stephanum in Monte Cælio*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quatuor millium, nongentorum nonaginta vnius; & ducentorum dierum. Item liberatio vnius Animæ ex Purgatorio.

Liberatio Animæ. † Sabbatho, *ad S. Ioannem ante Portam Latinam*, Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, octingentorum quadraginta nouem, & 45. dierum. Item liberatio Animæ ex Purgatorio.

Dominica Palmarum, *ad S. Ioannem Lateranensem*, Indulgentia annorum, centum quinquaginta sex millium, octingentorum quinquaginta nouem: & 301. dierum.

Feria secunda, *ad S. Praxedem*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quinque millium, & sexaginta quinque; ac dierum 200.

Feria tertia, *ad S. Priscam*, Indulgentia annorum centum sexaginta vnius millium, quingentorum quinquaginta vnius, & 100. dierum.

Feria quarta, *ad S. Mariam Maiorem*, Indulgentia annorum centum octoginta quinque millium, sexcentorum sexaginta duorum, & 100. dierum.

Feria quinta in Cœna Domini, *ad S. Ioannem Lateranensem*, Indulgentia annorum centum octoginta quinque millium; & 100. dierum.

Feria sexta in Parasceue, *ad S. Crucem*, Indulgentia annorum centum octoginta sex millium, sexcentorum triginta nouem, & 100. dierum.

Sabbatho Sancto, *ad S. Ioannem in Laterano*, Indulgentia annorum centum octoginta sex millium, sexcentorum triginta nouem; & 100. dierum.

## DVBIVM VIGESIMVM VII.

### *Quales Indulgentiæ tempore Paschali,*

Respondeo cum *Rodriquez q. cit. art. 3.* & dico esse sequentes:

Dominica Resurrectionis, *ad S. Mariam Maiorem*, Indulgentia annorum centum octoginta quinque millium, centum sexaginta duorum; & 100. dierum.

Feria secunda, *ad S. Petrum*, Indulgentia annorum, centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta octo: ac dierum 285.

Feria tertia, *ad S. Paulum*, Indulgentia annorum centum quinquaginta quinque millium, ducentorum nonaginta vnius: & dierum 200.

† Feria quarta, *ad S. Laurentium extra muros*, Indulgentia annorum, centum quinquaginta nouem millium, nongentorum sexaginta octo; & dierum 285. Liberatio Animæ.

Feria quinta, *ad S. Apostolos*, Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta octo: & dierum 285.

Feria sexta *ad S. Mariam Rotundam*, Indulgentia annorum, centum sexaginta octo: & dierum 285.

Dominica Pentecostes, *ad S. Petrum*, Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta octo, & dierum 285.

Feria secunda, *ad S. Petrum ad Vincula*, eadem Indulgentia.

Feria, tertia, *ad S. Anastasiam*, eadem Indulgentia, vt in Dominica.

Feria quarta *ad S. Mariam Maiorem*, Indulgentia annorum centum quinquaginta octo millium, sexcentorum nonaginta, dierum 285.

† Feria quinta, *ad S. Laurentium*, Indulgentiæ annorum centum quinquaginta octo millium, nongentorum sexaginta octo: dierum 285. Item liberatio vnius Animæ ex Purgatorio. Liberatio Animæ.

Feria sexta, *ad S. Apostolos*, eadem Indulgentia.

† Sabbatho *ad S. Petrum*, Indulgentia annorum centum quinquaginta nouem millium, nongentorum sexaginta quatuor dierum 285. Item liberatio vnius Animæ ex Purgatorio. Liberatio Animæ.

Notat hic *Rodriquez ad finem articuli*, quòd, iuxta aliquorum opinionem (prout affirmat *Collector Priuilegiorum Mendicantium*) si quis visitet Ecclesiam, in qua eo die est Statio: obtineat pariter Indulgentias Ecclesiarum Capitalium, & etiam aliarum. Quando autem ibi est Indulgentia, non autem Statio, non hæc, sed illa sola acquiratur. Concludit autem (& nos cum eo) quod *Fratres Minores, & Religiosi, suorum Priuilegiorum ha-*

*bentes*

*bentes communicationē*(nec non & ij, inquā, qui alicui Ordini per Spirituale Filiationem aggregati sunt) *recitando sex Pater & Aue, & in fine cuiuslibet Gloria Patri, prout supra iā dictum est, omnes Indulgentias, indistinctè titulorum, & Ecclesiarum Vrbis Romæ lucrantur.*

570 Aduerto tamen hic denuò, imprimis circa consecutionem omnium Indulgentiarum Vrbis Romę *indistinctè*, talem indistinctā consecutionem omnium Indulgentiarum, intelligendam esse, secundùm limitationem, & explicationem superiùs à nobis datam, in fine *Dubij. 10. sub n. 539.* nec non iuxta normam, ac limitationem moderni, & sæpiùs citati *Decreti Indulgentiarum*, & non aliter: Secundò, recitationem dictorum sex Pater & Aue &c. in ordine ad lucrandum has Indulgentias, faciendam esse coram Sanctissimo Sacramento, vel principali Ecclesiæ Altari, ob restrictionem, vt diximus *n.* 453 factam ab Vrbano VIII. Insuper recitari necessariò actualiter debere, omnia sex Pater noster, totidemque Aue Maria, & Gloria Patri: Vnde si quis omitteret vnicum Pater & Aue, & vnicum Gloria Patri, quantumuis inuoluntariè, ex naturali obliuione, inaduertentia, aut etiam impotentia, dictas Indulgentias non consequeretur, numerus quippe senarius hic est de forma. *Et regula generalis est* (ait *Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 52. sect. 1. n. 1. in princip.*) *quoties Indulgentia conceditur sub tali forma, vt certum aliquod opus requirat, neminem lucrari illam, nisi tale opus exequatur. Quòd adeò verum est, vt licèt per impotentiam, vel naturalem obliuionē, vel quamlibet aliam causam, quantumuis inuoluntariam, opus omittatur, effectus Indulgentiæ impediatur: nisi in ipsamet concessione, talis exceptio declaretur, & sub alia forma, seu conditione, idem Indulgentiæ effectus personis impeditis tribuatur. Et hæc est communis doctrina &c.* Huc etiam facit tradita à nobis superiùs doctrina *Dub. 4. huius C. sub n.* 435. Porrò Suarez l. c. rationem suæ assertionis reddit, quia nimirum *Indulgentia, non amplius valet, quàm sonat: quia solum operatur iuxta voluntatem concedentis, expressam per formam: illa autem concessio, ex vi formæ, conditionata est: & ideo, non impleta conditione, nihil operatur, quia conditionalis, non impleta conditione, nihil ponit in esse.* Ita præfatus Author, qui vt consequenter loquatur, sic suam doctrinam prosequitur *n. 4. in fine;* (quæ nostro quoque casui, licet ex alio motiuo deseruit) *si*, inquit, *concedatur Indulgentia recitanti quinquies Orationem Dominicam, & Angelicam, & quater tantùm dicatur, profectò non obtinebitur indulgentia: quia licèt id, quod omittitur, videatur in se parua materia, tamen respectu totius operis iniuncti est magna pars. Vnde cum totum ipsum opus iniunctum, sit onus satis leue videtur, sanè in indiuisibili consistere.* Idipsum omninò asserendum in casu nostro, de recitatione sex Pater & Aue &c.

Notat præterea idem *Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 50. sect. 4. n. 9. in fine* (vt superiùs iam intimauimus *n. 551.*) ab eodem Pontifice, per vnum actum concessionis, concedatur duplex Indulgentia, vna plenaria, altera partialis siue præter plenariam certus etiam numerus annorum seu dierum, vt in allato Catalogo videre licet; si quis plenariam pro se lucratus sit, posse partialem probabiliter offerre per modum suffragij pro alijs, licèt id non exprimatur; cum alius modus vtilis non appareat, quo talis Indulgentia effectum suum nancisci queat; en eiusdem formalia: *Si constet, totam illam Indulgentiam sub eadem conditione & diligentia ad idem momentum referri, sub ratione vnius integræ concessionis, tunc verisimile mihi est, vltra Indulgentiam plenariam, quam quis sibi lucratur, concedi alios dies, vel annos Indulgentiæ, vt per modum suffragij offerre illos possit etiamsi in rescripto hoc expresè non declaretur: quia (quod credendum est) illud non frustra conceditur, sed aliquo modo vtili: non occurrit autem alius modus, quo possit talis Indulgentia integrum habere effectum, aut additio illa alicuius esse vtilitatis.* 571

Denique quærit *Rodriq. to. 2. qq. Regul. q. 88. art. 2. Quot, ac quantæ Indulgētiæ per Stationes obtineantur?* Respondet (confundendo, vt & plures alij ad eius exemplum facere Indulgentias Stationum, cum Indulgentijs Ecclesiarum Vrbis Romę; quòd perperam fieri, à nobis superiùs demonstratum est *Dub. 12. sub n. 547.*) ac dicit ex mēte etiā aliorum Authorum, quòd Romę singulis diebus, saltem in tribus locis (quò fœminis intrare nō licet) sit plena remissio omniū peccatorū. In alijs octo locis, ad minimum remissio tertiæ partis, in vno quartæ; & in alio septimæ. In cæteris autē Ecclesijs, & pijs locis eiuldē Vrbis 572

innumerabiles alias ; ait reperiri Indulgẽtias, quarum Summa, secundũ aliquos ascendit ad 4000. ãnorum, & 1500. quadragenas Insuper plurimas ac grandes in diuersis locis ac Ecclesijs haberi Indulgẽtias, occurrẽtibus quasi quotidie Dedicationibus vel Altarium, vel Ecclesiarum. In diuersis quoque temporibus, locis, ac Sanctorum Festiuitatibus, augeri Indulgentias, & duplicari omnes in Quadragesima. Quibus adde de nouo concessas *à Sixto IV.* & alijs Pontificibus, maximè in Ecclesiis, ab ipsis ædificatis, aut restauratis, in specie ad *S. Mariam de Pace, & ad S. Mariam de Populo*, Festis B. Virginis, Sabbathis Quadragesimæ, & à Sabbatho Passionis, vsq; ad Octauam Paschæ, quo tempore ingens ibi cernitur Populi Romani concursus. Quibus expositis, ait; *Has autem Indulgentias, vt præmittitur, possunt quotidie lucrari Fratres, & Sorores, Nonitij, Donati, at perpetuò oblati* (addo, & Religionibus participantibus Aggregati) *visitando Ecclesias vbi morantur, & dicendo quinquies Pater noster, & Aue Maria, cum Gloria Patri in Fine cuiuslibet, & vnum Pater noster, & Aue Maria cum Gloria Patri pro sua Sanctitate, &c.* Ita *Rodriquez art. cit, versu Has autem.*

573 Asserit porrò, lucrifieri à præfatis, recitatione eorundem sex Pater &c. quod modo ante Venerabile Sacramentum, vel principale Ecclesiæ Altare faciendum est) Indulgentias etiam septem Principalium Vrbis Romę Ecclesiarum Hierosolymorum; & S. Iacobi de Galitia; dictæ autem septem Ecclesiæ sunt, S. Ioannis in Laterano, S. Petri S. Pauli, S. Mariæ Maioris, S. Laurentij extra muros, SS. Fabiani & Sebastiani, S. Crucis in Hierusalem: quæ septem principaliores Vrbis reputantur, dignitate eminentiores, & gratijs Spiritualibus magis priuilegiatæ cæteris Vrbis Ecclesijs, atque adeò maioribus etiam, præ cæteris, ditatæ Indulgentijs. Cùm igitur hæ Indulgentiæ, recitatione sex Pater noster &c. tam à Regularibus, quàm à communicantibus, per Litteras Gratiosas, eorum Priuilegia, aquiri possint, ad normam dicti *Rodriquez*, eas quoque, sequentibus Dubijs recensebimus, ne quidquam huic tractatui desit, quod ad eum spectaret, aut reduci valeret: id porrò Lectori conferet, ad exactam notitiam Indulgentiarum septem Altarium quæ à Summis Pontificibus concedi solent, sunt enim hæc Altaria, septem illa Priuilegiata Basilicæ S. Petri Romæ; & Indulgentiæ ipsis concessæ, eædem sunt, ac illæ, quæ habentur in enumeratis septem Vrbis Ecclesijs: vti apparet ex *Tractatu Indulgentiarum septem Altarium, impresso Venetijs apud Petrum Milocum, Anno* 1638. in quo *pag.6.* dicitur: *Septem Altaria Priuilegiata, maximis sunt cumulata Indulgentijs, & vt antiqua ex traditione habetur, qui ea visitat, tantas lucrantur Indulgentias, quantas si septem Vrbis Ecclesias visitaret; Festis autem diebus hæ Indulgentiæ sunt dupplicata.*

## DVBIVM VIGESIMVM VIII.

### *Quales Indulgentiæ reperiantur in Ecclesia S. Ioannis Lateranensis Romæ?*

Prima septem Vrbis Ecclesiarum, est Sacrosancta Lateranensis Basilica: 574
dicebatur antiquitùs Basilica Saluatoris; modò communiter vocatur *S. Ioannis in Laterano*, seu *Lateranensis*, eò quòd à *Constantino Imperatore*, à latere sui proprij Palatij, ædificata fuerit, & à *S. Sylnestro Papa* in honorem Domini ac Saluatoris Nostri Iesu Christi, ac Sanctorum *Ioannis Baptista, & Ioannis Euangelista* dedicata: refertur autem *S. Syluestrum*, & *S. Gregorium* (qui successiuis temporibus eam consecrarunt, tantas, eam visitantibus Indulgentias concessisse, *quòd eas nemo, nisi solus Deus numerare potest*: ita *Rodriq. tom.2. quæst. 89. art.1.* iuxta quem.

Respondeo ad Dubium, quòd in Ec- 575
clesia Lateranensi, secundum Rubricas noni Missalis, Authoritate *Pij V.* editi, habeantur Stationes, Dominica prima Quadragesimæ: Dominica Palmarum, Die Iouis Sancto, Sabbatho Sancto, Sabbatho in Albis, Vigilia Pentecostes.

P. †. Die S. Ioannis ante Portam Latinam, Indulgentia plenaria, & liberatio animæ ex Purgatorio. *Liberatio Animæ*

P. A die S. Bernardini, 20. Maij, vsque ad primum Augusti, quotidie Indulgentia plenaria.

P. *S. Sylnester Papa*, postquam *Constantinum* Imperatorem baptizauit, ad eius

eius instantiam, concessit cuicunque hanc Ecclesiam visitanti, quocunque tempore remissionem omnium suorum peccatorum. Et *S. Gregorius Papa*, dum eandem Basilicam denuò consecrauit; eandem *S. Syluestri* Indulgentiam confirmauit.

P. Festo Saluatoris, die videlicèt, quo effigies Christi Domini in muro huius Basilicæ depicta apparuit: remissio omnium peccatorum.

P. *Bonifacius Papa* concessit, vt quicunque pro sua deuotione, dictam Ecclesiam, in ea oraturus, intrauerit, toties quoties, ab omni immunditia peccati emundetur.

P. In Capella Sancti Ioannis Baptistæ (quàm fœminis ingredi prohibitum est) habetur remissio omnium peccatorum.

P. In Capella S. Laurentij (quæ pariter fœminis interdictum) est remissio omnium peccatorum.

576 Concludo Dubium verbis, quibus *Rodriquez* suum articulum, quod scilicet, *si scirent homines Indulgentias Ecclesia Lateranensis, dicerent tanta sunt, quòd non opportet nos ire propter Indulgentias lucrandas ad Sanctum Sepulchrum vltra mare*: Idipsum dicat, vti iure merito dicere potest, quisquis per Spiritualem Filiationem tantorum thesaurorum particeps effectus est.

## DVBIVM VIGESIMVM IX.

### *Quanam Indulgentia acquiri valeant in Basilica Sancti Petri?*

577 Respondeo cum *Rodriquez quæst. cit. artic.* 2. & dico, in Ecclesia Gloriosissimi Apostolorum Principis (quæ modò principalis est Romæ, ob Sacrosanctam Sedem Apostolicam in ea constitutam, & coniunctum ei Palatium Vaticanum, quòd primaria residentia est Summi Pontificis) concessas esse, eam deuotè visitantibus, sequentes Indulgentias.

Quolibet die 48. anni Indulgentiæ, ac remissio tertiæ partis peccatorum.

In eadem Ecclesia (vt fama fert) centum & nouem erant Altaria, quæ modò ad minorem numerum redacta, quodlibet eorum continet Indulgentias octodecim annorum.

Quocunque Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli: Titulo prædictorum Altarium; Festis Natiuitatis Domini, Paschatis, ac Omnium Sanctorum: Et quocunque alio festo duplici præfatæ Indulgentiæ dupplicantur.

Festo Annuntiationis mille anni Indulgentiarum ibidem habentur: Et ab hoc Festo vsque ad Calendas Augusti, quotidie duodecim anni, totidem quadragenæ; & remissio tertiæ partis peccatorum.

Item cum deuotione ascendens gradus huius Ecclesiæ, pro quolibet eorum lucrantur septem annos Indulgentiarum.

## DVBIVM TRIGESIMVM.

### *Quanam Indulgentia in Basilica S. Pauli?*

Respondeo cum *Rodriquez quæst. citat. art.* 3. & dico, concessas ibi esse sequentes. 578

Quotidie quadraginta octo anni, & totidem quadragenæ Indulgentiarum, ac tertia pars peccatorum.

In Conuersione S. Pauli, centum anni, & totidem quadragenæ Indulgentiarum.

P. Festo Sanctorum Innocentium, quadraginta octo anni, & totidem quadragenæ: quibus modo superaddita est Indulgentia plenaria.

In Dedicatione eiusdem, quæ incidit in Octauam S. Martini, mille anni Indulgentia, & totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis peccatorum.

Denique, qui dictam Basilicam singulis Dominicis diebus visitat, easdem lucrantur Indulgentias, quas aquireret, si ad Sanctum Domini Sepulchrum Hierosolymam peregrinaretur.

DVBIVM TRIGESIMVM I.

*Quanam Indulgentiæ habeantur in Basilica S. Mariæ Maioris?*

579 RESpondeo cum *Rodriq. q. cit. art.* 4. & dico, concessas ibi esse sequentes:

Quotidie quadraginta octo anni, & totidem quadragenæ; ac remissio tertiæ partis peccatorum.

In Vigilia Ascensionis Domini, quo die celebratur ibi festum Translationis S. Hieronymi ad eiusdem Altare, ibidem quiescentis, remissio tertiæ partis peccatorum.

In omnibus Festiuitatibus B. Virginis mille annorum Indulgentiæ.

Item à Festo Assumptionis eiusdem Beatissimæ Virginis, vsque ad Festum Natiuitatis eius; Indulgentia duodecim millium annorum, vltra præfatas quotidianas.

DVBIVM TRIGESIMVM II.

*Quales Indulgentiæ in Ecclesia Sancti Laurentij extra Muros?*

580 RESpondeo cum *Rodriq. q. cit. art.* 5. & dico esse sequentes:

Quotidie quadraginta anni, & totidem quadragenæ; ac remissio tertiæ partis peccatorum.

P. Festis SS. Stephani, & Laurentij (quorum Corpora ibidem requiescunt) & per eorum Octauas; nec non & in qualibet Statione eiusdem Ecclesiæ, Indulgentia centum annorum, & remissio tertiæ partis peccatorum, concessa ab antiquo. Postmodum Calixtus Papa III. superaddidit Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum in prædictis Festis, & Stationibus.

*Liberatio Animæ.* †. Item qui hanc Ecclesiam visitauerit qualibet quarta feria, per spatium vnius anni liberabit Animam ex Purgatorio.

P. Et qui ad eandem Ecclesiam ingreditur per Portam Australem, & ante binas ibi constitutas Cruces orauerit, contritus ac confessus, lucrabitur remissionem omnium peccatorum.

DVBIVM TRIGESIMVM III.

*Quales Indulgentiæ in Ecclesia SS. Fabiani, & Sebastiani?*

RESpondeo cum *Rodriq. q. cit. art.* 6. & dico haberi in ea sequentes: 581

Qualibet die Indulgentia quadraginta octo annorum, totidem quadragenæ; ac remissio tertiæ partis peccatorum.

Item quotidie insuper Indulgentia mille annorum, concessa à *Pelagio Papa.*

In eadem Ecclesia ad Catacumba, iuxta Altare maius, tot ac tantæ sunt Indulgentiæ, quantæ habentur in Basilicis SS. Apostolorum Petri & Pauli, quandoquidem Corpora Sanctissimorum horum duorum Apostolorum ib longo tempore abscondita fuerunt in quodam puteo, supra quem modo Altare collocatum est.

Item quilibet horum Summorum Pontificum, Syluester, Gregorius, Honorius, Pelagius, Nicolaus, & Ioannes concessit Indulgentias mille annorum cuiuis quocunque anni tempore hanc Ecclesiam visitanti.

P. Item in Cæmeterio Calixti (iuxta aliquos) est Indulgentia plenaria, & remissio omnium peccatorum.

DVBIVM TRIGESIMVM IV.

*Quales Indulgentiæ in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem?*

RESpondeo cum *Rodriq. q. cit. art.* 7. & dico esse sequentes:

Singulis diebus Indulgentia quadraginta octo annorum, totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis peccatorum. 582

P. In Dedicatione huius Ecclesiæ, quæ celebrantur in Vigilia S. P. Benedicti Abbatis, 20. Martij, Indulgentia plenaria.

P. In Festo Inuentionis Tituli S. Crucis, qui ibidem in sublimiori parte muri repertus

repertus fuit, tempore Alexandri Papæ VI. die 26. Ianuarij: atque etiam singulis diebus in Capella S. Helenæ (quam fæminis, non nisi vno die totius anni intrare licet) Indulgentia plenaria.

583 Notat hic *Rodriq. ad finem articuli* multas alias haberi Romæ Indulgentias, in diuersis alijs Ecclesijs, ac pijs locis: quasdam tertiæ partis peccatorum, quasdam quadragenarum, alias annorum, alias dierum: quas pariter consequi possunt Regulares, & Moniales (nec non & ij, qui vi Litterarum Gratiosarum eorum Priuilegia participant) per solam recitationem sex Pater noster; &c. (quia per has preces, vt supra diximus, & præter alios testatur ipsemet *Rodriquez q. 87. art. 7.* qui eas recitant, *lucrantur Stationes, Indulgentias, & remissiones, tam Vrbis, quam etiam Portiunculæ, siue Hierusalem, siue S. Iacobi in Compostella, quacunque hora diei, vel noctis, &c.* eas tamen ex consulto, se (ait) nolle recensere; *cùm non ita sint magnæ sicut superius narratæ.*

584 Ex cuius narratione, simul ac ex enumeratione, ac descriptione earumdem Indulgentiarum *Antony Mariæ de Rheita in Fasciculo Sacrarum Indulgentiarum*, infert, *Gobat de Indulgentijs par. 2. cap. 43. num. 766.* sequentem calculationem: *Hactenus Antonius à Rheita, ex cuius & Rodriquezij enumeratione; Deduces primò, in Vrbe Roma, per Anni circulum obtineri posse ab vnoquoque plusquam 1300. plenarias Indulgentias; nam illa terna, quæ quotidie in tribus Ecclesiis, scilicet S. Ioannis Lateranensis. Sacelli D. Laurentij, quod dicitur Sanctum Sanctorum, & S. Crucis, teste Escobar n. 55. post Rodriq. q. 88. art. 2. obtinentur, excurrunt annuatim ad 1095. quib. si addas alias, quæ in alijs Templis acquiruntur certis festis Dominicis, Octauis, & Ferijs supra indicatis, excrescet nu. ad 1300. & vltra. Deduces 2. posse per anni decursum, ab vnoquoque sodale parthenio, liberari à Purgatorio plus 100. Animas, si vera sunt, quæ ex Rodriq. & Rheita retuli: & maximè si verum est, quod etiam Hieron. Rodriq. res. 77. num. 26. & 32. asserit, videlicet qualibet feria quarta totius anni, esse Romæ liberationem Animæ.* Hucvsque *Gobat*, quibus deinde citatum Caput, ac totum Tractatum concludit per hæc verba; *Quapropter potest quiuis Religiosus mendicans* (& qui eorum Priuilegia participat) *quotidie, si velit, non vni duntaxat, sed pluribus Animabus suffragari, vt perspiciet, quisquis doctrinas allatas applicarit, tum enumerationi Indulgentiarum supra descriptæ, tum quæ in Compendio priuilegiorum indicantur;* maximè in illo Mendicantium, de quo loquens *Rodriquez*, in ordine ad Indulgentias superiùs enumeratas, ait *cit. q. 89. art. 7. in fine: Hæc omnia tradit Collector fidelissimus Priuilegiorum Mendicantium in Compendio impresso in Ciuitate Vallisoleti Anno Domini Millesimo quingentesimo vigesimo.* Videatur *Manuale Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captiuorum Christianorum impressum Romæ in Typographia Cameræ Apost. anno 1669. Capit. 15.* Vbi exactum tradit Compendium Stationum, & Indulgentiarum, quæ in Ecclesijs Romanis extant: ad finem verò dicti Capitis inter cætera aduertit, *quòd in Ecclesiis Vrbis Romæ quarum plurimæ, breuitatis studio non sunt nominatæ, quotidie ad minimum tredecim vicibus habeatur Indulgentia plenaria, & remissio omnium peccatorum pro viuis: & duabus ad minimum vicibus quotidie Indulgentia plenaria pro defunctis, & Indulgentiarum annorum saltem centum triginta duorum millium, & quingentorum quinquaginta, ac quadragenarum quingentarum triginta duarum, & liberetur quotidie Anima ex Purgatorio.*

Cæterùm, cum per recitationem sæpedictorum sex Pater, & Aue cum totidem Gloria Patri &c. acquirantur, vt etiam affirmat *Rodriquez tom. 2. q. 92. art. 1.* à Regularibus, & ipsis per Litteras Gratiosas associatis, præter Indulgentias Vrbis Romæ, etiam Ierosolimæ, & Sancti Sepulchri, quæ in septem quoque Vrbis Romæ Ecclesijs obtinentur; cùm viderimus in Basilica S. Pauli; participationem esse omnium Indulgentiarum S. Sepulchri: & in Basilicam S. Petri participare Indulgentias reliquarum sex Ecclesiarum; Ideo ad consolationem & vtilitatem eorumdem associatorum recensebimus per sequentia Dubia, etiam Indulgentias, Sanctæ Ciuitati Hierusalem concessas, sit proinde. 585

## DVBIVM TRIGESIMVM V.

### *Quaenam Indulgentiae habeantur in Monte Sion?*

586 PRo meliori sequentium Indulgentiarum intelligentia, notandum cum *Rodriquez to.2. q.92. art.* 1. in septem prae caeteris principalioribus Ierosolimae locis contineri Mysteria, & Indulgentias; quorum tria intra Muros, quatuor verò extra eos sita sunt. Intra Muros primarius locus est Mons Sion, qui sublimiori loco positus, tanquam caput reliquis Ciuitatis partibus supereminet, in eo Dauid conscripsit suum Psalterium., ibi sepulchra extant Regum Israel. Ibi etiam fuere domus Annae, & Caiphae; nec non, & Sanctum Christi Domini Caenaculum. Secundus locus est Mons Caluariae, qui licèt tempore Passionis Christi extra Ciuitatem situs fuerit, modò tamen murorum ambitu continetur. Tertius locus, est ipsum Ciuitatis Corpus. Reliqua loca extra Ciuitatem sunt, videlicet Torrens Cedron; Vallis Siloe, Mons Olíueti, & Bethania. In hisce locis continentur omnia Mysteria, intra & extra Ciuitatem Ierusalem; quibus notatis:

587 Respondeo ad Dubium cum *Rodriq. q. cit. art.2.* & dico sequentes ibi extare Indulgentias.

P. In Monasterio Montis Sion, in quo habitabant Fratres Minores de Obseruantia, in loco, vbi Christus Dominus vltimam Coenam peregit, est Indulgentia plenaria.

P. In Capella s. Thomae Apostoli (eo loco Christus illi apparuit) Indulgentia plenaria.

P. In Capella, vbi Spiritus Sanctus in die Pentecostes descendit, Indulgentia plenaria.

P. In loco, vbi Beatissima Virgo Maria decessit, Indulgentia plenaria.

Vbi S. Mathias in Apostolum electus fuit, Indulgentia septem annorum, & septem quadragenarum.

Vbi S. Iacobus in primum Ierosolymae Episcopum electus fuit, Indulgentia septem annorum, & septem quadragenarum.

In Capella, in qua s. Ioannes Euangelista Missam celebrabat Beatissimae Virgini, Indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum.

Vbi diuisi fuerunt Apostoli, ad praedicandum Euangelium per totum terrarum orbem; eadem Indulgentia.

In loco, quo translatum fuit Corpus S. Stephani Protomartyris, eadem Indulgentia.

In Capella, quae olim fuit Culina, in qua assatus est Agnus Paschalis Christi, eadem Indulgentia.

In introitu Domus, vbi Ancilla ostiaria dixit Petro: *& tu cum Iesu Nazareno eras*: eadem Indulgentia.

Ibidem in medio atrij, vbi S. Petrus Christum negauit, eadem Indulgentia.

Propè eamdem Domum, in loco, qui vocatur Galli Cantus, eadem Indulgentia.

In quodam loco, in quo Christus Dominus in Domo Caiphae per totam noctem, vsque manè fuit, eadem Indulgentia.

P. In domo Annae, vbi Christus alapa caesus fuit, Indulgentia plenaria.

Haud longè à praefata domo, locus est, vbi Iudaei surripere voluerunt Corpus Deiparae Virginis, quando portabatur ad sepulturam, & ibi sunt Indulgentiae septem annorum, & septem quadragenarum.

P. In eodem Monte Sion, in loco, vbi decapitatus est S. Iacobus Maior, Indulgentia plenaria.

## DVBIVM TRIGESIMVM VI.

### *Quaenam Indulgentiae exstent in Monte Caluariae.*

REspondeo cum *Rodriq. q. cit. art.3.* & dico, esse sequentes. 588

P. Penes foramen, in quo stetit S. Crux Christi, vbi crucifixus fuit, est Indulgentia plenaria.

Vbi Melchisedech obtulit panem, & Vinum, Indulgentia septem annorum, & septem quadragenarum.

In loco, vbi Abraham voluit immolare Isaac, eadem Indulgentia.

P. In loco, vbi è Cruce depositum fuit Corpus Domini, & positum in gremio

gremio Deiparæ, Indulgentia plenaria.

P. In quadam Capella penes locum, vbi Christus crucifixus est, est quædam scala, & ibi habetur Indulgentia plenaria.

P. Sub rupe, vbi Christus crucifixus est, extat aliqua Capella, in qua S. Helena Crucem Domini inuenit; & ibi est Indulgentia plenaria.

In alia Capella, asseruatur Columna, supra quam sedit Christus, postquam spinis coronatus fuit; ibique est Indulgentia septem annorum, & septem quadragenarum.

In aliqua Spelunca: in qua Christus positus fuit, dum Crucifixores Crucem adaptabant, est eadem Indulgentia.

In Horto, vbi Dominus post suam Resurrectionem Magdalenæ apparuit, eadem Indulgentia.

In Capella, vbi miserunt sortem supra vestes Christi. eadem Indulgentia.

In loco, vbi remansit Magdalena in Horto, certa quædam cauitas est, instar fenestræ, ibique habetur pars aliqua de Columna, ad quam flagellatus fuit Christus, & est eadem Indulgentia.

In Altari præfatæ Capellæ, vbi dictæ duæ res sunt, pars etiam asseruatur S. Crucis, & est eadem Indulgentia

In eadem Capella locus est, vbi mulier defuncta, per contactum S. Crucis, postquam inuenta fuit, resuscitata est: & ibi habetur eadem Indulgentia.

## DVBVIM TRIGESIMVM VII.

### *Quanam Indulgentiæ concessæ sint in ipsa Ciuitate?*

589 Respondeo cum *Rodriquez q. cit. art.* & dico esse sequentes:

P. In quadam Domo, vbi nata dicitur Beatissima Virgo Maria, est Indulgentia septem annorum, & septem quadragenarum. Alibi tamen reperitur, ibi esse Indulgentiam plenariam.

Ad Piscinam Probaticam, vbi descendebat Angelus, & mouebat aquam, Indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum.

P. In domo Pilati, est Indulgentia plenaria.

In via, seu platea, per quam Christus ad Crucifixionem ductus est, quæ vocatur via amaritudinis, in qua etiam Domus s. Lazari, & Sororum eius est, & Domus Pharisæi, quam Magdalena intrauit: Indulgentia septem annorum, & septem quadragenarum.

In domo S. Veronicæ, eadem Indulgentia.

P. In Templo Salomonis, vbi præsentata & educata fuit Deipara, Indulgentia plenaria.

P. In porta Aurea, per quam Christus Dominica Palmarum ingressus est, Indulgentia plenaria.

In Domo, vbi natus est s. Ioannes Euangelista, est Indulgentia septem annorum, & septem quadragenarum.

Vbi Dominus post Resurrectionem apparuit Mariæ Magdalenæ, Mariæ Iacobi, & Mariæ Salome, ac dixit: *Auete* eadem Indulgentia.

In loco, vbi Christus dicitur sub Cruce cecidisse, eadem Indulgentia.

Istæ sunt Indulgentię intra Muros Ciuitatis Ierusalem.

Sequuntur iam, quæ extra Muros reperiuntur.

## DVBIVM TRIGESIMVM VIII.

### *Quanam in Valle Siloe?*

Respondeo cum *Rodriquez q. cit. art. 5.* & dico, esse sequentes: 590

In Valle Siloe est locus, qui vocatur *Haceldama*, id est, ager Sanguinis, emptus triginta argenteis, quibus Christus fuit venditus; ibi est Indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum.

In Natatoria Siloe, quò Christus cæcum natum misit, vbi postquam oculos lauit, visum recepit; eadem Indulgentia.

In eadem Valle locus est, in quo S. Isaias Propheta, lignea serra, per medium dissectus est; in eo habetur præfata Indulgentia.

Ibidem est Spelunca, in quam S. Petrus sese abdidit, postquam Christum negauerat; & habetur eadem Indulgentia.

DV-

## DVBIVM TRIGESIMVM IX.

### *Quales Indulgentiæ ad Torrentem Cedron?*

591 Respondeo cum *Rodriquez q. cit. art. 6.* & dico esse sequentes:
In Horto Getsemani, vbi Christus in nocte Passionis, octo Apostolos reliquit; est Indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum.
P. In eodem horto, vbi Christus ternis vicibus orauit: Indulgentia plenaria.
In spelunca, in qua S. Iacobus Alphæi se abscondit post Christi comprehensionem, promittens, non sumere cibum, donec eum à mortuis resuscitatum vidisset; indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum.
Prope Torrentem Cedron locus est, vbi natus dicitur S. Zacharias, Parens S. Ioannis Baptistæ; ibi habetur eadem Indulgentia.

## DVBIVM XL.

### *Quales Indulgentiæ sint concessæ in Valle Iosaphat?*

592 Respondeo cum *Rodriquez q. cit. art. 7.* & dico esse sequentes;
P. In Valle Iosaphat, est Sepulchrum Beatissimæ Virginis Mariæ, ad quod est Indulgentia plenaria.
Inter hoc Sepulchrum, & Ciuitatem Hierusalem est locus, vbi lapidatus fuit S. Stephanus, in quo est Indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum.

## DVBIVM XLI.

### *Quænam Indulgentiæ habeantur in Monte Olineti?*

593 Respondeo cum *Rodriquez q. cit. art. 8.* & dico esse sequentes:
In decliuitate Montis Olineti, vbi Iesus videns Ciuitatem, fleuit super illam, dicitur esse Indulgentia septem annorum & totidem quadragenarum.
In eodem Monte, vbi Christus Apostolos orare docuit; ac Pater Noster, composuit; eadem Indulgentia.
Vbi Christus prædicauit Octo Beatitudines, eadem Indulgentia.
In eodem Monte, dicitur Angelum annuntiasse Deiparæ, ipsius ex hoc mundo transitum dedisseque ramum palmæ; est eadem Indulgentia.
P. In loco, vbi Christus visibiliter ascendit in Cœlum; Indulgentia plenaria.
In præfato Monte, est locus, in quo SS. Apostoli post Aduentum Spiritus Sācti composuerunt *Credo*: estque ibi Indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum.
P. Haud longè à loco, vbi Christus ascendit in Cœlum, est locus, qui dicitur Galilæa, in quo Christus promisit, & apparuit Apostolis post resurrectionem; ibique habetur Indulgentia plenaria.
Iuxta eum locum erat illa ficulnea, cui maledixit Christus, vbi etiam est Indulgentia septem annorum, & totidem Quadragenarum.

## DVBIVM XLII.

### *Quænam Indulgentiæ extent in Bethania?*

Respondeo cum *Rodriquez q. cit. art. 9.* & dico, exstare sequentes: 594
In Domo S. Marthæ Hospitissæ Christi, est Indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum.
In Domo S. Mariæ Magdalenæ, eadem Indulg.
In medio prædictarum domuum, in loco, vbi Martha, occurrens Christo, dixit; *Domine si fuisse hic, Lazarus non esset mortuus*: est eadem Indulgentia.
P. In loco, vbi Lazarus fuerat sepultus, & à Christo postea resuscitatus; Indulgentia plenaria.
In domo Simonis leprosi, vbi Magdalena vnxit Caput Christi, est Indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum.
Terminat hìc Rodriquez vna cum enumeratione Indulgentiarum, etiam Articulum; in summam tamen priùs redigens Indulgentias, in prædictis locis, intra & extra muros Ciuitatis Ierusalem 595

ſalem contentas, è quibus plenariæ ſunt viginti & vna; aliæ ſeptem annorum & ſeptem quadragenarum, quadraginta octo. Dantur autem præter has, in diuerſis Terræ Sanctæ locis, vt in Bethelehem, Nazaret &c. plurimæ aliæ: quas tamen ideò non ſe afferre ait *Rodriquez*, quia etiam Collector Priuilegiorum Mendicantium ex propoſito eas omiſit, eò quòd conceſſio *Leonis X.* pro præfata recitatione ſex Pater noſter, &c. ad eas non ſeſe extendat.

596 Nihilominus in præfatis locis; præter ennarratas à *Rodriquez*, ſunt adhuc aliæ Indulgentiæ, quæ referuntur in ſupracitato *Manuali Fratrum de Redemptione Captiuorum, impreſſo Romæ, Cap. 15. ſub Titulo, Indulgentiæ conceſſæ in Bethania*: & ſunt ſequentes: quæ etiam deſcribuntur *in fine Tractatus, De Indulgentijs ſeptem Altarium, impreſſo Venetijs, quem* ſuperiùs citauimus.

In ingreſſu Ciuitatis Ieruſalem, Peregrini ingredientes per Portam Ciuitatis lucrantur Indulgentias quadraginta annorum, & totidem quadragenarum.

*Liberatio Animæ.* P. †. In Eccleſia Sancti Sepulchri, eſt Indulgentia plenaria: & liberatio vnius Animæ ex Purgatorio.

P. In domo Herodis, vbi Chriſtus Dominus illuſus fuit. Indulgentia plenaria.

P. In domo, in qua habitauit B. Virgo, Indulgentia plenaria.

Ibidem in quodam loco, vbi Saluator frequenter ſolebat prædicare, Indulgentia ſeptem annorum: & totidem quadragenarum.

Vbi Chriſtus Cæcum natum illuminauit eadem Indulgentia.

In domo Simeonis Prophetæ eadem Indulgentia.

Apud certum lapidem, vbi traditio eſt, Chriſtum multos infirmos ſanaſſe eadem Indulgentia.

In loco, vbi Iudæi Chriſtum de peccato arguere volebant; eadem Indulgentia.

In Turri Dauid, quę dicitur ſeſe Chriſto inclinaſſe: eadem Indulgentia.

Ad Torrentem Cedron, vbi erat lignum, ex quo Crux fabricata fuit; eadem Indulgentia.

In Cænaculo, vbi Chriſtus diſcipulis ſuis pedes lauit, eadem Indulgentia.

In loco, vbi angariauerunt Simonem Cirenæum, ad portandam Chriſti Crucem; eadem Indulgentia.

In loco, vbi ſunt duo lapides albi, ſupra quos ſedit Chriſtus, pondere Crucis defatigatus; eadem Indulgentia.

In loco, qui dicitur ſpaſmus Beatiſſimæ Virginis, vbi Chriſtum Crucem portantem videns præ dolore ſemianimis cecidit; eadem Indulgentia.

In loco, vbi Chriſtus, poſt ſuam Reſurrectionem, apparuit Sanctiſſimæ ſuę Matri, eadem Indulgentia.

In Eccleſia, quæ prius erat domus, in qua Beatiſſima Virgo poſt, Chriſti Aſcenſionem, habitauit, eadem Indulgentia.

In Oratorio, vbi Beatiſsima Virgo orare ſolebat eadem Indulgentia.

## DVBIVM XLIII.

### *Quales Indulgentiæ reperiantur apud S. Iacobum in Galitia?*

PRæter hucuſque recenſitas, etiam Eccleſiæ S. Iacobi in Galitia conceſſas Indulgentias, lucrantur Regulares, per ſæpedictam recitationem ſex Pater, &c. vti eadem opera, & ij, qui per viam Litterarum Gratioſarum cum ipſis communicant: quare iure merito hic quæritur, quænam illæ ſint?

Reſpondeo cum *Rodriquez q. 93. art. 1.* eſſe ſequentes:

Imprimis quęlibet perſona, quocunque tempore ierit ad S. Iacobum de Galitia; conſequetur remiſsionem tertię partis peccatorum.

P. Inſuper ſi quem adeundo, ibi morando, aut redeundo à viſitione prædictæ Eccleſiæ, mori contingeret, cum errorum ſuorum pœnitentia, conceſſa eſt ei remiſsio omnium peccatorum.

Omnes illi, qui Dominicis diebus in Proceſsione circuibunt, quæ in illa Eccleſia fit, pro qualibet Proceſsione, & conſecratione, aquirunr quadraginta dierum Indulgentias; & ſic per totam ſeptimanam, & ſi feſtus dies fuerit, præter præfatas Indulgentias tertiæ partis peccatorum, adhuc trecentos alios dies.

Omnes illi, qui audiunt Miſſam Archiepi-

chiepiscopi, aut Cardinalis cuiusdam, in Altari S. Iacobi celebrantis, lucrantur pręter pręfatas Indulgentias, adhuc ducentos dies.

P. *Calixtus Papa*, concessit, quòd si festum S. Iacobi celebretur in Dominica, omnes, qui eo anno illuc peregrinarum venerint, verè pœnitentes, & confessi, absoluantur, à culpa, & à pœna.

598 Hisce *Rodriquez* concludit Articulum, nosque cum eo *Dubium*, atque etiam pręsens *Caput*. Superesset solùm, vt cum eo *quaest. subsequenti*, scilicet 94. quæreremus, quænam Indulgentiæ concessæ sint Fidelibus visitantibus Ecclesias Regularium, cùm autem de his egerimus *Dub.* 8. huius Capitis *num.* 505. & ibi cum *Casarubio*, *Titulo*, *Indulgentia quoad saeculares*, dixerimus eas quoque esse plurimas. & omni die, ac hora obtineri posse, adeò, vt in summam redactæ à *Gobat de Indulg. par.* 2. *Cap.* 28. *q.* 70. *à num.* 564. quotidie excedant numerum quadraginta annorum Indulgentiarum: ac multò plures acquiri posse à visitantibus Ecclesias Regularium tempore Quadragesimæ: ideò Lectorem, quoad has, remitto ad ibi dicta; hoc vnum hic aduertens, quòd, qui Litteras habet Filiationis Spiritualis, etiam absque actuali Ecclesiarum Regularium visitatione, hasce Indulgentias consequi possit; vi ture, scilicèt, Magnæ illius Indulgentiæ Camaldulensis, de qua supra *Dub.* 4. *&* 8. huius Capitis, *n. n.* 456. 491. si tamen ibi præscripta adimpleantur, per quam (vt *n.* 455. *&* 456. visum est) omnes Indulgentiæ, & peccatorum remissiones obtineri possunt, quæ per visitationem quarumcunque Ecclesiarum, & piorum Locorum per vniuersum Christianum Orbem acquiri valent; quæ in eadem multitudine non obtinentur per Stationem Sanctissimi Sacramenti, scilicèt per recitationem sex Pater noster &c. per quam solùm percipiuntur Indulgentiæ Vrbis Romæ, Ierosolimæ, Portiunculæ, & S. Iacobi de Galitia. Cæterùm, si Lector pro maiori sua satisfactione, magis distinctam relationem desiderat earum Indulgentiarum, quæ à Fidelibus per visitationem Ecclesiarum Regularium acquiruntur, consulere poterit *Casarubium Tit. cit.* qui omnes distinctè in specie recenset: Item *Rodriquez q.* 94. *art.* qui *art.* 1. *&* 2. exhibet in particulari concessas *PP. Dominicanis, & Minoritis*. Præterea Compendium Indulgentiarum Cincturæ supracitatæ (iuxta censuram tamen, *S. Congregationis supra Indulgentias constituta*, ibi adductam in fine *num.* 538. in quo *par.* 2. *capit.* 3. exactè, & minutim afferuntur concessæ visitantibus Ecclesias *Patrum Eremitarum S. Augustini*. Insuper *Antonium à Spiritu Sancto*, qui *in Directorio Regularium par.* 1. *tract.* 2. *disp.* 5. *sect.* 4. in vnum compendium collegit, omnes Indulgentias, concessas quibuslibet Fidelibus visitantibus *Ecclesias Carmelitanas*: idemque præstitit *Paulus ab Omnibus Sanctis in Claui Aurea par.* 4. *cap.* 11. 12. 13. *&* 14. Denique *Peyrinum*, quoad Indulgentias concessas visitantibus *Ecclesias Patrum Minimorum*, in suo *Tomo de Priuilegijs*, imò & Index ipsius, *Verbo Indulgentia*, pro repertorio Indulgentiarum seruire poterit: Ad hos proinde, atque alios Authores, & ad Compendia Priuilegiorum Regularium *Verbo Indulgentia* Lectorem remitto; quandoquidem (vt bene etiam notat *Antonius à Spiritu Sancto sect.* 4. *citat. numer.* 72.) si quis enumerare vellet omnes Indulgentias, concessas quibusuis Ordinibus Regularibus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, pro Christi Fidelibus, eorum Ecclesias visitantibus, nouo ad id indigeret volumine; *De alijs Indulgentijs concessis cæteris Ordinibus, tam Mendicantibus, quàm non Mendicantibus pro Christi fidelibus visitantibus eorum Ecclesias &c. nihil consultò egi, si quidem hoc postulabat Volumen nouum. Vnde ipsi consulant sua priuilegia, &c. ita cit. à Spiritu Sancto.* Porrò aduertat Lector, quòd sicuti Regulares, vi communicationis Indulgentiarum, quæ inter ipsos viget, consequi valent, per visitationem propriæ Ecclesiæ, Indulgentias concessas Ecclesijs aliorum Ordinum, vt dictum *Dub.* 6. huius capitis, præsertim *n.* 476. *&* 478. ita pariter Associati alicui Ordini Regulari (virtute eiusdem communicationis) eodem gaudent priuilegio, si Ecclesiam illius Ordinis visitauerint.

Non ignoro, quòd *Peyrinus tom.* 1. *Priuil. in Constitut.* 2. *Leonis X.* §. 1. *nu.* 2. *Versu Noto* 2. neget dari hanc communicationem Indulgentiarum, Ecclesijs Regularibus 599

ribus concessarum; & absolutè contrarium affirmet hisce verbis: *Istis Indulgentijs concessis nostris Ecclesijs, non gaudent visitantes Ecclesias aliorum Ordinum Mendicantium, etiamsi inter nos, & illos quoad alia sit maxima communicatio, & gratiarum reciprocatio:* afferatque declarationem aliquam circa hoc, à *Sixto IV*, editam, atque etiam pro se citet *Casarub. in Compend. Verbo Indulgentia quoad sæculares 3. num. 12.* cui adiungi potest *Antonius à Spiritu Sancto num. 72.* vbi disertè asserit, quòd *Huiusmodi Indulgentiæ concessæ Ecclesijs Regularium pro sæcularibus, non communicantur alteri Ecclesiæ, præter illam, cui concessæ sunt*. Obstat tamen huic *Peyrini* assertio omne id, quod ad stabiliendam contrariam opinionem superiùs diximus, *Dub. 6. cit.* Imò *Lezzana Verb. Indulg. quoad Regul. n. 8.* directè ei sese opponit, asserens, *Casarubium* oppositam sustinere sententiam (vt à Lectore videri potest) dum inter cætera ait, nunquam se vllo loco, aut penes vllum Authorem dictam *Sixti IV.* declarationem reperire potuisse. Cæterùm, limitat *Lezzana* (prout & nos superiùs *Dub. 7.* huius Capitis *num. 482.*) hanc Indulgentiarum communicationem inter Ecclesias Regularium, in hunc modum: *Limitari tamen hoc debet, ad eas Indulgentias, quæ in genere concessæ sunt Ecclesijs Regularium; ita vt solùm illæ communicentur alijs Ecclesijs Regularium, habentium priuilegium, communicationis cum illis, non ad illas quæ specialiter pro aliqua Ecclesia in particulari concessæ sunt, iuxta dicta tom. 2. cap. 1, nu. 52. aliàs esset magna confusio Indulgentiarum & vilesceret deuotio fidelium erga ipsos.* Ita *Lezzana*. Iuxta hanc porrò limitationem accipi etiam debent, verba citati *Antonij à Spiritu Sancto*: vt clarè patet ex contextu totius citati *num. 72.* & etiam subsequentis 73. & ex *Quintanad.* ibidem ab eo citato, qui loco ibi assignato, apertè loquitur iuxta hanc limitationem; & Dubio immediatè sequenti, nostram expressè admittit doctrinam, scilicet *in Append. tract. 4. Dub. 9. num. 1. conclus. 1.*

600 Hæc proinde dicta, de Indulgentijs, quæ per Litteras Gratiosas obtineri queunt, sufficere, vt opinor, poterunt: quapropter hisce terminum impono; nonnulla tamen priùs monita adiungere, consultum mihi visum. Primò, vt omnes conditiones, à Summo Pontifice in concessione indicatæ, obseruentur, & integrè ac religiosè adimpleantur, iuxta mentem semper, in generali saltem, suæ Sanctitatis; & in praxi secundùm probabiliores, & magis securas Authorum sententias procedatur. Secundò, si quis verisimilibus motus indicijs dubitet, an sit in statu gratiæ, vt actum aliquem contritionis elicere elaboret, saltem antequam opus pro Indulgentiæ consecutione requisitum perficiat. Tertiò, vt, priusquam illud ordiatur, offerat Diuinæ Maiestati; & vel sibi, vel alijs Indulgentiam applicet, si tamen alijs applicabilis est. Quartò, vt tot ac tantæ Indulgentiæ Animabus in Purgatorio detentis applicentur, quantæ eis applicari possunt: eo potissimum fine, vt hoc charitatiuo subsidio, illarum sibi demereatur beneuolentiam: & vice versa earum singulari apud Dominum Deum patrocinio, & continua intercessione perfruatur. Præterea, cùm incertum sit, an hæc aut illa determinatè Anima in Purgatorio existat; prudenti, & opportuno consilio, eandem semper Indulgentiam, diuersis conditionatè Animabus applicabit. Poterit ergo in hunc ferè modum intentionem suam formare. *Domine Deus, Indulgentiam, quàm modo lucrari intendo, tibi offero pro Anima Patris mei, si eius capax est, aut illa indiget; sin minus, pro Anima Matris meæ, aut fratris Antonij &c. si nec ista capax est, aut tali suffragio opus habet, volo suffragari illi, quæ ab omnibus derelicta est; aut diutissimè in Purgatorio detenta; siue, quæ omnium proxima est (iuxta dispositionem Diuinæ Tuæ Maiestatis) ad euolandum ad te in Paradisum &c.*

601 Quoniam verò is, qui per Gratiosam Filiationem, alicui Ordini Regulari aggregatus est, aut habitualiter ignorat, aut actualiter non recordatur, saltem semper, quot, ac quantas Indulgentias; vi huius Aggregationis, per frequentia sua bona opera, & orationes, maximè sæpedictorum *sex Pater & Aue*, &c. consequi possit; ideò summoperè expediet, Dominum Deum quotidie manè simili contestatione compellare: *Domine Deus, omnes Indulgentias, quas hodie, quocunque titulo lucrari possum, Diuinæ Tuæ Maiestati offero, pro tali, & tali Anima, & pro il-*

*pro illis omnibus, quæ &c.* Hac ratione quotidie sibi plures,& plures,apud Diuinam pietatem Patronos, & intercessores conciliabit; neque vllus ei elabetur dies, quo non insignia protectionis lucra sibi acquirat. Pari modò,nullum prætetire sinat diem, quo non aliquam in specie Indulgentiam lucretur, pro satisfactione propriarum culparum, cùm & quotidie in peccata labamur, & etiam *iustus septies in die cadat*. Magni proinde, thesaurum hunc Indulgentiarum, Associatus æstimet; nouerit eo eximiè ad spiritualem suum protectum vti; & tanquam cœleste Gazophilacium, prout reuerà est, magnopere cordi habeat.

602 Vt autem eius æstimatio magis apud ipsum crescat, pulcherrimum de Indulgentijs hic annecto miraculum, patratum à *P. Bertoldo*, famosissimo Concionatore, ex quo mirabiliter elucet, quanta par sit, Indulgentias veneratione ac æstimatione prosequi. Legitur in *Chronicis S. Francisci part. 2.* & narratur etiam à *Petro Marinoni in fine primæ partis Fidelis Animæ Pædagogi*, tradita fuisse à Summo Pontifice zeloso huic Patri authoritatem quoties ad populum diceret, concedendi Auditoribus suis, aliquot dies Indulgentiarum Quadam vice largitus fuerat decem dies, ijs, qui Dei Verbum ab eius ore exceperant; finito sermone, eum accessit Nobilis quædam fœmina, sed grauata non minus ætate, quàm egestate, eleemosynam ab eo flagitatura; cui respondit: Soror, terrena, quæ tibi dem, non habeo; quòd autem habeo, non tibi negabo. In Nomine Domini, cùm hodie meæ Concioni interfueris, accipe decem dierum Indulgentias, vade cum ijs ad Trapezitam, & æquo denariorum pondere commuta: quantum æris inde hauseris, sat tibi erit, ad subueniendum necessitatibus tuis. Hoc autem ideò dixit Pater, quia nouerat, Trapezitam ridere suas Indulgentias: ideoque hoc modo, à tam graui errore eum reuocare intendebat. Fœmina cum magna fiducia perrexit, obtulit Trapezitæ pro æquo denariorum pondere suam decadem Indulgentiarum. Is ridendo quærit, quanti eas dare velit? cui illa, quantum, inquit, ponderat. Consensit pacto Trapezita, interim tamen continuò ridens fœminæ simplicitatem: prehendit deinde manu bilancem: & fœmina ponit suos decem dies in vna lance, dicens: Hic pono decem dies Indulgentiarum, quas *P. Bertoldus* mihi concessit. Trapezita imponit alteri lanci vnum Regalem: tum ecce rem admirationem plenam: lanx, in qua erant Indulgentiæ, non eleuabatur. Hæc videns Trapezita, cæpit desistere à risu; adiunxit nihilominus denarios, ac tot successiuè addidit, donec ad æqualitatem lances consisterent; fuit autem tanta pecuniarum Summa, quanta sufficiebat,ad subleuandam illius pauperculæ egestatem. Agnouit ergo Trapezita ex hoc miraculo errorem suum, & exinde magnam, tam erga Sanctum Patrem, quàm eius Indulgentias, concepit deuotionem. Curet proinde sollicitè, quisquis per Litteras Gratiosas, alicui Sacro Ordini Aggregatus est, debitam Indulgentiarum concipere æstimationem, & copiosa earum acquisitione Animam suam ditare, cùm tantam spiritualis huius lucri, per viam eiuscemodi Filiationis, nactus sit commoditatem: neque intermittat, Purgantibus Animabus, quantum poterit benefacere, & earum debita hoc pretioso Thesauro exsoluere: infinitus est enim hic Indulgentiarum Thesaurus, & exhauriri nunquam potest, vt supra vidimus, & testatur Papa *Clemens VI.* in sua Bulla, allegando verba *Sapientiæ 7. Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei*. Et hæc de Indulgentijs dicta sufficiant.

CAPVT

# CAPVT NONVM.

## *Quomodo desinant Litteræ Gratiosæ Filiationis Spiritualis?*

603 LITTERÆ istę duplicem habent respectum, vnum ad Concedentem, alterum ad Concessionarium: resoluemus imprimis Dubia spectantia ad primum, deinde ea, quæ pertinet ad secundum, quibus toti denique Tractatui finem imponemus.

### DVBIVM PRIMVM.

#### *An finiantur per mortem concedentis?*

604 RESpondeo negatiuè cùm *Bordono resolut. 84. quæsito 9. numer.* 19. quia Litteræ Gratiosæ sunt Gratiæ iam factæ, atque firmatæ sigillo ac nomine Pręlati, qui eas tribuit, adeòque non finiuntur, neque expirant illius morte; consequentia probatur per differentiam, quę intercedit inter Gratiam factam, & faciendam, quod hæc expiret morte concedentis: illa non, iuxta generalem Doctorum sententiam, in materia de Priuilegijs, & habetur expressè in ipso textu Canonico *Cap. si super gratia de Officio, & potestate Iudicis delegati in* 6. vbi etiam ratio huius Doctrinæ assignatur, quæ fusius pertractantur à *Sanchez de Matrim. lib. 8. numer. 85. versu Vltimo dicitur. Layman libr. 1. tractat. 4. Capit. 23. numer. 18. Bonacin. de Priuileg. punct. 1. numer. 13. & 15. & punct. 8. numer. 19. Bossio de Iubilæo sect. 3. Casu 2. Bordon. resolut. 39. numer. 62. Antonius à Spiritu Sancto, in Director. Regularium part. 2. Titulo de Obligantibus Religiosor. tractat. 3. disputat. 4. sect. 6. numer.* 360.

### DVBIVM SECVNDVM.

#### *Quid si Concedens ante suam mortem iusserit, dari alicui tales Litteras tradantur autem primum post eius mortem?*

605 CAsus iste facilè contigere post, Mouet dubium istud *Bordonus loc. cit.* in hunc modum. Solent Generales, ad instantiam inferiorum Superiorum, eis tribuere suas Chartas Filiationis impressas, & sigillo munitas, non tamen adhuc signato die, quo datæ sint, eum verò postea apponunt Superiores locales, quando actu eas distribuunt personis, quibus directæ fuerunt. Quæritur iam ait *Bordonus*, si moriatur Generalis concedens, antequam distributio harum Litterarum effectiuè facta sit, an propterea perdant suum valorem?

Respondeo cum eodem negatiuè; 606 quia huiusmodi Litteræ Aggregatiuæ sunt Gratiæ iam factæ, adeoque non exspirant morte concedentis; vt præcedenti dubio dictum est. Quamuis autem in casu propositi dubij, Litteris Gratiosis adhuc desit determinatio certi traditionis diei, qui tempore distributionis primum apponitur, ex hoc tamen non sequitur (iuxta mentem etiam *Bordoni*) eo primùm die, gratiam fieri, qui in Litteris signatur; per hoc enim solùm indicatur, Litteras Gratiosas, ante mortem, à Prælato Generali, ceu gratiam completam, concessas, tunc primum, & non priùs incipere, suum habere effectum, & Spiritualem fructum. Confirmatur, nam Superior localis, & inferior, seu alius Religiosus, qui Litteras istas distribuit, non ideo Filiationem Spiritualem concedit, sed solummodo imperium Concedentis, seu Generalis exequitur, tanquam illius Minister, haud secùs, ac si seruus ex mandato, & nomine sui Domini eleemosynam largitur.

Idipsum alia paritate demonstro. 607 Concedit, exempli gratia, Summus Pontifex alicui, plures Indulgentias, vt eas iuxta suum beneplacitum distri-

buere valeat: Moritur deinde Pontifex, & needum integra omnium distributio facta est; quæritur, vtrum morte Pontificis expiret facultas, eas vlterius applicandi, & distribuendi; proponit dubium istud *P. Pasqualigo decision.* 493. resoluitque *numer.* 3. in hunc modum, si nimirum dictæ Indulgentiæ viuente Pontifice nondum sint distributæ, posse adhuc post mortem illius distribui, non minus, ac si etiamnum viueret. Eandem decisionem adhibet *Gobat de Indulgent. part. 1. Capit. 19. numer.* 130. fundamentum illorum, est idipsum, quòd nos superiùs attulimus; quia nimirum facultas applicandi, & distribuendi dictas Indulgentias, est Gratia facta, quæ, vt vidimus, secundum Iura, non expirat morte concedentis. Imò ego ipse, Romæ degens, occasione Generalium nostrorum Capitulorum sæpiùs à benignitate Summorum Pontificum *Innocentij X. Alexandri VII. & Clementis IX.* eandem gratiam recepi, ac facultatem, applicandi & distribuendi plures Indulgentias iuxta meum beneplacitum, quod & post mortem dictorum Pontificum feci, de residuis adhuc Indulgentijs. Si ergo valent Indulgentiæ, applicatæ post mortem Pontificis, qui eas concessit, valituræ etiam erunt Litteræ Gratiosæ, post mortem Prælatorum, qui eas communicarunt, distributæ, cum vtrobique eadem currat ratio, ac paritas.

608 At insistet hic aliquis; Tam is, qui distribuit Litteras Filiationis, quàm ille, qui applicat Indulgentias in casu prædicto, id facit tanquam delegatus Prælati, ac Pontificis; neuter quippe illorum, id munus exercet propria authoritate, cum hanc non habeat; neque authoritate ordinaria, cùm & hac careat, vt per se constat; itaque non alia authoritate id præstat, quàm delegati à Prælato Regulari in primò casu, & à Summo Pontifice in secundò. Sed delegatio expirat morte delegantis, & absolutè cessat *Capit. Relatum. Capit. Gratum, & Capit. Licet de Officio delegati; & l. & quià ff. de Iurisdictione omn. iudic. Vbi Glossa, Bartol. & alij. Item Gloss. in l. Venditor §. 1. ff. de Iud. etiam princip.* Igitur tam facultas distribuendi Filiationem post mortem concedentis, quàm potestas applicandi Indulgentias post mortem Pontificis, cessat & expirat, si eo viuente non fuerunt dispensatæ, qui ad talem dispensationem eos delegauit.

Respondeo ad hanc Instantiam cum distinctione minoris. Si delegatio ordinatur præcisè ad exercendam Iurisdictionem delegantis, conceditur, quòd expiret morte delegantis; Si autem delegatio concedatur per modum gratiæ, negatur, quòd expiret. Verum est, vt bene probat argumentum, quòd delegatio expirat morte delegantis, si delegatio non alio fine conferatur, quàm vt iurisdictio delegantis exerceatur: at (vt bene notat *Pasqualigo loc. cit. num.* 4.) quando delegatio est gratiosa, siue data per modum gratiæ, & non merè ad exercitium iurisdictionis, non expirat morte concedentis. Accessorium quippe sequitur naturam principalis; in nostro autem casu principale, quod confertur, est gratia delegatio verò dispensandi, est accessorium quid, non data propter se, sed propter vsum gratiæ. Cùm ergo principale, nimirum Gratia facta, non expiret morte concedentis, vt probauimus; neque accessorium, videlicet delegatio distribuendi, quæ ad vsum gratię collata est, expirabit. 609

## DVBIVM TERTIVM.

### *An expirante Officio Generalis, (vel alterius concedentis) expirent pariter Litteræ Gratiosæ, ab eo collatæ?*

Suggerit dubium istud *Peyrinus in suo Formular. lit. P. Cap.* 1. dum Caput hoc sequentibus verbis concludit: *Addo etiam quod participationes Generalis, qui functus est suo officio, non valent tempore successoris, propter ea quæ dixi littera O. Cap. 6. quod etiam consuetudo approbauit*, Quæritur iam, an hoc verum sit siue, an cessante officio Concedentis, cesset etiam valor Gratiosarum. 610

Respondeo cum *Bordone ref. 84. num.* 1. id non

id non esse verum: & dico absolutè, perdurare Gratiosas in suo valore, etiam postquam Prælatus, qui eas concesit, munus suum terminauit: idque probo:

611 Primò, quia cum Litteræ Gratiosæ non exspirent morte concedentis, vtpote gratia facta, vt visum est præcedentibus duobus dubijs: multò minùs exspirabunt, terminato eiusdem Officio; cùm vtrobique eadem militet ratio, vt clarè patet. Secundo, quia omnes Litteræ Gratiosæ conceduntur simpliciter, & absque vlla temporis limitatione à Prælatis Regularibus, etiam à Generali Ordinis *Patre Peyrini*, scilicet Minimorum; qua igitur ratione, & quo iure, earum finiatur valor, terminato Concedentis Officio? Tertiò, si vera foret *Peyrini* sententia, exigui valoris, ac ferè nullius æstimationis essent prædictæ Litteræ Prælatorum, sub finem muneris illorum concessæ. Certè prudens quilibet, ad initium eorum regiminis, illas obtinere niteretur, nec quisquam in fine; aut saltem à successore confirmationem peteret: quæ tamen omnia, in praxi neque vnquam tentari visa sunt, neque etiam à personis pijs & doctis; quòd argumentum euidens est, quemlibet de perpetuitate huius gratiæ adeò apud se certum esse, vt ne dubitare quidem audeat. Quocirca penetrare non valeo, quo fundamento *Peyrinus loc. citat.* dicat, quod *participationes non valent, vt etiam consuetudo approbauit*. Quandoquidem ex praxi contrarium habeatur; & qui semel Litteras Gratiosas obtinuit, certus viuat, se bonorum Spiritualium Ordinis semper participem existere; quin necessarium ampliùs ducat indagare, an adhuc viuat, qui eas concessit, an verò mortuus sit; an officio suo adhuc perfungatur, an verò iam functus sit: quare concludo cum *Paulo ab Omnibus Sanctis in elaui Aurea par.* 3. *C.* 4. *sub num.* 202. *Quod Peyrinus existimat concessas ab vno Generali, expirare eo mortuo, aut remoto ab Officio, non probatur, vixque aliud habet fundamentum, quam consuetudinem, quæ apud nos est inaudita quo ad hanc expirationem. Gratia enim facta indefinitè, & sine vla determinatione, aut limitatione concessa, durat etiam post mortem, vel cessationem Officij, illam concedentis, etiam re integra Cap. si sup. gratia de Offic. Iudic. delegat. in* 6.

Neque valet contra nostram responsionem, id, quod *Peyrinus Cap.* 6. *lit.* O. pro fundamento suæ assertionis adducit: quòd nimirum, neque Litteræ dimissoriales, quæ ab Episcopis dari solent Clericis, vt alibi ordinari possint, post eorum mortem valeant: non, in quam valet hæc instantia, quia etiam circa has communis opinio est in contrarium, asserens, eas ex sua natura valere, vt videri potest apud *Barbosam de potestate Episcopi part.* 2. *Allegat.* 7. *num.* 23. quia sunt litteræ, quæ continent gratias, & licentias iam factas, datasque simpliciter, hoc est, absque limitatione temporis, consequenter sunt perpetuæ; ita sentiunt communiter Doctores quorum plures refert *Sanch. de Matr. lib.* 8. *disp.* 28. *n.* 85. vbi ait: *Licentias omnes à Superioribus concessas quibuscunque, quando non ad certum tempus, sed absolutè concessæ sunt, esse perpetuas, donec ab eodem concedente, aut eius successore, aut Superiore reuocentur, quia sunt gratia facta*. Quod etiam confirmat *Patritius Sporer part.* 1. *Tyrocinij Sacramentalis quæst.* 42. *Capit.* 4. §. 3. *numer.* 271. *fol. mihi* 279. per hæc verba. *Litteræ dimissoria, seu licentia absolutè, & sine limitatione aliqua temporis semel concessa, non cessant lapsu temporis, sed semper durant, & valent, ac suum effectum habere possunt, etiam concedente mortuo, vel ab officio amoto: quia dimissio illa est gratia facta, non facienda: ideoque non expirat morte concedentis. Excepto tamen semper: nisi ea licentia reuocetur, siue ab ipso concedente, siue ab eius successore. Omnes enim licentiæ Præcessorum à quocumque successore æqualem potestatem habente, reuocari possunt, vt omnibus notum; cum non habeat imperium par in parem. Debet autem illa reuocatio fieri verbis claris, & expressis: alioquin censebitur non esse facta, vtpotè valde odiosa, & quia mutatio, vel correctio non est præsumenda, sed probanda* hactenus & optimè *cit. Sporer*. 612

Cæterum, quòd præfatæ Litteræ Dimissoriales, à Prælatis Regularibus concessæ suis Clericis, in aliquibus Religionibus, præcipuè Minimorum, expirent morte concedentis, aut terminato eiusdem officio; id ex eo non 613

prouenit, quòd vt gratiæ factæ, non debeant semper durare; sed quia vel à Prælato successore reuocentur, vel ipsa Religionis consuetudine intelligantur reuocatæ; & hanc ipsam consuetudinem in sua Religione vigere, fatetur *Peyrinus*, fundatque super eam, suam sententiam, eò quòd nimirùm *Litteræ Dimissoriæ in Ordine Minimorum, morte concedentis, seu officio finito, expirent*. Imò *litt. O. Capit. 6. statut. numer. 3. versu Noto* 3. ita loquitur: *Apud Regulares, & præsertim apud Minimos, dicendum est, dictas Litteras dimissoriales non valere, nisi post duos, aut tres Menses, seu ab vna Ordinatione ad aliam. Ita tenui, sola consuetudine nostræ Religionis fundatus, tom. 1. Priuileg. in Constitut. 2. Iuly II. numer. 22.*

614 Demus autem, apud Regulares, præcipuè apud PP. Minimos, expirare valorem Litterarum Dimissorialium, ex consuetudine, intra tempus à *Peyrino* dictum. Concedamus etiam, *Sanctum Carolum Borromæum part. 3. Actor. Ecclesiæ Mediol. tit. Edictum de Sacra Ordinat. versu Litteræ verò*: tale de ijsdem fecisse decretum: *Litteræ verò dimissoriæ de Ordine suscipiendo, ne vetustiores sint duobus, vel tribus Mensibus, à die Sacræ Ordinationis supputatis*: Ex his tamen non sequitur, Litteras Gratiosas eodem quoque modò expirare debere; nam circa has, non solùm nulla inuenitur temporis limitatio, neque vllum decretum, earum valorem limitans, sed nec vllum motiuum ad id faciendum, prout dantur motiua sufficientia circa Litteras Dimissoriales. Adde, quòd neque de Litteris Gratiosis *Peyrinus* cum veritate affirmare possit, quòd consuetudine suæ Religionis, & in Ordine suo litteræ Participationis, morte concedentis seu finito Officio expirent. Quippe *Ruccus* eiusdem Ordinis Minimorum *Participatione quæst. 7. sect. 6. numer. 6. pagin. 161.* prætendit eas esse perpetuas, maximè quæ à suo Ordine conceduntur. Quocirca *loc. citat.* ad id demonstrandum affert exemplum Litterarum Gratiosarum, ipsiusmet Fundatoris sui *Sancti Francisci de Paula*, sequentis tenoris: *In omnibus Mysterys Diuinis, Orationibus, & Missis, Ieiunys & Vigilys, cæterisque quibusuis suffragÿs, & bonis per Ordinem vniuersum, à Fratribus nostris in perpetuum Dei opitulatione fiendis &c.* Deindè immediatè adiungit formulam Gratiosatum sui Ordinis; quam esse hanc ait: *Vobis damus plenam Communionem omnium Missarum, &c. quæ per Fratres vbique, perpetuò fieri dederit Christus Dominus.* En igitur, vt etiam in Ordine *Peyrini*, à suo primo Fundatore, ad vsque currentia hæc tempora Gratiosa Filiatio perpetua sit; vbi ergo consuetudo, quam ille supponit, & qua nixus asserit: *Participationes* Generalis, qui functus est suo Officio, non valent tempore successoris?

## DVBIVM QVARTVM.

### *An desinant per reuocationem?*

Respondeo affirmatiuè. Imò res certa est, finiri Gratiosas per reuocationem concedentis, aut Successoris, vel Superioris: cùm enim earum duratio absolutè dependeat à voluntate Concedentis, aut Successoris, vel Superioris, desinent, quandocunque hic voluerit; nam sicut in primo sui fieri ab eius dependent voluntate, ita etiam in sui conseruatione; huc congruit illa Regula Iuris: *res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur: Cap. omnes res de reg. Iuris in 6.* Sicut ergo Litteræ Gratiosæ, absolutè concessæ, id est, absque vlla temporis determinatione, perpetuò durant, vt dictum præcedenti Dubio; ita earum esse finitur, valorque cessat, quando à Concedente, aut eius Successore, expressè reuocantur id *Bordonus* suo quoque suffragio confirmat *resolut. 84. numer. 21. versu Ex his*, dum ait: *Huiusmodi Filiationes simpliciter concessæ, perpetuò durant, nisi reuocentur*; igitur ex huius etiam Authoris mente reuocari possunt, ac per reuocationem esse suum amittunt, non aliter, ac à Summo Pontifice reuocari possunt Indulgentiæ, à se, aut suis Prædecessoribus concessæ. 615

Vtrùm autem, vt talis reuocatio effectum suum sortiatur, necessarium sit, 616

vt ad

vt ad eius notitiam perueniat, qui per eam priuatur fructu spirituali, & Gratiosa Filiatione. *Bordonus* negatiuam tenet: *Neque reuocationem*, inquiens, *necesse est peruenire ad aures Benefactorum, sed suum sortitur effectum per solum reuocationis actum*: ita ille *l. c.* vbi etiam rationem assignat *quia*, scilicet, *benefector, licet priuetur hoc beneficio, in nullo tamen correspondente defraudatur: siquidem nihil Spirituale habet facere pro consecutione huiusmodi bonorum spiritualium: sed se merè passiuè habet in illorum receptione.* Vnde Prælatus solo interiore actu suæ voluntatis reuocare potest Gratiosam Filiationem; sicut & Pontifex solo etiam interno voluntatis actu, absque vllo externo, aut sensibili signo, validè Indulgentiam reuocare potest, vt docent *Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 57. sect. 2. num. 10. P. Alphonsus de Leone par. 1. de Iubil. num. 222. & Filliucius tract. 8. num. 249.* quos refert *Pasqualigo de Iubil. qu. 140. nu. 1.* quamuis ille contrarium teneat *nu. 2.* vt & *Gabriel à S. Vincentio in Tract. de Sacram. par. 3. de Sacram. Pœnit. disp. 13. q. 8.* vtrumque autem probabile censet *Gobat de Indulgent. par. 2. Cap. 36. num. 665. in fine*.

617 Nec obstat nostræ responsioni, quòd Beneficia Principum, ac Magnatum, cuiusmodi etiam sunt Ecclesiastici Prælati, deceat esse permanentia; *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. Cap. Decet de reg. Iuris in 6.* præcipuè verò Gratiosam Filiationem, quæ quandam habet Spiritualis remunerationis speciem, cùm benemeritis potissimum, Amicis, ac Benefactoribus concedatur, qui charitatiuo subsidio, atque eleemosynis Religioni opem tulerunt. Non, inquam, hæc Iuris Regula obstat, non enim negamus, Gratiosam Filiationem, debere esse permanentem; sed dicimus, non esse adeò immutabilem, vt natura sua sit irreuocabilis. Nec *eit. Capit. Decet*, præter hoc, aliud requiritur; non enim dicitur; *Concessum à Principe beneficium (necessariò) esse mansurum*; sed (*decet*) *esse mansurum*; per quæ formalia, non importatur necessitas, sed sola decentia, vt notat *Glos. in dicta Regula, Decet de Reg. Iuris in 6. Barbosa ibidem: Pasqualigo qq. Moralium Cent. 1. q. 3. nu. 6.* Potest namque Princeps iure optimo reuocare Priuilegia, à se, vel à suis Prædecessoribus concessa, vt obseruant *Peregrinus de Iure Fisci lib. 1. tract. 3. num. 29. & Couaruu. lib. 3. Variarum Cap. 6. num. 1.* Vnde citata *Glosa Verbo Mansurum*: ait, quòd Princeps, quantum ad Priuilegium à se concessum, *diminuere, moderari, & etiam in totum tollere potest*: id quod probat ex *Cap. Quia sæpe de Elect. & Cap. Clerici §. Non obstantibus de Immunit. Ecclesiast. & Cap. fin. in fine de sent. Excommunicat.* Eodem proinde iure, in casu nostro, gaudebit Prælatus Regularis, vt videlicèt, reuocare possit Litteras Gratiosas, à se, vel à suis Antecessoribus concessas; satque erit, hanc reuocationem Domino Deo esse notam.

Verùm equidem est, eiusmodi reuocationem à Prælatis Regularibus, nullatenus faciendam; saltem absque grauissima causa; veluti, summæ ingratitudinis &c. & qui secus faceret, peccaret certè grauiter, neque reuocatio eius, vtpote iniusta, vllum apud Dominum Deum sortiretur effectum; iuxta sententiam etiam *Quintannad. in Append. tract. 9. Dub. Vltimo n. 2.* vbi similem casum tractans & agens de ijs, qui ab aliqua Confraternitate expelluntur, expressè affirmat, quòd si expulsi fuerint iniustè, nihilominus Indulgentiarum Confraternitatis (vti & nos asserimus) participes remaneant: idem de Religiosis, iniustè à propria Religione eiectis, frui scilicèt ipsos adhuc Indulgentijs, & Priuilegijs eiusdem, cùm absque propria culpa ijs priuari nequeant; verba ipsius sunt; *Si iustè quis dimissus fuerit à Confraternitate, cùm illius membrum non sit, Indulgentias non lucrabitur; secus si iniustè. Priuatio enim harum, vtpotè pœna, dari nequit, si non præcessit culpa; quemadmodum de Regularibus iustè vel iniustè expulsis, probauimus Tract. 3. Dub. 6.* 618

## DVBIVM QVINTVM.

### *Vtrùm finiantur morte Concessionary, ita vt eidem post mortem non prosint amplius?*

Certum imprimis est, non cessare cum vita Concessionarij, valorem Litterarum Gratiosarum, quando expressis terminis à Prælato concessæ sunt in vita, & post mortem; vt in pluri- 619

bus eiuſcemodi Litteris videre licet. *Ruteus de Particip. qu. 7. ſect. 2. num. 5.* teſtatur ſe id in aliquibus Litteris Ordinis Carthuſiani reperiſſe, quæ ſequentibus conſtabant terminis: *Tenore præſentium vobis concedimus in vita pariter, & poſt mortem, plenam totius Ordinis noſtri Confraternitatem &c.* Addit porrò *parte 2. Statutorum eiuſdem Ordinis cap. 22. §. 25.* hac haberi; *Omnium ſpiritualium bonorum Ordinis, illi Participes annuntiantur qui &c. omneſque alij viui, & defuncti, qui per litteras &c. orationibus ſe commendauerint Ordinis.* Affert deinde Litteras Gratioſas, Sanctiſſimi ſui Fundatoris *Franciſci de Paula*, in quibus, hic vir Sanctus, idipſum ſequentibus verbis declarat *Quemlibet veſtrum ad Confraternitatem noſtram recipio in vita pariter, & in morte, plenam, & ſpecialem Participationem omnium charitatum, operum, meritorum, &c. Gratioſè conferendo.* Id in Theatinis quoque Gratioſis Litteris expreſſum habetur, per hæc formalia; *Per has noſtro ſigillo ſignatas Litteras, Vos in chariſſimorum noſtrorum numerum cooptamus, & cum inter viuos, tum inter mortuos numeramus &c.*

620 Hæret igitur difficultas in hoc, an Filiatio hæc Spiritualis expiret morte Conceſsionarij, nec ei in Purgatorio ſuffragetur; quando id in Litteris non exprimitur, prout in ſupradictis Carthuſianorum, Minimorum, & Theatinorum Litteris, expreſsè, vel æquiualenter habetur. Affirmatiuè reſpondet *Bordonus reſ. 84. quæſ. 11. nu. 23.* per hæc verba *Non cenſetur conceſſa Filiatio poſt mortem, niſi Superior id exprimat, quia gratiæ, & priuilegia, regulariter ſolent concedi ſolùm viuis. Confirmatur, quia benefactores non ſunt poſt mortem ſed tantùm, dum in hoc ſæculo viuunt.* Quare iuxta huius Authoris opinionem Filiatio Spiritualis, poſt mortem in Purgatorio degenti non prodeſt, niſi clauſula præfata (in vita, & poſt mortem) ſit inſignita: quo tamen non obſtante

621 Reſpondeo in contrarium, & dico cum *Ruteo loc. cit. n. 6.* Gratioſas, abſolutè loquendo, non finiri morte Conceſſionarij, ſed ei prodeſſe adhuc in Purgatorio quantumuis præfata clauſula in eis non contineatur; id probo

Primò, quia Spiritualis hæc Filiatio eſt Gratia facta, & ſimpliciter conceditur, id eſt, abſque temporis reſtrictione, adeoque natura ſua perpetua eſt; ac pro tali eam etiam agnoſcit ipſe *Bordonus reſol. cit. num. 21.* dum ait: *Colligitur huiuſmodi Filiationes ſimpliciter conceſſas, nulla temporis limitatione expreſſa, perpetuò durare;* adeoque perſiſtent in ſuo valore etiam poſt mortem, ſi Conceſſionarius effectus illarum capax fuerit: contra hanc probationem nihil replicari poteſt, ſtantibus, ijs, quæ præcedentibus Dubijs dicta ſunt & quod gratiæ factæ ſint perpetuæ, *Quando non ad certum tempus, ſed abſolutè* (vt Gratioſæ) *conceſſa ſunt, donec ab eodem Concedente, aut eius Succeſſore, aut Superiore reuocentur, Sanchez de Matrim. lib. 8. diſp. 28. num. 85.*

Secundò, Filiatio Spiritualis eſt Gra- 622
tia à Prælatis Regularibus communicata; igitur ampliari debet, & extendi illius valor, atque effectus, etiam poſt mortem Conceſſionarij, in Purgatorio detenti. Antecedens certum eſt, Conſequentia probatur: fauores enim ampliandi ſunt, & largè interpretandi *l. cum quidam de Liber. & poſthum. C. Odia de Regul. Iuris in 6. Barboſa Axiomata 96.* ergo etiam Litteræ Gratioſæ amplè extendendæ ſunt ad conſequendum videlicèt quemcunque effectum, ad quem earum valor ſeſe extendere poteſt; *Gratiæ enim* (ait *P. Paſqualigo deciſ. 492. numer. 6.*) *extenduntur iuxta formam Iuris communis, vt conſequantur effectum, quem poſſunt, ampliſſimum: Rota deciſ. 458. ex nouis.* Cùm igitur Filiatio Spiritualis ſit vera gratia, & gratia quidem facta, valor illius atque effectus, quàm latè fieri poteſt, extendi debet. Quia verò communicabilis eſt à Prælatis Regularibus, imò de facto ab eis communicatur cum expreſſa clauſula, ac declaratione, vt habeat effectum, etiam poſt mortem: concludendum eſt, eam ſemper talem habere effectum quantumuis hæc declaratio in Litteris expreſsè non ponatur; nam vt ait *Ruteus n. 6. cit. Litteræ id apertè exprimentes, aliarum id non exprimentium indeterminationem ſatis modificant, & determinant.* Quod *Elias à S. Thereſia in Legatione Eccleſiæ Triumphantis ad Militantem tom. 1. cap. 40. nu. 3. in fine, pag. mihi 695.* abſolutè, abſque tali deductione affirmat his verbis: *Tametſi non fiat expreſſa mentio participationis meritorum, ſeu ſatisfactionum poſt mortem, ea tamen certè ſub-*

*subintelligitur*: subdit deinde *num.4. Vtilissimum igitur, ideoque & prudentissimum erit consilium, omnibus modis & medijs, huiusmodi Ordinum Religiosorum annexionem, atque participationem procurare, vtpote ex qua magnum, etiam post obitum, quo ad celeriorem ex Purgatorio liberationem, emolumentum proueniat*.

623 Confirmo prædictam rationem efficacissima quadam similitudine. Quærunt Doctores, an Bullæ Iubilæorum, ac Indulgentiarum, ea parte, qua continent priuilegia, ac fauores, ampliandæ sint, an verò restringendæ. Respondet *Sanctarellus in suo Tract. de Iubilæo Cap. 8. Dub.12.* ampliandas esse, cùm sint maximum beneficium, quod concedit Pontifex, nec in damnum vllius cedant: imò ordinentur ad absoluendum à peccatis & excommunicationibus, ad remittendum pœnas, ad bonum Ecclesiæ Catholicæ, & in fauorem Animarum, adeoque extendi, & ampliari debent, non restringi; *& hæc opinio* (inquit) *verior est*; cui etiam subscripsit *Suarez tom.4. in 3. part. disput.56. sect.2. Henriquez lib.6. cap.16. num.3. & lib.7. cap.3. num.1. Bonac. de Indulgentijs disp.6. quæst.1. punct.7. num.3. & 4.* ac plures alij; & ex modernis *Gobat de Indulgentijs par.1. cap.5. numer. 46. & de Iubil. cap. 5. num.24. 25. & 26.* adducitque pro fundamento, quòd *Ipsimet Pontifices considerunt, & approbauerunt notissimam Regulam Iuris in 6. Odia restringi, fauores autem conuenit ampliari*. Videatur circa hoc *Passerinus de Indulgentijs q.93.* in qua quærit, vtrum Indulgentiæ strictè; an largè interpretandæ sint, resoluitque dubium istud perquàm bene, & distinctè cum omnibus suis limitationibus.

624 Iam verò, si Bullæ Iubilæorum, ac Indulgentiarum, quibus vulgatissima adaptatur phrasis, quòd *tantum valent, quantum sonant* (cuius veritatem, ratione, & authoritate, demonstrat *Passerinus de Indulg. q.94. n.713.*) hoc non obstante, amplè, & largè; imò latissimè interpretandæ sunt; quis dixerit Gratiosas Filiationes restringendas esse, quibus eadem conuenit ratio, ac paritas? haud dubiè nemo. Quòd autem eadem ratio ac paritas competat Filiationi, æquè certum est, ac certa est apud *Suarez sect. 2. cit. num.3.* sententia, quæ asserit, formulas Indulgentiarum, largè esse interpretandas, ad hoc enim stabiliendum, iisdem vtitur fundamentis, quibus nos hic cum citatis Doctoribus, ad probandam nostram responsionem, vsi sumus; videlicet, Indulgentia, est res fauorabilis, ergo (deducunt) amplissimo iure interpretanda. Item, Indulgentia est beneficium Principis, proinde (argumentantur) latissimè interpretanda. Tertiò Indulgentia est opus charitatis, & misericordiæ, quòd maximum ei, cui conceditur, apportat emolumentum, adeoque (concludunt) largè sumenda, & intelligenda est. Omnes istæ rationes, proprijssimè, & ad punctum Spirituali Filiationi competunt: est quippe hæc fauorabilis, quod negari non potest: est beneficium Spirituale, à Prælatis Regularibus concessum, vt constat: est opus misericordiæ, & charitatis, vt patet; ergo illius valor ampliandus est, & extendendus effectus ipsius, vltra Mortem Concessionarij, vsque ad Purgatorium.

Tertiò probatur nostra responsio, quia per Gratiosam Filiationem communicantur à Prælatis Regularibus bona spiritualia Ordinis, quantum communicari possunt, & quantum ijs iuuari potest Concessionarius, vt testatur etiam *Ruteus l. c. n.7.* & nos cum eo, ac alijs Authoribus sæpiùs diximus; cùm igitur talis participatio iuuare queat non solùm in vita, sed maiori indigentia, & necessitate post Mortem in Purgatorio, rationi consentaneum est, vt illius effectus eòusque extensus esse intelligatur; eo magis, quòd absque omni dubio, ex sua natura, à Defuncto participari valear, eique applicari per modum suffragij, haud secus, ac iuxta communem sententiam, & praxim suffragia viuorum applicata Animabus in Purgatorio, eas iuuant. Quapropter meritò concludo, Gratiosas Regulares nō finiri Morte Concessionarij, sed eidem prodesse (modò earum existat capax, atque indigus) etiam in Purgatorio. Vnde quiuis colligar, quantæ vtilitatis sint huiusmodi Litteræ Gratiosæ, quandoquidem afferant Aggregato fructus, ac succursus Spirituales, non solùm in vita, sed etiam post mortem in Purgatorio; quòd certè motiuum est efficacissimum, vt & 625

Aggre-

Aggregati eximiam de ea concipiant æstimationem, & non Aggregati intensum eius adipiscendæ desiderium.

626 Superest, vt resoluamus etiam fundamentum *Bordoni*, pro stabilienda contraria opinione ab eo allatum: *Non censetur concessa Filiatio post mortem* (ait ipse) *nisi Superior id exprimat*: assertio hæc, pluribus argumentis à nobis adductis, quæ contrariũ demonstrant, de falsitate conuicta est. Neque eiusdem causalis, ponderis quidpiam habet, *quia gratiæ* (inquit) *& priuilegia regulariter solent concedi viuis*: æquè falsa, inquam, est & hæc, vt ex concessione Indulgentiarum apparet, quarum plurimæ viuis concessæ, priuilegio Summi Pontificis, etiam Defunctis per modum suffragij applicari possunt. Cæterum quidquid alias sit de hoc assumpto, quòd nimirum gratiæ & priuilegia soleant concedi regulariter loquendo tantùm viuis; id certè in nostro casu non procedit, cum Gratiosa Filiatio semper concedatur, aut concessa supponatur, etiam pro Defunctis, vt rationibus, & authoritatibus sat probatum est.

627 Ad Confirmationem eiusdem *Bordoni*, quòd nimirùm Defuncti, non sint ampliùs Benefactores post mortem, sed solùm dum viuunt, consequenter in vita tantùm capaces sint fructuum Gratiosæ Filiationis, responsio in promptu etiam est, quippe, etiam non benefactoribus ea concedi potest, ac defacto à Prælatis Regularibus conceditur, seclusa tamen Indulgentiarum participatione. Adde, quòd Defunctis sufficiat, durante vita fuisse benefactores, vt post mortem quoque capaces sint fructuum Spiritualis Filiationis. Denique, plurimi inueniuntur, qui tam in vita, quàm etiã post mortem benefactores existunt, eo quòd Religioni, cuius per Litteras Gratiosas filij adoptiui effecti sunt, legata reliquerint, quibus Religio post eorum obitum perfruitur; adeoque saltem isti, in sententia *Bordoni* deberent esse inclusi.

628 Vnum adhuc insinuo, priusquam Dubium istud terminem, quòd nimirum, aliqui Prælati Regulares, cæteris benigniores, in suis Litteris Gratiosis, non solum concedant participationem bonorum spiritualium, vniuersaliter in omnibus alijs Gratiosis Regularibus comprehensorum: verùm etiam, ex speciali gratia, promittant insuper, suffragari Aggregato, particularibus precibus Officijs & Missis, post eius obitum, vbi iste Capitulo Generali fuerit intimatus: & ob hanc singularem gratiam, magis desiderabiles redduntur Litteræ Gratiosæ; sunt autem huius tenoris, quantum ego vidi, Litteræ Abbatis Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium. Præsidentis, ac Definitorum Capituli Generalis S. Iustinæ, Monachorum Cassinensium S. Benedicti: Prioris Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini: & Abbatis Generalis Oliuetanorum. In Lateranensi enim dicitur: *Ampliùs de speciali gratia tibi concedentes, vt cùm tui transitus in nostro Generali Capitulo renuntiatus fuerit, eadem suffragia in nostra tota Congregatione fiant, quæ pro Canonicis, & Conuersis nostris, fieri consueuerunt*. In Cassinensi quoque legitur: *Illud etiam addentes, quòd cùm obitus alicuius vestrum (quem Dominus felicem, & sua Gratia munitum concedat) fuerit nostro Generali Capitulo renuntiatus, nos pro expiatione, & Animarum vestrarum salute, per vniuersam Congregationem Sacrosanctum Altaris Sacrificium offerri, aliaque pia suffragia, ex more Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sedulò procurari mandabimus*. In Eremitana habentur sequentia *Addentes insuper, de nostra gratia speciali, vt cum obitus vester in nostris Comitijs Generalibus per Prouincialem, aut per alios fuerit nuntiatus, ea pro vobis fiant suffragia, quæ pro nostris Fratribus, ac Sororibus facienda, nostri Ordinis Constitutiones decernunt*. Et in Oliuetana pariter quæ sequuntur: *Decernentes insuper, vt cum fidelis obitus D. D. V.V. contigerit, atque propinquiori ex nostris Cœnobijs, cum harum oblatione fuerit renunciatus, solemne Defunctorum officium pro Animarum D.D. V.V. salute, cum primum fieri poterit, Monachi vniuersi ibi degentes celebrant quemadmodum hactenus pro benefactoribus nostris, cæterisque charis Amicis facere consueuerimus*.

Meritò autem hoc particulare suffragium, in Litteris Gratiosis, Aggregato post eius obitum exhibendum, promittitur *ex speciali gratia*; quia reuerà specialissimus etiam est fructus, qui ab eius Anima per modum suffragij acquiritur: à tali enim fructu, alterius negligentia, retar- 629

retardata cuiusdam defuncti Anima, quæ viuens similem habebat Spiritualis Filiationis Chartam, Diuina permissione, apparuit Consanguineo suo, qui eam apud se custoditam tenebat, eumque acriter increpauit, quòd tantæ fuerit socordię, nec Litteras istas Religioni, à qua ei cōcessæ fuerant, vnacum obitus sui authentica relatione tradiderit, vt earum virtute præfatum validissimum suffragium percipere potuisset: id me legisse memini in authentico quodam Authore, quamuis, quisnam ille sit, haud facile reminisci queam.

## DVBIVM SEXTVM.

*Vtrùm Conseruator Regularium finito Quinquennio, quo eius expirat Officium, desinat pariter gaudere fructu Filiationis Spiritualis?*

630 Conseruatori Regularium, vt alibi diximus, euoluto Quinquennio, alius substitui potest: è contra Protectoris Officium non nisi cum vita expirat investigamus modò, an terminato Conseruatoris Munere, terminetur pariter penes ipsum participatio bonorum spiritualium Ordinis, cuius extiterat Conseruator: supponimus autem, hanc eius participationem, ratione dicti Officij, esse de Iure, & à Summo Pontifice *Iulio II.* concessam, vt probauimus *Cap.6. Dub.2.*

Respondeo negatiuè: quia talis Gratiosa participatio, est Gratia facta, & à Summo Pontifice concessa simpliciter absque vlla temporis limitatione, adeoq; perpetua, iuxta communem doctrinam, probatam sufficienter, & approbatam præcedentibus Dubijs: præcipuè verò, quando Gratia concessa est à Summo Pontifice, vt in hoc casu, & in fauorem animæ, vel maximè extendenda est, nisi fortè in particulari aliquo casu contrarium deducendum foret, de quo tamen hic nil constat: *Verba Bullarum* (ait *Gobat de Iubileo Cap. 5. num. 24.*) *quæ parte continent fauorem, interpretanda latissimè, quoad patietur verborum proprietas, nisi in particulari casu, vel materia, communis praxis, vel stylus Curiæ Romanæ, aut omnino peculiaris ratio, restrictionem persuadeat: Suarez tum tom.4. in 3. part. disput. 56. sect. 2. tum lib.6. de Voto Cap. 16. num. 3. Henriq. Cap. 30. num. 1. Sanctarell. Cap. 8. dub. 12.* Pro fundamento huius asserti sui, adducit *Gobat* rationem à nobis superiùs allatam, quòd videlicet ipsimet Summi Pontifices communem hanc Iuris Regulam approbent: odiosa esse restringenda, fauorabilia vero amplianda; qua supposita, ipse concludit; *Ergo illorum tanquam liberalissimorum Principum gratias, & fauores, latissimè interpretentur: Cùm præsertim Cap. Quamuis de præb. in 6. admittatur & recipiatur lex Beneficium ff. de constit. Principum, quæ ita habet: Beneficium Imperatoris (& Pontificis) quòd à diuina scilicet eius Indulgentia proficiscitur, quàm amplissimè interpretari debemus.* Idem ergo in nostro casu faciendum, quare concludimus, quod, cùm ipsemet Summus Pontifex Conseruatori Regularium, gratiosè contulerit Participationem bonorum operum illius Ordinis, in cuius Conseruatorem ipse electus est, hæc non expiret, terminato ipsius Officio, sed perpetuò imposterum perseueret, sicut omnes aliæ Gratiæ factæ nisi ex speciali aliquo motiuo (quorum tamen hic nullum apparet) restringendæ sint, perpetuò durant. Addo porrò, perseuerare hanc participationem non solùm quoad bona opera Ordinis, verùm etiam quoad Indulgentias, quarum haud dubiè Conseruator, (qui vtique vi huius Muneris Benefactor censetur) absolutè particeps existit; & si, cùm Consruatoris Munere fungeretur, earum particeps fuit, etiam eo terminato erit, siquidem tum, vt Indulgentiarum securior existat, alio beneficij genere Religioni succurrere poterit, id enim sufficit, vt proximè videbimus.

*pro illis omnibus, quæ &c.* Hac ratione quotidie sibi plures,& plures,apud Diuinam pietatem Patronos, & intercessores conciliabit; neque vllus ei elabetur dies, quo non insignia protectionis lucra sibi acquirat. Pari modò,nullum prætetire sinat diem , quo non aliquam in specie Indulgentiam lucretur, pro satisfactione propriarum culparum, cùm & quotidie in peccata labamur, & etiam *iustus septies in dies cadat*. Magni proinde, thesaurum hunc Indulgentiarum, Associatus æstimet; nouerit eo eximiè ad spiritualem suum protectum vti; & tanquam cœleste Gazophilacium, prout reuerà est, magnopere cordi habeat.

602 Vt autem eius æstimatio magis apud ipsum crescat, pulcherrimum de Indulgentijs hic annecto miraculum, patratum à *P. Bertoldo*, famosissimo Concionatore, ex quo mirabiliter elucet, quanta par sit, Indulgentias veneratione ac æstimatione prosequi. Legitur in *Chronicis S. Francisci part. 2.* & narratur etiam à *Petro Marinoni in fine primæ partis Fidelis Animæ Pædagogi*, tradita fuisse à Summo Pontifice zeloso huic Patri authoritatem quoties ad populum diceret, concedendi Auditoribus suis, aliquot dies Indulgentiarum Quadam vice largitus fuerat decem dies, ijs, qui Dei Verbum ab eius ore exceperant; finito sermone, cum accessit Nobilis quædam fæmina, sed grauata non minus ætate, quàm egestate, eleemosynam ab eo flagitatura; cui respondit: Soror, terrena, quæ tibi dem, non habeo; quod autem habeo, non tibi negabo. In Nomine Domini, cùm hodie meæ Concioni interfueris, accipe decem dierum Indulgentias, vade cum ijs ad Trapezitam, & æquo denariorum pondere commuta: quantum æris inde hauseris, sat tibi erit, ad subueniendum necessitatibus tuis. Hoc autem ideò dixit Pater, quia nouerat, Trapezitam ridere suas Indulgentias: ideoque hoc modo, à tam graui errore eum reuocare intendebat. Fœmina cum magna fiducia perrexit, obtulit Trapezitæ pro æquo denariorum pondere suam decadem Indulgentiarum. Is ridendo quærit, quanti eas dare velit? cui illa, quantum, inquit, ponderat. Consensit pacto Trapezita, interim tamen continuò ridens fæminæ simplicitatem: prehendit deinde manu bilancem: & fœmina ponit suos decem dies in vna lance, dicens: Hic pono decem dies Indulgentiarum, quas *P. Bertoldus* mihi concessit. Trapezita imponit alteri lanci vnum Regalem: tum ecce rem admirationem plenam: lanx, in qua erant Indulgentiæ, non eleuabatur. Hæc videns Trapezita, cæpit desistere à risu; adiunxit nihilominus denarios, ac tot successiuè addidit, donec ad æqualitatem lances consisterent; fuit autem tanta pecuniarum Summa, quanta sufficiebat,ad subleuandam illius paupérculæ egestatem. Agnouit ergo Trapezita ex hoc miraculo errorem suum, & exinde magnam, tam erga Sanctum Patrem, quàm eius Indulgentias, concepit deuotionem. Curet proinde sollicitè, quisquis per Litteras Gratiosas, alicui Sacro Ordini Aggregatus est, debitam Indulgentiarum concipere æstimationem, & copiosa earum acquisitione Animam suam ditare, cùm tantam spiritualis huius lucri, per viam eiusscemodi Filiationis, nactus sit commoditatem: neque intermittat, Purgantibus Animabus, quantum poterit benefacere, & earum debita hoc pretioso Thesauro exsoluere: infinitus est enim hic Indulgentiarum Thesaurus, & exhauriri nunquam potest, vt supra vidimus, & testatur Papa *Clemens VI.* in sua Bulla, allegando verba *Sapientiæ 7. Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei*. Et hæc de Indulgentijs dicta sufficiant.

CAPVT

# CAPVT NONVM.

## *Quomodo desinant Litteræ Gratiosæ Filiationis Spiritualis?*

603 LITTERÆ istę duplicem habent respectum, vnum ad Concedentem, alterum ad Concessionarium: resoluemus imprimis Dubia spectantia ad primum, deinde ea, quæ pertinet ad secundum, quibus toti denique Tractatui finem imponemus.

### DVBIVM PRIMVM.

### *An finiantur per mortem concedentis?*

604 Respondeo negatiuè cùm *Bordono resolut. 84. quæsito 9. numer. 19.* quia Litteræ Gratiosæ sunt Gratiæ iam factæ, atque firmatæ sigillo ac nomine Prelati, qui eas tribuit, adeòque non finiuntur, neque expirant illius morte; consequentia probatur per differentiam, quę intercedit inter Gratiam factam, & faciendam, quod hæc expiret morte concedentis: illa non, iuxta generalem Doctorum sententiam, in materia de Priuilegijs, & habetur expresè in ipso textu Canonico *Cap. si super gratia de Officio, & potestate Iudicis delegati in 6.* vbi etiam ratio huius Doctrinæ assignatur, quæ fusius pertractantur à *Sanchez de Matrim. lib. 8. numer. 85. versu Vltimo dicitur. Layman libr. 1. tractat. 4. Capit. 23. numer. 18. Bonacin. de Priuileg. punct. 1. numer. 13. & 15. & punct. 8. numer. 19. Bossio de Iubilæo sect. 3. Casu 2. Bordon. resolut. 39. numer. 62. Antonius à Spiritu Sancto, in Directór, Regularium part. 2. Titulo de Obligantibus Religiosor. tractat. 3. disputat. 4. sect. 6. numer.* 360.

### DVBIVM SECVNDVM.

### *Quid si Concedens ante suam mortem iusserit, dari alicui tales Litteras tradantur autem primum post eius mortem?*

605 Casus iste facilè contigere post, Mouet dubium istud *Bordonus loc. cit.* in hunc modum. Solent Generales, ad instantiam inferiorum Superiorum, eis tribuere suas Chartas Filiationis impressas, & sigillo munitas, non tamen adhuc signato die, quo datæ sint, cum verò postea apponunt Superiores locales, quando actu eas distribuunt personis, quibus directæ fuerunt. Quæritur iam ait *Bordonus*, si moriatur Generalis concedens, antequam distributio harum Litterarum effectiuè facta sit, an propterea perdant suum valorem?

Respondeo cum eodem negatiuè; 606
quia huiusmodi Litteræ Aggregatiuæ sunt Gratiæ iam factæ, adeoque non exspirant morte concedentis; vt præcedenti dubio dictum est. Quamuis autem in casu propositi dubij, Litteris Gratiosis adhuc desit determinatio certi traditionis diei, qui tempore distributionis primum apponitur, ex hoc tamen non sequitur (iuxta mentem etiam *Bordoni*) eo primùm die, gratiam fieri, qui in Litteris signatur; per hoc enim solùm indicatur, Litteras Gratiosas, ante mortem, à Prælato Generali, ceu gratiam completam, concessas, tunc primum, & non priùs incipere, suum habere effectum, & Spiritualem fructum. Confirmatur, nam Superior localis, & inferior, seu alius Religiosus, qui Litteras istas distribuit, non ideo Filiationem Spiritualem concedit, sed solummodo imperium Concedentis, seu Generalis exequitur, tanquam illius Minister, haud secùs, ac si seruus ex mandato, & nomine sui Domini eleemosynam largitur.

Idipsum alia paritate demonstro. 607
Concedit, exempli gratia, Summus Pontifex alicui, plures Indulgentias, vt eas iuxta suum beneplacitum distri-

buere valeat: Moritur deinde Pontifex, & necdum integra omnium distributio facta est: quæritur, vtrum morte Pontificis expiret facultas, eas vlterius applicandi, & distribuendi; proponit dubium istud *P. Pasqualigo decision.* 493. resoluitque *numer.* 3. in hunc modum, si nimirum dictæ Indulgentiæ viuente Pontifice nondum sint distributæ, posse adhuc post mortem illius distribui, non minus, ac si etiamnum viueret. Eandem decisionem adhibet *Gobat de Indulgent. part.* 1. *Capit.* 19. *numer.* 130. fundamentum illorum, est idipsum, quòd nos superiùs attulimus; quia nimirum facultas applicandi, & distribuendi dictas Indulgentias, est Gratia facta, quæ, vt vidimus, secundum Iura, non expirat morte concedentis. Imò ego ipse, Romæ degens, occasione Generalium nostrorum Capitulorum sæpiùs à benignitate Summorum Pontificum *Innocentij X. Alexandri VII. & Clementis IX.* eandem gratiam recepi, ac facultatem, applicandi & distribuendi plures Indulgentias iuxta meum beneplacitum, quod & post mortem dictorum Pontificum feci, de residuis adhuc Indulgentijs. Si ergo valent Indulgentiæ, applicatæ post mortem Pontificis, qui eas concessit, valituræ etiam erunt Litteræ Gratiosæ, post mortem Prælatorum, qui eas communicarunt, distributæ: cum vtrobique eadem currat ratio, ac paritas.

608 At insistet hic aliquis; Tam is, qui distribuit Litteras Filiationis, quàm ille, qui applicat Indulgentias in casu prædicto, id facit tanquam delegatus Prælati, ac Pontificis; neuter quippe illorum, id munus exercet propria authoritate, cum hanc non habeat; neque authoritate ordinaria, cùm & hac careat, vt per se constat; itaque non alia authoritate id præstat, quàm delegati à Prælato Regulari in primo casu, & à Summo Pontifice in secundò. Sed delegatio expirat morte delegantis, & absolutè cessat *Capit. Relatum, Capit. Gratum, & Capit. Licet de Officio delegati; & l. & quia ff. de Iurisdictione omn. iudic. Vbi Glossa, Bartol. & alij. Item Gloss. in l. Venditor* §. 1. *ff. de Ind. etiam princip.* Igitur tam facultas distribuendi Filiationem post mortem concedentis, quàm potestas applicandi Indulgentias post mortem Pontificis, cessat & expirat, si eo viuente non fuerunt dispensatæ, qui ad talem dispensationem eos delegauit.

Respondeo ad hanc Instantiam cum distinctione minoris. Si delegatio ordinatur præcisè ad exercendam Iurisdictionem delegantis, conceditur, quòd expiret morte delegantis; Si autem delegatio concedatur per modum gratiæ, negatur, quòd expiret. Verum est, vt bene probat argumentum, quòd delegatio expirat morte delegantis, si delegatio non alio fine conferatur, quàm vt iurisdictio delegantis exerceatur: at (vt bene notat *Pasqualigo loc. cit. num.* 4.) quando delegatio est gratiosa, siue data per modum gratiæ, & non merè ad exercitium iurisdictionis, non expirat morte concedentis. Accessorium quippe sequitur naturam principalis; in nostro autem casu principale, quod confertur, est gratia delegatio verò dispensandi, est accessorium quid, non data propter se, sed propter vsum gratiæ. Cùm ergo principale, nimirum Gratia facta, non expiret morte concedentis, vt probauimus; neque accessorium, videlicet delegatio distribuendi, quæ ad vsum gratiæ collata est, expirabit. 609

## DVBIVM TERTIVM.

### *An expirante Officio Generalis, (vel alterius concedentis expirent pariter Litteræ Gratiosæ, ab eo collatæ?*

SVggerit dubium istud *Peyrinus in suo Formular. lit. P. Cap.* 1. dum Caput hoc sequentibus verbis concludit: *Addo etiam quod participationes Generalis, qui functus est suo officio, non valent tempore successoris, propter ea quæ dixi littera O. Cap.* 6. *quod etiam consuetudo approbauit*. Quæritur iam, an hoc verum sit siue, an cessante officio Concedentis, cesset etiam valor Gratiosarum. 610

Respondeo cum *Bordone ref.* 84. *num.* 2. 1. id non

id non esse verum: & dico absolutè, perdurare Gratiosas in suo valore, etiam postquam Prælatus, qui eas concessit, munus suum terminauit: idque probo:

611 Primò, quia cum Litteræ Gratiosæ non exspirent morte concedentis, vtpote gratia facta, vt visum est præcedentibus duobus dubijs: multò minùs exspirabunt, terminato eiusdem Officio; cùm vtrobique eadem militet ratio, vt clarè patet. Secundo, quia omnes Litteræ Gratiosæ conceduntur simpliciter, & absque vlla temporis limitatione à Prælatis Regularibus, etiam à Generali Ordinis *Patre Peyrini*, scilicet Minimorum; qua igitur ratione, & quo iure, earum finiatur valor, terminato Concedentis Officio? Tertiò, si vera foret *Peyrini* sententia, exigui valoris, ac ferè nullius æstimationis essent prædictæ Litteræ Prælatorum, sub finem muneris illorum concessæ. Certè prudens quilibet, ad initium eorum regiminis, illas obtinere niteretur, nec quisquam in fine; aut saltem à successore confirmationem peteret: quæ tamen omnia, in praxi neque vnquam tentari visa sunt, neque etiam à personis pijs & doctis; quòd argumentum euidens est, quemlibet de perpetuitate huius gratiæ adeò apud se certum esse, vt ne dubitare quidem audeat. Quocirca penetrare non valeo, quo fundamento *Peyrinus loc. citat.* dicat, quod *participationes non valent, vt etiam consuetudo approbauit*. Quandoquidem ex praxi contrarium habeatur; & qui semel Litteras Gratiosas obtinuit, certus viuat, se bonorum Spiritualium Ordinis semper participem existere; quin necessarium ampliùs ducat indagare, an adhuc viuat, qui eas concessit, an verò mortuus sit; an officio suo adhuc perfungatur, an verò iam functus sit: quare concludo cum *Paulo ab Omnibus Sanctis in claui Aurea par. 3. C. 4. sub num. 202. Quod Peyrinus existimat concessas ab vno Generali, expirare eo mortuo, aut remoto ab Officio, non probatur, vixque aliud habet fundamentum, quam consuetudinem, qua apud nos est inaudita quo ad hanc expirationem. Gratia enim facta indefinitè, & sine vlla determinatione, aut limitatione concessa, durat etiam post mortem, vel cessationem Officij, illam concedentis, etiam re integra Cap. si sup. gratia de Offic. Indic. delegat. in 6.*

612 Neque valet contra nostram responsionem, id, quod *Peyrinus Cap. 6. lit. O.* pro fundamento suæ assertionis adducit: quòd nimirum, neque Litteræ dimissoriales, quæ ab Episcopis dari solent Clericis, vt alibi ordinari possint, post eorum mortem valeant: non, inquam valet hæc instantia, quia etiam circa has communis opinio est in contrarium, asserens, eas ex sua natura valere, vt videri potest apud *Barbosam de potestate Episcopi part. 2. Allegat. 7. num. 23.* quia sunt litteræ, quæ continent gratias, & licentias iam factas, datasque simpliciter, hoc est, absque limitatione temporis, consequenter sunt perpetuæ; ita sentiunt communiter Doctores quorum plures refert *Sanch. de Matr. lib. 8. disp. 28. n. 85.* vbi ait: *Licentias omnes à Superioribus concessas quibuscunque, quando non ad certum tempus, sed absolutè concessa sunt, esse perpetuas, donec ab eodem concedente, aut eius successore, aut Superiore reuocentur, quia sunt gratia facta.* Quod etiam confirmat *Patritius Sporer part. 1. Tyrocinij Sacramentalis quæst. 42. Capit. 4. §. 3. numer. 271. fol. mihi 279.* per hæc verba. *Littera dimissoria, seu licentia absolutè, & sine limitatione aliqua temporis semel concessa, non cessant lapsu temporis, sed semper durant, & valent, ac suum effectum habere possunt, etiam concedente mortuo, vel ab officio amoto: quia dimissio illa est gratia facta, non facienda: ideoque non expirat morte concedentis. Excepto tamen semper: nisi ea licentia reuocetur, siue ab ipso concedente, siue ab eius successore. Omnes enim licentiæ Præcessorum à quocumque successore æqualem potestatem habente, reuocari possunt, vt omnibus notum; cum non habeat imperium par in parem. Debet autem illa reuocatio fieri verbis claris, & expressis: alioquin censebitur non esse facta, vtpotè valde odiosa, & quia mutatio, vel correctio non est præsumenda, sed probanda* hactenus & optimè *cit. Sporer*.

613 Cæterum, quòd præfatæ Litteræ Dimissoriales, à Prælatis Regularibus concessæ suis Clericis, in aliquibus Religionibus, præcipuè Minimorum, expirent morte concedentis, aut terminato eiusdem officio; id ex eo non

prouenit, quòd vt gratiæ factæ, non debeant semper durare; sed quia vel à Prælato successore reuocentur, vel ipsa Religionis consuetudine intelligantur reuocatæ; & hanc ipsam consuetudinem in sua Religione vigere, fatetur *Peyrinus*, fundatque super eam, suam sententiam, eò quòd nimirùm *Litteræ Dimissoriæ in Ordine Minimorum, morte concedentis, seu officio finito, expirent*. Imò *lit. O. Capit. 6. citat. numer. 3. versu Noto* 3. ita loquitur: *Apud Regulares, & præsertim apud Minimos, dicendum est, dictas Litteras dimissoriales non valere, nisi post duos, aut tres Menses, seu ab vna Ordinatione ad aliam. Ita tenui, sola consuetudine nostræ Religionis fundatus, tom. 1. Priuileg. in Constitut. 2. Iulij II. numer. 22.*

614 Demus autem, apud Regulares, præcipuè apud PP. Minimos, expirare valorem Litterarum Dimissorialium, ex consuetudine, intra tempus à *Peyrino* dictum. Concedamus etiam, *Sanctum Carolum Borromæum part. 3. Actor. Ecclesiæ Mediol. tit. Edictum de Sacra Ordinat. versu Litteræ verò*: tale de ijsdem fecisse decretum: *Litteræ verò dimissoriæ de Ordine suscipiendo, ne vetustiores sint duobus, vel tribus Mensibus, à die Sacræ Ordinationis supputatis*: Ex his tamen non sequitur, Litteras Gratiosas eodem quoque modò expirare debere; nam circa has, non solùm nulla inuenitur temporis limitatio, neque vllum decretum, earum valorem limitans, sed nec vllum motiuum ad id faciendum, prout dantur motiua sufficientia circa Litteras Dimissoriales. Adde, quòd neque de Litteris Gratiosis *Peyrinus* cum veritate affirmare possit, quòd consuetudine suæ Religionis, & in Ordine suo litteræ Participationis, morte concedentis seu finito Officio expirent. Quippe *Ruteus* eiusdem Ordinis Minimorum *Participatione quæst. 7. sect. 6. numer. 6. pagin. 161.* prætendit eas esse perpetuas, maximè quæ à suo Ordine conceduntur. Quocirca *loc. citat.* ad id demonstrandum affert exemplum Litterarum Gratiosarum, ipsiusmet Fundatoris sui *Sancti Francisci de Paula*, sequentis tenoris: *In omnibus Mysterijs Diuinis, Orationibus, & Missis, Ieiunijs & Vigilijs, cæterisque quibusuis suffragijs, & bonis per Ordinem vniuersum, à Fratribus nostris in perpetuum Dei opitulatione fiendis &c.* Deindè immediatè adiungit formulam Gratiosarum sui Ordinis; quam esse hanc ait: *Vobis damus plenam Communionem omnium Missarum, &c. quæ per Fratres vbique, perpetuò fieri dederit Christus Dominus*. En igitur, vt etiam in Ordine *Peyrini*, à suo primo Fundatore, ad vsque currentia hæc tempora Gratiosa Filiatio perpetua sit; vbi ergo consuetudo, quam ille supponit, & qua nixus asserit: *Participationes* Generalis, qui functus est suo Officio, non valent tempore successoris?

## DVBIVM QVARTVM.

### *An desinant per reuocationem?*

Respondeo affirmatiuè. Imò res 615
certa est, finiri Gratiosas per reuocationem concedentis, aut Successoris, vel Superioris: cùm enim earum duratio absolutè dependeat à voluntate Concedentis, aut Successoris, vel Superioris, desinent, quandocunque hic voluerit; nam sicut in primo sui fieri ab eius dependent voluntate, ita etiam in sui conseruatione; huc congruit illa Regula Iuris: *res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur: Cap. omnes res de reg. Iuris in 6.* Sicut ergo Litteræ Gratiosæ, absolutè concessæ, id est, absque vlla temporis determinatione, perpetuò durant, vt dictum præcedenti Dubio; ita earum esse finitur, valorque cessat, quando à Concedente, aut eius Successore expressè reuocantur id *Bordonus* suo quoque suffragio confirmat *resolut. 84. numer. 21. versu Ex his*, dum ait; *Huiusmodi Filiationes simpliciter concessæ, perpetuò durant, nisi reuocentur*: igitur ex huius etiam Authoris mente reuocari possunt, ac per reuocationem esse suum amittunt, non aliter, ac à Summo Pontifice reuocari possunt Indulgentiæ, à se, aut suis Præcessoribus concessæ.

Vtrùm autem, vt talis reuocatio effe- 616
ctum suum sortiatur, necessarium sit,

vt ad

vt ad eius notitiam perueniat, qui per eam priuatur fructu spirituali, & Gratiosa Filiatione. *Bordonus* negatiuam tenet: *Neque reuocationem*, inquiens, *necesse est peruenire ad aures Benefactorum, sed suum sortitur effectum per solum reuocationis actum*: ita ille *l. c.* vbi etiam rationem assignat *quia*, scilicet, *benefector, licet priuetur hoc beneficio, in nullo tamen correspondente defraudatur: siquidem nihil Spirituale habet facere pro consecutione huiusmodi bonorum spiritualium: sed se merè passiuè habet in illorum receptione.* Vnde Prælatus solo interiore actu suæ voluntatis reuocare potest Gratiosam Filiationem; sicut & Pontifex solo etiam interno voluntatis actu, absque vllo externo, aut sensibili signo, validè Indulgentiam reuocare potest, vt docent *Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 57. sect. 2. num. 10. P. Alphonsus de Leone par. 1. de Iubil. num. 222. & Filliucius tract. 8. num. 249.* quos refert *Pasqualigo de Iubil. qu. 140. nu. 1.* quamuis ille contrarium teneat *nu. 2.* vt & *Gabriel à S. Vincentio in Tract. de Sacram. par. 3. de Sacram. Pœnit. disp. 13. q. 8.* vtrumque autem probabile censet *Gobat de Indulgent. par. 2. Cap. 36. num. 665. in fine.*

617 Nec obstat nostræ responsioni, quòd Beneficia Principum, ac Magnatum, cuiusmodi etiam sunt Ecclesiastici Prælati, deceat esse permanentia; *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. Cap. Decet de reg. Iuris in 6.* præcipuè verò Gratiosam Filiationem, quæ quandam habet Spiritualis remunerationis speciem, cùm benemeritis potissimum, Amicis, ac Benefactoribus concedatur, qui charitatiuo subsidio, atque eleemosynis Religioni opem tulerunt. Non, inquam, hæc Iuris Regula obstat, non enim negamus, Gratiosam Filiationem, debere esse permanentem; sed dicimus, non esse adeò immutabilem, vt natura sua sit irreuocabilis. Nec *cit. Capit. Decet.* præter hoc, aliud requiritur; non enim dicitur; *Concessum à Principe beneficium (necessariò) esse mansurum*; sed *(decet) esse mansurum*; per quæ formalia, non importatur necessitas, sed sola decentia, vt notat *Glos. in dicta Regula, Decet de Reg. Iuris in 6. Barbosa ibidem: Pasqualigo qq. Moralium Cent. 1. q. 3. nu. 6.* Potest namque Princeps iure optimo reuocare Priuilegia, à se, vel à suis Prædecessoribus concessa, vt obseruant *Peregrinus de Iure Fisci lib. 1. tract. 3. num. 29.* & *Couarru. lib. 3. Variarum Cap. 6. num. 1.* Vnde citata *Glosa Verbo Mansurum*: ait, quòd Princeps, quantum ad Priuilegium à se concessum, *diminuere, moderari, & etiam in totum tollere potest*: id quod probat ex *Cap. Quia sæpe de Elect. & Cap. Clerici §. Non obstantibus de Immunit. Ecclesiast. & Cap. fin. in fine de sent. Excommunicat.* Eodem proinde iure, in casu nostro, gaudebit Prælatus Regularis, vt videlicet, reuocare possit Litteras Gratiosas, à se, vel à suis Antecessoribus concessas; sitque erit, hanc reuocationem Domino Deo esse notam.

Verùm equidem est, eiusmodi reuocationem à Prælatis Regularibus, nullatenus faciendam; saltem absque grauissima causa; veluti, summæ ingratitudinis &c. & qui secus faceret, peccaret certè grauiter, neque reuocatio eius, vtpote iniusta, vllum apud Dominum Deum sortiretur effectum; iuxta sententiam etiam *Quintannad. in Append. tract. 9. Dub. Vltimo n. 2.* vbi similem casum tractans & agens de ijs, qui ab aliqua Confraternitate expelluntur, expressè affirmat, quòd si expulsi fuerint iniustè, nihilominus Indulgentiarum Confraternitatis (vti & nos asserimus) participes remaneant: idem de Religiosis, iniustè à propria Religione eiectis, frui scilicèt ipsos adhuc Indulgentijs, & Priuilegijs eiusdem, cùm absque propria culpa ijs priuari nequeant; verba ipsius sunt; *Si iustè quis dimissus fuerit à Confraternitate, cùm illius membrum non sit, Indulgentias non lucrabitur; secus si iniustè. Priuatio enim harum, vtpotè pœna, dari nequit, si non præcessit culpa; quemadmodum de Regularibus iustè vel iniustè expulsis, probauimus Tract. 3. Dub. 6.* 618

## DVBIVM QVINTVM.

### *Vtrùm finiantur morte Concessionarÿ, ita vt eidem post mortem non prosint amplius?*

Certum imprimis est, non cessare cum vita Concessionarij, valorem Litterarum Gratiosarum, quando expressis terminis à Prælato concessæ sunt in vita, & post mortem; vt in pluri- 619

 bus

bus eiuſcemodi Litteris videre licet. *Ruteus de Particip. qu. 7. ſect. 2. num. 5.* teſtatur ſe id in aliquibus Litteris Ordinis Carthuſiani reperiſſe, quæ ſequentibus conſtabant terminis: *Tenore præſentium vobis concedimus in vita pariter, & poſt mortem, plenam totius Ordinis noſtri Confraternitatem &c.* Addit porrò *parte 2. Statutorum eiuſdem Ordinis cap. 22. §. 25.* hac haberi; *Omnium ſpiritualium bonorum Ordinis, illi Participes annuntiantur qui &c. omneſque alij viui, & defuncti, qui per litteras &c. orationibus ſe commendauerint Ordinis.* Affert deinde Litteras Gratioſas, Sanctiſſimi ſui Fundatoris *Franciſci de Paula*, in quibus, hic vir Sanctus, idipſum ſequentibus verbis declarat *Quemlibet veſtrum ad Confraternitatem noſtram recipio in vita pariter, & in morte, plenam, & ſpecialem Participationem omnium charitatum, operum, meritorum, &c. Gratioſè conferendo.* Id in Theatinis quoque Gratioſis Litteris expreſſum habetur, per hæc formalia; *Per has noſtro ſigillo ſignatas Litteras, Vos in chariſſimorum noſtrorum numerum cooptamus, & cum inter viuos, tum inter mortuos numeramus &c.*

620 Hæret igitur difficultas in hoc, an Filiatio hæc Spiritualis expiret morte Conceſsionarij, nec ei in Purgatorio ſuffragetur; quando id in Litteris non exprimitur, prout in ſupradictis Carthuſianorum, Minimorum, & Theatinorum Litteris, expreſsè, vel æquiualenter habetur. Affirmatiuè reſpondet *Bordonus reſ. 84. quæſ. 11. nu. 23.* per hæc verba *Non cenſetur conceſſa Filiatio poſt mortem, niſi Superior id exprimat, quia gratiæ, & priuilegia, regulariter ſolent concedi ſolùm viuis. Confirmatur, quia benefactores non ſunt poſt mortem ſed tantùm, dum in hoc ſæculo viuunt.* Quare iuxta huius Authoris opinionem Filiatio Spiritualis, poſt mortem in Purgatorio degenti non prodeſt, niſi clauſula præfata (in vita, & poſt mortem) ſit inſignita: quo tamen non obſtante

621 Reſpondeo in contrarium, & dico cum *Ruteo loc. cit. n. 6.* Gratioſas, abſolutè loquendo, non finiri morte Conceſſionarij, ſed ei prodeſſe adhuc in Purgatorio quantumuis præfata clauſula in eis non contineatur: id probo

Primò, quia Spiritualis hæc Filiatio eſt Gratia facta, & ſimpliciter conceditur, id eſt, abſque temporis reſtrictione, adeoque natura ſua perpetua eſt; ac pro tali eam etiam agnoſcit ipſe *Bordonus reſol. cit. num. 21.* dum ait: *Colligitur huiuſmodi Filiationes ſimpliciter conceſſas, nulla temporis limitatione expreſſa, perpetuò durare;* adeoque perſiſtent in ſuo valore etiam poſt mortem, ſi Conceſſionarius effectus illarum capax fuerit: contra hanc probationem nihil replicari poteſt, ſtantibus, iis, quæ præcedentibus Dubijs dicta ſunt & quod gratiæ factæ ſint perpetuæ, *Quando non ad certum tempus, ſed abſolutè (vt Gratioſæ) conceſſæ ſunt, donec ab eodem Concedente, aut eius Succeſſore, aut Superiore reuocentur, Sanchez de Matrim. lib. 8. diſp. 28. num. 85.*

622 Secundò, Filiatio Spiritualis eſt Gratia à Prælatis Regularibus communicata; igitur ampliari debet, & extendi illius valor, atque effectus, etiam poſt mortem Conceſſionarij, in Purgatorio detenti. Antecedens certum eſt, Conſequentia probatur: fauores enim ampliandi ſunt, & largè interpretandi *l. cum quidam de Liber. & poſthum. C. Odia de Regul. Iuris in 6. Barboſa Axiomma 96.* ergo etiam Litteræ Gratioſæ amplè extendendæ ſunt ad conſequendum videlicèt quemcunque effectum, ad quem earum valor ſeſe extendere poteſt: *Gratiæ enim (ait P. Paſqualigo deciſ. 492. numer. 6.) extenduntur iuxta formam Iuris communis, vt conſequantur effectum, quem poſſunt, ampliſſimum: Rota deciſ. 458. ex nouis.* Cùm igitur Filiatio Spiritualis ſit vera gratia, & gratia quidem facta, valor illius atque effectus, quàm latè fieri poteſt, extendi debet. Quia verò communicabilis eſt à Prælatis Regularibus, imò de facto ab eis communicatur cum expreſſa clauſula, ac declaratione, vt habeat effectum, etiam poſt mortem: concludendum eſt, eam ſemper talem habere effectum quantumuis hæc declaratio in Litteris expreſsè non ponatur; nam vt ait *Ruteus n. 6. cit. Litteræ id apertè exprimentes, aliarum id non exprimentium indeterminationem ſatis modificant, & determinant.* Quod *Elias à S. Thereſia in Legatione Eccleſiæ Triumphantis ad Militantem tom. 1. cap. 40. nu. 3. in fine, pag. mihi 695.* abſolutè, abſque tali deductione affirmat his verbis: *Tametſi non fiat expreſſa mentio participationis meritorum, ſeu ſatiſfactionum poſt mortem, ea tamen certè ſub-*

*subintelligitur*: subdit deinde *num.4. Vtilissimum igitur, ideoque & prudentissimum erit consilium, omnibus modis & medijs, huiusmodi Ordinum Religiosorum annexionem, atque participationem procurare, vtpote ex qua magnum, etiam post obitum, quo ad celeriorem ex Purgatorio liberationem, emolumentum proueniat*.

623 Confirmo prædictam rationem efficacissima quadam similitudine. Quærunt Doctores, an Bullæ Iubilæorum, ac Indulgentiarum, ea parte, qua continent priuilegia, ac fauores, ampliandæ sint, an verò restringendæ. Respondet *Sanctarellus in suo Tract. de Iubilæo Cap. 8. Dub. 12.* ampliandas esse, cùm sint maximum beneficium, quod concedit Pontifex, nec in damnum vllius cedant: imò ordinentur ad absoluendum à peccatis & excommunicationibus, ad remittendum pœnas, ad bonum Ecclesiæ Catholicæ, & in fauorem Animarum, adeoque extendi, & ampliari debent, non restringi; *& hæc opinio* (inquit) *verior est*; cui etiam subscripsit *Suarez tom.4. in 3. part. disput.56. sect.2. Henriquez lib.6. cap.16. num.3. & lib.7. cap.3. num.1. Bonac. de Indulgentijs disp.6. quæst.1. punct.7. num.3. & 4.* ac plures alij; & ex modernis *Gobat de Indulgentijs par.1. cap.5. numer. 46. & de Iubil. cap. 5. num.24. 25. & 26.* adducitque pro fundamento, quòd *Ipsimet Pontifices condiderunt, & approbauerunt notissimam Regulam Iuris in 6. Odia restringi, fauores autem conuenit ampliari*. Videatur circa hoc *Passerinus de Indulgentijs q.93.* in qua quærit, vtrum Indulgentiæ strictè; an largè interpretandæ sint, resoluitque dubium istud perquàm bene, & distinctè cum omnibus suis limitationibus.

624 Iam verò, si Bullæ Iubilæorum, ac Indulgentiarum, quibus vulgatissima adaptatur phrasis, quòd *tantum valent, quantum sonant* (cuius veritatem, ratione, & authoritate, demonstrat *Passerinus de Indulg. q.94. n.713.*) hoc non obstante, amplè, & largè; imò latissimè interpretandæ sunt; quis dixerit Gratiosas Filiationes restringendas esse, quibus eadem conuenit ratio, ac paritas? haud dubiè nemo. Quòd autem eadem ratio ac paritas competat Filiationi, æquè certum est, ac certa est apud *Suarez sect. 2. cit. num.3.* sententia, quæ asserit, formulas Indulgentiarum, largè esse interpretandas, ad hoc enim stabiliendum, iisdem vtitur fundamentis, quibus nos hic cum citatis Doctoribus, ad probandam nostram responsionem, vsi sumus; videlicet, Indulgentia, est res fauorabilis, ergo (deducunt) amplissimo iure interpretanda. Item, Indulgentia est beneficium Principis, proinde (argumentantur) latissimè interpretanda. Tertiò Indulgentia est opus charitatis, & misericordiæ, quòd maximum ei, cui conceditur, apportat emolumentum, adeoque (concludunt) largè sumenda, & intelligenda est. Omnes istæ rationes, proprijssimè, & ad punctum Spirituali Filiationi competunt: est quippe hæc fauorabilis, quod negari non potest: est beneficium Spirituale, à Prælatis Regularibus concessum, vt constat: est opus misericordiæ, & charitatis, vt patet; ergo illius valor ampliandus est, & extendendus effectus ipsius, vltra Mortem Concessionarij, vsque ad Purgatorium.

Tertiò probatur nostra responsio, 625 quia per Gratiosam Filiationem communicantur à Prælatis Regularibus bona spiritualia Ordinis, quantum communicari possunt, & quantum ijs iuuari potest Concessionarius, vt testatur etiam *Ruteus l. c. n. 7.* & nos cum eo, ac alijs Authoribus sæpiùs diximus; cùm igitur talis participatio iuuare queat non solùm in vita, sed maiori indigentia, & necessitate post Mortem in Purgatorio, rationi consentaneum est, vt illius effectus eòusque extensus esse intelligatur; eo magis, quòd absque omni dubio, ex sua natura, à Defuncto participari valeat, eique applicari per modum suffragij, haud secus, ac iuxta communem sententiam, & praxim suffragia viuorum applicata Animabus in Purgatorio, eas iuuant. Quapropter meritò concludo, Gratiosas Regulares nõ finiri Morte Concessionarij, sed eidem prodesse (modò earum exsistat capax, atque indigus) etiam in Purgatorio. Vnde quiuis colligat, quantæ vtilitatis sint huiusmodi Litteræ Gratiosæ, quandoquidem afferant Aggregato fructus, ac succursus Spirituales, non solùm in vita, sed etiam post mortem in Purgatorio; quòd certè motiuum est efficacissimum, vt &

Aggre-

Aggregati eximiam de ea concipiant æstimationem, & non Aggregati intensum eius adipiscendæ desiderium.

626 Superest, vt resoluamus etiam fundamentum *Bordoni*, pro stabilienda contraria opinione ab eo allatum: *Non censetur concessa Filiatio post mortem* (ait ipse) *nisi Superior id exprimat*: assertio hæc, pluribus argumentis à nobis adductis, quæ contrariũ demonstrant, de falsitate conuicta est. Neque eiusdem causalis, ponderis quidpiam habet, *quia gratia* (inquit) *& priuilegia regulariter solent concedi viuis*: æquè falsa, inquam, est & hæc, vt ex concessione Indulgentiarum apparet, quarum plurimæ viuis concessæ, priuilegio Summi Pontificis, etiam Defunctis per modum suffragij applicari possunt. Cæterum quidquid alias sit de hoc assumpto, quòd nimirum gratiæ & priuilegia soleant concedi regulariter loquendo tantùm viuis; id certè in nostro casu non procedit, cum Gratiosa Filiatio semper concedatur, aut concessa supponatur, etiam pro Defunctis, vt rationibus, & authoritatibus sat probatum est.

627 Ad Confirmationem eiusdem *Bordoni*, quòd nimirùm Defuncti, non sint ampliùs Benefactores post mortem, sed solùm dum viuunt, consequenter in vita tantùm capaces sint fructuum Gratiosæ Filiationis, responsio in promptu etiam est, quippe, etiam non benefactoribus ea concedi potest, ac defacto à Prælatis Regularibus conceditur, seclusa tamen Indulgentiarum participatione. Adde, quòd Defunctis sufficiat, durante vita fuisse benefactores, vt post mortem quoque capaces sint fructuum Spiritualis Filiationis. Denique, plurimi inueniuntur, qui tam in vita, quàm etiã post mortem benefactores existunt, eoquòd Religioni, cuius per Litteras Gratiosas filij adoptiũi effecti sunt, legata reliquerint, quibus Religio post eorum obitum perfruitur; adeoque saltem isti, in sententia *Bordoni* deberent esse inclusi.

628 Vnum adhuc insinuo, priusquam Dubium istud terminem, quòd nimirum, aliqui Prælati Regulares, cæteris benigniores, in suis Litteris Gratiosis, non solum concedant participationem bonorum spiritualium, vniuersaliter in omnibus alijs Gratiosis Regularibus, comprehensorum: verùm etiam, ex speciali gratia, promittant insuper, suffragari Aggregato, particularibus precibus Officijs & Missis, post eius obitum, vbi iste Capitulo Generali fuerit intimatus: & ob hanc singularem gratiam, magis desiderabiles redduntur Litteræ Gratiosæ; sunt autem huius tenoris, quantum ego vidi, Litteræ Abbatis Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium. Præsidentis, ac Definitorum Capituli Generalis S. Iustinæ, Monachorum Cassinensium S. Benedicti: Prioris Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini: & Abbatis Generalis Oliuetanorum. In Lateranensi enim dicitur: *Ampliùs de speciali gratia tibi concedentes, vt cùm tui transitus in nostro Generali Capitulo renuntiatus fuerit, eadem suffragia in nostra tota Congregatione fiant, quæ pro Canonicis, & Conuersis nostris, fieri consueuerunt*. In Cassinensi quoque legitur: *Illud etiam addentes, quòd cùm obitus alicuius vestrum (quem Dominus felicem, & sua Gratia munitum concedat) fuerit nostro Generali Capitulo renuntiatus, nos pro expiatione, & Animarum vestrarum salute, per vniuersam Congregationem Sacrosanctum Altaris Sacrificium offerri, aliaque pia suffragia, ex more Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sedulò procurari mandabimus*. In Eremitana habentur sequentia *Addentes insuper, de nostra gratia speciali, vt cum obitus vester in nostris Comitijs Generalibus per Prouincialem, aut per alios fuerit nuntiatus, ea pro vobis fiant suffragia, quæ pro nostris Fratribus, ac Sororibus facienda, nostri Ordinis Constitutiones decernunt*. Et in Oliuetana pariter quæ sequuntur: *Decernentes insuper, vt cum fidelis obitus D. D. V. V. contigerit, atque propinquiori ex nostris Cœnobijs, cum harum oblatione fuerit renunciatus, solemne Defunctorum officium pro Animarum D.D. V.V. salute, cum primum fieri poterit, Monachi vniuersi ibi degentes celebrant quemadmodum hactenus pro benefactoribus nostris, cæterisque charis Amicis facere consueuerimus*.

Meritò autem hoc particulare suffragium, in Litteris Gratiosis, Aggregato 629
post eius obitum exhibendum, promittitur *ex speciali gratia*; quia reuerà specialissimus etiam est fructus, qui ab eius Anima per modum suffragij acquiritur: à tali enim fructu, alterius negligentia, retar-

retardata cuiusdam defuncti Anima, quæ viuens similem habebat Spiritualis Filiationis Chartam, Diuina permissione, apparuit Consanguineo suo, qui eam apud se custoditam tenebat, eumque acriter increpauit, quòd tantæ fuerit socordię, nec Litteras istas Religioni, à qua ei cõcessæ fuerant, vnacum obitus sui authentica relatione tradiderit, vt earum virtute præfatum validissimum suffragium percipere potuisset: id me legisse memini in authentico quodam Authore, quamuis, quisnam ille sit, haud facile reminisci queam.

## DVBIVM SEXTVM.

*Vtrùm Conseruator Regularium finito Quinquennio, quo eius expirat Officium, desinat pariter gaudere fructu Filiationis Spiritualis?*

630 CONseruatori Regularium, vt alibi diximus, euoluto Quinquennio, alius substitui potest: è contra Protectoris Officium non nisi cum vita expirat: inuestigamus modò, an terminato Conseruatoris Munere, terminetur pariter penes ipsum participatio bonorum spiritualium Ordinis, cuius extiterat Conseruator: supponimus autem, hanc eius participationem, ratione dicti Officij, esse de Iure, & à Summo Pontifice *Iulio II.* concessam, vt probaui mus *Cap. 6. Dub. 2.*

Respondeo negatiuè: quia talis Gratiosa participatio, est Gratia facta, & à Summo Pontifice concessa simpliciter, absque vlla temporis limitatione, adeoq; perpetua, iuxta communem doctrinam, probatam sufficienter, & approbatam præcedentibus Dubijs: præcipuè verò, quando Gratia concessa est à Summo Pontifice, vt in hoc casu, & in fauorem animæ, vel maximè extendenda est, nisi fortè in particulari aliquo casu contrarium deducendum foret, de quo tamen hic nil constat: *Verba Bullarum* (ait *Gobat de Iubilæo Cap. 5. num. 24.*) *quæ parte continent fauorem, interpretanda latissimè, quoad patietur verborum proprietas, nisi in particulari casu, vel materia, communis praxis, vel stylus Curiæ Romanæ, aut omnino peculiaris ratio, restrictionem persuadeat: Suarez tum tom. 4. in 3. part. disput. 56. sect. 2. tum lib. 6. de Voto Cap. 16. num. 3. Henriq. Cap. 30. num. 1. Sanctarell. Cap. 8. dub. 12.* Pro fundamento huius asserti sui, adducit *Gobat* rationem à nobis superiùs allatam, quòd videlicet ipsimet Summi Pontifices communem hanc Iuris Regulam approbent: odiosa esse restringenda, fauorabilia vero amplianda; qua supposita, ipse concludit; *Ergo illorum tanquam liberalissimorum Principum gratias, & fauores, latissimè interpretentur: Cùm præsertim Cap. Quamuis de præb. in 6. admittatur & recipiatur lex Beneficium ff. de constit. Principum, quæ ita habet: Beneficium Imperatoris (& Pontificis) quòd à diuina scilicet eius Indulgentia proficiscitur, quàm amplissimè interpretari debemus.* Idem ergo in nostro casu faciendum, quare concludimus, quod, cùm ipsemet Summus Pontifex Conseruatori Regularium, gratiosè contulerit Participationem bonorum operum illius Ordinis, in cuius Conseruatorem ipse electus est, hæc non expiret, terminato ipsius Officio, sed perpetuò imposterum perseueret, sicut omnes aliæ Gratiæ factæ nisi ex speciali aliquo motiuo quorum tamen hic nullum apparet) restringendæ sint, perpetuò durant. Addo porrò, perseuerare hanc participationem non solùm quoad bona opera Ordinis, verùm etiam quoad Indulgentias, quarum haud dubiè Conseruator, (qui vtique vi huius Muneris Benefactor censetur) absolutè particeps existit; & si, cùm Consruatoris Munere fungeretur, earum particeps fuit, etiam eo terminato erit, siquidem tum, vt Indulgentiarum securior existat, alio beneficij genere Religioni succurrere poterit, id enim sufficit, vt proximè videbimus.

DV-

## DVBIVM SEPTIMVM.

### *An effectus Spiritualis Filiationis expiret in Procuratore, Aduocato, & Doctore Monasterij, si eorum loco alius subrogetur?*

631 RESpondeo negatiuè, ob easdem rationes, propter quas præcedenti Dubio idipsum de Conseruatore negauimus: si enim de Litteris Gratiosis, quas Prælati Regulares concedunt absque temporis limitatione, asserere licuit *Bordono ref.* 84. *nu.* 21. eas esse perpetuas: *Colligitur huiusmodi Filiationes simpliciter concessas, nulla temporis limitatione expressa, perpetuò durare*: cur non potiori iure semper valere deberent, concessæ à Summo Pontifice, Principe liberalissimo, cuius gratiæ, & fauores, vt diximus, latissimè interpretandi sunt? Supponimus hic pariter, quod *Cap.* 6. *Dub.* 3. probauimus, Procuratorem scilicet, Aduocatum, & Doctorem Monasterij Regularium, à Iure, & ex concessione Summi Pontificis (haud secus ac Conseruator) gaudere Gratiosa participatione bonorum Spiritualium Ordinis. Licèt autem hanc, præfati omnes, non haberent à Iure, nec à Summo Pontifice, sed solùm à Prælatis Religionum, nihilominus responsio nostra in suo vigore persisteret; cùm Gratiosa Filiatio, à Prælatis Regularibus simpliciter concessa, æquè perpetua sit, vt visum est, ac habita à Iure, vel à Summo Pontifice, & eodem modo amplam admittat interpretationem.

632 Aduerto hic insuper, valere eo quoque casu hanc nostram responsionem, quo postquam is, qui longo tempore Monasterium protexit, hoc munere sese exoneret, vel ob impotentiam, vel aliam ob causam: ratio eadem est, quia Filiatio Spiritualis simpliciter concessa, ex sua natura perpetua est, donec reuocetur: & quamuis ex natura sua talis non esset, supponenda tamen in hoc casu, ac præsumenda foret eius continuatio, tum ob summam concedentis benignitatem, tum ratione æquitatis, ob præterita eius benemerita, & assistentiam Monasterio exhibitam; & quamuis modò ab onere sese subducat, id tamen non facit absque iusta causa: & vel alio beneficij genere Religioni prodesse: aut saltem perseuerante affectu eam prosequi, aut partiali obsequio adiuuare poterit; id enim solùm sufficit, vt quis Benefactorum Albo adscribatur (vt partim iam diximus, partim adhuc dicemus) consequenter capax adhuc constituetur Gratiosa Participationis, etiam quoad Indulgentias Ordinis. Verum tamen est, quòd, si quis, vix dum benè cæpta Monasterij defensione, aut præstita exiguo tempore assistentia protinus ab ea se subduceret, antequam notabile Monasterio seruitium exhibuisset, per talem subductionem desinere etiam Gratiosa Participatio Ordinis, idque ex præsumpta, in tali casu, voluntate ipsiusmet Concedentis; & iuxta argumentatum *Peyrini tom.* 2. *de Prælato qu.* 3. *cap.* 6. *num.* 13. *versu noto* 4. vbi hunc casum, quoad Notarios Monasteriorum, tractans, ait: *Notarij possunt ad participationem admitti. Quòd si, postquam sunt admissi, cessent à beneficijs impendendis, etiam cessat in illis participationum effectus: cessante enim causa concessionis, debet cessare effectus*: ita ille, qui etiam vult, hanc cessationem fieri; quotiescunque Associatus, à beneficentia versus Ordinem cessat, proinde absolutè ait *num. cit. cessat frui dictis bonis ille, qui cum benefactor esset tempore accepta participationis, deinde cessat à benefaciendo*. At hoc speciali Dubio præssius examinabimus, quare præsenti finem damus.

## DVBIVM OCTAVVM.

### *Vtrùm in Medico, & Chirurgo, cesset Filiatio Spiritualis, quando eorum loco alij à Monasterio eliguntur?*

PEyrinus *num. cit.* responsionem dat affirmariuam, absolutè loquens in hunc modum: *Medici, Chirurgi, Notarij, & c. isti omnes possunt ad participationem admitti: quòd si postquam sunt admissi, cessant ab vna saltem ex prædictis beneficentijs impendendis*, 633

*dis, etiam cessat in illis participationum effectus: cessante enim causa, debet cessare effectus, &c.*

634 Nos, qui *Cap.6. Dub. 5.* sustinuimus, Medicos etiam, & Chyrurgos, à Iure, & à Summo Pontifice habere Gratiosam Patticipationem; damus consequenter eandem hic responsionem, quàm præcedenti Dubio dedimus; idemque omninò decidimus quoad hos, quòd resoluimus quoad Aduocatum, Procuratorem, & Doctorem: *Peyrini* autem contrariæ opinioni sequenti Dubio satisfaciemus; sit proinde

## DVBIVM NONVM.

### *An desinat in Benefactore, vbi ipse talis esse desinit?*

635 Remitto Lectorem parumper ad *dub. 3. Cap. præcedentis*, vbi *nu.* 382. cum *Cardinale Caietano in Summa Verbo Simonia*, *& cum Peyrino num.* 13. *cit.* cum distinctione declaratum est, quinam realiter cadant sub numerum Benefactorum Ordinis, & consequenter, vt tales, capaces sint participationis bonorum Spiritualium Ordinis per Litteras Gratiosas, etiam quoad Indulgentias, quibus, (vt ibidem) supppositis; inuestigamus modò: vtrum, si quis desinat esse Benefactor, etiam in vno tantùm genere, in quo tunc erat quando Filiatio Gratiosa ei concessa fuit, desinat & hæc quoque penes ipsum ita vt omni fructu spiritualis communicationis priuetur?

Ad hoc respondet præfatus *Peyrinus n.*
636 *cit.* affirmatiuè: cuius præcisa verba hic recenseo: *Litteræ Fraternitatis conceduntur à Prælatis, illis personis de quibus habent relationem, quòd sint deuotæ Ordinis, & benefactrices: vnde si in aliqua cesset ista causa finalis, quia scilicet non sit Benefactrix, certè ista non fruetur dictis bonis; cessante enim causa, debet cessare effectus. Et similiter cessaret frui dictis bonis ille, qui cum benefactor esset tempore acceptæ participationis, deinde cessat à benefaciendo. Et aduerte quòd benefactores sunt in quadruplici differentia; Alij enim benefaciunt opibus, & eleemosynis suis, Religiosorum paupertatem sustentando. Alij eis benefaciunt, ab iniurijs defendendo, à calumnijs liberando, de eis benè semper loquendo, reuerentiam illis exhibendo. Alij iura eorum tuentur, & sustentant in iudicio, vt Doctores, Procuratores, Sollicitatores, Aduocati. Alij illis benefaciunt, Officium Lectoris intra Ordinem gratis, præstando, aut in eorum fauorem similem scientiam, vel artem exercendo, vt Medici, Chirurgi, Notarij &c. Isti omnes possunt ad participationem admitti. Quòd si postquam sunt admissi* (Nota) *cessant ab vna saltem ex prædictis beneficentijs impendendis, etiam cessat in illis participationum effectus.* Ex quibus expressè patet, *Peyrinum* censere, quòd licèt quis in pluribus generibus benefactor esse possit Ordinis, si tamen ab vno beneficij genere cesset, maximè ab eo, quod causa fuit & motiuum concedi ei Filiationem, cesset pariter effectus eiusdem, siue participatio. Cum hoc tamen non concordat, quod ipse immediatè subiungit, quod nimirum, *qui opibus paupertatem Religiosorum subleuabat, ad paupertatem redactus, si bene tamen de illis loquatur, non desinit participare de dictis bonis.* Ita ille; quibus suppositis:

Respondeo ad Dubium negatiuè, & dico, non desinere in Benefactore spiritualem Participationem: cùm ipse desinit esse Benefactor; multò minùs expirare Filiationem, cùm cessando ab vno piæ beneficentiæ genere (etiamsi hoc illud ipsum foret, cuius causa ei, titulo gratitudinis, & remunerationis spiritualis Filiatio concessa fuit) in alio deinde genere Monasterio prodest; quòd facillimè contingere solet; haud enim difficile cuiquam erit partiali solùm obsequio eam Religionem piè prosequi, à qua Litteris Gratiosis donatus fuit, & honorificè, exempli gratia, de ea benè, ac deuotè loqui: hoc quippe solum sufficit, tam iuxta doctrinam *Peyrini*, quàm etiam *Caietani in Summa Verbo Simonia*, superiùs allatam, vt quis de numero Benefactorum Ordinis censeatur, & consequenter capax sit etiam participationis Indulgentiarum: cum *Vrbanus V.* concessionem suam, non restringat ad benefactores in vno tantùm genere, sed eam largitus sit vniuersaliter, & simpliciter Benefactoribus Ordinis, siue hoc deinde titulo, siue alio, tales existant, nihil interest; quilibet enim titulus sufficit, modò talis sit, vt per illum constituatur Ordinis Benefactor, vt qui v. g. (in opinione 637

nione etiam citatorum ) partiali obsequio Religioni benefacit, de ea, vt diximus bene & honorificè loquendo: quod studiosè aduertendum, ad consolationem præcipuè eorum, quibus ratione sui status, aut egestatis alius Religioni benefaciendi modus non suppetit. Hæc secunda responsionis pars probatione non indiget: vnde

638 Probo primam eius partem ( ex quo pariter secunda magis roboratur ) quia Participatio bonorum Spiritualium Ordinis, vt ostendimus, concessa absque vlla temporis limitatione, prout semper solet concedi, ex sua natura perpetua est; adeoque non finitur, quoad suum effectum, in Concessionario, quando ipse simpliciter cessat esset benefactor. Confirmatur, quia ob hanc ipsam rationem,& quia gratiæ debent ampliari, quantum possunt ( quamdiu non obstat forma concessionis, seu verba concedentis, prout non obstat in nostro casu ) asseruimus præcedentibus Dubijs, quòd nec Conseruator, nec Procurator, nec Aduocatus, nec Medicus, aut Chyrurgus Monasterij priuetur participatione Spirituali, seu Gratiosa Filiatione, per hoc præcisè, quod ob aliorum electionem, ipsorum cesset erga Religionem seruitium.

639 Neque valet in contrarium illatio *Pyrini num.* 13. *cit. in princ.* ( quam & ante ipsum intulerunt *Cappuccinus in Annotationibus, Verbo Indulgentiæ quoad sæculares: versu, Quarto dicitur. Cordubain Quæstionarm Theologico lib.* 5. *quæst.* 42. *dict.* 9. *& Lauorius de Indulg. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 15. *pag. mihi* 47. ) *Vnde si in aliqua persona, cesset causa finalis, certè ista non fruetur dictis bonis, cessante enim causa, debet cessare effectus.* Neque hæc, quàm protinus subiungens, deducit; quòd nimirum *cessaret frui dictis bonis ille; qui cum benefactor esset tempore participationis, deinde cessat à benefaciendo.* Non, inquam, valet totum hoc: nam hic adducitur, non causa, vt causa: Concedimus quidem, quòd cessante causa finali concessionis, cesset eiusdem effectus: at verò negamus, quòd esse charitatiuum Benefactorem, sit causa finalis concessionis Filiationis Spiritualis. Vnde etiam hæc consequentia negatur: ergo, si Concessionarius tempore concessionis benefactor non fuit, licèt vt talis repræsentabatur, vel postmodum à benefaciendo cessauerit, fructu participationis Spiritualis priuabitur. Verùm namque est, quòd cessante causa finali, cesset effectus concessionis, imò & ipsa concessio: at esse Concessionarium benefactorem Ordinis, non est causa finalis concessionis Gratiosæ Participationis, sed solùm causa impulsiua, & motiua eiusdem, vt probatum est superiùs *Dub.* 3. *Cap.* 1. *n.* 36. Causa autem finalis ( vt ibidem dictum) est solum Gratia & Gloria,& consecutio bonorum Spiritualium, ad quorum participationem ille admittitur à Prælato Regulari per Litteras Gratiosas.

Quòd autem concessio Gratiosa, per solam falsam allegationem, aut non existentiam causæ finalis vitietur, ac annulletur,non verò nullitatem causę motiuę, seu impulsiuæ: est opinio verior, & communior, teneturque defacto vnanimiter ab omnibus modernis Doctoribus qui tractant de causis irritantibus & annullantibus Gratias, ac dispensationes Pontificias &c. Afferam proinde hic illorum rationem, communemque doctrinam, cum nostræ responsioni pro fundamento adæquatè deseruiat. Supponitur imprimis, ad concessionis validitatem, haud dubiè, requiri liberum Superioris,seu Concedentis consensum, & consequenter illam fore inualidam, quæ per errorem concessa fuisset; concessio enim, cùm sit actus humanus, necessariò procedere debet à libera voluntate, & cognitione Concedentis. Præterea, actus Agentis liberi, non operatur vltrà illius intentionem; adeòque si intentio deest in Concedente, nihil operatur at si deest voluntas deficit etiã intentio, voluntas autem deest censetur, quotiescunque Agens operatur ex falsa causa, & ex errore, qui excludit consensum. Secundò supponiturquod tam vera causa, quam falsa, seu falsò repræsentata, aut apprehensa, diuidatur in causam finalem, & in causam impulsiuam seu motiuam: Causa finalis est illa, quæ principaliter intenditur, & consideratur à Concedente, vt aduertunt, præter alios, *Suarez lib.*8. *de legib. Cap.* 30. *init. & Pasqualigo de Sacrif. Missa tom.* 1. *qu.* 747. *n.*4. *in fine*. Ea iuxta eosdem mentem 640

tem dirigit, & actionem regulat (secundùm *Suarez, dans rationem concedendi*) & hæc necessariò, tempore concessionis, adesse debet, aliàs concessio est nulla; nam cùm Concedens ad concessionem moueatur per causam finalem, si hæc falsa est, & inexistens, is mouetur per causam falsam, adeoque per errorem, qui excludit consensum: *Vnde defectu intentionis concessio erit nulla* (concludit *Pater Pasqualigo quæst. cit. numer. 5. in fine*) redditque rationem: quia videlicet, *si non verificatur causa finalis tempore concessionis, deficit fundamentum, cui innititur concessio secundùm suam modificationem, & substantiam, & proinde deficit etiam ipsa concessio*. Vbi insuper notat *numer. 11.* quòd cùm tempus, pro quo gratia conceditur, constet tractu successiuo; etiam causa finalis, vtpote eiusdem sustentaculum, æquè diù perseuerare debeat: *Si durante tempore priuilegij* (inquit) *cesset omninò causa finalis, cessabit omninò priuilegium, quia habet tractum successiuum, & constat successiua concessione: vnde nisi aliquo modo à sua causa sustentetur, non poterit subsistere, quia venit ad illum casum, à quo non posset incipere. Paria enim sunt, nullam adfuisse causam ab initio; & adfuisse, sed omninò cessasse lib. 1. ff. de Condict. fine causa & l. Nihil interest ff. de necessit. pœnit. Et ita in simili tradunt quamplures, quos citat, & sequitur Sanchez libr. 8. de Matrimon. disp. 30. numer. 14. Verùm si contingat* (subiungit immediatè idem Author) *quòd durante eodem tempore priuilegij, reuiuiscat causa, valebit de nouo priuilegium, vt tradit idem Sanchez loc. citat. numer. 26. Suarez libr. 6. de Legibus capit. 20. numer. 14. & libr. 8. capit. 30. numer. 22. Guttierez de Matrim. capit. 126. numer. 2. Bonacin. disput. 1. de legib. quæst. 2. punct. 10. numer. 3. Meroll. tom. 2. Theolog. Moral. disput. 4. capit. 6. numer. 335. in fine*. Ratio huius rei clara est, quia gratia, ad certum tempus, aut in perpetuum concessa, si aliquando ei defecerit sua causa finalis, à qua sustentatur, non propterea esse suum penitùs amittit, neque concessio omninò perit, cùm tempori suo sit alligata, quod tractu successiuo constat, durante per totum illud temporis spatium, pro quo concessio facta est, sed solùm suspenditur quoad executionem.

642 Vnde & *Gobat de Indulg. par. 2. cap. 26. num. 521.* appositè deducit, quòd si ob inuasionem hostilem, aut aliam causam aliquandiu celebrari non possent in aliqua Ecclesia Sacrificia, pro conseruatione in ea Altaris priuilegiati constituta, si tamen deinde celebratio præscriptorum Sacrificiorum reassumatur intra tempus à Concedente Priuilegium, pro eiusdem duratione definitum, illud reuiuiscet: *Et audio* (inquit) *ita fuisse Ingolstadij consultis Theologis aliquando practicatum*. Causa ergo finalis iuxta communem doctrinam, est illa, cui innititur concessio, gratia, & priuilegium, adeoque necessariò ad eam requiritur; & cessante causa finali, cessat etiam gratia, & priuilegium quoad effectum. Econtrà, non item cessante causa motiua, seu impulsiua, cessat etiam gratia, quia hæc mouet concedentem tantùm secundariò, & per occasionem (vt ait *Suarez de legib. lib. 8. capit. 30. in princip.*) vnde etiam falsò apprehensa aut per errorem repræsentata mouere potest; mouet autem ad faciliùs vel difficiliùs, non ad simpliciter concedendum. Quapropter communiter asserunt Doctores, in specie *Suarez de Relig. tom. 2. tract. de Voto, lib. 6. capit. vltim. num. 9. & Sanchez de Matrim. lib. 8. disput. 21. num. 8. & de præceptis Decalogi lib. 4. cap. 47. num. 11.* Causam finalem esse illam, quæ fundat concessionem, gratiam, aut priuilegium, vt propria eiusdem causa: Motiuam autem, seu impulsiuam, non esse propriè dictam causam, aut simpliciter talem, sed tenere se potiùs ex parte concedentis, in quantum videlicet, ipsa applicat illius voluntatem, ad concedendam Gratiam. Cùm igitur, in casu nostro, Concessionarium esse Benefactorem, possit esse solummodò causa motiua, ac impulsiua, non autem finalis Gratiosæ concessionis, vt iam ab initio Tractatus probatum est *cit. numer. 36.* ideò per hoc, quòd ipse desinat esse talis, non finiuntur in ipso effectus Spiritualis Filiationis, qui (vt cum communi dictum) non

nisi cessante causa finali cessant: non verò cessante causa motiua, seu impulsiua, cuiusmodi solùm in casu nostro est.

642 Quæri tamen adhuc posset, an saltem eo casu, participatio Indulgentiarum Ordinis cesset, quo quispiam ei Aggregatus, omninò desineret esse Benefactor? Vix id contingere poterit, nisi quis omnem prorsus erga Religionem affectum abiecerit, & nec de ea honorificè loqui, nec data occasione eam defendere velit.

Respondeo affirmatiuè; quia Indulgentiæ Ordinis (vt sæpiùs iam dictum) non communicantur à Prælatis Regularibus, sed à Summo Pontifice, supposita tamen concessione bonorum Spiritualium Ordinis, facta à Prælatis per Litteras Gratiosas; at summus Pontifex eas concedit solis benefactoribus. Quare, cùm tantum valeant Indulgentiæ, quantum sonant, ideò in casu nostro, non sese extendunt ad non benefactores, etiamsi per Litteras Gratiosas concederentur. *Cùm enim Indulgentiæ* (ait *Peyrinus Tom. 2. quæst. 3. cap. 6. num. 9.* hunc ipsum casum tractans) *tantum valent, quantum sonant, non possunt applicari nisi ijs, qui in eis nominantur expressè*, hi autem non sunt nisi benefactores. Idem asserit *Tamburinus de Iure Abbatum tom. 2. disput 9. quæst. 4. numer. 5. versu Non est tamen*. Cæterùm, superiùs tradita doctrina, hìc quoque locum obtinet; quòd, sicut charitatiuus benefactor, quamdiu penitus cessat à benefaciendo, tamdiu suspendatur à participatione Indulgentiarum; ita dum beneficentiam reassumit, dictæ etiam participationi denuò restituatur.

## DVBIVM DECIMVM, & Vltimum,

(Centesimum Decimum sextum, totius Tractatus.)

### *An desideranda, atque expetenda sit Gratiosa Participatio bonorum spiritualium Ordinum Religiosorum?*

Respondeo affimatiuè cum *Nauarro Miscell. 11. de Rosar. nu. 3. versu Quinto quæret, in fine*; vbi agens de Confraternitate Rosarij, per quam etiam habetur participatio bonorum spiritualium, ait: *maximè desideranda est, & per consequens maximi facienda hæc communicatio, qua tot Orationes & merita tot Confratrum, & in his tot millium Religiosorum selectorum speciatim cuique Confratri applicantur.* Et cum *Hieronymo Plato l. 1. de Bono Statu Religiosi c. 29.* vbi licèt loquatur de Religiosis, verificatur tamen etiam de Associatis) taliter discurrit: *Quid maius, aut optabilius in hac vita, quàm in suo quemque cubiculo considentem, Participem esse omnium laborum, quos Ordo vniuersus per tot Vrbes, tot Prouincias diffusus, in Dei obsequio profert, meditando, concionando, animabus iuuandis; & postremò, vel multis piè Sanctèque agendis, vel multis fortiter constanterque patiendis.* Cum *Paludano* quoque *in 4. dist. 2. quæst. 3.* (apud *Ruteum de Participat. quæst. 8. sect. 4. numer. 20.*) vbi ait: *consulendum est Diuitibus, & Nobilibus, quòd quærant participium bonorum, quæ in Religionibus fiunt, vbi etiam sunt plures pœnalitates; quàm alibi; & magis accepta Deo, quàm alibi: & quod in pœnitentiam iniungatur eis, non solùm bona quæ facient per seipsos, sed quæ per alios; vel ab alijs procurabunt, & omnia quorum specialiter participes erunt, & huiusmodi* (non absque causa monet hìc *Paludanus*, *quòd in pœnitentiam imponatur eis, &c.*) quia nimirum *satisfactio non imposita* (iuxta *Caietanum in Summa Verbo Satisfactio: vers. caueat autem*) *quia non est Sacramentalis, per hoc non tantum valet, sicut si esset absolutè imposita*: idcircò valde benè asserit *Lauorius de Indulgent. par. 2. Cap. 11.* 643

2. *Capit. 4. sub numer. 2. versu Decimum est : pag. 43.* bona opera pœnalia, in pœnitentiam iniuncta, magis esse satisfactoria, quàm non iniuncta : *Voluntaria Satisfactio est minoris valoris & meriti, iniuncta : quia potestate clauium acquiritur meritum, & plus valet vnum ieiunium, factum per pœnitentiam iniunctam, quàm decem ex pœnitentia voluntaria.* Denique cum *Rutco num. cit. in principio* vbi ait : *Non solùm optanda, sed & auidè quærenda est hæc communicatio.*

644 Ratio nostræ responsionis ( vltra authoritatem Doctorum ) est quoque euidentissima ; nec, nisi ab Hæretico negari valet. Quomodo enim fieri potest, vt non intensè desideretur, non auidè exquiratur hæc Gratiosa bonorum Spiritualium, amplissimarum Religionum, participatio? quandoquidem ad earum consortium Assumptus, tot ac tantos spirituales fructus in beneficium Animæ suæ, virtute huiusce Spiritualis Filiationis recipiat, quantos ingenti numero, per decursum totius huius Tractatus enumerauimus, ac descripsimus. Quomodo non toto cordis desiderio, & quauis possibili industria quilibet hanc Gratiosam Regularem communicationem sibi procurare deberet, de qua discurens præfatus *Platus capit. 29. cit.* iure merito sic loquitur : *Neque verò dictu, vel æstimatu facile est, quàm ad multos vsus aliena merita in religiosa communitate conferant. Nam si tentatio irruat, hæc nobis arma impetrant, quibus muniamur : si propria imbecillitate fluctuemus, hæc efficiunt, vt firmitas & constantia tribuatur : si aliquid à Deo petendum est, vel ob aliam causam coram Dei Maiestate apparendum, non verendum est, ne vacui appareamus in eius conspectu, quando non nostra solùm, sed aliorum etiam benefacta, nos ei commendant, & in nostras preces influunt, eisque gratiam, & pondus addunt. Quid plura? ipsa nostra tepiditas, ipsæ culpæ, ac peccata, his eisdem eorum, quibuscum coniunctè viuimus, officijs ita compensantur, vt plus hæc officia possint ad Deum conciliandum, quàm illa culpæ ad irritandum.*

645 Recenset deinde, idem Author plurima in specie bona opera, quæ ab Ordinibus Religiosis proueniunt, quorum pretiosissimo fructu, tanquam indeficiente thesauro ditantur non solùm, qui cum ijs communiter viuunt, verùm etiam, qui per Litteras Gratiosas ijs Associati sunt : deprædicat hanc sacrosanctam participationem, & fraternam Spiritualem communicationem sequentbus verbis : *Cogitandum iam est, quàm amplos, quàm ingentes necesse sit, eiusmodi esse thesauros, si ex tanto exercitu, vt sunt omnes ferè Ordines religiosi, omnium diuitiæ in vnum aceruum, & cumulum conferantur. Hic enim sunt illa primum interna ; oratio ; & contemplatio, perpetua cupiditatum mortificatio, pugnæ, & victoriæ tentationum ; denique cogitationes omnes incensæ charitate, humilitate, alijsque virtutibus. Deinde illa etiam, quæ iam foras prodeunt ; corporis maceratio, ieiunia, vigiliæ, quotidiana incommoda, officia humilitatis : tum ea, quæ in proximorum causa tolerantur, labores, æstus, frigora, itinera, sæpè etiam pericula ipsius vitæ.* Horum igitur omnium bonorum operum fructus ( thesaurum reuerà pretiosissimum ) participant, Religionibus per Gratiosas Aggregati, tam per viam impetrationis, quàm satisfactionis ( vt sparsim in hoc Tractatu probatum est ) vltra fructum illum, quem ex innumerabilibus Sacrificijs ; & tanta Indulgentiarum multitudine consequuntur non solùm in hac vita, sed etiam in altera, ad subsidium, & liberationem ab attrocissimis illis pœnis, quibus Animæ, non plenè in hac vita purgatæ, illic cruciantur. Meritò proinde Filiatio hæc Spiritualis, ingentis Thesauri loco habenda ; vtpote tantis spiritualibus diuitijs abundans, & tanta animabus bona conferens ; ac idcircò summis studijs ab vnoquoque exquirenda, & auidè expetenda ; ad quod debito feruore exhortatur etiam *Ruteus sect. 4.* in hunc modum : *Quàm magnus is est diuitiarum spiritualium thesaurus? nam licet ad instar thesauri Ecclesiæ, postea applicandæ non asseruentur; maximum tamen in omnibus satisfactionis fructu per præuentionem operantur.*

*O igitur optandam, & exquisitione dignam* 646
*associationem, vnde fructus tam multiplices exuberant, & in defunctos æquè ac viuos diffunduntur! verè felices illi, qui bonorum operum, Religionis cuiusdam consortio, gaudent, per quòd in sæculo degentes, in bo-*

*nis operibus Religiosorum participant; comedentes in ieiunijs; dormientes in vigilijs, & sine vigoris, & mortificationis sufferentia, in omnibus meritis, & austeritatibus Religiosorum communicant; in media arena cum hoste dimicantes, & à prælio revertentes solùm inspiciunt, corona tamen suo modo communes sunt: denique vt 1. Regum 30. euntis ad prælium, & ad sarcinas remanentis, aliquo modo æqualis est fructuum spiritualium participatio: & tandem per hanc societatem, facilius Deo & Sanctis in gloria sociari valent: Vnde Diu. Thomas in Cap. 1. Epist. 1. S. Ioannis. Sic ergo per Societatem Sanctam, transitur ad Societatem Diuinam: ergo per nostram Societatem transibimus ad Societatem Dei. Prima est gratia in præsenti. Secunda gloriæ in futuro.* Ita præclarè *Ruteus*: quibus finem suo imponit Opusculo, & nos pariter vnà cum eo Tractatui Filiationis Spiritualis, quæ conferri solet per Litteras quas vocamus Gratiosas; sinrque hæc omnia ad Fidelium Vtilitatem, & solius Dei Honorem & Gloriam.

Si hisce paginis, aliqui fortè ex humana imbecillitate, irrepserint errores; protestor denuò, sicut à principio protestatus sum; me omnia & singula, ac simul meipsum in omnibus submittere infallibili correctioni Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ: si quid in verbis, Typographorum (haud insolita incuria) minùs benè prælo expressum, id Oculo accurato beneuoli ac periti Lectoris, emendandum relinquo; qui tamen, maiorum saltem errorum, qui prælo irrepserint, in calce sequentis Indicis Alphabetici videre poterit correctionem.

# F I N I S.

INDEX

# INDEX ALPHABETICVS

## Rerum notatu digniorum.

*Numerus, qui apponitur, semper est marginalis.*


### A

*Abbatissa seu Superiorissa Monialium habet potestatem dominatiuam in ipsas, valetque concedere Litteras Gratiosas commissi sibi Monasterij, seclusa tamen communicatione Indulgentiarum, quæ neque à Prælatis localibus communicari possunt.* n. 199.

*Abbatissa seu Superiorissa Monialium, non potest ipsis præcipere (iuxta aliquos) in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub peccato mortali exercendo in eas iurisdictionem spiritualem, cùm illius sit incapax, neque aliam in ipsas potestatem habeat, quàm Maternam, domesticam, & eiuslem: est tamen etiam hæc sufficiens, ad obligandum subditas, in materia graui ipsis imperata ad peccatum mortale.* 201. 202. *iuxta alios id absolutè potest.* 191. *est etiam (iuxta aliquos) capax iurisdictionis spiritualis, imò defacto multæ Abbatissæ (quæ recensentur) eam actualiter habent* 203. *quod indecisum relinquitur; & absolutè affirmatur, Abbatissam vera pollere Superioritate in Subditas sibi Moniales, veramque habere potestatem dominatiuam, ac posse præcipere in virtute Sanctæ obedientiæ.* 204.

*Abbatissa non potest fulminare excommunicationes in suas Subditas, licèt sit persona Ecclesiastica, obstante ei sexu, quo redditur incapax.* 188.

*Abbates reprehensi in Sacris Canonibus, quòd vsurpauerint potestatem concedendi Indulgentias, quæ potestas solis Episcopis collata fuit, & his quidem limitato modo.* 376. 377.

*Abusus, nimiùm facilè concedendi quibusuis indifferenter Litteras Gratiosas tollendus est à Prælatis Regularibus; cum exinde (iuxta mentem alicuius Doctoris) talis concessio subinde reddi possit inefficax, & absque effectu.* 308.

*Acceptatio suffragij ex parte Animarum Purgantium non requiritur; & quamuis requireretur, supponitur tamen in qualibet Anima.* 427.

*Acceptatio virtualis, & interpretatiua (quæ semper supponitur) sufficit ad participationem passiuam alienorum meritorum, ac bonorum operum: quæ proinde passiuè participantur, quin participans de hac re cogitet; cùm ex parte illius solùm requiratur, vt non sit incapax.* 83.

*Actus agentis liberi non operantur vltra eius intentionem, & hac deficiente nihil operantur: hæc autem deficit, quando deest voluntas, & hæc censetur deesse, cùm operatur mota ex falsa causa, ac per errorem, qui consensum excludit.* 640.

*Actus internos, suo modo, iudicat ac punit Ecclesia.* 258. 259.

*Actus interni, comprehensi in Regula à Prælato præcipi possunt, esseque materia Voti Obedientiæ, licèt sint aliquid spirituale.* 255.

*Actus internos punire potest Ecclesia, sed pœna correspondente, nimirùm interna.* 259.

*Actus spirituales, à nulla potestate, neque etiam Ecclesiastica, possunt præcipi, aut iudicari. Quare hoc? quænam hac in re exceptio?* 255.

*Actus purè spirituales, qui adeò interni, & occulti sunt, vt nullum habeant adiunctum actum externum, cuiusmodi sunt cogitationes cordis, non cadunt sub vllo præcepto humano, ne-*

quæ etiam Ecclesiastico: benè autem illi, qui non sunt purè spirituales, sed habent annexum actum externum sensibilem qui dependeat ab interno vt à propria regula, vt modo humano scaturiat. 255.

Actus potestatis Ordinis est, offerre Sacrificium pro hoc vel pro illo; proinde quoad hoc Subditus Sacerdos non est subiectus Superiori Regulari. 266. 270.

Actus, ad hoc vt sit meritorius, debet esse bonus, nec quidquam malitiæ admixtum habere; id explicatur. 211.

Actus iurisdictionis est concessio Indulgentiarum, per quas proinde remittitur pœna per veram absolutionem: id verò dici non potest de Litteris Gratiosis, quæ per solam satisfactionem, seu solutionem effectum suum nanciscuntur. 278.

Actus summæ, atque excellentissimæ charitatis est, si quis reatu propriæ grauatus pœnæ, nihilominùs suas in alios transferat satisfactiones fuitque approbatus ipsa praxi à Dei seruis, & à Sacra Scriptura insinuatus; licitè eum quis exercet, etiam morti vicinus, prout heroicè eum practicauit Ven. P. D. Carolus de Tomasi Theatinus. 241.

Actus humanus, ac moralis, prout talis, habet ordinem intrinsecum & essentialem, ad ipsum operantem liberè, & ex intentione: quapropter suppositum, seu agens liberum à me distinctum, & mihi extrinsecum, non potest reddere actum meum liberum, si iste non proueniat à principio libero in me existente, & mihi intrinseco: ita neque mea intentio qualificare potest actum alterius. 245.

Actus, vt sit meritorius, debet fieri cum auxilio, & concursu Diuinæ Gratiæ. 212.

Actus, vt sit meritorius de condigno, non requiritur, vt referatur in Deum. 213.

Actus quilibet mortaliter peccaminosus perdere facit gratiam, & amicitiam Dei: vti ex opposito, quodlibet opus bonum, factum à Iusto cum debitis conditionibus eius incrementum meretur de condigno. 215.

Actus voluntatis vnicus sufficit ex parte Superioris, & ex parte Subditi, ad hoc, vt Gratiosa Ordinis participationes benè, cum effectu, ac perseueranter sint concessa: saltem donec talis actus non reuocetur. Actus ex parte Superioris est, quo actualiter sua voluntate applicat communia bona opera Subditorum: ex parte verò Subditi, actus voluntatis, quo generaliter intendit applicare Opera ex Instituto Regulæ, ad mentem Prælati. Atque hic actus ex parte Subditi, est ipsemet actus solemnis Professionis, in quantum hæc comprehendit Votum Obedientiæ secundùm Regulam, factum Prælato, 251. Improbat hoc Ruteus, dùm vult, quòd non Votum Obedientiæ, sed ipsa traditio ac donatio sui ipsius Ordini, facta à Religioso virtute Professionis solemnis, habeat rationem præfatæ applicationis, quod & probat. 252. 253. sed à nobis refellitur. 254.

Actus vnicus voluntatis, quo Prælatus primò intendit recipere ad communionem bonorum operum, quē per Litteras Gratiosas assumit in Ordinis filium, sufficit, vt is reddatur particeps pro semper bonorum spiritualiū eiusdē Ordinis. 232.

Adoptiui filij Ordinis sunt, qui per Litteras Gratiosas eidem aggregantur. 2. 3.

Adrianus VI. concessit Indulgentiam plenariam Omnibus Christi fidelibus, qui vesperi cùm signum campanæ datur, consuetam trinam salutationem Angelicam dixerint; eam quoque lucrantur, licèt nil de ea resciant. 91.

Administratio bonorum spiritualium, ac tēporaliū Religionum, spectat ad Suprema Capita, & Prælatos ipsarum, primosq; Moderatores. 141. 142.

Affirmari verè potest, quod admissi per Gratiosas ad consortium bonorum Spiritualium Ordinis participent de meritis totius illius Ordinis (intellige de meritis de congruo, non de condigno.) 368. Propositio hæc ab ipsis Sanctis Patribus, & Sacris Doctoribus asseritur. 369. Modus iste loquendi communis, certus, Catholicus, atque vsitatus est apud Sacros Doctores, quidquid in contrarium dicat Author quidam, qui proprio nomine comparere non audet. 370.

Aggregare aliquem per Litteras Gratiosas cuidam Ordini Regulari, est efficere illum membrum immediatum eiusdem, per quod (licèt in Litteris communiter expressè solùm mentio fiat participationis bonorum operum præsentium, & futurorum) omnia merita (etiam præterita) certo modo ipsius fiunt; ad ea ius acquirit, & ipso iure, & facto ea participat. Caterùm ad obtinendam talem participationem, non requiritur, vt id in Litteris exprimatur. 253.

Aggregari Ordini mediantibus Litteris Gratiosis per modum Filiationis, & per modum Fraternitatis, tanquam duobus modis inter se distinctis, non admittitur, sed reijcitur talis distinctio cum suo fundamento. 15. 16. 17.

Aggregatus Ordini per Gratiosas, vocatur Filius eiusdem Ordinis. 1

Aggregatus per Gratiosas Ordini Cappuccinorum, vocatur ab illo Ordine nomine Filij. 1

Aggregati alicui Ordini per Gratiosas, & ipsi Religiosi, habent mutuam ac reciprocam inter se communicationem, & intercedit inter eos spiritualis quidam contractus Societatis; unde si

quis

quis bona sua spiritualia in commune exponit, ponit solummodo bona vnius hominis, recipit verò econtra bona tot aliorum associatorum sibi. 239. Contractus iste Societatis non est restrictus, sed complectitur omnia bona spiritualia in communi, vt videre licèt in formulis Gratiosarum; est massa quædam, seu Mons spiritualis deuotionis admodum lucrosus. 240.

Aggregati ad consortium bonorum spiritualium Ordinis per Gratiosas, participant de satisfactionibus, omnibus suffragijs, alijsque bonis operibus quæ à Religiosis generaliter fiunt per totum Ordinem, & ab associatis eidem per Gratiosas. Hoc igitur satisfactionum fructu, quem per Litteras participant, infallibiliter pro ipsis exsoluitur (nisi fortè non indigeant, aut ex propria culpa illius effectus sint incapaces) atque remittitur tanta Purgatorij pœna, pro suis culpis ipsis debita, quanta correspondet valori operis applicati (qui soli Deo notus est) ac bonitati, & pœnalitati eiusdem. Idque totum transigitur, quin admissi id resciant, vel de hac recogitent, sufficit enim sola ipsorum virtualis acceptatio, quæ semper supponitur. 259.

Aggregati alicui per Litteras Gratiosas, participes redduntur earum satisfactionum, & remissionum pœnæ, superabundantium, ac superfluarum, prouenientium à bonis operibus pœnalibus Ordinis, quæ cùm inapplicatæ remanserint, deuolutæ fuissent ad communem, ac generalem Ecclesiæ Thesaurum. Declaratur, quantus sit iste thesaurus, & quantoperè æstimandus illius fructus. 344.

Aggregati per Gratiosas cuidam Religioni, participant fructus spirituales, soluta etiam à eorpore illorũ anima, & existente in Purgatorio. 355

Aggregati alicui Ordini participant plus vel minus de bonis Spiritualibus eiusdem, iuxta mensuram deuotionis, quam erga illam conseruant. 374.

Aggregati cuidam Religioni per Gratiosas, varios participant fructus per viam directæ impetrationis nimirum fructum omnium Orationum, quæ quotidie fiunt per totum Ordinem in Sacrificio Missæ, in Capitulo, & in alijs occasionibus pro Amicis, benefactoribus, & omnibus illis, qui vel sunt eiusdem Ordinis, vel eidem aggregati. 349. Participant item per viam directæ impetrationis varios alios fructus spirituales, qui proueniunt etiam ab alijs bonis operibus Ordinis, ac Communitatis, licèt facta expressè non sint pro Religione, vel Associatis. 350.

Aggregati per Gratiosas alicui Ordini, participant in bonis operibus præsentibus ac futuris eiusdem, nimirùm Sacrificijs, Orationibus Vigilijs, Peregrinationibus, Ieiunijs, Abstinentijs, Prædicationibus, Disciplinis, & omnibus alijs bonis operibus, quæ à toto Religionis Corpore fiunt. 338. Hæc participatio non est tantùm obiectiua, seu impetratiua: sed etiam formalis, & effectiua, specialiter quoad fructum satisfactorium. 232. 233. 234. 339. 340.

Aggregati participant de satisfactionibus, & pœnarum remissionibus etiam non superabundantibus, neque superfluis Ordini, cui associati sunt, saltem quæ proueniunt à bonis operibus pœnalibus, quæ à Religiosis fiunt ex præscripto Regulæ: et si hæc fiunt nomine Ecclesiæ, licet operans foret in statu peccati mortalis, obtinebitur tamen fructus satisfactorius. 346.

Aggregatus (præscindendo etiam ab omni intentione) varios participat fructus, tam spirituales, quàm temporales, per viam scilicet impetrationis indirectæ: idque ratione specialis vinculi charitatis, quo Ordini, cui associatus est, colligatur. 352. Licet autem fructus impetrationis indirectæ per Communionem Sanctorum communicentur omnibus Christi fidelibus, maiori tamen abundantia participantur ab Associatis per communionem particularem Religionum propter Litteras Gratiosas. 353.

Aggregatus participat per viam impetrationis fructus, ac dona spiritualia & temporalia, animæ ac corporis, non solùm quæ proueniunt ex meritis bonorum operum, quæ fiunt & fient per totum Ordinem, sed etiam quæ facta sunt à quocunque membro illius Ordinis, imò quæ facta sunt ab omnibus Religionibus, maximè autem illorum Patriarchis, Fundatoribus, nec non Sanctis omnibus, atque Beatis omnium Religionum. 354.

Aggregati per Spiritualem Filiationem participant fructus spirituales directæ impetrationis, qui proueniunt ab operibus specialibus, quæ vltra præcepta Regulæ exercentur ab omnibus Religiosis vniuersaliter in quacunque Religione per totum mundum, atque Ecclesiam Dei. 351.

Aggregatus alicui Religioni per Litteras Gratiosas, participat fructus, ac bona spiritualia, directæ impetrationis, quæ proueniunt ab operibus Regulæ, quæ vniuersaliter exercentur à Religiosis omnium Sacrarum Religionum totius Mundi, & Ecclesiæ Dei militantis: idque ex Pontificia concessione. 350.

Aggregatus mentaliter tantum à Prælato ad communicationem bonorum operum Ordinis, participat fructus eorumdem absque vllis Litteris Gratiosis, aut alia sensibili expressione. 83.

*Participat etiam Indulgentias Ordinis, modò ea, quæ à Pontificibus præscripta sunt, adimpleat.* 85.

*Aliqui Prælati Regulares, cæteris benigniores promittunt Concessionario in Litteris Gratiosis, quod, si obitus eius nuntiatus fuerit, ei specialiter suffragari velint Mortuorum Vigilijs, atque Sacrificijs. Hisce à suffragijs anima defuncti cuiusdam, aliorum negligentia retardata, quæ in viuis Litteras Gratiosas impetrauerat, Dei permissione apparuit Consanguineo suo, qui dictas Litteras suo scrinio inclusas tenebat, eumque acriter increpuit, quòd fuit tam obliuiosus, Litteras eò non detulerit, quò debebat, vt promissa suffragia consequi valeret.* 628.

*Alexander VI. concedit Medicis ordinarijs Monasteriorum Fratrum Minorum eadem priuilegia, & gratias, quibus fruuntur Syndici, & Procuratores. Hi autem Indulto Iulij II. gaudent participatione bonorum spiritualium Ordinis, ac Filiatione Spirituali. Sub nomine Medici hic probabiliter venit etiam Chirurgus, cùm chirurgia sit pars Medicinæ.* 315. 316.

*Alexander Episcopus Foroiuliensis, Nuntius Apostolicus Sixti IV. cum potestate Legati de Latere, confirmat confraternitatem, & Statuta Sanctissimi Rosarij, declaratque vnumquemque huius Confraternitatis participem esse omnium bonorum spiritualium, quæ à quolibet Confratre, aut Sorore per totum mundum fient.* 57.

*Amicus Dei, atque in statu gratiæ, necesse est, vt sit ille, pro quo satisfit: in hoc porrò statu existens, participat fructum satisfactorium, quin quidquam de hac re resciat, & absque vlla alia dispositione actuali, dummodo illo opus habeat; ad hoc enim sufficit sola virtualis & implicita generalis acceptatio, quæ semper supponitur in omnibus.* 224.

*Amicitia, & Societas Spiritualis fundata in vnione charitatis, est Communio generalis totius Ecclesiæ, & particularis, quæ fit per Litteras Gratiosas.* 63.

*Anima ex Purgatorio liberatur, quin is, qui eam liberat, de Anima Purgatorij cogitet.* 90.

*Animæ Purgatorij capaces sunt Filiationis Spiritualis Ordinum.* 84.

*Anima ex Purgatorio quoties liberari valeat per Indulgentias Stationum Vrbis Romæ.* 550.

*Annos quinque Indulgentiarum, totidemque quadragenas concedit quolibet die* Paulus V. *cuiuis Religioso degenti in suo Monasterio, ac dicenti quinquies,* Pater, & Aue, *ante Altare suæ Ecclesiæ, siue maius illud sit, siue aliud inferius, iuxta cuiusuis beneplacitum: hanc orationem peragere potest, stans in Choro, dummodo intentionem suam dirigat ad Altare. Eandem Indulgentiam concedit Prædicatoribus, & Lectoribus, qui existentes in via, aut extra Monasterium cum licentia Superiorum, dicta quinque* Pater, & Aue *recitauerint, ante quoduis Altare.* 434.

*Anni, ac dies Indulgentiarum, qui à Pontificibus conceduntur, quantam pœnam remittant in Purgatorio, & quomodo hæc res intelligenda.* 549.

*Annos sexaginta Indulgentiarum, totidemque quadragenas concedit* Paulus V. *omnibus Religiosis, qui per integrum mensem quotidie spatio dimidiæ horæ orationi mentali vacabunt & vltima Dominica mensis confessi atque communicati fuerint. Hæc Indulgentia secundùm aliquos acquiritur, licèt vnico die oratio mentalis intermittatur: iuxta opinionem tamen Authoris non acquiritur, cuius assertio quadam temperatur limitatione.* 435.

*Annos tres Indulgentiæ, totidemque quadragenas concedit* Paulus V. *omnibus Religiosis, qui corde contrito ac pœnitenti se de suis culpis, peccatis, atque imperfectionibus in Capitulo accusauerint, spiritualiter quoque communicauerint, & actum aliquem virtutis exercuerint. Religiosis, qui vsum Capituli non habent, sufficit, vt id præstent in loco ad talem actum deputato, qui quoad talem accusationem propriarum culparum debet esse locus pius, & religiosè constructus* 419. 420.

*Anno Sancto, siue tempore Iubilæi non suspenduntur Indulgentiæ pro articulo mortis concessæ.* 391.

*Anno Iubilæi expirato, Indulgentiæ, quæ per Gratiosas antea communicabantur, reuiuiscunt: idem dic de concessis durante Anno Iubilæi.* 278.

*S. Anselmus Episcopus Cantuariensis, per litteras communicat Frodelindæ, præterita sua bona opera.* 334.

*Antiqua est consuetudo Sacrarum Stationum, quandoquidem à temporibus Apostolorum deriuat, teste* Sixto V. *Primus tamen, qui eas in modernum ordinem redegit, & cuilibet diei septem annorum Indulgentias concessit, fuit S. Gregorius Papa: post quem deinde plures aliæ (at non plenariæ) à Successoribus concessæ fuerunt.* 545. 546.

*Antiquæ Indulgentiæ, quæ à* Paulo V. *reuocatæ sunt, non fuere restitutæ Clericis Regularibus Theatinis per amplissimam Confirmationem Priuilegiorum factam à* Gregorio XV. *ex certa scientia, ac plenitudine potestatis.* 386.

*Anto-*

*Antonius Ruteus consilium dat Religiosis Subditis, vt nonnunquam renouent generalem suam intentionem, qua Prælatis suis reliquerunt liberam dispositionem suorum bonorum operum, atque satisfactionum. Prælatos quoque hortatur, vt & ipsi, cùm Litteras Gratiosas elargiuntur, applicent actualiter bona opera suæ Congregationis.* 249. 250. *probatur tamen, consilium hoc non esse necessarium, neque etiam secundùm doctrinam huius Authoris.* 251.

*Antonius Ruteus perperam asserit, non inueniri Authores, qui affirment, participationem per Gratiosas extendi ad communicationem fructus satisfactorij bonorum operum Ordinis; cùm tamen plures hoc attestentur, qui referuntur.* 233. 234. 235.

*Apostoli Gratiosas participationes practicarunt.* 60.

*Applicando quis proprias satisfactiones alijs, sibi adauget meritum gloriæ, ac vitæ æternæ, quod multo maius est, quàm pœnæ propriæ exsolutio.* 236.

*Applicantur per Gratiosas satisfactiones, quæ proueniunt à futuris pœnalibus bonis operibus Ordinis; & per Indulgentias communicantur præterita satisfactiones Christi, & Sanctorum, quæ actualiter iam reposita fuerant in thesauro Ecclesiæ.* 278.

*Applicantur per remissionem pœnæ, quæ fit mediantibus Sacramentis, & Sacrificijs sola Satisfactiones Christi, non autem superabundantes satisfactiones Sanctorum, quia talis fuit Christi intentio.* 345.

*Applicatio Sacrificij Missæ Subditi alicuius, quæ fit à Superiore, quomodo explicetur, & intelligi debeat, cùm absolutè dependeat à solo Subdito, vtpotè actio ipsius personalis.* 247. 248.

*Applicatio Sacrificij Missæ, est actus Ordinis, & dependet à sola voluntate Ordinati.* 266. 267.

*Applicatio operantis necessariò requiritur, vel expressa, vel implicita saltem, ad hoc vt fructus satisfactorius alij applicari possit: hæc autem applicatio supponitur in Religiosis Subditis, quantum sufficit, vt ipsorum Prælati realiter, & cum effectu, benè disponant de illo fructu, & formaliter per Gratiosas eum communicent.* 340.

*Applicatio bonorum Operum: Oratio mentalis, &c. Sunt actus merè Spirituales, & interni, videtur proinde, quòd, vt tales, non possint à Prælatis Regularibus imperari, neque per Gratiosas communicari alijs absque consensu propriorum Subditorum; cùm nulla admittatur potestas humana, neque etiam Ecclesiastica, quæ præcipere possit actus internos, & insensibiles.* 255.

*Applicatio satisfactionum per Litteras Gratiosas, fit ex bonis spiritualibus Religionis, quæ non sunt infinita: satisfactiones autem, quæ communicantur per Indulgentias, scaturiunt ex thesauro Ecclesiæ, qui est inexhaurribilis ac indeficiens.* 278.

*Applicatio, & intentio virtualis, admittitur etiam in Sacramentis, & Sacrificio Missæ.* 251.

*Applicatio generalis, quæ prouenit ex sola radice charitatis, non sufficit absque speciali applicatione operantis, ad satisfaciendum per opera pœnalia ipso iure & facto pro peccatis alienis: aliàs sequeretur, quod quàm primùm peccator iustificatus est, atque in gratiam restitutus, absolutus pariter esset ab omni reatu pœnæ peccatis suis debitæ, quod dici nequit.* 219.

*Applicatio particularis bonorum operum, non diminuit fructum vniuersalem Communionis Sanctorum.* 225.

*Applicatio sola interna Operantis, necessaria est pro participatione actiua, & passiua bonorum operum satisfactoriorum, non tamen necessariò requiritur externum aliquod sensibile signum.* 83.

*Applicatio virtualis, & interpretatiua bonorum operum ad mentem Superioris, durat eousque in Subdito, donec ab ipso reuocetur: & si eam reuocauerit, poterit reassumere illam, vt de nouo duret pro semper, vel donec denuò reuocetur.* 251.

*Arcana, & secreta cordium, Deo solo nota sunt, atque patentia, & ipse solus ea indicare potest.* 259.

*Articulus mortis verus, quisnam sit, & quomodo distinguatur à præsumpto, qui confundi solet cum periculo mortis.* 407.

*Associantes & associati alicui Ordini per Gratiosas reciprocè communicant inuicem in meritis, & bonis operibus.* 364.

*Associati per Gratiosas alicui Ordini (vi quarum gaudent cum alijs Religiosis communicatione Indulgentiarum) si illius Ordinis Ecclesias visitauerint, poterunt lucrari Indulgentias illis concessas.* 598. *quidquid in contrarium dicat Peyrinus, qui negat communicationem Indulgentiarum inter Ecclesias Regularium, quæ tamen euidenter probatur.* 599.

Associa-

*Associatus per Gratiosas alicui Ordini, participat non solùm de fructu satisfactorio Religionis associantis, sed etiam de fructu proueniente ab omnibus operibus pœnalibus, quæ fiunt in omnibus Religionibus, & alijs pijs locis per totum Orbem, idque ex concessione Pontificia.* 57. 347.

*Assumptus ad participationem bonorum spiritualium Religionis, vocatur eiusdem Filius adoptiuus, quia eum respicit vt Mater; vocatur & Frater, respectu Religiosorum eiusdem.* 16. 17. *Id controuertitur à quopiam acriter, sed refutatur.* 12. 13. 14. 15. 16.

*Assumptus ad participationem bonorum spiritualium Religionis, dat, & recipit.* 16. 17.

*Assumptus solùm mentaliter in Filium spiritualem Ordinis, si præscripta adimpleat, licèt nullam habeat notitiam de Indulgentijs, neque intentionem eas acquirendi, lucrabitur tamen. à num.* 88. *vsque ad num.* 102.

*Auarus spiritualiter est, ac parum generosus, qui recusat applicare alijs fructum satisfactorium suorum operum pœnalium, excusatione propriæ indigentiæ.* 263. 264. 265.

*Augustissimi Imperator, & Capita coronata, magna sollicitudine, ac æstimatione procurarunt Filiationem Spiritualem Regularium.* 51.

*Authores, qui tractant, vel saltem attingunt materiam hanc participationis spiritualis.* 59.

*Authores inter se diuisi sunt circa opinionem de communicatione satisfactionum bonorum operum Ordinis ex instituto Regulæ factorum; dum volunt aliqui: communicari solummodò superabundantes; alij verò aiunt, etiam illas communicari, quibus Religiosi pro seipsis opus haberent: & quod hæc communicatio non sit contra charitatem.* 235.

*Authores, ac libri, qui recensent Indulgentias, quas lucrantur, qui Ecclesias Regularium visitant.* 543.

B

*Basilica Lateranensis, tantis abundat Indulgentijs à Summis Pontificibus ei concessis, vt sint innumerabiles, teste Papa Bonifacio IX. qui dixit, eas Deo soli notas esse, seque eas omnes confirmare.* 440.

*Basilica Sacrosancta Lateranensis, prima est ex septem Vrbis Ecclesiis: antiquitus dicebatur Basilica Saluatoris, modò communiter vocatur S. Ioannis in Laterano, seu Lateranensis Basilica, cur?* 571.

*Baptismus secundus est Solemnis Religiosa Professio: & sicuti primus Baptismus virtuali pollet intentione, vt satisfactiones baptizato non necessaria, nec alteri applicatæ, deuoluantur ad thesaurum Ecclesiæ: ita secundus pariter in Religioso est fundamentum & radix virtualis intentionis, vt opera ipsius bona ex instituto Regulæ exercita, applicentur ad mentem Superioris.* 262.

*Beati suis orationibus, impetrant, non autem merentur, & cur hoc?* 216.

*Beati iuxta quosdam, mereri possunt, tam pro se, quàm pro alijs, de congruo: contrarium autem tenetur ab omnibus Theologis, & reipsa affirmandum est.* 216.

*Beatitudinem quilibet intendit per suas operationes, & operatur cum intentione vniuersali, & virtuali, eam consequendi: quapropter quilibet, ratione huius generalis, virtualis, seu interpretatiuæ intentionis, intendit operari modo maximè efficaci, sibique, plurimùm vtili, consequenter cum intentione etiam lucrandi Indulgentias, quotquot potest.* 98

*Benedictiones, multasque gratias Deus concedit Religioni, & Associatis, propter Orationes, ac merita vnius Iusti: protegit etiam, intuitu singularis alicuius Iusti, Deus Religionem, & ei associatos, liberat à varijs, & plurimis malis, quæ peccatis suis promeruerant: præseruat quoque Ciuitates ac Prouincias à grauissimis, quas promerita fuerant, castigationibus.* 364.

*Benefactores Ordinis sunt, atque dicuntur tales etiam post mortem, adeoque tunc quoque consequuntur fructus Spirituales Gratiosa Filiationis.* 626.

*Benefactores Religionum in tres classes distinguuntur, iuxta triplex beneficij genus, scilicet à manu, à lingua, ab obsequio.* 382.

*Benefactores Regularium sunt, qui paupertati eorum suis diuitijs, ac eleemosynis subueniunt. Qui ipsos defendunt ab aliorum iniurijs, liberant à calumnijs, benè de ipsis semper loquuntur, reuerentur, & obsequuntur, Qui illorum iura defendunt, etiam in Iudicio, vt Doctores, Procuratores, Sollicitatores, Aduocati: qui gratis ipsos docent, aut in eorum fauorem scientiam aliquam profitentur, aut artem exercent, nullo sumpto, stipendio, vt Medici, Chirurgi, Notarij, &c.* 382.

*Benefactor est, qui de suo donat, commodat, adiutorium impendit, aut obsequium, qui laudat,*

*laudat, seruit, &c. In ordine ad hæc beneficia, ad tres classes benefactores reducit Cardinalis Caietanus; in quatuor adhuc minutiùs distinguit Peyrinus.* 382.

*Benefactores Ordinis soli, participant Indulgentias Ordinis, quæ communicantur per Gratiosas.* 380. 381. *Qui porrò verè sint benefactores Ordinis, definitur ac distinguitur.* 382.

*Beneficia Principum ac Magnatum decet esse permanentia: nonquidem ex necessitate, sed tamen ex decentia.* 617.

*Bona, seu fructus spirituales, quæ à Prælatis Regularibus, mediantibus Litteris Gratiosis donantur, duplicis generis sunt, nimirum fructus impetrationis, & fructus satisfactionis* 341.

*Bona particularia, tam temporalia, quàm spiritualia, quæ proueniunt à Gratiosis participationibus, enumerantur ac describuntur.* 351.

*Breue Clementis X. quo Theatinæ Religioni facultatem concedit, benedicendi, ac distribuendi Fidelibus Scapularia parua cærulea Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ.* 292. *à quonam hæc Scapularia benedici debeant.* 293. 294. *Ritus quo conferuntur.* 295.

*Bulla authentica est, quæ habet omnia requisita ad sui probationem, vt in foro externo valorem suum obtineat: videlicet, plumbum appensum, Nomen Pontificis in fronte, diem & locum, quo data sit, &c.* 516.

*Bullæ Iubilæorum, atque Indulgentiarum ea parte quæ priuilegia, ac fauores continent, largè interpretari, ampliarique debent.* 623.

*Bullæ, & Oracula authentica, aut non authentica (siquidem inueniantur in publicis Monumentis, & Compendijs) non est dubium, quin faciant certitudinem moralem.* 516.

*Bullæ ipsa Summorum Pontificum conuincunt communicationem Indulgentiarum inter Regulares, quæ etiam referuntur.* 459. *Neque obstat huic communicationi Bulla Indulgentiarum reuocatoria Pauli V.* 464.

C

*Calixtus III. concessit Parentibus Fratrum Minorum, quòd possint sibi eligere Confessarium, à quo absoluantur à culpa & pœna; Hoc Priuilegium per communicationem extenditur etiam ad Parentes aliorum Religiosorum.* 393.

*Cantat Ecclesia Laudes, suffragia, & psalmos ad sepulturam paruulorum, qui tamen ijs opus non habent: id autem fit, quia redundat in Dei honorem, & ipsorum gloriam accidentalem.* 430.

*Capitulum generale, & Prouinciale possunt concedere* Gratiosas, *æquè ac ipsimet Generales, & Prouinciales, cùm superiora his existant, imò ab illis electi, atque creati.* 172.

*Capitulum generale supremam habet potestatem, & penes ipsum residet potestas dominatiua, ac iurisdictio supra totam Religionem, atque ipsummet Generalem. Idem dicendum de Capitulo Prouinciali respectu Prouinciæ, ac Prouincialis.* 172. 173.

*Capitulum generale renuntiare non potest certis quibusdam priuilegijs, quæ concessa sunt omnibus Religiosis totius Ordinis, & cuilibet in particulari; & si renuntiauerit, non subsistit renuntiatio.* 197. *Neque limitare ea potest, aut restringere quoad vsum.* 198.

*Caput supremum totius Ecclesiæ est Summus Pontifex, à quo omnium Prælatorum Regularium potestas deriuat: est enim ipsorum Generalissimus Generalis, æquè ac omnium Religiosorum, cùm ratione Voti Obedientiæ ipsorum voluntates sibi subordinatas, ligatas, ac subiectas teneat, haud secùs, ac ipsis cæterorum Religiosorum voluntates subiecta sint.* 257.

*Cardinalis Protector Ordinis, habet tantùm potestatem Iurisdictionis in illum Ordinem, non autem dominatiuam, quapropter non potest concedere Litteras Gratiosas Religionis.* 161. 162.

*S. Carolus Borromæus decreuit, vt litteræ dimissoriales pro Ordinationibus Clericorum non durarent quoad valores vltra duos, vel tres menses computu facto à die Sacræ Ordinationis.* 614.

*Carmelitani, qui obseruant Regulam mitigatam, cogi non possunt, vt transeant ad Carmelitanos Discalceatos, qui profitentur Regulam reformatam.* 122.

*Carmelitarum & Fulensium Ecclesias visitantes, semper Indulgentiam plenariam consequuntur,* 513.

*Casus reseruatus, etiam Episcopo, si inuincibiliter ignoretur eius reseruatio, non est reseruatus.* 131.

*Causæ communes concessionis Indulgentiarum sunt, adiutorium sanctorum: augmentum Christianæ Religionis: splendor Ecclesiarum &c. quæ causa conueniunt omnibus Ecclesiis, ac Personis Regularibus, quapropter inter* ipsos

*ipsos communicantur.* 482.

*Causa motiua seu impulsiua, & finalis, explicantur, ac definiuntur: assignaturque per doctrinam communiter receptam, & sufficienter fundatam, cur deficiente causa finali, cessset effectus, non autem deficiente causa motiua seu impulsiua?* 640. 641.

*Causæ finali innititur ipsa concessio, gratia, seu Priuilegium, adeoque est de substantia ac forma concessionis: proinde cessante causa finali, cessat concessio quoad effectum suum.* 640. 641.

*Celebrans missam de Requiem quilibet Sacerdos pro Anima Patris sui, vel Matris, aut pro Anima alterius Religiosi ex Ordine, liberat eam ex Purgatorio. Item, si celebrat pro animabus benefactorum & benefactricum Ordinis: pro ijs, qui hospitio recipiebant Religiosos illius Ordinis: pro ijs denique, qui ad Filiationem Spiritualem Ordinis admissi sunt, liberat eorum animas ex Purgatorio.* 393. 394. 395.

*Celebrantes Religiosi tres Missas in Altari suæ Ecclesiæ, à Superiore ad hoc deputato, pro animabus suorum Consanguineorum intra tertium gradum, liberant eas per modum suffragij à purgatorij pœnis; haud secus, ac si Romæ celebrarent in Altari S. Gregorij, aut S. Sebastiani; vbi tres Missæ, lectæ pro defuncto, licet non sint de Requiem eundem habent effectum.* 396.

*Celebrans semper formet conditionatam intentionem applicandi fructum Sacrificij alij, si non sit capax ille, pro quo celebrat. Est consilium istud alicuius Doctoris: limitatur tamen: afferuntur prætereà circa hoc alia doctrinæ, ac plures assertiones variorum Authorum.* 269.

*Chirurgiæ pars est Medicinæ.* 315.

*Christianum obligari ad vitæ perfectionem, quomodo intelligatur?* 126.

*Christus instituit vnicum Thesaurum Ecclesiæ generalem cuius dispensationem commisit Petro, & successoribus illius: non dantur eiusmodi thesauri particulares in Religionibus, Congregationibus, Diœcesibus &c. sed solùm ipse vniuersalis totius Ecclesiæ.* 332

*Christus, ac Deipara Virgo reuelant Vrsulæ Benincasiæ Regulam & habitum Theatinarum Eremitarum.* 283

*Circa adimpletionem operum pro acquisitione Indulgentiarum præscriptorum, quilibet sequi potest opinionem probabilem.* 424

*Clemens VII. Concedit PP. Carmelitis Discalceatis, quòd possint conferre spirituales Ordinis gratias, non solùm Confratribus eorum, qui gestant Scapulare Beatissimæ Virginis, sed etiam ijs omnibus, qui participes fieri desiderant dictarum spiritualium gratiarum. Idem confirmat Gregorius XIII. Comprehenduntur autem sub nomine huius Ordinis bona spiritualia, tam antiquæ Familiæ Carmelitanæ, quam nouæ Therefianæ, ex pacto expresso Capitum vtriusque Ordinis, confirmato à Paulo V. Breui Apostolico.* 57.

*Clemens VII. concedit Generalibus PP. Carmelitarum discale. quòd possint communicare alijs Indulgentias Ordinis.* 379.

*Clemens X. recitantibus Coronam Christi, à PP. Camaldulensibus benedictam, concedit, vltrà plures Indulgentias, etiam participationem bonorum operum Religionum, dummodo talis etiam consueuerit exercere se in pio aliquo opere in Religionibus fieri solito, idque faciat cum intentione huiusmodi participationis.* 57

*Clemens X. concedit Clericis Regularibus Theatinis, quòd possint benedicere ac distribuere omnibus Christi Fidelibus Scapulare Cæruleum Immaculatæ Conceptionis Theatinarum Eremitarum.* 288. *Regulæ, quas obseruare debent, qui istud Scapulare gestare volunt* 289. *Per hanc distributionem communicantur etiam bona spiritualia totius Theatinæ Religionis, & dictarum Eremitarum.* 281.

*Choralis Psalmodia, & communis recitatio Diuini Officij, affert fructum satisfactionis ipsimet Communitati.* 222.

*Collegium Cardinalium, Sede vacante, non habet potestatem dominatiuam supra Regulares, vnde non potest concedere Litteras Gratiosas Regularium.* 157. 158.

*Communis consuetudo Ecclesiæ est recurrere ad Deum per merita præterita Christi, & Sanctorum eius. Quod cernitur etiam practicatum in Sacra Scriptura, & à Sanctis ipsis. Idem fieri solet apud Principes, & Magnates. Tantundem ergo facere poterunt Prælati Regulares per Gratiosas.* 334

*Communicantur per Gratiosas merita de congruo impetrationis bonorum operum præteritorum Ordinis à num.* 234. *vsque ad num.* 337.

*Communicantur inter Regulares tantùm Indulgentiæ perpetuæ, non autem temporales.* 481. *Porrò non communicantur etiam ex perpetuis illæ, quæ Ecclesiæ alicui, aut imagini, ex speciali quadam causa concessæ fuerunt, quæ alteri*

*alteri Ecclesiæ competere non potest.* 482. 599.

*Communicare alteri præterita sua bona opera, per viam meriti de congruo, vel impetrationis, non est ei conferre aliquem effectum eorundem operum, hoc enim non est in potestate hominum; sed est solùm repræsentatio, & applicatio obiectiua.* 337.

*Communicatio bonorum Spiritualium Ordinis, facta per Litteras Gratiosas, est spiritualis adoptio.* 2. 3.

*Communicatio Indulgentiarum intelligitur inclusa in Litteris Gratiosis, licèt expressè in ijs non contineatur.* 375.

*Communicatio bonorum operum datur in Ecclesia Dei inter fideles, estque res de fide certa.* 52.

*Communicatio bonorum operum tripartita distinguitur à S. Thoma.* 83.

*Communicatio, & communio Sanctorum, non restringitur ad solos Fideles Ecclesiæ militantis, sed extenditur etiam ad Ecclesiam triumphantem, & patientem.* 53.

*Communicatio, & participatio bonorum operum inter Fideles, varijs modis fit, & quinam sint illi?* 53.

*Communicatio satisfactionum communium, etiam non superabundantium, quæ à Prælatis Regularibus per Gratiosas fit, non est in destructionem, neque contra charitatem & longè distat ab omni crudelitatis umbra.* 241. 242.

*Communicatio generalis Sanctorum, participatur absque praua intentione, & applicatione, vi solius vnionis, & charitatis.* 80.

*Communicatio particularis bonorum Spiritualium Ordinis, requirit intentionem, & applicationem Prælatorum Regularium, qui ea concedunt. Vi tamen illius multi participantur fructus, absque intentione etiam operantis, qui & recensentur.* 81.

*Communicatio particularis quæ fit à Religionibus per Litteras Gratiosas, explicatur ad normam communionis generalis Sanctorum: hæc radicem habet ex toto corpore Ecclesiæ, illa ex corpore Ordinum Regularium.* 53. *vtraque tamen pro fundamento suæ communicabilitatis habet vnionem, quæ fit per charitatem, vnde & originem trahit.* 63.

*Communicatio spiritualis, quæ fit per Gratiosas, continetur in Communione Sanctorum, velut species in suo genere.* 16. 80.

*Communio Sanctorum comprehendit etiam communicationem thesauri Ecclesiæ.* 53.

*Communio generalis Sanctorum, & Ecclesia, originem trahit ab ipso Deo, à quo & instituta est, vti pariter communio particularis, quæ confertur per Gratiosas.* 110.

*Communio generalis Sanctorum, & particularis Religionum, licèt videantur esse vnum quid, non tamen sunt, sed particularis fundatur in generali, cui gradum aliquem, & differentiam adiungit, & continetur in ea, vt species in suo genere.* 62.

*Communio Sanctorum quid sit, eiusdem fructus naturales, & supernaturales exhibentur.* 225.

*Communitas capax est peccati transgressionis alicuius præcepti, voti, obligationis, &c. adeoque, & satisfactionis capax est.* 222.

*Comparatur Religiosus subditus ad suum Prælatum, velut Pupillus ad Tutorem, vt seruus ad dominum.* 266.

*Compendia Regularium continent multas Indulgentias sæcularibus concessas, qui eorum Ecclesias visitauerint, præcipuè Mendicantium.* 95.

*Conceduntur indifferenter Litteræ Gratiosæ fidelibus vtriusque sexus; Ecclesiasticis & sæcularibus: benemeritis erga Ordinem, vel non: vni soli, aut toti familiæ: Confraternitati, Collegio, Vniuersitati, &c.* 299. 300. *Existentibus etiam in peccato mortali; hi tamen, quousque in tali statu perseuerant, non sunt capaces fructus satisfactorij, sed solius impetratorij.* 301. *Conceduntur quoque alijs Ordinibus Regularibus, quod exemplis demonstratur: huiusmodi concessio extenditur ad Religiosos præsentes, eorumque posteros, ac successores idem die de Confraternitatibus) prout etiam concessæ Coniugatis & eorum filijs, intelliguntur extensa ad natos & nascituros.* 303. 304. 305.

*Concedens gratiam, non mouetur ad concessionem per hoc quòd gratia fit postulata, & expressa per scripturam, cùm subinde hæc ab illo non fuerit conspecta; sed ex notitia rei, quæ postulatur, & in supplicatione exprimitur, vi cuius format gratiosam voluntatem, concedendi, quod postu-*

 latur,

latur, & reapse concedit. 77. 78.

Conceptionis immaculatæ Scapularè cæruleum, quisquis ad mortem vsque gestauerit, Christi promissione specialiter ad bene moriendum iuuabitur. 203.

Concessio, quæ fit, tractu temporis successiuos successiuè etiam sustineri debet à sua causa finali, quapropter hac omninò cessante, cessat pariter concessio, vtpote quæ à sua causa non ampliùs sustinetur, sed ad eum statum deuenerit, in quo nec incipiere potuisset; pari quippe passu procedunt, non fuisse ab initio veram causam, & deinde à causando cessasse omninò. 640. 641.

Concessio Indulgentiarum est contractus quasi innominatus. 85.

Concessio Indulgentiarum, facta viua vocis Oraculo, non reuocatur, neque comprehenditur in reuocatione generali Oraculorum viuæ vocis, facta à Gregorio XV. & Vrbano VIII. 505. vsque ad n. 508.

Concessio Gratiosarum parca potiùs esse debet, quàm liberalis, ne vilescat. 306. item ob alias rationes, & motiua. 307. 308. 309.

Concessio facta fuisse intelligenda est, iuxta naturam rei, quæ conceditur. 92.

Concessio requirit acceptationem, quando transfert dominium rei, quæ conceditur, in concessionarium. 100.

Concilium Constantiense damnat eum, qui dicit, Orationes specialiter applicatas, non magis prodesse, quàm communes; quod idem est, ac damnare eum, qui affirmat, superfluam esse applicationem particularem bonorum Spiritualium per Litteras Gratiosas, stante communi participatione, & communione Sanctorum. 57.

Concilium Constantiense damnat assertionem: quòd superflua sit Filiatio Spiritualis per Gratiosas, dum excommunicat, ac damnat Ioannem Vviclef, qui præter alias suas hæreticas propositiones, etiam hanc enomuit. 56.

Confessio Sacramentalis, facta Sacerdoti, cui Ordinarius solùm verbaliter, fictè, & absque intentione contulit iurisdictionem, valida est. 106. 107.

Confessio Sacramentalis non est necessaria ad lucrandum Indulgentias, ei, qui peccati mortalis sibi conscius non est (cùm hac neque requiratur ad adimplendum præceptum annuæ Confessionis, apud eum, qui tantùm habet venialia) nisi aliunde conslet, eam, iniunctam esse vt opus pium, quod tamen nunquam, aut raro fit, Optimum tamen Consilium est, confiteri. 399.

Confiteri, atque conteri non potest vnus pro alio, neque mereri de condigno; bene autem applicare sua bona spiritualia, ac bona opera applicabilia. 143.

Confraternitates, & Scholæ sæcularium, tam virorum, quàm mulierum, concedere possunt Litteras Fraternitatis, & participationis spiritualis. 280.

Consensus concedentis sufficit pro validitate Gratiæ, absque scriptura, solùm verbaliter expressus. 75. 76.

Conseruator, & Protector Ordinis, conueniunt, ac discrepant in pluribus. 163.

Conseruator Regularium, non habet in eos potestatem dominatiuam, quocircà non potest concedere Gratiosas. 164.

Conseruatoris Regularium, tanquam Personæ Ecclesiasticæ, officium, ac iurisdictio describitur. 163.

Contractus Societatis, & communionis bonorum, est communicatio generalis Sanctorum, & particularis per Gratiosas, quo lucrum spirituale commune redditur. 63.

Contractus quasi innominatus est concessio Indulgentiarum. 85.

Contra legem non habet minus robur dispensatio, quàm desuetudo. 128.

Coronæ, ac Rosaria semper eadem sunt, retinentque easdem Indulgentias, licèt paulatim grana deperdantur, ac eorum loco, alia subrogentur. 303.

Currente anno Iubilæi, possunt Prælati Regulares concedere suas Litteras Gratiosas, cùm hæ non veniant sub nomine Indulgentiarum, quæ tali anno suspenduntur.

Currente anno Iubilæi suspenduntur Indulgentiæ prius per Gratiosas concessæ; atque etiam in Prælatis Regularibus potestas eas communicandi per Gratiosas, durante illo anno, saltem extra Romam, vbi Indulgentiæ suspenduntur. 275. 276.

## D

DEbitum pœnæ, quod ego luere deberem, alij pro me exsoluunt, quin ego id resciam. 92.

Debet desiderari; ac procurari Gratiosa participatio bonorum spiritualium Religionum; id probatur autoritate, ac tioni-

*rationibus.* 643. 644. 645. 646.

*Decretum Alexandri VII. circa Indulgentias Numismatum, Rosariorum, Imaginum, & aliarum rerum benedictarum.* 534.

*Decretum Innocentij XI. solùm reuocat communicationem earum Indulgentiarum, quæ iam olim reuocatæ fuerunt; non autem earum, quæ adhuc in vigore sunt, & quæ imposterum concedentur.* 467. *Neque tollit Religionibus Priuilegium communicandi alijs, Ordinis Indulgentias; imo illud supponit, & tacitè asserit.* 468.

*Delegatio expirat morte delegantis: non autem, quando delegatio est gratiosa, seu data per modum gratiæ, id est, non ordinata præcisè ad exercitium iurisdictionis delegantis, sed secum etiam affert gratiam à delegante factam.* 608. 609.

*Deuotè visitat Ecclesiam, qui eum deuotione intrat, in ea orat, ac deinde exit, quamuis in via indeuotus fuerit.* 417. 418.

*Deuotio qualis requiratur, ad visitandas Ecclesias diebus Stationum, & quid tum obseruari debeat.* 543.

*Diebus Stationum, quando vltra Indulgentiam plenariam habetur alia partialis certorum annorum, dierum, &c. referri debet ad diuersa tempora, diuersos Pontifices, & diuersas concessiones. Potest autem id factum fuisse propterea, quòd si fortè causa concessionis non fuisset sufficiens pro plenaria, saltem obtineretur temporalis à num.* 549. *vsque ad num.* 553.

*Die, quo aliquis canonicè assumit Habitum Regularem, cum intentione illam Religionem profitendi, si verè pœnitens, confessus, ac communicatus fuerit, Indulgentiam plenariam lucrabitur. Quisnam sit hic dies apud eos, qui proprio habitu induti Religionem intrant; præsertim apud P. P. Theatinos, & P. P. Societatis Iesu.* 398. *Non requiritur in tali casu Confessio, nisi quis sibi conscius sit peccati grauis.* 399.

*Dictio* Dumtaxat, *quæ idem sonat, ac solummodo, tantùm, est restrictiua, ac limitans, vnde concludit cum negatione rerum non expressarum.* 522. 523.

*Differentia inter gratiam factam, & faciendam, quòd hæc expirat morte concedentis, illa non.* 604.

*Differt excommunicatus à simplici peccatore, quòd ille sit membrum mortuum, ac recisum à Corpore Ecclesiæ, vnde non participat influentias, neque bona spiritualia totius Corporis: Hic autem, quamuis sit membrum morbidum, est tamen vnitum Corpori, & suo modo participat eiusdem bona spiritualia, eorumque capax existit.* 356.

*Diminuuntur fructus satisfactionis in singulis, quoties augetur participantium per Gratiosas numerus, non autem fructus impetrationis.* 360. 361. 362. 363.

*Diœceses non habent thesaurum particularem, constantem ex satisfactionibus superabundantibus Subditorum, qui dispensari possit ab earum Episcopis.* 332. 333.

*Dispensatio non minus tollit ob ligationem, ac desuetudo.* 128.

*Distinguitur motiuum, à fine, in concessione Gratiosarum. Motiuum est gratitudo, & recompensatio, excluso tamen titulo Institiæ. Finis est Gratia, gloria, & consecutio effectiua bonorum spirtualium, quæ communicantur.* 36. 37.

*Distinctio inter Bullam authenticam, & non authenticam, inter indultum, seu Oraculum authenticum & non authenticum, quæ inuenitur in Priuilegijs Casarubij, potiùs pertinet ad forum externum, quam internum, seu conscientiæ.* 516. 517.

*Distinctio Oraculi authentici, & non authentici, indicata per o, paruum, & O, magnum in Compendio Priuilegiorum Minorum apud Casarubium, quid significet?* 515. 516. 517.

*Distinctio inter impetrationem directam, & indirectam.* 348.

*Diuersum est Priuilegium lucrandi Indulgentias Stationum illis concessas, qui visitauerint Ecclesias Stationales intra, & extra muros Vrbis Romæ, diebus pro Stationibus deputatis; à priuilegio lucrandi Indulgentias Ecclesiarum Romæ, intra, & extra mœnia existentium; hoc enim priuilegium maius est illo, quod probatur.* 544. 545.

*Donatio est gratia: gratia autem perfecta est absque expeditione Litterarum, aut Scripturæ.* 79.

*Duæ Communiones Spirituales dantur in Ecclesia, vna fundatur in Fide, altera in charitate, & Sanctitate. Quinam de vna, aut altera participent, & qui ab vtrisque exclusi sint?* 52.

*Duo requirũtur ad hoc, vt Prælati Regulares possint applicare alijs satisfactiones suorũ Subdito-*

rum; vnum ex parte istorum, vt nimirum sint in continua intentione, saltem virtuali, relinquendi dictas satisfactiones ad dispositionem suorum Prælatorum: alterum, ex parte Superiorum, vt & ipsi effectiuè applicationem faciant. 340.

Duo fideles possunt inter se conuenire, vt quæcunque operatio satisfactoria absque effectu, & inapplicata remanet, transferatur fructus in alterum ex ipsis, quæ conuentio admodum laudabilis est. 345.

Duri nimiùm, rigidique sunt qui, ratione propriæ indigentiæ, recusant ops charitatiuè donare pœnales suas satisfactiones. 263. 264. 265.

E

Ecclesia militans assimilatur Corpori humano, Christus capiti, fideles membris. Explicatur similitudo hæc Corporis mystici Ecclesiæ, cum humano Corpore. 52.

Ecclesia non præcipit actus purè Spirituales, internos, & occultos: id tamen facit, ac facere potest, quando isti sunt circumstantiæ necessariæ actionum humanarum externarum. Et sub hac ipsa formalitate, dicitur etiam, quòd Prælati Regulares, in suis Litteris Gratiosis, disponant de actibus internis suorum Subditorum eosque valeant præcipere. 255. 256.

Ecclesia non solet præcipere actus internos, qui non sunt necessarij ad substantiam actuum moralium externorum; quòd autem id non possit facere, probabiliter falsum est. 259.

Ecclesia, vi potestatis à Christo acceptæ, potest condonare, ac remittere actus internos, non solùm quoad culpam, sed etiam quantum ad pœnam. 259.

Edictum Episcopale, quoad casus reseruatos, debet publicè promulgari, & ad notitiam omnium peruenire ad hoc vt robur, & effectum suum obtineat. 131. 132.

Effectus Communionis Sanctorum cognosci, atque explicari possunt ab effectibus oppositæ excommunicationis. 53.

Effectus Indulgentiæ requirit statum gratiæ, vt dispositionem necessariam, in eo, qui effectum hunc percipere vult. 430. 431. 432.

Effectus idem prouenire potest à duabus causis totalibus, non solùm diuersis, sed etiam eiusdem Ordinis. 404.

Effectus, ac fructus, qui proueniunt à Gratiosis, non sunt æquales in omnibus participantibus, sed crescunt, aut diminuuntur secundùm maiorem, vel minorem dispositionem eorumdem, vti euenit quoque de fructu Sacramentorum. 357. Idem contingere potest ex inæquali intentione Prælatorum communicantium. 358. Item ratione vtriusque partis, & tunc fieri potest, quando Gratiosæ conceduntur causa beneficij. 359.

Electus in Medicum, & Chirurgum Monasterij, an participet de bonis spiritualibus Ordinis? 315. 316.

Electus in Notarium, aut Sollicitatorem Monasterij, hoc solo titulo non fit particeps bonorum Spiritualium Ordinis, nisi insuper à Prælatis eiusdem recipiat Gratiosam Filiationem. 313. 314.

Electus in Procuratorem, Aduocatum, & Doctorem Monasterij, ipso facto, & à Iure immediatè particeps fit bonorum spiritualium eiusdem Ordinis; idque absque alia declaratione Prælatorum; sed per authoritatem, & declarationem Pontificiam, qui hanc gratiam extendit etiam ad Vxores, Filios, ac Filias horum omnium; his pariter conceduntur à Summis Pontificibus aliqua Indulgentiæ. 317.

Electus in Protectorem, & Conseruatorem Ordinis, ipso facto, & à iure immediatè particeps redditur bonorum spiritualium eiusdem Ordinis, authoritate Pontificia, absque alia declaratione, nihil minus ac illi participant, qui Litteras Gratiosas obtinuerunt 310. Id autem verificatur de Protectoribus, & Conseruatoribus omnium Ordinum Regularium. 311.

Elemosyna maior datur pro Missa cantata, quàm pro priuata, quia vltra satisfactionem prouenientem à Missa ex opere operato, acquirit etiam prouenientem ab ipso cantu. 223.

Encomium Associationis ad Religiones per Litteras Gratiosas, vnde summè efficitur desiderabilis. 646.

Energiam impetrandi maiorem habent Orationes, ac suffragia ab vnione, seu vinculo particulari charitatis, quo colligantur inuicem ij, qui inter se communicant, & participant bona spiritualia. 378. 352.

Episco-

*Episcopus, qui in statu peccati grauis concedit Indulgentias, per hoc non peccat grauiter seclusso scandalo.* 302.
*Episcopi habent facultatem, concedendi Indulgentias, iuxta indultum Summorum Pontificum.* 332. 333.
*Episcopi non possunt concedere Gratiosam Filiationem suarum Diœcesium.* 280.
*Episcopi sunt veri Prælati, & Sponsi suarum Ecclesiarum, propter hoc enim gestant Annulum.* 333.
*Episcopus est Ordinarius Regularium in multis rebus, licèt hi ab illius iurisdictione exempti sint.* 165.
*Episcopus non habet potestatem dominatiuam in Regulares, qui priuilegium exemptionis habent, quapropter non potest concedere ipsorum Gratiosas Litteras.* 166.
*Episcopus potest concedere Litteras Gratiosas Monialium sibi subiectarum.* 167. 168. 169.
*Non tamen Indulgentias.* 169.
*Excommunicati sunt exclusi à Communione Sanctorum.* 53.
*Excommunicatus ab homine absolui ab eo solùm potest, à quo fuit excommunicatus, aut ab eiusdem Superiore, aut Delegato.* 188. 189. 190.
*Excommunicatus non est, qui absque concursu suæ voluntatis, & ignoranter occidit Clericum, eum pro tali non agnoscens: subiacet tamen pœnæ externæ à legibus taxatæ.* 259.
*Exemplum de milite, qui Animæ fratris sui donauit merita, quæ septem annorum spatio acquisierat, ac omnibus Sabbathis in honorem Beatissimæ Virginis ieiunauerat.* 278.
*Exhortatio ad Religiosos indisciplinatos, & parum exemplares (qui lacrymabilis causa sunt inenarrabilium malorum toti Corpori Religionis) vt legant librum perdoctum, ac eruditum* P. Ioannis Baptistæ de Lezzana, *cui titulus* Reformatio Regularium, seu de Disciplina Religiosa: *indeque confusionem salutarem hauriant, videntes, quanta à Sanctis Patribus, & Sacris Doctoribus, aduersus eos exaggerentur.* 354.
*Existens in peccato mortali, participat per Litteras Gratiosas de solis fructibus impetrationis, non autem satisfactionis.* 356.
*Expeditio Litterarum, non continet complementum aliquod gratiæ subsignatæ, & subscriptæ; sed prodest solùm pro foro externo, & vt authenticè de ijs constet; cæterùm gratia statim nanciscitur suum effectum à puncto concessionis.* 72. 73.
*Expulsus iniustè à propria Religione, seu Confraternitate, gaudet nihilominus Indulgentijs, & Priuilegijs eiusdem, cùm absque culpa ijs priuari nequeat.* 618.
*Expulsus in perpetuum à propria Religione, si aliam ingreditur, ac validè in ea profitetur, Indulgentiam plenariam consequitur.* 402. 404.

F.

F*Actum Seraphicæ Matris, Sanctæ Theresiæ.* 332. 333. *explicatur, ac declaratur.* 336.
*Falsum est: Summum Pontificem non posse præcipere, vt Ieiunium, Oratio &c. fiat cum hac, aut illa determinata intentione.* 259.
*Falsum est Gratiosam Filiationem non habere effectum post mortem Concessionarij, nisi hoc expressum in ea sit: falsum quoque est, Gratias, & priuilegia solùm viuis concedi solita esse.* 626. 627.
*Festum principale Ordinis est, quod per totum Ordinem maiori celebratur solemnitate.* 406.
*Fideles, vtpote membra eiusdem mystici Corporis, mutuis officijs, meritis, & satisfactionibus reciprocis, orationibus quoque ac Sacrificijs inuicem iuuant virtute intentionis particularis, quā vnus alterum iuuare intendit: & hic est principalis effectus Communionis Sanctorum.* 53.
*Fideles, sicut possunt mereri vnus pro altero de congruo, per sua bona opera, ita etiam satisfacere per eadem: vt autem quis percipiat fructum de alterius satisfactione, oportet, vt opus ipsum, quo satisfacere prætendit, sit opus pœnale.* 219.
*Fideles habent intentionem, saltem virtualem, vt satisfactiones ipsis superabundantes, nec alijs applicatæ deuoluantur ad thesaurū Ecclesiæ; hæc intentio virtualis, seu interpretatiua fundatur in Sacramento Baptismi.* 262.
*Fideles subinde petunt, vt ipsis applicentur communia Diuina Officia, Vesperæ cantatæ, Matutinum &c. cuius recitatio in obligationem cadit communitatis: quod argumento est, fructum aliquem satisfactorium correspondere Communitati pro Chorali psalmodia.* 222.
*Filiatio Spiritualiter directiua Animæ, & adoptiua per Gratiosas, multùm inter se differunt.* 16. 17.
*Filiatio naturalis Ordinis, non est communicatio spi-*

*tio spiritualis bonorum per Gratiosas.* 2.

*Filiatio spiritualis per Gratiosas consistit in Litteris Participationis, & Communicationis, quas concedunt Prælati Regulares: quapropter vocantur Litteræ Filiationis.* 1.

*Filiatio Spiritualis est secundùm iustitiam, & æquitatem.* 47. *Etiamsi concessa sit ex mera charitate, non autem titulo gratitudinis.* 48.

*Filiatio Spiritualis per Litteras Gratiosas, æquiuoca est cum illa, quæ contrahitur per administrationem Sacramentorum Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, cùm solùm nomen commune habeat.* 1.

*Filiationis Spiritualis vsus deriuatur à principio cuiuslibet Religionis.* 115. 116. 117.

*Filiatio Spiritualis per Gratiosas, deriuat originem suam à nouo Testamento à n.* 110. *vsque ad num.* 114.

*Filiatio Spiritualis communicatur à Prælatis Regularibus per distributionem Litterarum Gratiosarum.* 64.

*Filiatio Spiritualis per Gratiosas deducitur à Veteri Testamento.* 108. 109.

*Filiatio Spiritualis potest obtinere suum effectum absq; vlla forma sensibili, solùm mente à Prælato internè concepta, & à voluntate ipsius communicata.* 80.

*Filiationem Spiritualem, qui confert in Statu peccati grauis, vel recipit, per hoc non committit peccatum graue.* 302.

*Filij naturales Ordinis sunt Religiosi.* 2. 3.

*Forma Ordinis Sacerdotalis, quænam?* 266.

*Forma Gratiosarum, materialiter, quantum ad accidentalem verborum tenorem non est vniformis: benè autem quoad substantiam.* 65.

*Forma Gratiosarum limitari potest à Prælatis Regularibus, at fieri non assolet.* 67.

*Forum externum fundatur in præsumptione falsitatis.* 516. 517.

Fratres Oratorij S. Mariæ de Ghiara *in Ciuitate Veronensi, sub directione Patrum Theatinorum, admittunt plures personas, ad participationem bonorum spiritualium, & suffragiorum, quæ ab ipsis fiunt.* 280.

*Fraternitas Spiritualis efficitur aggregatione per Gratiosas: ideoque nomine Fratris appellatur Ordini Associatus per eas.* 10. 11. 12. 13.

*Fraternitas impropriè (iuxta aliquos) vocatur Filiatio Spiritualis per Gratiosas, quod, & probare contendunt.* 12. 13. 14. 15.

*Fratres Minores S. Francisci, qui profitentur Regulam mitigatam, cogi non possunt ad obseruantiam Rigorosam Patrum Cappuccinorum.* 120.

*Fratres Minores, secundùm quosdam, vi Priuilegiorum, exponere possent in suis Ecclesiis Indulgentias Rosarij: & Dominicani Indulgentias Cinguli S. Francisci; idem possent aliæ Religiones, quæ cum ipsis communicant in Priuilegijs: prout defacto dicitur practicatum fuisse à PP. Minimis in expositione sui Cinguli,* 471. *at reprobatur hæc sententia.* 472. 473. 474.

*Fructus cuiuslibet boni operis facti in Gratia distinguitur in specialissimum, specialem, & generalissimum; explicantur omnes tres.* 225.

*Fructus impetratorius, seu meritum impetrationis, participatur absque diminutione: seu, quod idem est, non diminuitur, quantumuis multiplicentur participantes, tantumdem enim operatur vni applicatus, quantum in singulis, si pluribus fuerit applicatus; oppositum accidit fructui satisfactorio, hic enim quo pluribus applicatur, eò minorem habet in singulis satisfaciendi virtutem.* 308.

*Fructus maiores, ac specialiores scaturiunt ex communicatione Religionum per Gratiosas, quàm à Generali Communione Sanctorum, & Ecclesiæ.* 61. 62.

*Fuliensium amplissima Priuilegia.* 510. *Ea per participationem habent Mendicantes.* 512.

*Fuliensium, & Carmelitarum Ecclesias visitantes, semper consequuntur Indulgentiam plenariam.* 513.

*Fundatores, & Fundatrices Monasteriorum, vti, & Nati ipsorum vtriusque sexus, participes sunt bonorum spiritualium Ordinis, ipso facto, & iure, authoritate, ac declaratione Pontificia.* 312.

G

*Generales Ordinis Carmelitani, & Patrum Discalceatorum conueniunt inter se Romæ, vt in omni loco, vbi Patres Carmelitani erexere Congregationem Beatissimæ Virginis, possint Patres Discalceati ibi dare Scapulare benedictum, & admittere ad participationem Indulgentiarum, & gratiarum spiritualium Ordinis Carmelitani. Quod laudauit, & suo Breui approbauit Paulus V.* 57.

*Sanctæ Gertrudi, ob transcriptas, Animabus in Purgatorio suas satisfactiones, ac propterea de propria Anima sollicitæ, Christus centum pro vna satisfactione promittit, aliasque largitur gratias.* 238. *Eidem pro certa Anima, sua bona opera offerenti, Christus omnia duplicata*

*plicata restituit, 243. Consimilem charitatis actum exercuit P. Hernandus Monsoius è Soc. Iesu,* 242.
*Gratia, est donatio, hac in suo esse perfecta est, absque expeditione Litterarum, aut scripturæ.* 79.
*Gratia spiritualis multos in anima operatur fructus licèt is, qui eam recipit, non sciat,* 90.
*Gratiosa concessa Religioni, Monasterio, Confraternitati &c. (nisi constet contrarium de intentione concedentis) semper intelliguntur extensa ad posteros, & successores, licèt in ijs non habeatur clausula:* Vobis & successoribus vestris *aut alia æquiualens.* 303.
*Gratiosa concessa personis Coniugatis, & eorum filijs, intelliguntur extensa ad filios natos, & nascituros, etiamsi de nascituris in specie nihil dicatur: si autem filiorum nulla prorsus fiat mentio, hi non participant de bonis spiritualibus Ordinis.* 304. 305.
*Gratiosa P. Abbatis Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium.* 21.
*Gratiosa Congregationis Cassinensis, aliàs S. Iustinæ de Padua, Ordinis S. P. Benedicti.* 22.
*Ministri Generalis Ordinis Prædicatorũ.* 23.
*Ministri Generalis Ordinis S. Francisci, Minorum Conuentalium.* 24.
*Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum.* 25
*Prioris Generalis Ordinis Seruorum.* 26.
*Correctoris Generalis Ordinis Minimorum.* 27.
*Præsidentis, ac Definitorum Capituli Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ.* 28.
*Abbatis Generalis Oliuetanorum.* 29.
*Ministri Prouincialis Ordinis S. Francisci de Obseruantia.* 30.
*Ministri Prouincialis Ordinis S. Francisci Obseruantiæ reformatæ.* 31.
*Præpositi Generalis, Societatis Iesu.* 32.
*Præpositi Generalis Clericorum Regularium Congregationis Somascha.* 33.
*Præpositi Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum.* 43.
*Præpositi Generalis Clericorum Regularium Theatinorum.* 64.
*Prælatorum Generalium Ordinis Eremitarum S. Augustini.* 11.
*Superiorum Ordinis Cappuccinorum.* 1.
*P. Bordoni Generalis Tertij Ordinis Sancti Francisci.* 74.
*Prioris Generalis Religionis B. Ioannis Dei.* 185. 186.
*S. Francisci de Paula.* 38.
*Alia eiusdem Sancti.* 42.
*Gratiosa Filiatio, vtpote gratia, & beneficium Prælatorum Ecclesiasticorum, debet esse durans, ac permanens; non tamen ex sua natura irreuocabilis.* 617.
*Gratiosa Filiatio finitur per reuocationem, potestque reuocari.* 615. *Et si reuocatio actualiter fiat, non est necessarium, vt ad notitiam eius perueniat, qui illa priuatur; sufficit enim, vt Prælatus solo interno actu voluntatis eam reuocet, absque alio signo sensibili, aut externo.* 616. *Verum tamen est, quòd huiusmodi reuocatio nunquam fiat, neque fieri debeat à Prælatis, saltem absque grauissima causa. Si quis verò absque tali causa id faceret, peccaret certè grauiter; neque vllum effectum talis reuocatio apud Deum haberet.* 618.
*Gratiosa Filiatio non finitur morte Concessionarij, cùm ipsum iuuet etiam in Purgatorio, si indigeat, vel capax sit.* à num. 621. *vsque ad num.* 628.
*Gratiosa Filiatio simpliciter absque limitatione concessa, & sine temporis restrictione, ex sua natura est perpetua.* 621. *Cùmque gratia sit, ampliari debet, atque extendi illius valor, & effectus etiam vltra mortem Concessionarij; & tribui esse atque effectus, quantum ei conuenire possunt.* 622. *ac latissimè interpretari.* 623.
*Gratiosa Filiatio, solùm verbaliter concessa absque Litteris, valorem suum, atque effectum nanciscitur.* 75. *quod demonstratur.* 76. 77. 78. 79.
*Gratiosa Filiatio non agnoscit aliam causam efficientem præter voluntatem Prælatorum Regularium, qui eam concedunt,* 71.
*Gratiosæ Litteræ statim prosunt, vbi à Prælato Regulari fuerunt signatæ ac concessæ.* 72. 73.
*Gratiosa Filiatio, tota est ordinata ad interna, ideò contra eam non obstat, quòd Voluntas mente retenta nihil operetur,* 102. 103.
*Gratiosæ participationes, vtpote Animabus fauorabiles, ampliari debent, lateque interpretari.* 303. 304.
*Gratiosa littera, via ordinaria petuntur immediatè, aut per alium, à Prælatis Regularibus; subinde autem Magnatibus, ac benemeritis spontaneè conceduntur.* 306.
*Gratiosa duplicem respectum habent, vnum ad concedentem, alterum ad concessionarium.* 603.

*Gratiosæ, essentialiter requirunt intentionem concedentis.* 106. 107.

*Gratiosæ extortæ, vel subreptitiæ, vel cum violentia, à personis indignis, & immeritis, concedi possunt purè materialiter, nempe absque intentione communicandi bona spiritualia in iis comprehensa.* 104.

*Gratiosæ, quæ expressis terminis* in vita & morte *concessæ sunt, cuiusmodi plures cernuntur, extra controuersiam opitulantur in Purgatorio. Quæ autem expressè taliter non fuerunt concessæ, iuxta opinionem cuiusdam expirant quoad valorem post mortem Concessionarij, nec prosunt ampliùs in Purgatorio.* 619. 620. *At nos hanc controuersiam absolutè incontrarium decidimus à n.* 621. *usque ad num.*628. *inclusiuè. Imò ex eo, quòd defacto nonnunquam à Prælatis Regularibus cum tali clausula conferantur, quòd etiam post mortem prosint; concludendum est semper eis inesse talem clausulam, etiamsi claris verbis non exprimatur; indeterminatio enim istarum modificatur, ac determinatur ab illarum determinatione.* 622.

*Gratiosæ apud Conseruatorem Regularium non finiuntur, cessante ipso ab hoc officio, neque quoad participationem Indulgentiarum; maximè cùm, pro maiori securitate, possit in alio genere fieri benefactor.* 630.

*Gratiosæ non finiuntur Morte Medici, aut Chirurgi Monasterij, dum alij ipsorum loco eliguntur.* 633.

*Gratiosæ perseuerant apud Procuratorem, Aduocatum, & Doctorem Monasterij, etiam postquam alij ipsorum loco electi sunt.* 631. *Maximè si ab hoc munere cessent propter impotentiam, ex legitima causa, vel post diuturnum seruitium. Neque cessant quoad participationem Indulgentiarum, cùm in alio genere possint fieri benefactores Ordinis. Quando autem cessaret ab assistentia, vel defensione Monasterij, statim postquam eam assumpsisset, neque ullum seruitium Monasterio præstitisset; in tali casu cessaret quoque Gratiosa participatio bonorum Ordinis, ob voluntatem concedentis taliter præsumptam.* 632.

*Gratiosæ non expirant, expirante Officio concedentis.* 610. 611.

*Gratiosæ non expirant per hoc, quòd Litteræ post mortem Concedentis primùm tradantur; si tamen ab ipso adhuc viuente iussa fuerint dari, à num.*605. *usque ad n.*609.

*Gratiosæ non desinunt morte Concedentis*, 604.

*Gratiosæ non liberant à debito pœnæ iniunctæ exsoluendæ; quomodo per Indulgentias à tali debito quis liberetur?* 278.

*Gratiosæ nihil valent absque intentione concedentis, cùm essentialiter ab ea, tanquam à causa adæquata dependeant.* 104. 105.

*Gratiosæ sunt perpetuæ, etiam in Ordine Minimorum, contra Peyrinum eiusdem Ordinis Scriptorem.* 614.

*Gratiosæ Regularium, ob ingentem fructum spiritualem, quem afferunt, præcipuè remissionis pœnarum, auidè desiderari, ac procurari debent; id consulunt Doctores; imò addunt aliqui, nonnunquam pro pœnitentia iniungendum, ut eas procurent, quatenus illarum virtute sibi facilitent pœnarum remissionem.* 309.

*Gratiosæ Regularium suffragantur etiam post mortem licèt id conceptis verbis non exprimatur.* 236. 237.

*Gratiosæ, an quoad effectum desinant, si benefactor talis esse desinat? id affirmat quidam Author.* 635. 636. *at oppositum à nobis asseritur, non solùm si in uno genere benefactor esse desinat, & in alio incipiat, sed etiam si totaliter benefacere cesset.* 637. 638. *& in hoc ultimo casu amittit solummodò participationem Indulgentiarum.* 642. *Non deperit autem Filiatio Spiritualis, quòd demonstratur.* 639. 640. 641.

*Gratiosæ appellantur Litteræ Filiationis Spiritualis, quia gratis conceduntur, ex liberali donatione, ac gratiosè; quia cùm res spiritualis sit gratis dari debet; item quia dantur in remunerationem, ac gratiarum actionem, pro eleemosynis, & charitatiuis subsidys.* 18. 19. 34. 35.

*Gratiosæ Litteræ, manifestantur quidem sensibilibus characteribus; illarum autem essentia, & efficacia non dependet ab externo signo, sed solùm à voluntate Prælati, eas concedentis.* 102. 103.

*Gratiosæ Spirituales ab origine iam sua magni æstimatæ sunt; ita ut singulari deuotione, ac magnis precibus expetitæ fuerint, non solùm à Magnatibus, & principibus Personis utriusque sexus, sed etiam à Regibus, ac Imperatoribus.* 309.

*Gratiosæ ab omnibus supponuntur in perpetuum concessæ; neque unquam aliquis earum renouationem aut confirmationem expetyt, vel ob mortem concedentis, vel quod officium eius exspirarit; sed ubi semel acquisitæ sunt, seu gratia indefinitè concessa, aliud non requisitum fuit.* 610. 611.

Gra-

Gratiosæ Theatinorum, & Carmelitarum, in fronte præseferunt communicationem Indulgentiarum Ordinis. 85.

Guardiani laici subinde fuerunt apud F. F. Minores. 191.

H

Habitualis, & interpretatiua intentio, ac voluntas lucrandi Indulgentias, sufficit absque actuali. 88. 89.

Habet quilibet vniuersalem, ac generalem intentionem acceptandi Indulgentias, easque vult acceptare. 100.

Habere semper debent fideles in applicatione suarum satisfactionum plures intentiones, quibus eas applicent aut sibi ipsis, aut alteri certæ personæ, cui (si hac fortè non indigeret, aut incapax foret) substituenda erit alia vel ex viuentibus, vel ex defunctis; anima enim in Purgatorio semper huius effectus sunt capacet. 345.

Homo iustus potest mereri de condigno, & de congruo: peccator solùm de congruo: Iustus de condigno solùm pro se potest mereri: de congruo autem tam iustus, quàm peccator, & pro se, & pro alijs: suppositis semper necessarijs conditionibus, ad vtrumque meritum. 217.

Homo resurget idem, qui fuit, dum viueret, & moreretur. Quomodo hoc fieri possit, cùm caro naturalis continuò consumat substantiam carnis, ac sanguinis nostri? 303. 304. 305.

Homo Sanctus plus impetrat à Deo, quàm peccator. Item preces, & pœnitentia plurium personarum magis Deum mouent, quàm vnius solius. Neque Deus aequali facilitate concedit gratiam magnam, ac paruam. 364.

I

Immaculatæ Conceptionis Scapulare cæruleum, quisquis ad mortem vsque gestauerit, Christi promissione specialiter ad bene moriendum adiuuabitur. 283.

Impœnitens, absolutè loquendo, non est, qui quamuis pro pœna peccatis suis debita satisfacere possit, id tamen negligit. 220.

Impetratur subinde plus per viam liberalitatis, & congruentiæ, quàm per viam iustitiæ. 352.

Impetratio, & meritum de congruo, iuxta aliquos inter se distinguuntur: communiori tamen sententia pro eodem habentur, & distinguuntur solùm ratione aliqua extrinseca. 216.

Impetratio particularis non semper habet effectum infallibilem. 225.

In communicatione, quam faciunt Prælati Regulares, satisfactionum communium sui Ordinis per Litteras Gratiosas, interuenit misericordia, & iustitia, sicut in iuridica absolutione, quæ fit per Indulgentias, non tamen est absolutè loquendo, propriè Indulgentia. 375.

In concessione Indulgentiarum non transfertur aliquod dominium in concessionarium. 100.

In Ecclesijs, pro Stationibus, deputatis, habentur in ipsis Stationum diebus Indulgentiæ, quæ non sunt Stationales, siue, vltra eas, quæ sunt concessæ pro Stationibus. 545. 546.

In Indulgentijs applicantur satisfactiones in thesauro Ecclesiæ repositæ, quas postmodùm quisque pro suis debitis offert: quod tamen non semper formaliter fit, cùm sufficiat, vt fiat virtualiter, in quantum ipsa Ecclesia eas pro quolibet offert; hæc enim oblatio est virtualis solutio, quæ continet exhibitionem satisfactionis, acceptationem, & solutionem. 101.

Indulgentiam lucratur, eam etiam ignorans. 92.

Indulgentia, quam quis lucratur, multos in anima producit fructus, atque effectus, licèt is, qui eam lucratus est, nullam de ijs habeat notitiam. 90.

Indulgentia, quæ applicabilis est defunctis, conceditur mediante aliquo viuente, qui opus iniunctum exequatur: cùm generaliter loquendo, non concedatur Indulgentia, absque iniunctione operis pij, licèt aliàs non repugnet rationi suffragij, quòd possit concedi absque alio opere viuentis: sicut non repugnat, quòd possit concedi Indulgentia, quin iniungatur vllum opus, si sufficiens modus, ad hoc faciendum, adsit. 430. 431. 432.

Indulgentia, quantumuis plenaria, ac plenissima non liberat animam ex purgatorio, si non adsit causa rationabilis talis concessionis, & liberationis, quæ tamen semper adesse præsumi debet. 432.

Indulgentia ei concessa, qui hoc vel illud pium opus determinato die persoluerit, si tamen confessus, & communicatus fuerit, lucrifieri potest ab eo, qui opus iniunctum persoluerit, etiamsi priori die confessus fuerit ac communicauerit, dummodò sit in statu gratiæ. 400.

In-

*Indulgentia concessa fidelibus non comprehendit defunctos, cùm nomine fidelium solùm intelligantur Subditi viatores, ac viuentes: tunc autem comprehenduntur etiam defuncti, quando in concessione additur*, etiam pro fidelibus defunctis. 430. 431.

*Indulgentia concessa viuis potest se extendere etiam ad defunctos (si talis fuerit concessio Pontificis) ita vt per vnicam, & eandem actionem viuens & consequatur Indulgentiam pro se, & liberet Animam ex Purgatorio. Quando verò Summi Pontifices concedunt Indulgentiam pro viuis, liberum istis relinquentes, vt eam applicare possint fidelibus defunctis, non potest eam quis & pro se, & pro defunctis simul lucrari, sed diuisim, nempe vel pro se solo, vel pro solis defunctis.* 427. 428. 429

*Indulgentia plenaria, quam concessit Martinus V. & alij Pontifices Fratribus Minoribus pro articulo mortis, vt eis possit applicari à Confessario, complectitur tam verum mortis articulum, quàm præsumptum; hæc Indulgentia communis est omnibus Religiosis. Eandem Indulgentiam concessit postmodum Paulus V. seclusa applicatione Confessarij, omnibus Regularibus, etiam Nouitijs, pro vero tantùm mortis articulo.* 409. 410.

*Indulgentia concessa pro vero articulo mortis, iuxta aliquos obtinetur ab infirmo, quando vicinus est morti; iuxta alios, in ipso instanti quo moritur.* 407.

*Indulgentia concessa pro mortis articulo, absque alia additione restrictiua, intelligitur tam de vero, quàm de præsumpto: & si infirmus eam lucratur, & non moritur, poterit eam denuò lucrari in alio simili euentu.* 408.

*Indulgentiam, quilibet, cui conceditur, acceptare vult, & virtualiter acceptat.* 98.

*Indulgentia consistit in sola remissione pœnæ: ex sua natura non requirit vllum actum ex parte personæ, cui pœna remittenda est, nec intentionem, aut notitiam vllam.* 99.

*Indulgentia septem Altarium, quam aliquæ Religiones pro suis Ecclesiis impetrarunt, extenditur ad omnes alias, tam eiusdem, quàm aliorum Ordinum Regularium, qui eam non expetierunt, licèt in praxi oppositum obseruetur.* 482.

*Indulgentia Portiunculæ, non fuit reuocata à Paulo V. in generali reuocatione Indulgentiarum, quia directè concessa non fuit Religioni, aut Religiosis, sed omnibus Christi fidelibus. Et licèt solis Religiosis concessa fuisset, non tamen caderet sub reuocationem, cùm sit specialissima concessio, & potiùs dicatur à Christo concessa, quàm à Papa: adeoque probabile est, quòd nullus Pontifex eam sit reuocaturus.* 482.

*Indulgentia censenda est concessa fuisse independenter ab eo, qui eam lucratur.* 92.

*Indulgentia valida est, quocunque signo externo, eiusdem manifestatiuo, concessa.* 76.

*Indulgentia est actus iurisdictionis voluntariæ, non coactiuæ, quapropter exerceri non potest, nisi in volentes. Est item species donationis: quare non potest habere suum effectum, nisi acceptetur à donatario.* 98.

*Indulgentia insignis Camaldulensium, quæ acquiritur per psalmum* Exaudiat &c. *maior est illa, quæ habetur per sex* Pater, & Aue. *Per vtramque tamen lucrari quis potest omnes Indulgentias, quæ lucrifieri queunt visitatione Ecclesiarum Regularium, absque actuali earum visitatione.* 598.

*Indulgentia magna, vulgò nuncupata* Exaudiat, *concessa Eremitis Camaldulensibus à Clemente VII. reuocata deinde à Paulo V. de nouo denique ijsdem concessa fuit ab Vrbano VIII. vi cuius lucrantur omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones, quæ lucrifieri possunt in omnibus Ecclesiis, ac pijs locis, non solùm intra & extra Romam, sed etiam per vniuersum Christianum mundum, nullo loco excepto. Hanc eandem Indulgentiam participant etiam alij Regulares, qui communicant cum ipsis in Indulgentijs.* 355. 356.

*Indulgentia Portiunculæ, quæ acquiritur die 2. Augusti Assisii in Ecclesia S. Mariæ de Angelis, non communicatur alijs Regularium Ecclesiis, licèt sit perpetua, neque Ecclesiis Ordinum Minorum.* 482. *Propterea autem non communicatur, quia à Christo Domino Nostro ex speciali gratia ac fauore, præfatæ Ecclesiæ S. Mariæ concessa fuit. Cùm autem postmodùm à Gregorio XV. extensa fuerit in perpetuum ad omnes Ecclesias S. Francisci per specialem ipsius Bullam, ideo communicatur omnibus Regularibus.* 483.

*Indulgentia vltra intentionem interiorem, requirit etiam exteriorem manifestationem concessionis.* 105.

*Indulgentia, ad hoc vt valeat, inter alia requirit causam æquiualentem, & proportionatam suæ concessioni. Et si causa foret improportionata & insufficiens pro Indulgentia plenaria, valeret quidem Indulgentia, non tamen per eam remitteretur tota pœna, sed tanta solùm*

*lùm pars, quæ proportionata sit causæ.* 549. 550. 551.

*Indulgentia pro viuis, & pro mortuis, differunt in modo causandi moraliter suum effectum, vtraque tamen eum causat infallibiliter.* 430. 431.

*Indulgentia per modum suffragij acquisita, non minus infallibilem nanciscitur effectum, quàm illa, quæ percipitur per modum absolutionis; quo posito, disquiritur, cur non frustra plures Indulgentiæ plenariæ vni defuncto applicentur; & cur plures Missæ priuilegiatæ pro vna anima celebrentur.* 432.

*Indulgentiam plenariam lucratur quilibet Religiosus legitimè ordinatus, quando Primam suam Missam celebrat, & omnes alij Religiosi, siue sint eiusdem siue alterius Ordinis, non solùm Sacerdotes, sed etiam Fratres, Nouitij, Tertiarij &c. qui confessi, & communicati, eidem Neomissæ interfuerint, aut eodem die in eadem Ecclesia celebrauerint.* 411

*Indulgentia plenariam lucratur quilibet Religiosus, qui in vero articulo mortis, verè pœnitens, confessus, ac communicatus fuerit; & si istud fieri non possit, saltem contritus deuotè inuocauerit Nomen Iesu ore, si possit, si non, saltem corde; declaratur, hæc Indulgentia, & definitur verus mortis articulus.* 407. 408. *extenditur hæc Indulgentia etiam ad Nouitios.* 409.

*Indulgentiam plenariam lucrantur Nouitij, qui exacto probationis Anno, vero cum dolore confessi, ac communicati, validè, & canonicè professionem emiserint. Idem dic de eo, qui professus vnum Ordinem, transit ad alterum, atque in eo validè professionem facit completo Nouitiatu, aut eo non completo vel per priuilegium, vel ratione infirmitatis. Si autem Professio nulla fuisset propter aliquod impedimentum, hoc sublato, & ratificata professione lucrabitur hanc Indulgentiam non tamen toties, quoties priuatim eam ratificauerit.* 402.

*Indulgentiam plenariam obtinet quilibet Religiosus, qui in suo Monasterio degens, Festo sui Ordinis Principali confitebitur, & communicabit, aut Missam celebrabit, orans pro concordia Principum Catholicorum, &c. explicantur singula particulæ huius Indulgentiæ.* 406.

*Indulgentiam plenariam lucratur quilibet Christianus, qui vesperi dato signo campanæ consuetam trinam salutationem Angelicam recitauerit; eam acquirunt etiam, qui nil de ea sciunt.* 91.

*Indulgentiam plenariam lucratur quilibet Religiosus, qui cum licentia suorum Superiorum ab alijs negotijs se separat, in cella occulit, & per decem dies exercitia spiritualia peragit. Declaratur hæc Indulgentia; ad corporis tamen necessaria cellam egredi non vetatur. Ad octo tantùm dies sequestrationis hanc Indulgentiam reduxit* Alexander VII. *Hæc spiritualia exercitia fieri possunt in omni loco, etiam in domibus sæcularium, Villis, &c.* 412. 413.

*Indulgentiam plenariam concedit* Paulus III. *cuilibet visitanti Ecclesias Societatis Iesu, & ibi recitanti vnicum* Pater & Aue. 422.

*Indulgentiam Religiosis concessam pro Festo principali sui Ordinis, ipsi lucrari possunt in omni loco, etiam extra Monasterium tali die existentes.* 406.

*Indulgentiam plenariam quolibet anno semel lucrari possunt Procuratores Monasteriorum Ordinis Minimorum, eam refert ipsemet S. Franciscus de Paula; extenditur hæc ad omnes Procuratores aliorum Ordinum Regularium.* 312.

*Indulgentia, vt prosit defuncto, requirit determinatam intentionem eam lucrandi pro ipso; sufficit tamen etiam intentio habitualis.* 427.

*Indulgentia in tantum requirit actum aliquem, in quantum conditionatè conceditur, videlicet si opus iniunctum adimpleatur, quod requirit sub titulo satisfactionis, coniungenda cum satisfactionibus thesauri Ecclesiæ.* 99.

*Indulgentia acquiritur, si opus iniunctum adimpleatur, licèt is, qui illud exequitur, nesciat tali operi annexam esse concessionem Indulgentiæ, proinde absque intentione operantis obtinetur.* 92.

*Indulgentia solùm externè concessa, absque interiori intentione, nihil operatur.* 105.

*Indulgentia supplet defectum nostrarum satisfactionum circa pœnas Purgatorij; hæc autem satisfactio percipitur quin intelligatur, sciatur, vel de ea, aut de Indulgentia cogitetur.* 93.

*Indulgentiæ applicatæ post mortem Pontificis, qui eas concesserat, sunt validæ.* 607.

*Indulgentiæ, quas Regulares acquirere possunt pro Animabus in Purgatorio quarum ingens est numerus non fuerunt reuocatæ à Paulo V. in generali reuocatione Indulgentiarum; præter Authores, qui hoc affirmant extat etiam circa hoc Pontificia declaratio.* 392.

*Indul-*

*Indulgentiæ, quas Religiosi lucrari possunt pro defunctis, vel immediatè concessæ sunt defunctis, vel concessæ viuis, cum indulto, quod eas possint etiam applicare defunctis per modum suffragij; ex vtrisque aliquæ concessæ fuerunt per immediatum priuilegium; aliæ viua vocis oraculo; porrò si istæ non comprehenduntur sub generali reuocatione Pauli V. neque etiam comprehendentur in generali reuocatione Oraculorum viuæ vocis.* 515.

*Indulgentiæ, quas Religiosi per modum suffragij pro defunctis lucrari possunt, quænam sint? à num.* 518. *vsque ad n.* 531.

*Indulgentiæ, quæ per Gratiosas communicantur, sunt ipsæmet Ordinis Indulgentiæ.* 383. *Quænam autem sint Indulgentiæ Ordinis, exponitur à num.* 383. *vsque ad n.* 439.

*Indulgentiæ non possunt commodè venire sub nomine priuilegij, & gratiæ, aut tali nomine comprehendi, cum quid totaliter diuersum sint.* 386.

*Indulgentiæ, quæ sunt concessæ Ecclesiæ vnius Ordinis extenduntur, & communicantur omnibus Ecclesijs aliorum Ordinum, qui cum ipsis communicant. Hoc autem intelligitur quoad personas Regulares.* 476. *Non obstat huic rei generalis Indulgentiarum reuocatio facta à Paulo V. in qua reuocauit Regularibus omnes Indulgentias, etiam concessas ad instar, vel per viam communicationis.* 477.

*Indulgentiæ concessæ vni Ecclesiæ Regularium pro sæcularibus communicantur omnibus alijs Ecclesijs eiusdem Ordinis æqualiter, & principaliter, etiam pro ipsis sæcularibus.* 478. *Idem dicendum de Ecclesijs Monialium, vti decisum est à Sacra Congregatione Regnante Clemente X.* 479.

*Indulgentiæ concessæ Parentibus, Cognatis, Benefactoribus, ac Seruis Religiosorum, tam in vita, quàm post mortem in Purgatorio, non sunt reuocatæ à Paulo V.* 393. 394.

*Indulgentiæ concessæ Religiosis, visitantibus proprias Ecclesias diebus Stationum sese extendunt etiam ad plenarias.* 425. 426. *Intelligitur hæc concessio, non quòd quolibet die per totum annum, sed solùm diebus Stationum per dictam visitationem Indulgentias lucrentur.* 433. *extenditur hæc concessio etiam ad Animas in Purgatorio.* 427.

*Indulgentiæ concessæ Medico Monasterij: concessa sunt etiam Chirurgo. Sub nomine enim Medici venit hic probabiliter etiam Chirurgus, cùm Chirurgia sit pars Medicinæ.* 315.

*Indulgentiæ concessæ Ecclesijs Regularium, communes etiam sunt sæcularibus: perseuerat earum vigor etiamnum pro Religiosis: cuius rei declaratio extat Sacræ Congregationis.* 387. 388. 389.

*Indulgentiæ moribundis concessæ, & pro quibus non est iniunctum aliquod opus, ipsis applicari possunt, etiam cùm sensibus iam destituti sunt, licèt prius id non petierint: sufficit enim, vt earum sint capaces, quòd existant in gratia: & si non forent in gratia, non tamen committeretur per hoc aliquod Sacrilegium.* 94.

*Indulgentiæ Regularibus concessæ pro articulo mortis non fuerunt reuocatæ à Paulo V. nec comprehenduntur in illius generali reuocatione Indulgentiarum.* 391.

*Indulgentiæ concessæ Sæcularibus intuitu Religiosorum, non comprehenduntur in reuocatione Indulgentiarum Pauli V. quales sunt concessæ Procuratoribus Regularium, &c.* 387.

*Indulgentiæ, quas Paulus V. concessit omnibus, & singulis Religiosis, vtriusque sexus, cuiuscunque Instituti sint: explicantur, ac resoluuntur dubia circa eadem occurrentia. à nu.* 398. *vsque ad n.* 438. *inclusiuè.*

*Indulgentiæ à Summis Pontificibus concessæ personis spectantibus ad aliquam Religionem, aut intuitu Religionis, extenduntur, & communicantur omnibus alijs personis, quæ similiter ad quoscunque alios Ordines pertinent.* 393. 394.

*Indulgentiæ concessæ Regularibus directè pro Animabus in Purgatorio, non sunt reuocatæ à Paulo V. Illæ verò sunt reuocatæ, quæ quasi indirectè Animabus fuerunt concessæ, id est, directè ipsis Religiosis pro se immediatè, cùm facultate tamen, applicandi, si velint, Fidelibus defunctis.* 397.

*Indulgentiæ concessæ in articulo mortis independenter ab alterius applicatione v. grat. Episcopi, Confessarij, aut alterius Religiosi, intelliguntur concessæ pro vero articulo mortis, & cur?* 407. 408.

*Indulgentiæ Regularium, vt Regularium, sunt illæ, quas concessit Paulus V. in sua Bulla reuocatoria; item quas ipse, vel eius Successores postea confirmarunt, vel de nouo concesserunt.* 439.

*Indulgentiæ Ordinis quæ conferuntur per Gratiosas, sufficit, vt communicentur in genere; illæ solæ in specie, & expressè nominari debent, quæ conferuntur Confraternitatibus,* 540.

*Indul-*

*Indulgentiæ Ordinis duobus modis communicari possunt per Gratiosas: primò applicando ipsis fructum Indulgentiarum, eo modo, quo defunctis applicantur. Secundò, concedendo, quòd admissi ad participationem possint ipsimet lucrari Indulgentias Ordinis, adimplendo præscripta.* 375.

*Indulgentiæ Ordinis non communicantur, nec communicari possunt à Prælatis Regularibus per Gratiosas non Benefactoribus.* 45.

*Indulgentiæ Stationum communicantur per Gratiosas.* 542.

*Indulgentiæ Stationum, taliter nominantur, quia lucrifieri non possunt nisi diebus pro Stationibus deputatis; visitando præscriptam Ecclesiam.* 545. 546.

*Indulgentiæ manifestari debent ratione operis iniuncti, & quia cùm sint contractus, nota debent esse contrahenti.* 102.

*Indulgentiæ S. Caroli Borromæi, & quinque Sanctorum à Gregorio XV. canonizatorum, non sunt reuocatæ.* 529.

*Indulgentiæ Vrbis Romæ, Portiunculæ, Ierosolymorum, & S. Iacobi de Galitia, acquiruntur à Regularibus recitatione sex Pater, & Aue, cum sex Gloria Patri, &c. coram Venerabili Sacramento, aut Altari maiore, pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Summi Pontificis. Inter has Indulgentias numerantur quingentæ triginta tres plenariæ, reliquæ non plenariæ sunt innumerabiles.* 450. *Hæc Indulgentia non est reuocata à Paulo V.* 450. 451. *Quidquid in contrarium dicat* Passerinus. 452. 453. 454.

*Indulgentiæ, quas de facto Regulares per viam communicationis lucrari possunt, quænam sint à n.* 487. *vsque ad n.* 509.

*Indulgentiæ non comprehenduntur sub nomine gratiæ spiritualis, Indulti, seu Priuilegij.* 459.

*Indulgentias non videtur lucrari, earum planè ignarus, quia eas non lucratur, qui opus iniunctum non peragit, & hoc cum intentione, saltem virtuali eas lucrandi, ad quod necessariò supponitur cognitio.* 85.

*Indulgentiæ particulares, quas Summi Pontifices concesserunt Procuratoribus, & Aduocatis Monasteriorum.* 312. 315. 316.

*Indulgentiæ, quæ conferuntur per Gratiosas, sunt imprimis illæ, quas habet Ordo associans, quæ adaptari possunt Associato: deinde, per communicationem, etiam aliorum Ordinum, Congregationum, Oratoriorum, Piorum locorum, Confraternitatum &c. modò iniuncta pro ipsis lucrandis adimpleantur; neque necesse est, vt se inscribi earum Albo permittant, aut cingulum benedictum, vel Scapulare, aut simile quid gestent.* 535. 536. 537. 538.

*Indulgentiæ pro viuis, solis Subditis conferuntur. Litteræ Gratiosæ communicantur etiam non Subditis, nempe Amicis, Benefactoribus.* 278.

*Indulgentiæ Stationum, & Ecclesiarum Vrbis Romæ, & si quæ alia huiusmodi darentur, quæ, vltra plenariam, afferunt etiam aliam non plenariam, qualiter intelligi debeant?* 549. 550. 551. 552.

*Indulgentiæ Stationum, tot, & tot annorum, dierum, & quadragenarum, non sunt accipiendæ secundùm totidem annos, dies, &c. pœnarum Purgatorij, aut alterius vitæ, sed iuxta annos, vel dies pœnitentiæ antiquitus à Sacris Canonibus taxatæ.* 549. 550.

*Indulgentia concessa pro Altari Priuilegiato, aut particulari aliqua Capella, non sunt communicabiles.* 484.

*Indulgentiæ sunt thesaurus pretiosus.* 602.

*Indulgentiæ, Priuilegia, & Gratiæ, à Summo Pontifice alicui Religioni, Monasterio, Confraternitati, &c. concessæ, extenduntur absque limitatione ad posteros, & successores in perpetuum, nisi contrarium constet ex ipsis verbis concessionis.* 303.

*Indulgentiæ remittunt tantùm pœnam, peccatis præteritis debitam: Litteræ Gratiosæ effectum suum principaliter habent pro tempore futuro.* 278.

*Indulgentiæ quæ eodem die pluries obtineri possunt.* 492. 493. 494.

*Indulgentiæ per numismata obtinentur etiam ab ijs, qui earum neque habent notitiam, neque recordantur.* 90.

*Indulgentiæ acquiruntur, quin earum habeatur notitia: posito, quòd opera iniuncta exhibeantur, licèt id fiat ex mera deuotione, absque intentione actuali, aut virtuali, cùm sufficiat, non adesse intentionem contrariam; quod idem est ac dicere, sufficere intentionem habitualem, id est, generalem, & vniuersalem.* 100.

*Indulgentiæ viuis concessæ, obtinent effe-*

*ctum suum per viam iurisdictionis & absolutionis: concessæ defunctis per modum suffragij; ambæ tamen conceduntur per actum potestatis clauium, quandoquidem in vtraque concessione fit æquiualens solutio ex thesauro Ecclesiæ.* 278

*Indulgentiæ sunt contractus quasi innominatus.* 102.

*Indulgentiæ valent tantùm ad remittendum pœnas peccatis debitas: Gratiosæ insuper alios secum afferunt effectus impetrationis.* 278.

*Indulgentiæ, cùm operentur ex opere operato, non autem ex opere operantis, non requiritur, vt preces iniunctæ, magno cum feruore peragantur: sed sufficit, vt oratio sit pia, ac deuota.* 423.

*Indulgentia concedi potest, minimo, imò nullo imposito pio opere.* 441.

*Indulgentia, vt valorem, & fructum suum nanciscatur tria, requiruntur: Potestas in concedente, Gratia in recipiente, & Proportio in causa.* 441.

*Indulgentias concedendi causa multiplex dari potest, vel ex motiuo gratitudinis, pro obsequio Ecclesiæ exhibito: vel per modum medicinæ: vel per modum liberalitatis.* 442. 433. 444.

*Indulgentia, vt validè conferatur; causa concessionis debet esse pia, iusta, & moraliter proportionata illius quantitati.* 445 *Opus pium, quod iniungitur, subinde supplet defectum causæ.* ibidem.

*Indulgentia, quòd non validè conferatur, deficiente causa proportionata, ideo est, quia Pontifex non est absolutus Dominus thesauri Ecclesiæ, sed tantùm dispensator.* 446. *Maior requiritur causa ad elargiendum Indulgentias, quàm ad dispensandum super votis.* 447.

*Indulgentia ex causa insufficiente concessa, valet saltem, in quantum causa est sufficiens: & quoad alias concessiones, verbi gratia, eligendi sibi Confessarium, dispensandi in Votis, &c.* 448.

*Indulgentia semper præsumi debet concessa fuisse ex causa proportionata.* 449.

*Indulgentiæ Stationum Vrbis Romæ, diuersæ sunt ab omnibus alijs Indulgentijs, quæ quolibet ferè die varijs Ecclesijs, etiam Stationalibus, intra & extra Vrbem concessæ sunt.* 547.

*Indulgentiam plenariam semper consequuntur, qui visitant Ecclesias Carmelitarum, & Fuliensium.* 513.

*Indulgentias, quot quis lucrari intendit, toties multiplicare debet orationem, vel opus iniunctum.* 539.

*Indulgentiæ Confraternitatis Sanctissimi Rosarij non fuerunt reuocatæ.* 538.

*Indulgentiarum Summaria aliqua, eò quòd suspensa fuerint, donec sint recognita, non facit, suspensam fuisse aut reuocatam Regularibus facultatem, communicandi alijs suas Indulgentias.* 469. *Nonnulla ex his Summarijs denuò à Sacra Congregatione approbata fuere.* Ibidem.

*Indultum, quod Regulares, Indulgentias, quas participant per viam communicationis, possint lucrari in proprijs Ecclesijs, non est noua concessio Indulgentiarum facta personis Regularibus, sed virtualis tantùm translatio earumdem, & dispensatio quoad locum.* 485.

*Infirmus in articulo mortis pluries percipere potest Indulgentiam plenariam, per inuocationem nominis Iesu, si plures ac diuersas habeat Indulgentias; sed quælibet propriam requirit inuocationem.* 531. 532. 533.

*Informis, & imperfecta est gratia, iuxta stylum Rotæ, ante expeditionem Litterarum; idem dicendum videtur de Litteris Gratiosis.* 69.

*Iniunctum à Pontifice opus ad lucrandum Indulgentiam, cum intentione, saltem virtuali eam lucrandi, adimpleri debet.* 86.

Innocentius X. *non præcepit reformationem Regularium eo modo quo fecit Clemens VIII. in suis Decretis.* 121.

*Innocentius XI. Concessit P. P. Theatinis Indulgentiam plenariam quolibet anno quo exercitia spiritualia per octidui spatium peregerint.* 12.

Innocentij XI. *Decretum solùm reuocat communicationem earum Indulgentiarum, quæ iam olim reuocatæ fuerunt, non autem earum, quæ adhuc in vigore sunt, & quæ imposterum concedentur.* 467. *Neque tollit Religionibus Priuilegium, communicandi alijs, Ordinis Indulgentias,*

*gentias, imo illud supponit, & tacitè asserit.* 468.

*Innumerabiles erant Indulgentiæ, liberalitate Summorum Pontificium, Ordinibus Regularibus concessæ; quæ cùm ob nimiam copiam dubiæ, confusæ, & incertæ sint redditæ, ideò* Paulus V. *reuocauit omnes antiquas, à suis Prædecessoribus concessas personis Regularibus vtriusque sexus, & earum loco concessit nouas, ac certas.* 383.

*Intentio, quæ essentialiter requiritur ad administrationem cuiuslibet Sacramenti, diuersa est ab illa, quam habere debet Ordinarius, dum aliquem approbat ad excipiendum Confessiones.* 106. 107.

*Intentio, qua Sacerdos alicui applicat fructum Sacrificij, non est de illius essentia, cùm consistere possit absque vlla applicatione.* 269.

*Intentio Prælati, quæ alijs applicat bona opera suorum Subditorum, debet extrinsecè dependere ab ipsorum, seu Operantium actuali siue virtuali intrinseca intentione, quæ proinde præualet intentioni Prælati; quamuis etiam Subditus teneatur ad eam concurrere, eique se conformare.* 245. 246. *Ex hoc tamen non arguitur defectuosa potestas ipsorum dominatiua, neque infertur, quòd Superiores Subditis inscijs, & inuitis, non possint per Gratiosas communicare ipsorum bona opera.* 247. 248.

*Intentio Sacerdotis in consecratione est de essentia Sacrificij, & absque ea Sacrificium foret nullum.* 269.

*Intentio solùm extrinseca Superioris, non potest reddere operationem liberam Subditi immediatè applicatam.* 254.

Iulius II. *communicat bona opera P. P. Minimorum, Fundatoribus, & Fundatricibus Monasteriorum: Procuratoribus, & Procuratricibus: Tutoribus, & Tutricibus; & Conseruatoribus præsentibus, & futuris in perpetuum.* 35. 57.

Iulius III. *Communicat Fratribus Charitatis in Vrbe Romana, & Archihospitali Sancti Spiritus participationem bonorum operum omnium Religionum, & aliorum piorum locorum totius Mundi, quæ participatio communicatur omnibus Religionibus, earundemque aggregatis per Litteras Gratiosas.* 57.

Iulius II. *in aliqua sua Bulla declarauit modum, quo Indulgentiæ inter Regulares communicantur.* 470. *Item* Leo X. *alio Priuilegio, ac Bulla, concessa Ordini Prædicatorum.* 471. *Sed iste modus non est redactus in praxin à Regularibus.* 472. 473. 474. *Non tamen inutile est, aut frustraneum istud Priuilegium; fuitque confirmatum denuò ab eodem Pontifice, qui circa illud mentem suam vlteriùs declarauit.* 475.

*Iurisdictio Ecclesiæ, ac Summi Pontificis cadit immediatè supra voluntatem, & supra actus internos; & si præcipit actus externos, ac humanos, in tantum hi cadunt sub præcepto Ecclesiastico, in quantum subordinati sunt voluntati, & ab ea denominantur liberi.* 257

*Iurisdictio præceptiua competit etiam Religioso Laico, ac Superiori.* 191

*Iurisdictio Spiritualis non requiritur ad hoc, vt quis præcipere possit in virtute sanctæ Obedientiæ.* 204.205

*Iusti pœnalibus suis bonis operibus satisfaciunt de condigno & de iustitia, non tantùm pro se, sed etiam pro alijs, idque certo, & infallibiliter.* 220.221

*Iustificatio hominis post peccatum actuale mortale importat remissionem culpæ, & pœnæ æternæ; relinquit tamen plerumque reatum, & debitum pœnæ temporalis, vel in hoc mundo, vel in Purgatorio exsoluendæ.* 219.

*Iustus meretur semper de condigno omnibus suis bonis operibus, liberis, ac supernaturalibus, nullo excepto, siue sint de præcepto, siue de consilio, aut supererogationis.* 215


L


*Legati ac Nuntij Apostolici non habent potestatem dominatiuam in Regulares, seu tantum iurisdictionis, quapropter non valent concedere Gratiosas Regulares.* 156.

*Lex inuincibiliter ignorata non obligat; quocircà promulgatur, vt robur obtineat obligandi.* 131.

*Leges Regulares non habent maius robur, quàm Ecclesiasticæ.* 128.

Leo X. *concedit Minoritis, vt omnes Indulgentias,*

*gentias, etiam plenarias, tam ab ipso, quàm à suis Prædecessoribus concessas, vsque ad annum quartum sui Pontificatus, id est, vsque ad diem 3. Februarij Anni* 1517. *applicare possint defunctis per modum suffragij. Hæc concessio per participationem communis est omnibus Religiosis.* 528.

Leo X. *concedit Patribus Minoritis, quòd frui possint omnibus gratijs, & Priuilegijs ipsis concessis, siue per Bullam, siue per Breue, seu viuæ vocis oraculo, prout habentur in Libris illius Ordinis, haud secùs, ac si omnia specificè Suæ Sanctitati proposita fuissent, quæ etiam pro securitate illorum conscientiæ de nouo ipsis concedit, pro foro tamen conscientiæ tantùm, non autem pro foro externo.* 516. 517.

*Lectio Regulæ rigorosa ad publicam Regularium mensam, non inducit obligationem, eam seruandi, nec interrumpit præscriptionem, & consuetudinem contrariam; legitur enim in ordine ad memoriam, non in ordine ad eius obseruantiam.* 123.

*Liberalitas Dei erga hominem tanta est, vt sæpè non attendat ad proportionem inter causam impetrantem, & effectum, sed solam suam liberalitatem respiciat in conferendis beneficijs & gratijs per aliorum merita.* 364.

*Liber consensus concedentis necessarius est ad concessionem; adeoque hæc procedere non potest, nisi à libera ipsius voluntate, cognitione, & intentione.* 640.

*Littera Filiationis continent Gratiam, quapropter vocantur Gratiosæ.* 68.

*Litteræ Dimissoriales, quæ ab Episcopis conceduntur Clericis sæcularibus, vt in alieno Episcopatu ordinari queant, valent ex sua natura etiam post mortem concedentium.* 612. *Si autem Dimissoriales, quas Prælati Regulares concesserunt suis Clericis, in aliquibus Religionibus expirent morte illorum Prælatorum, aut terminatione ipsorum Officij, id non prouenit ex eo, quòd licet sint gratia, tamen non debeant durare semper, sed quia, vel à Successore reuocantur, vel quia iuxta consuetudinem Religionis censentur reuocatæ.* 613. *Quod in specie vsuuenit apud Patres Minimos.* 614.

*Litteræ Gratiosæ Prælatorum Generalium Ordinis Carmelitani, intitulantur Litteræ Filiationis.* 1.

*Littera Gratiosa esse suum perfectum, ac valorem habent, quàmprimùm à Prælatis, qui eas concesserunt, subsignatæ ac subscriptæ fuerint: Vnde antequam expeditæ, ac receptæ sint, habent suum effectum; idque probatur.* 70. 71. 72. 73. *Nisi vsus, aut declaratio aliqua in contrarium existat, qualis reperitur in Litteris Gratiosis P. Bordoni Generalis tertij Ordinis S. Francisci.* 74.

*Litteræ Gratiosa debent habere à principio Titulum dignitatis Prælatorum, qui eas concedunt; debent esse firmatæ propria ipsorum manu: sigillatæ proprio sigillo: subscriptæ ab ipsorum Secretarijs; cum expressione quando, & vbi datæ sint.* 66.

*Littera Filiationis Religiosæ, vocantur Litteræ Participationis: receptionis ad bona spiritualia Ordinis: Aggregationis ad merita: Beneficium Ordinis: Littera Filiationis, Fraternitatis Spiritualis: Littera Gratiosa, &c.* 18.

M

M*Agna Indulgentia, concessa Regularibus, qui recitauerint* sex Pater, & Aue, cum totidem Gloria Patri &c. à Leone X. Paulo III. & Paulo V. *Vocatur hæc Indulgentia Statio Sanctissimi Sacramenti, quia licèt priùs liberum erat, hanc orationem persoluere, vel in Ecclesia, vel in Monasterio, vel in Cella, aut vbiuis locorum; eam tamen quoad locum restrinxit* Vrbanus VIII. *vt persolui debeat ante Principale Altare Ecclesiæ.* 450.

*Margaritæ pretiosa sunt Litteræ Gratiosæ, ac ingens thesaurus, propter ingentes fructus, ac singularia spiritualia lucra, quæ secum afferunt: quapropter magni æstimandæ sunt, ac paucis concedendæ, prout fecere antiqui Patres, ac Prælati Theatini.* 307.

Martinus V. *approbat doctrinam* Thomæ VValdensis *pro defensione communicationis bonorum operum, quæ à Religiosis fieri solet per Gratiosas.* 56.

*Medicus, & Chirurgus, an participent de bonis spiritualibus Ordinis.* 315.

*Melius*

Melius est placere Deo, quàm occasionem patiendi relinquere. 236. 237.

Mereri qui vult pro alijs de congruo directè applicare debet ipsis sua merita. 217.

Mereri qui vult, in viuis esse debet de lege ordinaria, licèt de potentia absoluta non repugnet, vt quis mereatur etiam post mortem. 209.

Meretur Iustus de condigno, sed tantùm pro se, Gratiam, & Gloriam, per quamcunque operationem suam supernaturalem. De congruo mereri quoque potest pro alijs, etiam primam gratiam, maximè homo iustus, ac perfectus. 217.

Merita non tantùm aliena, sed etiam propria possunt applicari, ac Deo præsentari, vt habetur ex Sacra Scriptura, & Seraphica Virgo S. Theresia practicauit pro anima defuncti cuiusdam sibi chari Religiosi; parea sit tamen, ac sobria huiusmodi repræsentatio propriorum meritorum, & est licita, si prudenter exhibeatur. 335.

Merita, quæ acquisierunt Sancti in hac vita, quomodo de præsenti nos iuuare queant? 217.

Meritum de condigno, adeo proprium est, & personale operanti, vt in alterum transferri non possit de lege ordinaria; Vnde, quando dicitur, communicari per Gratiosas à Prælatis merita Ordinis, id intelligendum de meritis de congruo. 206. 207.

Meritum de condigno, & de congruo explicatur. 206.

Meritum de condigno exigit, vt, qui meretur, iustus sit, & in statu Gratiæ. 214.

Meritum de condigno requirit conditiones, quæ enumerantur numero. 215.

Meritum de congruo applicatum alteri, nihil minuit, aut demit merenti, imò adauget ipsius merita, cur istud? 218.

Meritum de congruo, seu fructus impetratorius bonorum operum, non reponitur in communi thesauro Ecclesiæ, quocirca semper existit sub potestate Prælati, qui eum communicare potest per Gratiosas, etiam de operibus præteritis Subditorum. 334.

Meritum de congruo, & impetrationis, secundùm aliquos distinguuntur; iuxta communiorem idem sunt, & distinguuntur solùm ratione aliqua extrinseca. 216.

Meritum de congruo habet suam latitudinem, & gradus minoris, ac maioris meriti; eodem etiam modo meritum de condigno; at quantumcumque magnum, & excellens sit illud, nunquam poterit attingere confinia istius. 217.

Meritum vnum de congruo potest excedere aliud de congruo in perfectione, vel ratione personæ, vel loci, modi, temporis, aut propter aliam circumstantiam. 217.

Meritum de congruo quasnam conditiones exigat? vocatur meritum imperfectum; non requirit in Operante Gratiam Sanctificantem, & Dei amicitiam, quia etiam peccator mereri potest de congruo. 216.

Meritum de congruo totum innititur infinitæ Dei misericordiæ, ac liberalitati: vnde quantò pluribus applicatur, tanto magis crescit eius fructus, nec diminuitur multiplicato numero participantium. 218.

Minima iniuria non irrogatur thesauro Ecclesiæ, per hoc, quod alicuius satisfactiones non remaneant inapplicatæ, cùm tali modo maiori quis operetur cum charitate, & plus alijs prosit, quod serio quilibet practicare deberet. 345.

Ministratio Sacramentalis, quoad intentionem Subditi ministrantis, irritari non potest à Superiore. 268.

Minister tantummodò, & præcisè executor est Gratiosarum qui eas distribuit: non enim per hoc concedit Filiationem Spiritualem, sed solùm exequitur concessam à Prælato. 605.

Minor longè est potestas concedendi participationes Gratiosas Regularium, potestate concedendi Indulgentias, nam hæc, non illa transcendit authoritatem humanam: cùm concessio Indulgentiarum sit vsus potestatis clauium, concessio autem Gratiosarum vsus potestatis dominatiuæ. 278.

Miraculum circa Indulgentias. 602.

Misericordia, ac liberalitas Diuina, licèt sit infinita, tamen conferendo effectus impetrationis, obseruat aliquam proportionem, quamuis non admodum strictam, inter causam impetrantem, & effectum. 364.

Missa Regularium quas celebrant secundis, & quartis ferijs per totum annum pro defunctis, siue sint de Requiem, siue non, etiam extra propriam Ecclesiam calebratæ, omnes sunt

*priuilegiata.* 522. 523. 524. 525.

*Monialis Abbatissa promittit obedientiam, & eiusdem se voluntati alligat, in ordine ad ea, quæ obseruationem Regulæ concernunt.* 204. 205.

*Moniales, professionem suam emittunt in manus Abbatissæ, propterea ex vi Voti eidem obedire tenentur.* 199. 200.

*Moniales subiectæ Ordinarijs, participant Priuilegia, & Indulgentias Religionis, cuius gestant habitum, in quantum nempe sunt capaces.* 169.

*Moniales, sunt reuerà Religiosæ, quare, siue exemptæ sint à locorum Ordinarijs, siue non, gaudent tamen omnibus Priuilegijs, quorum ipsæ sunt capaces, non tantùm proprij Ordinis, sub quo militant, sed etiam, per communicationem, omnibus Priuilegijs reliquorum Ordinum Regularium.* 438.

*Moniales subiectæ Regularibus, participant bona Spiritualia Ordinis, sub quo militant, & cui subiectæ sunt.* 317.

*Moralis certitudo Priuilegij haberi potest, vel per ostensionem eiusdem, vel per vsum illius communem, aut per aliam probationem, quæ arbitrio prudentis iudicetur sufficiens.* 516. 517.

*Moribundi sensibus iam destituti, qui nihil amplius percipiunt, consequuntur Indulgentias, neque necesse est vt pro earum consecutione habeant intentionem actualem, aut virtualem.* 94.

*Mutua communicatio fructuum spiritualium, saltem impetrationis, datur inter Religiosos, & ipsis aggregatos per Litteras Gratiosas, propter vnionem charitatis; & propter contractum, qui inter eos intercedit, spiritualis Societatis.* 365. 366. *Exhortatio ad Associatos, vt habeant intentionem communicandi tam inter se, quàm cum Religiosis, fructum spiritualem etiam satisfactionis (sufficit quoque intentio virtualis) hoc enim non solùm nihil illis præiudicat, verùm etiam multum iuuat. Talis tamen semper interpretari debet illorum animus.* 367.

*N*

NEminem decipiunt Prælati Regulares distributione Litterarum Gratiosarum. 104.

*Nemo tenentur confiteri sola venialia, neque pro adimplenda annua Confessione.* 399.

*Nemo tenetur crescere.* 121.

*Nihil spirituale requiritur ad consequendum fructus spirituales, qui ex Gratiosis deriuant, præterquam quòd existat in gratia, vt fructum satisfactorium adipiscatur, cæteroquin merè passiuè se habet in ordine ad participandum effectus Filiationis Spiritualis.* 373. *Verum tamen est; quòd dicti fructus & effectus acquirantur iuxta mensuram deuotionis, quam Aggregati conseruant erga Religionem, quæ ipsos assumpsit in Filios.* 374.

*Nihil Spirituale tenetur quis facere pro consecutione Gratiosæ Filiationis, sufficit vt recipiens merè passiuè se habeat: maximè si Prælati eam concedunt ex mera charitate, & amicitia.* 371. *Quod si eam concedunt ex gratitudine Benefactori Ordinis causa beneficij charitatiui videtur esse conditio necessaria pro valida consecutione Gratiosarum, vt, qui eas recipit, sit verè benefactor; nisi fortè Prælatus aliàs facilis esset, ad concedendum eas ex mera charitate.* 372.

*Nobilitas deducitur ab antiquitate, quapropter nobilissima est Filiatio Spiritualis per Gratiosas, vtpotè antiquissima.* 108.

*Nomen* Fidelium, *comprehendit Regulares, & Sæculares.* 387.

*Nomine Gratiæ, etiam spiritualis, non comprehenditur; nec venit Indulgentia.* 386.

*Non cadit sub reuocationem Indulgentiarum, factam à Paulo V. potestas, seu Priuilegium, quod habent Prælati Regulares, communicandi alijs Indulgentias Ordinis per Gratiosas, quia talis potestas non est Indulgentia.* 378. 379.

*Non currit paritas rationis, inter meritum, & satisfactionem.* 99.

*Non desunt Authores, qui asserant, Prælatos Regulares habere Ius, & potestatem concedendi Indulgentias; at talem potestatem non habent, neque à Iure Diuino, neque ab humano, cùm in Iure Canonico nil tale reperiatur, imò ibi reprehenduntur nonnulli Abbates, qui sibi vsurpauerant huiusmodi potestatem, quæ solis Episcopis concessa fuit, & his quidem limitatè.* 376.

*Non requiritur intentio satisfaciendi pro eo, pro quo aliquis satisfacit, sed sufficit exhibere ipsam satisfactionem.* 99.

*Notitia, seu narratio breuis de Scapulari cærulæo Immaculatæ Conceptionis, quod de licentia Clementis X. benedicunt ac conferunt Patres*

*Patres Theatini*. à num. 281. vsque ad n. 295.

*Nouitius, qui heri confessus est, & communicauit ea intentione, quòd crediderit se heri vestiendum Habitu Religioso, si superueniente fortè impedimento hodie primùm vestiatur, eonsequitur hodie Indulgentiam plenariam absque noua Confessione, & Communione, sufficit enim heri facta.* 400.

*Nouitij in fauorabilibus veniunt nomine Religiosorum; gaudentque Priuilegijs Professorum, etiam quoad Indulgentias nisi obstet clausula expressè restrictiua ad solos Professos.* 409. 410.

*Nulla Religio habet proprium Thesaurum Spiritualem particularem, qui per Prælatos dispensari possit: sicuti nec Religiosus sibi ipsi Thesaurum particularem constituere potest ex superabundantibus sibi satisfactionibus.* 330.

*Nouum, ac falsum est in Theologia, si quis assereret, Iustum aliquem, opere suo pœnali satisfacere æqualiter pro reatu proprio simul ac alieno.* 361.

*Numerus ex vnitatibus compositus, detracta illarum vnica, destruitur.* 435.

O

*Obligare se quis potest simplici voto, ad obediendum fœminæ, vel Laico.* 204.

*Offerens Deo merita totius Ordinis, aut omnium Sanctorum, an plus impetret maiusque adiutorium spirituale sibi acquirat, quàm si offerret merita vnius tantùm.* 337.

*Omittens minimam partem de opere pro Indulgentijs iniuncto, non lucratur Indulgentiam, quando pars omissa ad formam operis iniuncti pertinet: lucratur vero, quando non pertinet ad formam, seu substantiam operis, sed solùm ad esse accidentale.* 435.

*Omittere recitationem vnius* Aue Maria *ex Rosario v. g. iniuncto pro consecutione Indulgentiarum, impedit quò minus acquiratur Indulgentia; quod non facit, si quis leuiter violet ieiunium pro eadem aut alia Indulgentia iniunctum, assignatur huius differentia ratio.* 435.

*Opera bona, ad hoc vt pro alijs sint satisfactoria, debent esse pœnalia.* 219.

*Operatur quilibet ex motiuo sibi maximè proficuo, ac vtili.* 97. 98.

*Operari cum hac, vel illa intentione; immediatè & absolutè dependet à solo subdito, seu operante. Hoc stante, quomodo verificetur, Prælatum posse non solùm absque assensu Subditi, sed ipso etiam inscio ac inuito per Gratiosas applicare opera ipsius bona.* 247. 248.

*Operatio debet esse libera ad hoc vt sit meritoria.* 210.

*Opera Religiosorum subditorum (cùm ipsi sint in continuo exercitio Obedientiæ, & perpetuò operentur secundùm Regulam) procedunt à voluntate formali, aut virtuali, & interpretatiua, obediendi Superioribus, & operandi iuxta illorum voluntatem, atque applicationem; ex quo habetur effectus Filiationis Spiritualis, & communicationis bonorum Operum secundùm Regulam, seu communium Ordinis; non enim supponitur (saltem ordinariè) subditum contradicere, vti nec posset. Quapropter asseritur, etiam contradicente Subdito posse Prælatum concedere communicationem spiritualem bonorum operum.* 249. 250.

*Opera bona fidelium duplicis generis sunt, alia priuata alia publica: ita pariter Religiosorum alia sunt priuata, alia communia id est, facta ex instituto Religionis; explicantur vtraque.* 326.

*Opera bona Religiosorum (saltem quæ continentur in Regula) omnia quoad fructum suum communicabilem sunt ratione voti Obedientiæ, sub potestate, ac libera dispositione Prælati; eaque communicant per Gratiosas.* 340.

*Opera bona & pœnalia facta in gratia, præter portionem gratiæ, quam semper merentur, satisfaciunt etiam pro certa pœna in Purgatorio debita, licèt operans id non intendat, dum operatur.* 93.

*Opera bona facta in gratia triplicem nanciscuntur fructum, seu effectum nempe meriti, satisfactionis, & impetrationis; explicantur hi tres effectus.* 225.

*Opera bona facta in statu peccati mortalis non sunt satisfactoria, nec pro operante, nec pro alio ex iustitia, & de condigno; excipitur à P. Pasqualigo satisfactio Sacramentalis; & iuxta communiorem Thomistarum cum S. Thoma opinionem, opera satisfactoria facta à peccatore nomine publico, & Ecclesiæ.* 221.

*Opera bona pœnalia iniuncta pro pœnitentia, magis sunt satisfactoria, quàm non iniuncta.* 643.

*Opera bona Aggregati satisfactoria non prosunt Communitati, absque eiusdem formali, vel virtuali applicatione: Sufficit tamen vnicus actus*

actus applicationis, factus à principio tempore aggregationis, saltem donec reuocetur. 242.

Opera bona satisfactoria operanti non necessaria, si ab ipso, dum fiunt, non fuerint applicata, reponuntur in communi thesauro Ecclesiæ; à quo deinde extrahuntur ab habente potestatem, nimirùm à Summo Pontifice, per concessionem Indulgentiarum. 279.

Opera facta in statu peccati mortalis satisfactoria sunt, non autem meritoria. 492. 493.

Opera pia, debita ex præcepto, voto, vel alio titulo, tunc solùm non seruiunt ad lucrandum Indulgentiam, quando præsumi non potest, talem fuisse voluntatem concedentis, ac opus iniungentis. 417. 418.

Opinio Authoris est, quòd quando non constat de contraria Prælati intentione, communiter loquendo tenendum sit, ab ipsis per Gratiosas communicari non solùm satisfactiones superabundantes Subditorum, sed eas etiam, quibus ipsimet opus habent pro se. Quæ generosa assertio, sicut Gratiosæ Filiationi pretium addit, eamque desiderabiliorem efficit; ita scrupulum nullum, aut timorem causare debet Religioso Subdito, quòd ipsius satisfactiones, quibus ipsemet indigeret, ab eius Prælato alijs applicantur, vanus quippe est timor iste. 235. quod probatur à n.236. vsque ad nu.242.

Opportunum consilium circa applicationem Indulgentiarum. 600.

Opus bonum, quod non fit pro alio, intendit quilibet, saltem virtualiter, applicare pro se, si indiget fructu eiusdem satisfactorio: si autem pro alio facit opus bonum intendit eidem applicare dictum fructum, in quantum ille opus habet. Porrò si nec operans, nec is cui applicatur, hoc fructu indiget vel in toto, vel in parte, censetur tunc operans velle, vt reponatur in communi Thesauro Ecclesiæ. 329.

Opus quomodo sit pœnale respectu totius Communitatis, & consequenter satisfactorium, cùm pœna sit personalis, & indiuidua, non verò Communitatis; de hac quippe non dicitur, quòd pœnam sustineat, quòd patiatur? 223.

Opus pro Indulgentia præscriptum, iniungitur sub ratione, & formalitate oneris, adeoque opus præscriptum pro vna Indulgentia non sufficit ad lucrandum aliam, aliàs non iniungeretur nouum onus quoad posteriorem. 531. 532.

Opus satisfactorium, quod offertur pro altero, plus valet, & maiorem effectum habet remissionis pœnæ, quam si offerretur pro se solo. 343.

Oraculum viuæ vocis, quidnam sit ex sua natura: in quo consistat, & quid requiratur ad hoc, vt probationem authenticam faciat in foro externo, & in iudicio. 516. 517.

Orationi magis proprium est impetrare, quàm mereri, explicatur hoc. 216.

Oratio pro consecutione Indulgentiarum, quæ à Summo Pontifice determinata non fuit, remanet sub arbitrio vniuscuiusque, tam quoad quantitatem, quam quoad qualitatem: vnde circa qualitatem, sufficit etiam Oratio mentalis. 319. 320. Circa quantitatem, si hæc non fuit taxata, secundùm aliquos sufficit ad consequendum Indulgentiam quælibet Oratio breuis; probabilius est, hanc non sufficere, sed requiri Orationem saltem mediocrem, qualis est quinque Pater & Aue. 421. 422. 423.

Oratio pro obtinenda Indulgentia, dirigi debet ad interpretandam illam gratiam, pro qua Summus Pontifex orandum præcipit; sufficit quoque orare iuxta Pontificis intentionem. 417. 418. Non tamen necessarium est, Deo primitus preces exponere, ac dein iuxta mentem Pontificis Domino Deo supplicare: sufficit simpliciter iniunctam peragere orationem iuxta præfatam mentem Pontificis, ad obtinendum, &c. 419.

Oratio præscripta pro consecutione alicuius Indulgentiæ, debet absolutè adimpleri, sicut iniuncta est: & si taliter non adimpleatur, licèt aliam hac intentione peragere æquiualentem, aut etiam maiorem, Indulgentiam non acquireres. Recitare eam quis potest, vel solus, vel vnàcum alio: & quocunque corporis situ, modò non contineat irreuerentiam. 420.

Orationes Beatorum impetratoria solùm sunt, non autem meritoria, assignatur causa. 216.

Ordo S. P. Benedicti, Parentes suorum Religiosorum participes reddit bonorum spiritualium Religionis. 318.319.

Ordo Carthusianorum diuersis personis communicat bona opera Ordinis. 320.

Origo Scapularis cærulei Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis, quod ex concessione Clementis X. benedicunt, & fidelibus conferunt Patres Theatini, communicatur per illud simul participatio bonorum spiritualium illius Religionis à num.281. vsque ad n. 295


Pa-

P

PAtres Consultores Theatini describuntur: eorum authoritas. 178. Concedere possunt Litteras Gratiosas sui Ordinis, Sede Generalitia vacante. 179. non autem plena. 180. 181.

Paulus V. concessit Indulgentias plenarias Fratribus Minoribus quoties recitauerint Coronam Beatissimæ Virginis. Quot Pater & Aue ea constare debeat? & vtrum in fine, vnum Pater, & Aue pro Anima eiusdem Pontificis addendum sit, vt aliqui sentiunt? 439.

Paulus V. præmisso exacto examine, ac seria consultatione, adhibitis ad consilium ipsismet Religiosis, auditis partibus, ex iudicio eorumdem Religiosorum reuocauit antiquat illorum Indulgentias personales, eisque concessit nouas. 383.

Paulus V. post suam generalem Indulgentiarum reuocationem, concessit Regularibus celebrem ac magnam Indulgentiam, innumerabilibus Indulgentijs refertam quoties recitauerint sexies Pater & Aue, & toties Gloria Patri, &c. pro felici statu Summi Pontificis, & Sanctæ Ecclesiæ. Vocatur hæc Indulgentia Statio Sanctissimi Sacramenti, & cur? plura circa eam quæsita resoluuntur, & explicantur multa particularitates. 440.

Paulus V. in Constitutione sua reuocatoria Indulgentiarum, vti etiam in concessione nouarum comprehendit omnes Religiosos cuiuscunque Instituti, etiam Moniales, tam subiectas Regularibus, quàm Ordinarijs. 398.

Paulus V. quando, post generalem suam Indulgentiarum reuocationē, concessit Fratribus Minoribus Indulgentiam plenariam quoties coronam Beatissimæ Virginis recitauerint: declarauit, se hanc Indulgentiam concedere, non obstante præfata sua reuocatione. 385.

Paulus V. reuocauit Confraternitatibus Indulgentias, à Prædecessoribus suis illis concessas, nouasque contulit. Non est improbabile, sub tali reuocatione non comprehendi Indulgentias personales, concessas defunctis Confratribus, aut constitutis in articulo mortis. 557.

Paulus V. secundùm aliquorum opinionem, restituit Regularibus, ac reualidauit Indulgentias ipsorum personales, quas priùs reuocauerat. 384. Alij tamen oppositum tenent, & meritò. Imò constanter hoc affirmant omnes Doctores. 385. Neque prior opinio ampliùs teneri potest, cùm expressè damnata fuerit ab Alexandro VII. 386.

Paulus V. non reuocauit Indulgentias concessas visitantibus Ecclesias Fulensium. 512.

Parochi non possunt concedere Gratiosam Filiationem Parochialem. 298.

Participat Iustus opera bona aliorum Iustorum, quot fiunt per vniuersum mundum, idque absq; applicatione ex parte operantis, sufficit quippe vt quis sit fidelis, in gratia, & membrum viuum mystici Corporis Ecclesiæ; certum hoc est de fide, vi articuli noni, Sanctorum Comm. 52. 80. 82.

Participant Regulares, Confraternitatum Indulgentias, quin ijs inscribantur, aut gestent cingula, scapularia &c. earundem; opera tamen pro Indulgentiarum consecutione iniuncta, debent adimplere. 463.

Participare bona spiritualia, per viam satisfactionis, requirit statum gratiæ. 356.

Participari non potest alterius fructùs satisfactorius, absque operantis intentione. 232.

Participatio bonorum spiritualium Ordinis per Gratiosas, iuxta aliquos, maior est, aut minor secundùm proportionem beneficiorum à participante Ordini collatorum. 38: 46.

Participatio per Gratiosas, secum affert participationem Indulgentiarum Ordinis. 85.

Participatio spiritualis, quæ conceditur à Prælatis Regularibus per Gratiosas, est obiectiua, formalis, & effectiua: Obiectiua respectu operum præteritorum Ordinis, prout sunt meritoria de Congruo: formalis effectiua respectu operum satisfactoriorum præsentium, & futurorum. 339.

Participatio spiritualis particularis, quæ fit per Gratiosas, non est superflua stante etiam generali Communione Sanctorum, aliàs vanæ forent, ac otiosæ Litteræ Gratiosæ à Sanctissimis Patriarchis, & Fundatoribus, atque à Zelantissimis ac doctissimis ipsorum Successoribus concessæ. 58. Foret insuper fallibilis Authoritas, & doctrina omnium Sapientissimorum Doctorum, qui de tali participatione scripserunt. 59.

Participatio spiritualis per Gratiosas videtur superflua, stante Communione Sanctorum, & Ecclesiæ. 54. non tamen sic est. 55. quod probatur, à n. 56. vsque ad n. 63.

Participatio inter Fideles virtute Communionis generalis Sanctorum, non requirit vllum externum sensibile signum: similiter nec participatio particularis Religionum per Gratiosas. 83.

Parti-

*Particula*, duntaxat, *cùm sit restrictiua, & limitans, concludit cum negatione rerum non expressarum.* 522.

*Peccàt ordinariè loquendo, qui Regulam transgreditur, licèt hæc non obliget sub peccato, cùm plerumque actioni transgressiuæ admixta sit aliqua negligentia, pigritia, contemptus, vilipensio Regulæ, aut quid simile.* 133.

*Peccatum duas habet formalitates, siue effectus; maculam, & reatum pœnæ: duas, hisce oppositas, habet opus bonum meritum scil. gratiæ, quæ est pulchritudo animæ, & satisfactionem, quæ compensat reatum pœnæ.* 206. 207.

*Peccator quid possit mereri de congruo, ac impetrare pro se, & pro alijs?* 216.

*Perfectio Religiosa consistit in charitate, & acquiritur per exercitia Religiosa, præscripta in Regula.* 140.

*Perfectio Religiosa, non infert obligationem obseruandi primæuum vigorosum institutum, sed Regulam tantùm, quam quis professus est, licèt fuerit mitigata.* 128.

*Potestas clauium Ecclesiæ respectu thesauri eiusdem, residet præcisè penes summum Pontificem, non penes Prælatos Regulares: quare, quando hi communicant bona Spiritualia suæ Religionis, simplicem tantùm faciunt donationem eorum, quæ nondum deuoluta sunt ad præfatum Thesaurum: non autem veram exercent iuridicam absolutionem, hæc enim solùm exercetur communicatione vniuersalis Thesauri, per vsum ac potestatem Clauium, quæ soli Petro, ac Successoribus illius consignata sunt.* 375.

*Potestas Clauium in Indulgentijs Viuorum, & Defunctorum duplicem habet effectum, nimirùm absolutionis quoad viuos, & solutionis quantum ad defunctos; vtraque tamen differt à participationibus, quæ communicantur per Gratiosas.* 278.

*Potestas, quòd possint Prælati Regulares communicare Indulgentias Ordinis, non fuit reuocata à* Paulo V. *in generali reuocatione Indulgentiarum: Similiter nec Indulta, aut Priuilegia eorumdem Regularium communicandi Indulgentias, quæ enumerantur.* 390.

*Potestas dominatiua Prælatorum Regularium immediatè non attingit actus liberos Subditorum, sed ipsorum voluntatem, a qua dicti actus procedunt; vnde si supra actus immediatam potestatem non habent, habent saltem mediatam, mediante nimirum voluntate, ratione Voti Obedientiæ ipsis subiecta; quæ ex causa dicitur, quòd Prælati Regulares per Gratiosas communicare valeant alijs opera bona suorum Subditorum, etiam absque illorum consensu, per quod tamen non excluditur applicatio Subditorum.* 247. 248.

*Potestas dominatiua Summi Pontificis, quam habet supra Regulares, tanquam ipsorum Prælatus Generalissimus, non se extendit vltra fines Regulæ, quam professi sunt.* 147

*Potestas dominatiua subinde plus potest in Subditos, quàm potestas Iurisdictionis: quod probatur.* 227.

*Potestas legislatiua comitatur punitiuam; quomodo id intelligendum?* 258.

*Prælati Religionis* B. Ioannis Dei, *possunt excommunicare suos Subditos.* 185. 186. *Et absoluere in foro externo.* 188. 189. *Non sunt puri Laici, sed personæ Ecclesiasticæ: gaudent priuilegijs fori, & Canonum: habent Iurisdictionem spiritualem, & Ecclesiasticam.* 187. 188. 189. *Possunt præcipere Subditis in virtute Sanctæ Obedientiæ, vti etiam Prælati Religionum Militarium, atque Abbatissæ.* 191.

*Prælati Ecclesiastici, non habent in suos Subditos, sicut Prælati Regulares, potestatem dominatiuam, sed solùm Iurisdictionis: vnde dicitur, quòd nec ipsi, nec Ecclesia præcipiant actus internos, neque præcipere possint.* 255. 256. *At non improbabiliter sustineri potest, Ecclesiæ à Deo probabiliter hanc potestatem præcipiendi actus internos concessam fuisse, quam reipsa de facto ea non vtatur: quod & probatur.* 257. *In contrarium allata dissoluuntur.* 258. 259.

*Prælati Regulares, per hoc, quòd fructum impetrationis bonorum operum, etiam priuatorum, & spontaneorum, suorum Subditorum alijs applicent, non ipsis præiudicant.* 226. 228. 229.

*Prælati Regulares, per hoc, quòd in suis Gratiosis applicent meritum de congruo bonorum operum suorum Subditorum, ipsis non præiudicant, sed eos potiùs iuuant.* 218.

*Prælati Regulares in conscientia adstringuntur, & sub obligatione peccati mortalis tenentur ad extirpandum transgressiones, & malas consuetudines suorum Subditorum, licèt isti non excedant culpam venialem.* 138.

*Prælati Regulares, quo fundamento, ac modo, in suis Gratiosis disponant de fructu Sacrificij, Subditorum sibi Sacerdotum?* 271. *Et de quo fructu?* 272. 273. 274.

*Prælati Regulares communicant per Gratiosum* Filia-

Filiationem bona spiritualia Ordinis, quantum communicabilia sunt, & quantum iuuare possunt Concessionarium. 625.

Prælati Regulares per Litteras Gratiosas, non communicant fructum specialem satisfactionis, qui prouenit ex operibus pœnalibus priuatis ac spontaneis suorum Subditorum, sed eum, qui prouenit ex operibus communibus, & factis ex instituto Regulæ. 226.

Prælati Regulares notificare debent suis Subditis, cuinā illorum bona opera applicare velint, & applicationem eis expressè præcipere, ita vt præceptum ad illorum notitiam perueniat. Hoc tamen in concessione Gratiosarum fieri non solet, & cur? 249. 250.

Prælati Regulares dispensant Litteras Gratiosas absque præscitu Subditorum. 243.244.

Prælati Generales, & Prouinciales concedere possunt, ac de facto concedunt Litteras Gratiosas Ordinis. 170. Præstat, illas habere à Generali, cùm sint ampliores. 171.

Prælati Regulares à Iure communi potestatem habent concedendi spiritualem Filiationem Ordinis. 141.142. 143.

Prælati Regulares habent potestatem dominatiuam in voluntatem Subditorum, quapropter possunt ipsis immediatè præcipere etiam actus internos, si isti contineantur in Regula. 255.

Prælati Regulares inferiores, & Subditi, quoad vsum Priuilegiorum Pontificiorum, non dependent (vniuersaliter loquendo) à suis Superioribus. Excipiuntur Patres Societatis Iesu, qui quoad vsum omnium Priuilegiorum dependent à suo Generali. 197.

Prælati Regulares intendunt per suas Gratiosas applicare omnem possibilem fructum spiritualem, qui ab ipsorum potestate communicari potest. 350.

Prælati Regulares intendunt spiritualiter iuuare quantum possunt eos, quos ad Filiationem Spiritualem admittunt. 234.

Prælati Regulares locales possunt concedere Litteras Gratiosas suorum Monasteriorum. 192. Hac potestate pollet etiam Conuentus, licèt eam relinquat suo Prælato. 193. At verò, nec Prælati locales, nec Monasterij Litteræ Gratiosæ sese extendunt ad communicandum Indulgentias ordinis, quia carent potestate huiusmodi. 194.

Prælati Regulares, dum applicant, per Gratiosas litteras, superfluas Ordinis satisfactiones, impediunt, saltem ex parte, quòd multæ illarum non remaneant inaplicatæ, per quod plurimum iuuant proximos, estque opus istud magnæ charitatis. 345.

Prælati Regulares distributione suarum Gratiosarum neminem decipiunt, dando Litteras absque intentione communicandi bona spiritualia Ordinis, in ijs comprehensa, alias grauiter peccarent, nisi vrgente iusto, ac graui motiuo excusentur. 104.

Prælati Regulares in suis Gratiosis communicant etiam merita Sanctorum sui Ordinis; quomodo talis communicatio intelligatur? 334.

Prælati Regulares per suas Gratiosas, modo ordinario, dant communicationem septemplicium bonorum spiritualium, quæ enumerantur. 318. 319. 320.

Prælati Regulares suis Litteris non communicant fructum satisfactorium bonorum operum præteritorum, suorum Subditorum. 329.

Prælati Regulares, per Litteras Gratiosas, non communicant fructum specialissimum bonorum operum, hic enim est meritum de condigno, quod est personale, solius operantis, atque alijs incommunicabile: applicant autem meritum de congruo. 218.

Prælati Regulares non concedunt ipsi Indulgentias Ordinis, nec tanquam ex proprio Iure, sed Summus Pontifex eas concedit positis Litteris Gratiosis, & facta aggregatione Benefactoris ad Ordinem. 378.

Prælati Regulares non debent esse nimiùm liberales in dispensanda Gratiosa Filiatione, quia cùm per eas in specie etiam concedatur fructus satisfactorius, hic cùm sit finiti valoris, quantò pluribus applicabitur, tantò in singulis minuetur. 308.

Prælati Regulares non habent potestatem ordinariam communicandi Indulgentias Ordinis. 376. 377. Et si eas communicant, id faciunt non Iure proprio, sed ex Indulto Pontificio. 378. 379. Quod Indultum limitatum est ad solos Generales, & Prouinciales: ad solas Indulgentias Ordinis: & ad solos Benefactores. 380. 381. Quinam veniant sub appellatione Benefactorum Ordinis? 382.

Prælati Regulares non habent potestatem Ordinariam concedendi Indulgentias ex thesauro Ecclesiæ, sed solùs Pontifex: neque etiam ex thesauro particulari Religionis, quia iste non datur. 85.

Prælati Regulares non possunt præcipere pro libitu Subditis suis, tanquam essent serui, aut mancipia; sed tantùm præcisè secundùm Regulam vltra quàm non se extendit illorum pote-

*potestas.* 119. 120.

*Prælati Regulares non recipiunt à Summo Pontifice Iurisdictionem immediatam supra actus internos suorum Subditorum, cùm nec ipse Pontifex eam habeat. Sed habent iurisdictionem immediatam supra voluntatem, & mediatam supra actus internos: hanc recipiunt non solùm à Summo Pontifice, sed etiam ab ipsismetmet Subditis per Votum Obedientiæ, & contractum solemnis Professionis.* 260. 261.

*Prælati Regulares ex Indulto* Vrbani V. *concedunt Spiritualem Filiationem sui Ordinis.* 266. 267. *Hæc potestas ipsis competit absque hoc indulto, exclusa communicatione Indulgentiarum.* 268.

*Prælati Regulares, propter dominium, quod habent in voluntates suorum Subditorum, possunt iuxta suum beneplacitum applicare merita, Orationes, Oblationes, & bona opera ipsorum, antequam deuoluantur ad communem thesaurum Ecclesiæ.* 143.

*Prælati Regulares titulo gratitudinis, ac subinde ex obligatione conscientiæ tenentur Benefactoribus communicare bona spiritualia Ordinis: non autem, rigorosè loquendo, vi contractus, debiti, aut veræ iustitiæ.* 47.

*Prælati Regulares possunt iuxta suum beneplacitum concedere Litteras Gratiosas, etiam absque consensu suorum Subditorum, cùm isti ad hoc consentire teneantur.* 243. 244.

*Prælati Regulares possunt absolutè communicare fructum impetrationis bonorum operum, etiam priuatorum, ac spontaneorum, suorum Subditorum; item fructum satisfactionis eorumdem operum priuatorum, quando ab operante non fuit applicatus.* 226.

*Prælati Regulares possunt non Benefactoribus communicare bona spiritualia, non autem Indulgentias Ordinis.* 45.

*Prælati Regulares possunt communicare fructum satisfactorium bonorum operum communium, & ex instituto Regulæ factorum à suis Religiosis, licèt eo ipsimet indigeant.* 220. *Aliqui contrarium tonent: referuntur eorum nomina, ac doctrina.* 221. *Quæ tamen non admittitur, sed contrarium probatur rationibus, & authoritate oppositorum Authorum.* 232.

*Prælati Regulares concedere possunt Filiationem Spiritualem sui Ordinis Animabus etiam Purgatorij; quòd mentaliter fit, sola voluntate, absque alia forma sensibili.* 84.

*Prælati Regulares, potestatem concedendi Gratiosas alijs delegare possunt.* 279. *Affertur praxis huius delegationis factæ à P. P. Theatinis, & Carmelitis Disc.* 280.

*Prælati Regulares proprio Iure concedere possunt Filiationem Ordinis.* 118.

*Prælati Regulares, quando communicant satisfactiones Ordinis per Gratiosas, non Indulgentias propriè dictas, sed simplicem tantùm faciunt donationem. Communicant equidem per illas etiam Indulgentias Ordinis, vt videre licèt in Gratiosis Theatinorum, & Carmelitarum Disc.* 375.

*Prælati Regulares maiorem in suos Subditos habent potestatem, quàm Ecclesiastici in suos; isti quippe solam habent potestatem Iurisdictionis, illi insuper etiam potestatem dominatiuam.* 199. 200.

*Prælati Regulares, in casu grauis necessitatis potestatem habent disponendi de Subditorum suorum bonis operibus etiam priuatis, eaque præcipiendi; prout id reipsa faciunt Summus Pontifex & Episcopi, in grauibus casibus cum suis Subditis.* 227. *Obiecta in contrarium resoluuntur.* 228. 229.

*Prælati Regulares subalterni, & inferiores non possunt à Supremis Religiosis suis Superioribus suspendi, aut impediri, quò minùs Litteras Gratiosas alijs conferant, saltem generaliter loquendo; quidquid in contrarium quispiam dicat.* 195. 196. 197.

*Prælati Regulares, per Litteras Filiationis communicant alys fructus particulares Diuinorum Officiorum, & Sacrificiorum Missæ suorum Subditorum; non autem fructum generalem, quia iste pertinet ad totam Ecclesiam.* 242.

*Prælatis Regularibus subalternis, & inferioribus, non potest ab altioribus Superioribus adimi facultas concedendi Litteras Gratiosas, saltem generaliter loquendo: quidquid in contrarium dicat quidam.* 195. 196. 197.

*Prælatus, si applicet pro aliquo opera bona sui Subditi; hic autem ea applicet pro alio; istius applicatio præualet illi.* 226. 232.

*Prælatus Generalis authoritatem suam accipit à Capitulo generali: istud autem à Papa.* 172. *Similiter Prælatus Prouincialis authoritatem recipit à Capitulo Prouinciali, quòd quamdiu durat, se habet respectu Prælati Prouincialis, sicut Capitulum Generale respectu Prælati Generalis.* 173.

*Prælatus non potest irritam reddere intentionem Subditi: præualetque applicatio v. gr. Missæ,*

*Missæ, facta ab isto, intentioni, & applicationi illius contraria,* 279.

*Prælatus, & quilibet alius, qui curam gerit Communitatis, potest applicare alijs satisfactionem correspondentem psalmodiæ Chorali.* 222.

*Prælatus exigere potest à Subdito, vt applicet opera sua bona iuxta ipsius intentionem; idque vel cum, vel absque præcepto; quando applicatio cum præcepto iniungitur, si opus à Subdito impleatur, non tamen iuxta mentem Superioris, valor, & fructus operis nullus erit; quando autem applicatio sub præcepto non exigitur, neque etiam obligabit.* 249. 250.

*Prælatus Regularis sufficienter, & modo humano proponere Subditis suis debet sua præcepta, ad hoc vt ipsi teneantur obedire.* 131.

*Prælatus Regularis non potest immediatè applicare opera, & intentionem Subditi, cùm essentialiter, intrinsecè, & immediatè ab hoc solo dependeant; dominium autem, quòd circa ea habere dicitur Prælatus, solùm versatur circa debitum vsum, non circa vsum simpliciter.* 254.

*Prælatus Regularis, non est absolutus dominus sui Subditi, sed tantùm Minister, & Custos Regulæ, atque Instituti,* 119. 120. 121.

*Prælatus Regularis non potest præcipere suis Subditis, imò neque Summus Pontifex, secundùm Regulam, iuxta primum Institutum, si hoc illi professi non sunt, sed secundùm Regulam mitigatam.* 121. 122.

*Præsidens Capituli Generalis Patrum Theatinorum describitur; is toto tempore sui officij Litteras Gratiosas sui Ordinis concedere valet, quod à Patre summopere docto reipsa practicatum fuit.* 174.

*Præualet in Sacrificio Missæ voluntas, seu applicatio Subditi, intentioni Superioris contrariæ.* 266.267.

*Primam gratiam nemo pro se mereri potest de condigno; benè autem pro alijs.* 216.

*Principes, ac Magnates, tam Ecclesiastici, quàm sæculares, integri Conuentus, aliique Scapulare Cæruleum Immaculatæ Conceptionis deuotè suscipiunt,* 284. 285. 286. 287. 290. 291.

*Priores Religionis Beati Ioannis Dei, quæ non admittit Sacerdotium, virtute Statutorum illius Ordinis, deputant iuxta proprium beneplacitum, quilibet in suo Conuentu, dignum Sacerdotem, qui audiat Confessiones Religiosorum illius Monasterij; neque possunt isti confiteri alteri absque speciali Prioris licentia, quæ tamen semel per mensem, secundùm Constitutiones ipsorum concedi debet.* 185. 186. *Valent præterea Priores illius Religionis reseruare Subditis suis certos casus, à quibus tantùm à Confessario, quem Prior deputauerit, absolui possint.* 188. 189. 190.

*Priuilegijs omnibus, & Indulgentijs non solùm sui Ordinis, sed etiam aliorum, gaudent Religiosi, ac Moniales, licèt non sint exempti, sed degant sub dominio, & Iurisdictione Episcopi* 169. *circa finem.*

*Priuilegia, Indulta, & Oracula, quæ habentur in Compendijs Minorum, non temerè conscripsit Casarubius, sed studiosè collegit ex Libris, & publicis Scripturis, quæ in Archiuijs Ordinis conseruantur, atque ex Bullis Summorum Pontificum, & Oraculorum.* 516. 517.

*Priuilegium, seu gratia, quæ successiuè duratura conceditur, si causa finalis, propter quam concessa fuit, desinat, suspenditur effectus ipsius, atque executio; si autem tempore durationis illius, causa illa reuiuiscat, reuiuisceret pariter eiusdem valor atque effectus; affertur huius rei exemplum.* 640. 641.

*Priuilegium validum est atque perfectum, quamprimum consensus à concedente emanauit.* 72. 73.

*Priuilegium, quod habent Religiones, communicandi alijs Indulgentias Ordinis, non tollitur per Decretum Innocentij X I. imò in illo supponitur, & tacitè asseritur.* 468.

*Priuilegia Fuliensium amplissima.* 510.

*Probabilis est opinio, Indulgentias per modum suffragij prodesse Defunctis per viam gratiæ, Deo acceptante, non infallibiliter, & ex iustitia, sed ex misericordia.* 430. 431.

*Probabilis item est opinio, eum, qui pro defuncto Indulgentiam lucrari vult, debere existere in gratia.* 432.

*Procurator, Aduocatus, & Doctor Monasterij, vtrùm participet de bonis spiritualibus Ordinis?* 317.

*Procuratoris Generalis Ordinis descriptio, & potestas; quæ cùm non sit dominatiua, neque poterit concedere Gratiosas sui Ordinis,* 182. 183.

*Procuratores Religiosorum Mendicantium, eo-*

rum Substituti, Consanguinei, Fratres, ac Sorores, lucrari possunt Indulgentias Stationum, atque alias eisdem Religiosis concessas, si in ipsorum Ecclesiis quinquies Pater & Aue, recitauerint pro felici statu S. Romanæ Ecclesiæ, 393. & seq.

Profitentis in aliquo Ordine, an Consanguinei proximi, bonorum spiritualium illius Ordinis participes existant. 318. seq.

Profitens solemniter aliquam Religionem, non tenetur in tali actu habere expressam intentionem, non obligandi se ad primæuam, ac rigorosam Regulam, sed solùm ad mitigatam, sed sufficit implicita ac virtualis huiusmodi intentio; idque explicatur, ac probatur. 124. 125.

Professus canonicè aliquem Ordinem, si ab hoc legitimè transierit ad alium, quando initio Nouitiatus recipit Habitum, Confessus, atque Communicatus consequitur Indulgentiam plenariam. 401.

Professionis priuata renouatio non confert præfatam pœnæ remissionem; non deest tamen, qui hoc asserat. 405.

Professio Religiosa, actus est excellentissimus, atque heroicus, vocatur alter Baptismus, remittit omnem pœnam, peccatis Profitentis debitam. 403. Resoluitur, qualiter, stante tali remissione, non sit superflua Indulgentia plenaria, à Paulo V. Profitentibus concessa. 324.

Professio Religiosa dedicat Professores Diuino Seruitio, eosque facit Ecclesiasticos, sicut prima Tonsura; imò meliori modo, cùm vi illius non possint ampliùs recedere à Statu Ecclesiastico, & Religioso, sicut possunt Tonsurati Clerici. 186. & seq.

Professio Religiosa fit in manu Prælati Regularis, tanquam Ministri Summi Pontificis; quare Votum Obedientiæ extenditur ad vtrumque. 146.

Propositum vniuersale, non obseruandi Regulam, quamdiu non obligat ad mortale, continet virtualem saltem, & interpretatiuum contemptum eiusdem. 134. 135. Religiosum efficit grauem Ordini, atque perniciosum, grauiter perturbat regularem obseruantiam. 136. Tale propositum est peccatum mortale, quia obiectum illius est materia grauis. 119. Per illud enim Religiosus euidenti se periculo exponit transgrediendi Regulam, etiam cùm obligat ad mortale. 139. Item, cùm Religiosus tendere teneatur ad perfectionem, non potest absque culpa mortali habere prædictum propositum, hoc quippe esset, nolle conari ad perfectionem, quam professus est. 140.

Protector Ordinis, est simul etiam Conseruator: vnde quidquid dicitur de illo, quantum ad gratias & Priuilegia, de hoc quoque proportionaliter intelligendum est. 310.

Protector Ordinis, quænam Persona Ecclesiastica esse debeat? Eiusdem dignitas, munus, ac potestas describitur. 159. 160.

Protector, & Conseruator Ordinis, an bonorum spiritualium eiusdem Religionis participes sint. Vide superiùs: Electus in Protectorem, & Conseruatorem Ordinis.

Protector, & Conseruator Ordinis in aliquibus conueniunt, in nonnullis discrepant. 163.

Punit Ecclesia, atque indicat certo modo actus etiam internos. 258. 259.

## Q

QVadragena pœnitentiarum, quæ virtute Indulgentiarum remittuntur, quantam pœnam exsoluant in Purgatorio, quomodo explicentur, ac intelligantur? 434.

Quinam veraciter vocentur, & sint Benefactores Ordinum. 382.

Quænam sint Indulgentiæ Stationum, & Ecclesiarum Vrbis Romæ, quæ communicantur per Gratiosas, Mense Ianuarij, 554.

Quænam Mense Februarij. 557.
Martij. 556.
Aprilis. 557.
Maij. 558.
Iunij. 559.
Iulij. 560.
Augusti. 561.
Septembris. 562.
Octobris. 563.
Nouembris. 564.
Decembris. 565.
In Aduentu. 556.
In Quadragesima. 567.
Tempore Paschali. 568.

Quænam Indulgentiæ habeantur in Basilica Sancti Ioannis Lateranensis Romæ. 574. 575. 576. Istæ, sicut & sequentes, communicantur per Gratiosas. Ibidem.

Que-

*Quenam in Ecclesia S. Petri.* 577.
*S. Pauli.* 578.
*S. Mariæ Maioris.* 579.
*S. Laurentij extra Muros.* 580.
*SS. Fabiani, & Sebastiani.* 581.
*S. Crucis in Ierusalem.* 582.
*Indulgentiæ harum Ecclesiarum, eædem sunt cum illis, quæ à Summis Pontificibus conceduntur septem Altaribus; Associati Religionibus per Gratiosas, eas omnes lucrari possunt, recitando* sexies Pater, & Aue, ac toties Gloria Patri, &c.
*Quanam Indulgentiæ inueniantur in diuersis alijs Ecclesiis Romæ, quæ omnes à Regularibus, & ipsis Associatis acquiri valent, Item Ierosolymorum, Sancti Sepulchri, & S. Iacobi in Galitia, recitatione dictorum* sex Pater, Aue, & Gloria. 583.
*Quanam sint loca Principaliora intra, & extra Muros Ierusalem?* 586.
*Quæ Indulgentiæ extent in Monte Sion?* 587.
*In Monte Caluariæ.* 588.
*In ipsa Ciuitate.* 589.
*In Valle Siloe.* 590.
*In Torrente Cedron.* 591.
*In Valle Iosaphat.* 592.
*In Monte Oliueti.* 593.
*In Bethania.* 594.
*Quæ ad S. Iacobum in Galitia?* 597.
*Quanam satisfactiones Religiosorum superabundantes in thesauro Ecclesiæ reponantur, cùm hæ à Prælatis Regularibus per Gratiosas alijs communicentur?* 345.
*Quanam sint illæ Indulgentiæ, quas defacto Regulares per viam communicationis lucrari valent? à num.* 487. *vsque ad nu.* 509. *inclusiuè.*
*Quas Indulgentias Religiosi per modum suffragij lucrari possint pro fidelibus defunctis? à numer.* 518. *vsque ad numer.* 531. *inclusiue.*
*Quæ sit differentia sit inter satisfactiones, quæ per Indulgentias applicantur ex thesauro Ecclesiæ; & illas, quas quilibet Iustus ex se alijs applicat?* 329.
*Quæ differentia inter Gratiosas Religionum participationes, & Indulgentias?* 278.
*Quanam fides adhibenda, tam in foro conscientiæ, quàm in externo omnibus illis Indulgentijs, quæ à* Cæsarubio *in Compendio Minorum recensentur?* 359.
*Qualis fructus Sacrificij Missæ à Prælatis Regularibus communicetur, & ab Associatis vi Gratiosarum participetur? Explicantur in hunc finem fructus Sacrificij Missæ.* 272. 273. 274.
*Quis fructus maior sit, illene qui habetur ex Gratiosa Filiatione, an ille, qui acquiritur ab Indulgentijs?* 277.
*Quinam in specie, & quanti sint fructus, & effectus Spirituales, tam satisfactionis, quàm impetrationis, quæ per Litteras Gratiosas participantur? à num.* 431. *vsque ad n.* 355.
*Quilibet Religiosus, qui confessus, & communicatus aut post celebrationem, duarum horarum spatio, etiam interpolatim, interfuerit Orationi Quadraginta Horarum, iuxta imperium suorum Superiorum in Visitationibus Generalibus, ibique vocaliter, aut mentaliter orauerit, &c. Indulgentiam plenariam lucrabitur.* 438.
*Quilibet Religiosus, qui cum licentia Summi Pontificis, aut suorum Superiorum mittitur ad terras Infidelium, aut Hæreticorum, ad prædicandum, siue docendum &c. & vt melius ad hoc opus se præparet, confitetur, & communicat, aut Missam celebrat, lucrabitur Indulgentiam plenariam binis vicibus, quando, nimirùm, ad iter tali modo se præparat, & quando intrauerit Prouinciam, ad quam destinatus fuit. Indulgentiam hanc etiam Conuersi lucrari possunt.* 437.
*Quando Prælatus præcipit applicationem bonorum Operum, etiam satisfactoriorum, ordinariè simpliciter tantùm iniungit: videlicet relinquendo Subditos bene operari, & existere in gratia: licèt in casu grauis cuiusdam necessitatis possit ipsis etiam præcipere, vt sese disponant ad opera satisfactoria cum debitis conditionibus, & circumstantijs ad fructum satisfactorium requisitis, vt Diuinæ Maiestati grata efficiantur.* 263.
*Quando Summus Pontifex vnica concessione largitur plenariam simul ac partialem Indulgentiam, certorum videlicet annorum, dierum, &c. non est improbabile, quòd si quis pro se lucratus est plenariam, possit partialem offere per modum suffragij pro defunctis, licèt hoc in Bulla Pontificis expressum non sit.* 571.
*Quando dispensat Prælatus cum Subdito circa*

*aliquod obseruantiæ Regularis præceptum, hic, illud non obseruando, liber est à peccato, haud secùs, ac si abijsset in desuetudinem, hæc enim non minus robur habet, quàm dispensatio.* 128.

*Quando diuersitas insurgit opinionum circa executionem operum iniunctorum pro lucrandis Indulgentijs, quod contingit, quando mens Pontificis non clarè patet, quocunque modo probabili ea quis exequatur, Indulgentiam obtinebit.* 424.

*Quando Ecclesia concedit Indulgentiam, offert Deo satisfactiones pro eo, qui opera iniuncta exercet.* 101.

*Quando Summus Pontifex concedit Indulgentiam, & liberum relinquit lucranti, eam applicandi vel sibi, vel defunctis, tunc duplex interuenit concessio, vna pro viuis, altera pro defunctis illa confertur viuis per modum absolutionis, hæc defunctis per modum suffragij seu solutionis.* 427.

*Quando pro aliqua Indulgentia exiguntur opera eum determinata intentione, si iuxta eam non applicentur opera, non exhibetur iniunctum, cùm non solùm opus, sed etiam intentio præcipiatur.* 99.

*Quando ex operibus, pro Indulgentijs, iniunctis aliquod non potest eodem die iterari, v. g. Communio, aut ieiunium, illud licèt vnicum, valet ad consequendum diuersas Indulgentias, quæ eodem die acquiri possunt; idque propter talem interpretatiuam mentem Pontificis posteriorem Indulgentiam concedentis.* 532. 533.

*Quando quis absque vlla notitia Indulgentiarum, consequenter absque intentione etiam virtuali illas lucrandi, opera iniuncta exequitur, illa fecisse dicendus est, vt Indulgentiam consequatur, propter generalem, & interpretatiuam intentionem, quam quilibet habet, adimplendi sua opera modo sibi vtiliore atque efficaciore.* 97.

*Quamuis in fructu impetrationis non attendatur æqualitas iustitiæ, sicut in fructu satisfactionis, sed sola Dei liberalitas, obseruatur tamen proportio aliqua inter causam impetratiuam, atque effectum.* 364.

*Quartis, & secundis Ferijs totius Anni celebrata à Regularibus Missa pro defunctis, omnes indifferenter sunt priuilegiatæ, siue deinde sint de Requiem, siue non.* 396.

*Quidnam conferat ad bene lucrandum Indulgentias?* 600.

*Qui incipit participare aliorum bona opera, incipit etiam illis communicare sua.* 364.

*Qui extra Chorum priuatim recitant Diuinum Officium, si sunt obligati ad Chorum, tenentur fructum generalem offerre pro tota Ecclesia, qui autem non sunt adstricti Choro, probabiliter non tenentur.* 242.

*Qui in statu peccati grauis confert, vel recipit Filiationem Spiritualem, per hoc non committit peccatum graue.* 302.

*Qui studiosè applicant suas satisfactiones, vt ab ipsis intentum sortiantur effectum, & non reponantur in Thesauro Ecclesiæ, non inferunt iniuriam eidem Thesauro; cùm præcisè in applicationis defectu ab Ecclesia per Indulgentias applicentur.* 345.

*Quilibet potest sequi opinionem probabilem in adimplendis iniunctis pro Indulgentia operibus.* 424.

*Quilibet vult acceptare Indulgentias sibi concessas, & virtualiter acceptat, quia semper censetur velle maius suum bonum.* 98.

*Quomodo Regulares consequantur Indulgentias per viam communicationis; explicatur, & stabilitur; ac resoluuntur obiecta, à num.* 470. *vsque ad num.* 480.

*Quo plures per Gratiosas recipiuntur ad participium bonorum Operum Religionis, eò minor fructus impetrationis communicatur singulis; aliunde tamen sufficienter talis diminutio recompensatur.* 364.

*Quo plures aggregantur Ordini per Gratiosas, eo maior efficitur vnio charitatis, & eo plura coaceruantur merita, quorum intuitu multò maiora à Deo impetrantur beneficia.* 364.

*Quò Sanctior, & Reipublicæ Christianæ vtilior quis est, eo magis dolendum, cùm Mundo eripitur.* 364.

*Quotidie in Ecclesijs Vrbis Romæ reperiuntur tredecim Indulgentiæ plenariæ pro viuis, & duæ pro defunctis: & in Ecclesijs Hierosolymitanis quotidie viginti tres plenariæ, & vltra.* 450.

*Quoties priuatim aliquis renouat Professionem, non consequitur eandem pœnæ remissionem, vt in prima solemni Professione; est tamen, qui hoc asserat.* 405.

*Quot, & quales Indulgentiæ acquirantur Romæ diebus Stationum in Ecclesijs Stationalibus? quot*

*quot in alijs Ecclesijs Romæ quotidie? Omnes lucrari possunt Religiosi, & ipsis Aggregati, si recitauerint* sex Pater, & Aue, ac toties Gloria Patri, &c. *coram Venerabili Sacramento.* 572. 573.

*Quot bona opera proueniant ab Ordinibus Regularibus, describitur; & quis sit illorum pretiosissimus fructus, qui thesauri adinstar diuites reddit etiam eos, qui ipsis conuiuunt, & qui per Gratiosas ipsis associati sunt.* 644.

*Quot, & quales Indulgentiæ concessæ sint visitantibus Ecclesias Regularium?* 598.

*Quo plures Sancti, ac perfecti reperiuntur in aliqua Religione, & quo magis in ea viget regularis obseruantia, eo maiora solet Deus conferre beneficia, tam spiritualia, quàm temporalia, non solùm Ordini, sed etiam per Gratiosas eidem Aggregatis. Econtra, quò maiora fiunt peccata in aliquo Ordine, & magis relaxatur disciplina, eò minores gratias solet conferre Dominus Deus; imò varijs modis punire, & affligere, ac nonnunquam, iusto suo iudicio pessundare, ac totaliter extinguere.* 354.

R

*Radix mutuæ communicationis inter Fideles, est Vnio charitatis, quæ est fundamentum Communionis Sanctorum, & Ecclesiæ.* 53. 80.

*Recitando coram Venerabili Sacramento* sexies Pater, & Aue, ac toties Gloria Patri, &c. *lucrantur tam Religiosi, quàm ipsis per Gratiosas Aggregati omnes Indulgentias Ecclesiarum Vrbis Romæ.* 569.

*Regula, quoad obseruantias legibus substantialibus adiunctas, tamdiu suum conseruat valorem, quamdiu per contrariam consuetudinem ei non derogatur.* 128.

*Regula, quoad Vota substantialia, non potest per præscriptionem, seu contrariam consuetudinem labefactari.* 128.

*Regula licèt non obliget, neque sub veniali, potest tamen præcipi in virtute Sanctæ Obedientiæ, cum obligatione peccati mortalis.* 129.

*Regula, quas obseruare debent, qui Scapulare cæruleum Immaculatæ Conceptionis gestare volunt.* 289.

*Regularium aliqui profitentur Regulam; alij obedientiam Prælato secundùm Regulam: illi vi Voti eam seruare tenentur, isti tantùm obedire Prælato secundùm Regulam.* 133.

*Regulares, vt Christi Crucifixi sequaces, profitentur voluntariam bonorum temporalium paupertatem, quibus abundant sæculares; his econtra Religiosi, in grati animi signum, communicationem bonorum spiritualium gratiosè conferunt.* 20.

*Regulares eesserunt, siue per renuntiationem, siue per non vsum, Indultis Pontificijs, quoad communicationem earum Indulgentiarum tantùm, quarum vsus offensiones & rixas causare posset: non autem illarum, quæ absque iurgijs, ac dissensione practicari possunt.* 486.

*Regulares habent delegatam à Summo Pontifice potestatem, certas concedendi Indulgentias.* Vrbanus V. *concessit Generalibus & Prouincialibus Minorum, vt possint alijs communicare Ordinis Indulgentias; quod Priuilegium ad omnes alios Regulares extenditur.* 85.

*Regulares non debent vagari, sub prætextu lucrandi in alijs Ecclesijs Indulgentias; cùm maiori cum collectione, ac deuotione eas in propria Ecclesia lucrari valeant.* 476.

*Regulares non tenentur ex vi Voti Obedire Sacræ Congregationi Cardinalium supra Regulares constitutæ.* 153.

*Regulares propter communicationem Indulgentiarum, quæ datur inter ipsos, possunt in propria Ecclesia lucrari Indulgentias aliorum Ordinum Ecclesias visitantibus concessas. Idipsum possunt associati alicui Ordini, visitando Ecclesiam illius Religionis.* 598.

*Regulares, ex obligatione fundata in ipsa beneficij natura, & ex gratitudine debent accipere eleemosynas à Benefactoribus, animo communicandi ipsis bona spiritualia Ordinis.* 47.

*Regulares consequi valent (adimplendo iniuncta) non solùm omnes Indulgentias locales, concessas nimirùm quibuscunque Ecclesijs, & pijs locis pro omnibus Fidelibus: sed etiam omnes reales, hoc est, concessas à Summis Pontificibus Imaginibus, Numismatibus, alijsque benedictis*

*dictis rebus, modò præscripta præstiterunt.* 455. 456. 457.

*Regulares in Mortis articulo lucrari possunt Indulgentiam plenariam, eligendo sibi Confessarium, qui eam ipsis communicet: si verò Sacerdotem habere non poterint, eam per se lucrabuntur, modò existant in gratia: est ipsis concessa à pluribus Summis Pontificibus.* 391.

*Regulares possunt lucrari non solùm Indulgentias directè, & immediatè suo Ordini concessas; sed per viam communicationis, participare insuper omnes, quæ vmquam concessæ fuerunt, aut imposterum concedentur, cuicunque alteri Religioni, cuiuslibet Instituti, nullo excepto, omnibus item Congregationibus (etiam S. Philippi Nerij) Confraternitatibus, ac pijs locis; iniunctâ tamen exequendo.* 458. 459. 460. 461. 462.

*Regulares pluribus eodem die Animabus suffragari possunt, & quomodo?* 528. 529.

*Regulares, quoties voluerint, poterunt Indulgentias Stationum applicare Animabus in Purgatorio, ex Indulto* Leonis X. *collato Minoritis.* 528.

*Regulares subiecti sunt Pontifici, tam vt communi Ecclesiæ Capiti; quàm vt ipsorum Generali Generalissimo quoad disciplinam Regularem.* 146.

*Regulares visitando proprias, aut aliorum Religiosorum Ecclesias, orando præscripta, consequuntur Indulgentias ibidem omnibus fidelibus concessas, non obstante Indulgentiarum reuocatione factâ à* Paulo V. *Imò generaliter loquendo, possunt Religiosi lucrari Indulgentias locales (adimplendo iniuncta) concessas omnibus Christi fidelibus, vel in proprijs, vel in aliorum Regularium Ecclesiis.* 387. 388. 389.

*Religio B. Ioannis Dei, est vera Religio, exempta ab Ordinarijs, immediatè subiecta S. Sedi, ac Summo Pontifici, vt aliæ Religiones, habetque plura Priuilegia.* 185. 186.

*Religio, Monasterium Confraternitas, &c. res sunt perpetuæ, ac semper eadem, licèt personæ successiuè decedant, aliæque subintrent.* 304.

*Religio, imò neque Capitulum Generale, potest renuntiare certis Priuilegijs, concessis omnibus Religiosis, & cuilibet in particulari.* 197. *Neque ea limitare, aut restringere quoad vsum.* 198.

*Religio, est status pœnitentiæ: continetque perfectionem pœnitentiæ.* 344.

*Religiones plures dantur in Ecclesia, quæ ex speciali Instituto non sunt ordinatæ ad iuuandas Animas, neque profitentur Sacerdotium.* 184. *Sunt tamen verè Religiones, habentque potestatem dominatiuam; adeoque possunt Prælati ipsarum concedere, imò defactò concedunt Gratiosam sui Ordinis Filiationem.* 158.

*Religiosi, degentes in proprijs Monasterijs, si deuotè visitauerint suam Ecclesiam, & orauerint, &c. easdem lucrantur Indulgentias, quas diebus Stationum ij consequuntur, qui intrà & extra Romam Ecclesias visitant, haud secùs, ac si eas personaliter visitassent. Qui extra Monasterium est, licet cum debita licentia, non acquirit has Indulgentias, licèt etiam visitauerit Oratorium illius Conuentus.* 414. *Respectu tamen aliorum Priuilegiorum, si Religiosi, qui sunt extra sua Monasteria, visitauerint aliorum Ecclesias, aut locorum, in quibus tunc morantur, easdem obtinent Indulgentias, quas acquirent visitando proprias.* 415. 416.

*Religiosi, qui ex obedientia, & Superiorum licentia, aliquamdiu extra Monasteria degunt, censentur residere in Monasterio.* 406.

*Religiosi infirmi, ac decrepiti, non valentes accedere ad Ecclesiam, ad lucrandum ibi Indulgentias Regularibus concessas: eas consequuntur, existentes etiam in lecto, si aliquam deuotionem, aut pium opus, ad arbitrium sui Confessoris, peregerint.* 415. 416.

*Religiosi, ratione sui status, pauciora habent peccata, & abundant satisfactionibus.* 235.

*Religiosi, ratione sui status pauca habent debita, & abundant operibus satisfactorijs, vnde aliorum indigentiæ facile subuenire poterunt.* 344.

*Religiosi Subditi non patiuntur præiudicium, neque grauantur à Superioribus suis, cùm ab istis per Gratiosas, ipsorum applicantur satisfactiones, etiam non superabundantes: idque probatur, à numer.* 236. *vsque ad num.* 242.

*Religione, ratione Voti Obedientiæ, in illis tantū rebus obedire tenētur Prælatis suis, supra quas isti Iurisdictionem acceperūt à Summo Pōtifice, ceu*

ce, ceu primo, ac Supremo Capite Generali, ac Generalissimo omnium Religionum. 260. 261.

Religiosi Subditi obligantur applicare Sacrificia, & Orationes iuxta mentem Superioris, quando hoc ille præcipit pro Fundatoribus, aut alijs, à quibus Religio accepit fundos, stipendia, & eleemosynas.

Religiosi in vniuersum immunes sunt à peccato, qui obseruant Regulam mitigatam, quam taliter professi sunt. 128.

Religiosi etiam non exempti à potestate, & Iurisdictione Episcoporum, sed eisdem subiecti, participant omnia Priuilegia, omnesque Indulgentias non tantùm sui Ordinis, sed etiam aliarum Religionum num. 169. circa finem.

Religiosus, cùm per solemnem Professionem se totum donauerit Religioni, eiusque effectus sit membrum, si fruitur communibus illius bonis; tenetur econtrà portare etiam grauamina, exantlare labores, & subiacere veris eiusdem obligationibus. 131. 132. Idque vi contractus in solemni Professione cum Religione initi, & ab Ecclesia approbati, ac confirmati. 133.

Religiosus capax est dominij bonorum spiritualium, nempe virtutum, scientiarum, atque etiam Beneficiorum canonicè ipsi collatorum. 226.

Religiosus, qui alteri promisit applicationem, seu fructum alicuius priuati sui boni operis, tenetur stare promissis. 226.

Religiosus non debet contemnere Regulam, neque mandata Superioris, & si transgrediatur eum contemptu, reus est peccati mortalis. 129.

Religiosus non tenetur obedire præcepto Superioris, si ipsi expressè, & sensibiliter non fuit manifestatum. 130.

Religiosus est obligatus ad perfectionem, ideoque status Religionis dicitur status perfectionis, quod, quomodo intelligendum sit, explicatur. 176.

Religiosus, aut Religiosa habens firmum propositum non obseruandi Regulam, nisi in ijs quæ obligant ad peccatum mortale, est in statu grauis peccati; est tamen, qui contrarium teneat. à n. 134. vsque ad num. 140.

Religiosus, ratione Voti Obedientiæ, voluntariè seipsum constituit sub dominio Prælati, teneturque, pluribus titulis, obedire illi in rebus Regulæ conuenientibus. 118.

Religiosus vi voti Obedientiæ non habet amplius velle, aut nolle, sed positus est totus sub potestate, & dominio Prælati. 119.

Religiosus per solemnem Professionem non amittit Ius, neque dominium super opera sua bona priuata. 226.

Religiosus Subditus, cùm ipse solius sit dominus fructus suorum bonorum operum, nemo alius citra ipsius immediatum concursum ea applicare potest; aliàs ipse numquam certus foret de effectu, ac fructu suæ applicationis. 245. 246.

Religiosus subditus physicè, & per exercitium propriæ libertatis, ratione dominij, quod habet super sua bona opera, potest ea diuersimodè applicare, ac Prælatus; moraliter autem, & absque peccato id facere non potest, maximè si opus à Superiore præceptum fuit; sic enim opus perderet bonitatem moralem, & suum valorem, seu fructum satisfactorium ex opere operantis. 249.

Religiosus, si transgreditur praeceptum aliquod Summi Pontificis, quod non spectat ad obseruantiam Regulæ, alterius malitiæ non fit reus, quàm quæ communis est cuilibet peccanti, qui Voto non obligatur. 147. An autem committat Sacrilegium, si transgrediatur præceptum, quod Regularem concernit obseruantiam, anceps est, negant aliqui, alij affirmant. 148.

Remuneratoriæ esse videntur Gratiosæ. 38. necessariò tamen talis non semper est, conceditur quippe etiam non benefactoribus, sed ex sola charitate a nu. 40 vsque 46. inclusiuè.

Renuntiatio insignis V.P.D. Caroli de Thomasi etiam propriorum Suffragiorum, quæ ille Deo ante suam mortem obtulit pro peccatorum conuersione. 241.

Reuocatio Gratiosarum, vt effectum priuationis bonorum spiritualium in eo, cui reuocantur, operetur, non requiritur, vt ad illius notitiam perueniat; sicut enim ad eorum participationem merè passiuè se habet, ita & ad eorum priuationem. 616.

Reuocatio Indulgentiarum, facta à Paulo V. eas tantùm comprehendit, quæ directè, & immediatè concessa fuerant Regularibus: non autem illas, quæ Regularibus, & sæcularibus communes erant. 387. 388. 389.

Reuocatio Indulgentiarum facta à Paulo V. non comprehendit facultatem, quam habent Prælati Regulares, communicandi Indulgentias Ordinis, quia talis facultas non est Indulgentia. 378. 379.

*Reuocatio Indulgentiarum facta à* Paulo V. *non comprehendit illas Indulgentias, quas Regulares concedere valent tam sæcularibus, quàm Religiosis.* 390.

*Reuocatio Indulgentiarum, facta à* Paulo V. *compensatur beneficio maiore; dum, quod dubium erat, & magna confusione inuolutum, in certam & claram mutatum fuerit concessionis notitiam, & in securam Indulgentiarum consecutionem.* 386.

*Reuocatio generalis Indulgentiarum Regularium non comprehendit insignem illam, concessam ipsis à Leone X. &* Paulo III. *per* sex Pater, & Aue, ac totidem Gloria Patri *lucrandam: hæc enim non est concessio Indulgentiæ, sed Priuilegium, ac dispensatio quoad locum, in quo illa acquiri potest.* 450.

*Reuocatio generalis Indulgentiarum, & Oraculorum, non comprehendit Indulgentias concessas pro Defunctis.* 515.

*Reuocatio generalis Indulgentiarum, facta à Paulo V. fauorabilis est animabus.* 386.

*Reuocatio generalis Indulgentiarum, facta à* Paulo V. *tres classes Indulgentiarum non comprehendit; nimirùm, quæ Regularibus, & Secularibus communes sunt: quæ Regularibus concessæ sunt in articulo mortis; & concessas eisdem pro Animabus in Purgatorio.* 386.

*Reuocatio generalis Oraculorum viuæ vocis, facta à* Gregorio XV. & ab Vrbano VIII. *illa etiam comprehendit, per quæ concessæ fuerunt Indulgentiæ. Non autem illa Oracula, quæ sunt declarationes ipsorummet Summorum Pontificum, circa proprias eorum Bullas, ab ipsis prius publicatas.* 415. 416.

*Ritus benedicendi, ac conferendi Scapulare Immaculatæ Conceptionis Theatinarum Eremitarum,* 295. *A quonam debeant benedici, an à quolibet Sacerdote Theatino, aut solùm ab Ordinis Superioribus?* 293. 294.

*Romanus Pontifex, cùm sit Caput vniuersale totius Ecclesiæ, ac Superior communis totius Christianitatis; probabiliter, vt talis, imperare potest actus internos, ad quos obligentur nostræ voluntates, eamque eas, vt Summus Pontifex, & Christi Vicarius, habeat sibi subditas, & subiectas, & cùm radix huiusmodi subiectionis sit interna, spiritualis, & inuisibilis.* 257.

*Romanus Pontifex habet potestatem legislatiuam, & mediantibus armatis suis militibus, etiam punitiuam.* 258.

## S

*Sacerdos amicus meus, applicat fructum sui Sacrificij pro satisfactione meorum peccatorum, & ego illum obtineo, quin vllam de eo habeam notitiam, aut vllum circa hunc exerceam voluntatis actum.* 96.

*Sacerdos, qui fructum generalem Sacrificij Missæ applicaret sibi, aut alteri, peccaret grauiter.* 242.

*Sacerdos, qui aliquem ex graui inimicitia, vel odio excluderet in Missa à fructu generali, peccaret grauissimè.* 242.

*Sacra Congregatio Cardinalium supra Regulares, non potest concedere Litteras Gratiosas Ordinis,* 154. *Neque alia Sacra Congregationes.* 155.

*Sacramentum non potest esse validum absque intentione Ministri; cùm iuxta Concilium Tridentinum tribus perficiatur, materia forma, & intentione.* 197.

*Sacrificium Religiosi Subditi, contra istius voluntatem, non potest applicari à Superiore; & siquidem ambo in applicatione discordent, praualebit applicatio Subditi.* 268.

*Sacrificium Subditi ab ipso solo immediatè, & per se applicari potest, non à Superiore.* 268.

*Sacrificium, nemini, aut personæ incapaci applicatum, iuxta aliquos deuoluitur ad Ecclesiæ thesaurum: iuxta alios, fructus ipsi celebranti applicatur.* 269.

*Sancti Patres iam à principio nascentis Ecclesiæ exercuerunt vsum Gratiosarum participationum;* 115.

*Satisfactioni nostræ, cùm sit solutio pœnæ ex iustitia debita, accedere debet proportio cum pœna, quæ remittitur. Vnde, cùm dicta nostra satisfactio sit finita, ac limitata, sequitur, quòd quò pluribus applicatur, eò magis in singulis minuatur.* 363.

*Satisfactiones superabundantes Sanctorum ac Iustorum, ab ipsis specialiter non applicata,*

*cata, cur deuoluantur ad thesaurum Ecclesiæ?* 262.
*Satisfactiones superabundantes Sanctorum dispensantur per Indulgentias vnà cum satisfactionibus Christi: id autem fit, non ex aliqua Indulgentia, cùm satisfactiones Christi sint infinita; sed, vt illæ Sanctorum non remaneant absque fructu, & effectu.* 354.
*Satisfacit pro alio, quisquis vult, & est in gratia, de condigno, & de Iustitia, certò, & infallibiliter, per opera sua pænalia.* 221.
*Satisfacit pro alio fidelis, licèt ipsemet satisfactione opus habeat pro se.* 220.
*Satisfaciens pro alijs, exercet actum Summæ charitatis, nec perdit mercedem suam.* 236. 237. *Neque ipse totaliter priuatur remissione pœnæ: quod probatur doctrina, authoritate, atque exemplis.* 238. 242.
*Satisfacere pro alijs per bona opera, exigit intentionem, & applicationem, aut operantis, aut eius qui est illius Superior, & habet potestatem dominatiuam in eius bona opera. Cæterùm, quando talis intentio deest, satisfactio semper iuuat operantem ipsum, si ea indiget, si non deuoluitur ad Thesaurum Ecclesiæ.* 219.
*Satisfit pro altero, etiamsi ille, pro quo satisfit, per se id facere posset.* 220.
Scapulare Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis *benedicitur à* P. P. Theatinis, *cum illo confertur participatio bonorum Spiritualium* Religionis Theatinæ, Theatinarumque Eremitarum *à numer.* 281. *vsque ad numer.* 295. *Regula, quas obseruare debent, qui hoc cæruleum Scapulare gestare volunt.* 289.
*Scientia operantis non requiritur, ad hoc vt communicetur ipsius meritum impetratiuum, nam quòd alij de eo participent, nihil ei præiudicat, imò iuuat, ac meliorem reddit ipsius conditionem.* 350.
*Sobole, ac Confraternitates Sæculares, tam Virorum, quàm Fœminarum, concedere possunt Litteras Fraternitatis, ac spiritualis participationis.* 280.
*Scriptura authentica est illa, quæ testimonijs probari potest, & omnia sua requisita habet, per quæ talis esse conuincatur.* 516. 517.
*Scriptura non est de essentia Priuilegij* ibid.
*Scriptura solùm necessaria est pro foro externo, in Iudicio, & casibus particularibus, pro testimonio collatæ gratiæ, non autem pro valore eiusdem.* 79.
Sanctus Syluester Papa *concessit, ad preces Constantini Imperatoris, omnibus Fidelibus, qui in statu gratiæ visitauerint Basilicam Lateranensem, omnium pœnarum remissionem, & hoc quocunque tempore, aut die totius anni. Hanc Indulgentiam confirmauit postea* S. Gregorius. 544.
*Simoniaca non est concessio Gratiosa Filiationis (prout VVicleffus hæreticus asseruit, quia non datur spirituale in pretium pro bonis temporalibus; sed spirituale datur pro spiritualis, spiritualia nimirùm bona Ordinis, titulo gratitudinis, pro Sacris eleemosynis & charitatiuis subsidijs sæcularium:* 48. 49.
*Secundis, & Quartis Ferijs totius Anni celebrata à Regularibus Missæ pro Defunctis, omnes indifferenter sunt priuilegiata, siue deinde sint de Requiem, siue non.* 396.
Sixtus V. *instituit Congregationem Cardinalium pro bono Regimine Regularium.* 153.
*Si admitteretur in Religionibus Thesaurus aliquis Spiritualis, constans ex superabundantibus Religiosorum satisfactionibus, derogaretur infinitis Christi satisfactionibus.* 331. *Detraheretur quoque communi Ecclesiæ Thesauro.* 332.
*Similitudines, ac proportiones inter mysticam spiritualem Filiationem Adoptiuam, & Legalem, seu Ciuilem.* 4. 5. 6. 7. 8. 9.
*Status Clericalis non requiritur, vt quis habere possit potestatem, ac Iurisdictionem spiritualem, & imponere Subditis suis spiritualia præcepta,* 191.
*Status gratiæ non requiritur ad lucrandum Indulgentias pro Defunctis,* 430.
*Status Religiosus est via ad perfectionem, non repugnat tamen, quòd sit via simul & status perfectionis, quia est via cum suo termino, & complectitur etiam prouectos, atque perfectos.* 127.
*Status Religiosus, est status perfectionis acquirendæ; Episcopi verò, perfectionis acquisitæ, probatur, & explicatur,* 126. 127.

*Status Religiosus, & ipsa Religio, est status perfectionis: declaratur, quomodo hoc intelligendum.* 126.

*Subdito applicante fructum suorum bonorum operum uni, & Prælato alteri, prævalet applicationi huius, applicatio illius.* 226. 232.

*Sufficit esse contritum, & in gratia, cùm ultimum opus pro Indulgentia perficitur, ad effectum eiusdem consequendum; quandoquidem opera etiam in statu peccati mortalis facta, sunt satisfactoria, licèt non meritoria.* 492.

*Sufficit ad validum, ac licitum usum Brevis, aut Bullæ, pro foro interno, quòd aliqualiter constet certitudine morali, esse Summi Pontificis, nec moraliter dubitari posse; neque requiritur ad validum, ac licitum usum solemnitas aliqua, aut promulgatio, sed sufficit sola copia impressa, imò neque hæc est necessaria.* 516. 517.

*Sufficit visitare Ecclesiam, in ordine ad lucrandum Indulgentiam, nec opus est singula visitare Altaria; quamlibet partem visitet, sufficit, etiam stans in Choro.* 417.

*Suffragia spiritualia, quænam præscribantur in Religione Theatina, & post mortem cuiuscunque Professi pro eo persoluantur?* 241.

*Suffragium, quod fit pro Anima Defuncti, iam existentis in gloria, cùm eam iuuare non possit quoad remissionem pœnæ, iuuabit quoad Gloriam, seu Gaudium accidentale in Cœlo.* 432.

*Summi Pontifices, dum concedunt Indulgentias iis, qui Regularium visitant Ecclesias, non exprimunt, quòd talis visitatio fieri debeat cum intentione lucrandi Indulgentias: neque id necessarium est, aliàs plurima frustrarentur Fidelium Indulgentiæ.* 95.

*Summi Pontifices concedunt Indulgentias, specialem operibus præscribendo intentionem.* 87. 259.

*Summus Pontifex absolutè potest concedere Filiationem spiritualem, tam generaliter omnium uniuersim Religionum, quam aliquarum simul sumptarum, quàm etiam unius in particulari: idque ex sua natura, & de iure.* 149. 150. 151. 152.

*Summus Pontifex, qui concedit Priuilegium cum clausula taxatiua, aut etiam prohibitiua, non potest præiudicare potestati Successoris.* 525.

*Summus Pontifex concedit Prælatis Regularibus facultatem, communicandi aliis bona opera, & merita suorum Ordinum: id in specie facit* Urbanus V. *Et* Iulius II. *ipsemet communicat bona spiritualia Minimorum.* 152.

*Summus Pontifex solus, ac Supremus dispensator est Thesauri Ecclesiæ.* 85.

*Summus Pontifex, cùm sit Supremus Superior, & Prælatus totius Christianitatis, iuxta suum beneplacitum communicare potest opera spiritualia, non tantùm omnium Religionum, Confraternitatum, omniumque Ecclesiasticorum, sed etiam totius Ecclesiæ militantis.* 350.

*Summus Pontifex non potest suo arbitrio euacuare Purgatorium. Est tamen, qui censeat, non esse improbabile, id illum posse, data urgentissima causa, qualis foret necessitas totius Ecclesiæ, quo casu possit concedere Indulgentiam plenariam omnibus in Purgatorio Animabus.* 432.

*Summus Pontifex cogere non potest professum, ut ab una Religione transeat ad aliam.* 122.

*Summus Pontifex concedere potest Indulgentiam plenariam Defunctis, propter bonum aliquod opus, quod in vita exercuerunt.* 431.

*Summus Pontifex, cùm pro Indulgentia iniungit aliquod opus, intendit cum illo imponere onus, sub qua formalitate Indulgentia obtineatur.* 531.

*Summus Pontifex, an actu voluntatis merè interno, absque ullo sensibili, aut externo signo, validè reuocare possit Indulgentiam: dubium est apud Authores, alii affirmant, alii negant: aliqui unum, aliqui alterum probabile censent.* 616.

*Summus Pontifex, si externè tantum, absque interiori intentione concedit Indulgentias, nihil facit.* 105.

*Summus Pontifex sæpè concedit Indulgentiam plenariam Moribundis, omni sensu iam destitutis, qui nihil ampliùs percipiunt, & tamen consequuntur Indulgentiam.* 94.

*Summus Pontifex subinde concedit Indulgentiam omnibus illis, qui in Ecclesia S. Petri intersunt Missæ Suæ Sanctitatis, multi illorum non sciunt, talem gratiam ipsis esse factam, & nihilominus acquirunt Indulgentiam.* 96.

*Summus Pontifex non solùm unus est ex Prælatis Regularibus, sed etiam primus illorum*

ac supre-

ac supremus, & Generalis Generalissimus omnium Religionum. Vnde Religiosi, vltra Obedientiam communem, quam ipsi, ceu Christi Fideles tenentur præstare, obedire quoque ipsi debent ex vi Voti Obedientiæ secundùm Regulam, vt ipsorum Capiti Generali, ac supremo. 146.

Superior localis, & Prouincialis non possunt impedire, quin Subditi ipsorum fruantur gratijs, à Generali, aut Capitulo Generali ipsis concessis. 197.

Superior non præsumit, suum Subditum hic & nunc proprijs satisfactionibus adeò necessariò indigere, vt ex earum alienatione graue patiatur damnum; quòd Superiori sufficit eas aliorum bono deputandi. 265.

Subditus potest concedere aut negare Subditis curam Potestatis Sacerdotalis; non autem eos prætendere Subditos suæ dispositioni quoad eamdem potestatem. 270.

Superior Regularis irritare potest voluntatem Subditi, in quantum sibi subditus est, nimirum quoad ea, in quibus ipsius potestati dominatiuæ subiectus est. Quia verò ipsi subiectus non est quoad potestatem Sacerdotalem, ideo &c. 270.

Stationum Vrbis Romæ dies recensentur. 548.

T

TEmpus dationis respici debet in concessione gratiæ. Vnde videtur, quòd ab illo momento Littera Gratiosa habeant suum esse completum, & participetur effectus communicationis bonorum spiritualium, per eas concessorum. 68.

Tertiarij, & Tertiariæ, participant de bonis spiritualibus Ordinis, sub quo militant. 317.

Theatinis concessit Innocentius XI. Indulgentias plenarias, quolibet anno, quo per octiduum fecerint exercitia spiritualia. 413.

Thesaurus, Generalis Spiritualis Ecclesiæ, soli Diuinæ dispositioni subiectus est, ac Summo Pontifici, qui & ipse potestatem habet eam communicandi. 327.

Thesaurus Generalis spiritualis Ecclesiæ exactè explicatur, & plena eiusdem exhibetur notitia à n.231. vsque ad n.236.

Thesaurus particularis Indulgentiarum, qui Gratiosas à Prælatis possit dispensari, non datur in Religionibus. 85.

Thesaurus particularis, constans ex præteritis superabundantibus Religiosorum satisfactionibus, ad modum generalis Ecclesiæ thesauri, dispensabili per Gratiosas à Prælatis, non datur in vlla Religione: communicantur autem per Gratiosas præcisè satisfactiones operum bonorum, quæ Religiosi vel actualiter faciunt, vel antequam ea faciant: non verò fructu operum præteritorum, supra quæ ipsi potestatem non habent, vti nec ipsemet operans. 299. vsque 332.

Timidi nimiùm, atque tenaces sunt illi, qui exigua generositate asserunt, fructum satisfactoriorum à Gratiosis participationibus prouenientem esse tantùm superabundantem. 235.

Thomas VValdensis expugnauit VVicleffum hæreticum. 16.17.18.

Traditio, qua seipsum quis tradit Religioni, consecrat, & dedicat Religiosum Dei seruitio: ad hoc autem eleuatur per Votum Obedientiæ, quod est vinculum, seu contractus multò strictior, quàm traditio; vnde transgressionem voti Obedientiæ tantùm confitentur Religiosi etiam doctiores, non verò se accusant, quòd egerint contra contractum Religiosæ traditionis, quando non sunt operati iuxta mentem Superioris. 254.

Tradere seipsum Religioni; est de essentia status Religiosi. 252.

Traditio suipsius Religioni, in contractu Professionis, Religiosum non præcisè priuat Iure disponendi de suis operationibus diuersimodè à directione, & intentione Prælati; sed Votum Obedientiæ. Neque per hanc traditionem irrita aut absque effectu remanet vlla applicatio suorum operum, quæ contraria est intentioni Prælati, vt vult Ruteus. 254.

Traditio suipsius Religioni non auffert Religioso immediatum dominium supra suos actus, vti nec Votum Obedientiæ. 254.

Translato Festo Principali Ordinis, an simul transferatur Indulgentia? 406.

Valet

V

*Valet consensus fictus, solis verbis expressus, vniuersaliter in omni actu, in quo Iure Diuino, vel Naturali non requiritur internus consensus, & intentio.* 106.

*Valet sola externa approbatio Ordinarij, absque interna, ad audiendum Confessiones.* 107.

*Valida est gratia, absque vlla Scriptura, aut subscriptione, & sufficit ad ipsius esse, atque effectum, solus consensus concedentis, qui solis verbis sufficienter exprimi potest.*

*Valida est in foro conscientiæ qualibet Gratia, à Summo Pontifice concessa, postquam Supplicatio admissa est, ac subscripta verbo:* Placet. 72.

*Valor Indulgentiarum, inter alia, desumitur à causa concessionis, quæ proportionata esse debet Indulgentiæ, & si non est, non acquiritur Indulgentia, nisi iuxta proportionem causæ. Cæterùm licèt nobis persuadere debeamus, causam, propter quam Summus Pontifex concedit Indulgentiam plenariam, semper eidem esse proportionatam, non possumus tamen de hoc habere certitudinem totalem, cùm accidere possit, quòd apud Dominum Deum non sit adæquata, & sufficiens.* 446. 447. 448. 449.

*Valor boni operis, quoad applicationem, intrinsecè dependet ab intentione operantis, & hanc sequitur effectus; huic non potest præualere intentio Superioris, quando non concordat cum Subdito.* 232.

*Valor moralis operationis intrinsecè dependet ab intentione operantis, quæ nullo pacto à Superiore suppleri potest.* 254.

*Valor moralis boni operis, circa applicationem, intrinsecè dependet ab intentione operantis, & hanc effectus ipse consequitur.* 245.

*Valor satisfactorius boni operis non participatur à fidelibus, neque per communionem Sanctorum, absque speciali applicatione.* 82.

*Valor satisfactorius operum pœnalium in quantitate non sufficit ad satisfaciendum pro operante, & pro altero. Attamen qui satisfacit pro altero, si seipsum priuat propria satisfactione, quod tamen non semper fit, hic charitatis actus compensatur ipsi per aliquid maius, quàm sit remissio pœnæ.* 220.

*Varij fructus spirituales, etiam absque intentione operantis, participantur, ac impetrantur, virtute particularis communionis Religionum, qui enumerantur.* 81.

*Vicarij Regulares in triplici classe sunt, nimirum Vicarij Generales, Prouinciales, & Locales: In duobus primis supponitur potestas dominatiua supra eorum Subditos, vacante Officio Generalis, & Prouincialis.* 176. *Vnde dicimus, quod eo tempore valeant concedere Litteras Gratiosas.* 177.

*Vicarius est, qui sustinet alterius vices in officio contentioso, aut non contentioso.* 176.

*Vinculum vnionis strictius ac specialius est, quod habetur per particularem Religionum communicationem, quàm quod per Generalem Communionem Sanctorum. Habet etiam maiores, & efficaciores effectus: consequitur enim quis subinde à Domino Deo per particularem participationem Gratiosarum, id, quod per Generalem Communionem non obtineret.* 63.

*Violenter coactus ad actum aliquem externum à lege prohibitum, si absque voluntatis consensu illum operatus est, nec peccat, nec legem præuaricatur, quia lex præcipit vel prohibet actum liberum.* 257.

*Virtualis applicatio ad mentem Superioris omnium bonorum operum, saltem eorum, quæ fiunt ex instituto Regulæ, à Religioso Subdito fundatur, in solemni ipsius Voto Obedientiæ.* 191.

*Visitatio Ecclesiæ, pro lucrandis Indulgentijs, per se non requirit accessum ad eam, cùm ab ijs obtineri valeat, qui in ea habitant; sed in tantùm necessaria est, in quantum mediante illa, opera iniuncta in Ecclesia exerceri debent.* 418.

*Visitatio Altaris, iniuncta pro lucrandis Indulgentijs, fieri potest, quin genuflectatur supra illius gradum, stando etiam in Choro, ac dirigendo ad Altare suam intentionem, vel orando in Ecclesia.* 434.

*Visitans Ecclesiam, ad lucrandum aliquam Indulgentiam, etsi de alijs nihil sciat, omnes lucratur. Liberat quoque Animam ex Purgatorio, licèt earum non recordetur. Item, qui habet numisma cum multis Indulgentijs, omnes lucratur, quamuis eas neque sciat, neque*

*neque earum recordetur*, 90.
*Visitans Romæ Ecclesiam, in qua eo die est Statio lucratur etiam, iuxta aliquos, Indulgentias Ecclesiarum Capitalium, & etiam aliarum. Quando autem ibi est Indulgentia, sed non Statio, solùm Indulgentia illius Ecclesiæ acquiruntur*, 569. 570.
*Vita Religiosa quantum sit rigida, quot abundet pœnitentiis, ac pœnalitatibus?* 344.
*Vnica Communione, aut vnico ieiunio potest quis lucrari plures Indulgentias; quantumuis qualibet Indulgentia, sicut specialem habet concessionem, ita etiam nouum onus secum afferat, atque obligationem ad nouam, & distinctam substantiam operationis*. 530. 531. 532. 533.
*Vniuersalis impetratio, quæ iuuat omnes Fideles absque speciali operantis applicatione, est illa pars operis, quam Fideles absque vlla applicatione participant ex hoc solo, quòd sint viua membra Mystici Corporis Ecclesiæ. Atque hæc est Communio Sanctorum, vi cuius à Deo tam naturales, quàm supranaturales gratiæ impetrantur*. 367.
*Voluntas Religiosi Subditi non est subiecta Superiori, ratione potestatis dominatiuæ, quoad Sacrificium Subditi, quod prouenit ex potestate Sacerdotali*. 266. 268. & seq.
*Voluntas mente retenta nihil operatur, nisi etiam exterius sensibiliter manifestetur*, 77. 78.
*Votum Obedientiæ in Subdito habet rationem virtualis applicationis operum ipsius ad mentem Superioris, non autem traditio suipsius facta Religioni*, 254.
*Votum Obedientiæ magis obligat Religiosum ad obediendum, quàm traditio suipsius facta Religioni*. 254.
*Vltra Indulgentiam plenariam, alia lucrifieri nequit: potest tamen offerri pro Anima in Purgatorio*. 539.
Vrbanus V. *concedit Fratribus Minoribus Generalibus, & Prouincialibus, quòd possint benefactoribus communicare bona spiritualia & Indulgentias Ordinis; istud priuilegium participatur ab aliis etiam Ordinibus*. 34.
Vrbanus V. *concedit Generali & Prouinciali Fratrum Minorum, quod possint suis benefactoribus communicare Indulgentias Ordinis*. Et Clemens VII. *idem concedit Generalibus PP. Carmelitarum discalc. quæ concessiones per communicationem extenduntur ad alias quoque Religiones; neque reuocatæ sunt* à Paulo V. *in generali Indulgentiarum reuocatione*. 378. 379.
Vrbanus V. *disponit de bonis operibus Religionis S. Francisci*, 57.
Vrsula Benincasia *fundat Neapoli Theatinas Eremitas*. 282. *Ratio ipsarum Instituti*. 283.
*Vsus Gratiosarum participationum in Ecclesia semper approbatus fuit, iam à temporibus Apostolorum, vsque in præsens*. 60.
*Vsus operandi, semper remanet in potestate Subditi, qui opus physicè potest intermittere, non obstante Prælati sui præcepto, & licèt opus exequatur, poterit tamen non facere illud cum intentione præcipientis: vnde Prælatus quidem præcipere Subdito potest aliquod opus, semper tamen in potestate Subditi erit, facere illud, vel non facere*. 254.
*VVicleff Hæreticus iam ante ducentos annos insurrexit aduersus Litteras Gratiosas, damnatus tamen fuit in Concilio Constantiensi, & ab eodem excommunicatus*. 17.

# F I N I S.

Errata

| Pag. | Col. | lin. | Errata | Corrige |
|---|---|---|---|---|
| 5. | p. | 12. | non | dele |
| 8. | p. | 43 | profunt | poſſunt |
| 16. | p. | 25. | Mater | Matris |
| 27. | 2. | 54. | Richadum | Richardum |
| 34. | 2. | 21. | conſtituta? | conſtitata? |
| 34 | 2. | 25. | marg. n. 69. | 68. |
| 34 | 2. | 45. | deeſt n margin. 69. | |
| 34. | 2. | 45. | oppouitur | opponitur |
| 38. | 2. | 50. | participant | participat |
| 39. | p. | 10. | ſatisfactorum | ſatisfactorium |
| 41. | 2. | 39. | implendam | implendum |
| 48. | 2. | 49. | ontij | Pontij |
| 51 | 2. | 9. | fit | ſit |
| 66 | 2. | 49. | æquiparentur | æquiparantur |
| 72. | p. | 8. | in | ex |
| 75. | p. | 29. | Paſſerinus | Paſſerini |
| 75. | p. | 49. | Morel. | Moral. |
| 78 | 2. | 12. | eligendi | eligendis |
| 82. | 2. | 2. | Gregorius | Gregorio |
| 83. | 2. | 26. | ipſiuſmet | ipſiuſmet |
| 84. | p. | 40. | ratione | & ratione |
| 86. | 2. | 54. | eſsent | eſſet |
| 90. | 2. | 54. | ipſis | cum ipſis |
| 92. | 2. | 40. | eam | eadem |
| 106. | 2. | 21. | alijs | alij |
| 108 | 2. | 40. | ijſdem | eoſdem |
| 110. | 2. | 17. | part. 2. | p. 2. |
| 114. | 2. | 29. | Et | Eſt |
| 115. | 2. | 28. | part 2. | p. 2. |
| 117. | p. | 47. | num | nunc |
| 117. | 2. | 34. | par 2. | p. 2. |
| 118. | 2. | 51. | poſſet | poſſet |
| 128. | 2. | 3. | videtus | videtur |
| 130. | 2. | 23. | rigeretur | rigetur |
| 131. | 2. | 8. | præcipuæ | præcipuè |
| 135. | p. | 10. | valdè | validè |
| 138. | 1. | 26. | deeſt numerus Margin. | 235. |
| 144. | p. | 6. | Et es | Vt & |
| 144. | 2. | 53. | teu | tot |
| 145. | p. | 14. | Vlpiani | Vulpiani |
| 154. | 2. | 2 | recitatur | recitare |
| 157. | p | 21. | fi-e | fine |
| 159. | 2 | 43. | requiritur | requiritur |
| 161. | 2. | 2. | a t | ac |
| 162. | p. | 50. | ſie | ſic |
| 165. | 2. | 2. | t. | c. |
| 170. | 2. | 31. | 61. | 51. |
| 176. | 2. | 20 | Videtur | Videatur |
| 180. | p. | 21. | delucidatur | dilucidatur |
| 189. | p. | 37. | hic | hinc |
| 189. | p. | 46. | deuotione | deuotionis |
| 198. | p. | 3. | præ | quæ |
| 199. | 2. | 28. | deeſt | non |
| 202. | p. | 39. | omnia | nimis |
| 202. | 2. | 36. | obſeruandum | obſeruandum |
| 208. | p. | 46. | Medicina | Medicinæ |
| 208. | p. | 47. | Medicinæ | Medicina |
| 210. | 2. | 23. | aorum | eorum |
| 215. | 2. | 20. | Quocirce | Quocirca |
| 216. | 2. | 10. | ſatisfactorum | ſatisfactoriorum |
| 217. | 2. | 50. | decit | ad |
| 223. | p. | 39. | Religionis | Religioſis |
| 223. | 2. | 43. | peuſet | cenſet |
| 225. | p. | 29. | recipiat | reſpiciat |
| 228. | p. | 42. | alium | illum |
| 229. | p. | 35 | obſeruandiſſimi | obſeruantiſſimi |
| 236. | p. | 3 | non | dele |
| 236. | p. | 11. | valeant | valeat |
| 237. | p. | 1. | participationeam | participationem |
| 237. | p. | 22. | vmquam | vnquam |
| 240. | p. | 35. | Paulus | Pauli |
| 240. | 2. | 20. | ſuperabuntia | ſuperabundantis |
| 253. | 2. | 31. | ſint | ſint |
| 254. | 2. | 48. | Religionis | Religionibus |
| 255. | p. | 29. | poſſetque | poſſeque |
| 256. | 2. | 37. | propter | præter |
| 256. | 2. | 49. | celebrant | celebrabant |
| 258. | 2. | 20. | deeſt | non |
| 261. | 2. | 2. | Defuncti | Defunctis |

| Pag. | Col. | lin. | Errata | Corrige |
|---|---|---|---|---|
| 262. | 2. | 29 | vllam | illam |
| 265. | 2. | 8. | conſequantur | conſequatur |
| 272. | 2. | 32. | qui | quia |
| 272. | 2. | 3. | priuilegiarum | priuilegiorum |
| 272. | 2. | 33. | Leone | Leonis |
| 272. | 2 | 44. | Scholis | Scholia |
| 275. | p. | 19. | continentur | continetur |
| 277. | 2. | 4. | & | dele |
| 280. | 2. | 35. | probabilius | probabilis |
| 283. | 2. | 29. | ſuffragijs | ſuffragij |
| 286. | 2. | 23. | edicione | editione |
| 287. | 2. | 48. | aliquid | aliud |
| 289. | 2. | 7. | infirma | infima |
| 304. | p. | 40. | Ordinis | Ordinibus |
| 304. | p. | 47. | delectat | delectant |
| 307. | p. | 53. | deeſt | quam à Papa, qui potius declarauit eam à Chriſto Domino |
| 311. | p. | 15. | Ieſu Chriſti | Ieſus Chriſtus |
| 311. | 2. | 31. | ſ | ſcilicet |
| 318. | p. | 2. | ad | deleatur |
| 314. | 2. | 47. | Sublato | Sabbato |
| 315. | 2. | 22. | in | in 2. |
| 321. | p. | 34. | fuiſſet | fuiſſet |
| 321. | 2. | 33. | Portzllus | Portellus |
| 322. | p. | 14. | Rhota | Rota |
| 322. | p. | 17. | hoſpitatione | hæſitatione. |
| 322. | p. | 43. | ampliſſimorum | ampliſſimunt |
| 322. | 2. | 7. | in fine) | in fine) par |
| 322. | 2. | 8. | habet | habeat |
| 323. | p. | 24. | conceſſam | conceſſæ vſque ad annum 4. ſui Pontificatus, ideſt vſque ad diem 3. Febr. 1517. |
| 323. | p. | 25. | ſuffragij. | ſuffragij. Videtur Indultum huiuſmodi in Bullario Rodriquez inter oracula Leon. X. in fine p. 324. |
| 324. | 2. | 35. | § vlt. | §. vlt. per |
| 325. | p. | 16. | nec etiam refert | deleatur |
| 325. | p. | 17. | nec etiam | deleatur, etiam |
| 325. | 2. | 44. | Indulgentias | Indulgentia, |
| 325. | 2. | 54. | non | ſunt |
| 326. | p. | 7. | Ieiunium, & | Ieiunium, |
| 326. | 2. | 8. | prædicta | prædita |
| 326. | 2. | 9. | cum | non |
| 326. | 2. | 10. | num | vnum |
| 327. | p. | 5. | uuli | nullà |
| 327. | 2. | 20. | nox | non |
| 329. | p. | 27. | vpa | vnam |
| 329. | p. | 36. | Indulgentij | Indulgentijs |
| 330. | 2. | 12. | Eccleſiat | Eccleſia: vt |
| 331. | p. | 10. | deputate | deputatæ |
| 332. | 2. | 35. | finem | fine |
| 334. | 2. | 38. | à nu. 565 ) | à ann. 565. ) quod |
| 335. | 2 | 9. | peragendum | peragendam |
| 337. | p. | 18. | milia | millia |
| 338. | 2. | 38. | plenar. | plenar. ad |
| 343. | 2. | 32. | nonagentorum | nongentorum |
| 345. | 2. | 16. | deeſt | quod ſi |
| 345. | 2. | 43. | facera | facere |
| 346. | 2. | 39. | noni | noui |
| 437. | 2. | 42. | lucrantur | lucratur |
| 349. | p. | 27. | Antonij | Antonij etiam |
| 354. | 2. | 1. | zit. | cit. |
| 355 | p. | 16. | aſsertio | aſſertioni |
| 355. | p. | 30. | qua | quæ |
| 355. | p. | 38. | ipſos | ipſas |
| 356. | 2. | 16. | admirationem | admiratione |
| 357. | o. | 5. | pertinet | pertinent |
| 357. | p. | 25. | pertractantur | pertractatur |
| 357. | p. | 31. | Antoonus | Antonio |
| 357. | 2. | 39. | largitur | largiatur |
| 356. | p. | 16. | Patre | Patris |
| 360. | p. | 46. | Participatione | de Participatione |
| 361. | pi | 9. | correſdondente | correſpondente |
| 362. | p. | 9. | hac | hæc |
| 366. | 2. | 12. | Gratioſa | Gratioſæ |
| 368. | p. | 28. | eſſet | eſſe |
| 398. | p. | 27. | priuetur | priuentur |
| 368. | 2. | 42. | deeſt | deeſſe |

| Pag. | Col. | lin. | Errata | Corrige |
|---|---|---|---|---|
| 382 | 1 | 6 | fuecessiuos | successiuè |
| 384 | 1 | 13 | aijs | alijs |
| 384 | 2 | 7 | eorandem | eorundem |
| 395 | 2 | 38 | seu | sed |
| 407 | 2 | 50 | offare | offerre |
| 410 | 1 | 6 | poterint | potuerint |
| 411 | 2 | 6 | solius | solus |
| 415 | 2 | 7 | dispensabili | dispensabilis |
| 416 | 2 | 13 | dicimns | dicimus |
| 417 | 1 | 21 | corpori | corporis |

FIOS.